43
9 G
7

Digitized by Google

ANDREÆ CHRYSOSTOMI IN ZAŁVSKIE ZAŁUSKI,

Primò Kijoviensis postea Plocensis ; & nunc Varmiensis

EPISCOPI,

SACRI ROMANI IMPERII

PRINCIPIS,

TERRARUM PRVSSIÆ PRÆSIDIS ET SUPREMI REGNI POLONIÆ CANCELLARII.

EPISTOLARUM HISTORICO-FAMILIARIUM

TOMI Imi. PARS II.

Acta JOANNIS TERTII Usq; ad obitum ejus exclusivè CONTINENS.

BRUNSBERGÆ

ANNO SALUTIS 1710. TYPIS MANDATA.

LECTORI.

ADESSE justa molientibus DEUM, imò ipso præeunte nullum officere obicem Magistro meo roboratur experimento. Incepi opus sæculorum non tantũ infirmitatis meæ conscius, sed & mœstus, domesticæquè calamitatis vulnere afflictissimus inter ictus, & injurias temporum, & dum conatuum meorum DEUM principium, & auspicium assumpsi, inveni facile esse, quod impossibile ante putavi, videóque non audere nos multa, non quia difficilia sunt sed quia non audemus, difficilia reddi. Incepto tantummodo opus est; cætera cum DEI gratia res ipsa expedit. Palàm quippe est, arduùm pro facili, & facile pro jam facto apud me esse; crescere mihi non tantùm animus ipsa rerum difficultate, sed & opus videtur. Nam, dum ea, quæ ad primum Tomum pertinere credebam, collegi, opúsque jam exegi, inveni (longiùs progressus, quàm regredi possem) supra opinionem meam librum ita excrevisse, ut difficultas compilandi librarijs foret: ac proinde ex rationibus in duas partes Tomum hunc dividendum duxi, quod & facio, commodius etiam lectori futurum. Maturare opus boni communis causâ, & properare, ne vela cadant, placuit; breve enim tempus est, quod vivimus; nec absterruit labor, magnum iter ascendi, sed dedit gloria vires. Tale votum enim me decuit habere, quod gloriam, salutemque Patrij soli jugiter possit extendere. Turpe esset cedere oneri, & luctari cum officio, quod semel assumpsi: non est vir fortis, ac strenuus, qui laborem fugit; Turpe esset referre pedem, turpe laborantem deserere ratem. Quis artifex, qui cœptum ædificium non continuatum volens relinquit? quis agricola fructum deserit in semine? ita & ego nunquam inchoare soleo, quod non & finiã: Nam extra dilationẽ perendinã positus, omnia faciliùs, quàm moram tolerans, more meo operosè agens, quod agere necessè est, inutili cunctatione agendi tempora deliberando non consumo: tarditas consilij anima est, celeritas executionis. Scio enim pluribus magis placere hodiernum ovum, quàm gallinam crastinam.

Et hinc minùs fortasse disertum opus hoc erit, quoniam in illo non quæsita, nec affectata eloquentia, sed relatio necessaria reperitur. Historia est multorum hominum, teste Gregorio, mens simpliciter in unum collecta: Filij etiam deformes delectant, Historia unumquemq; etiam insulsè scripta recreat.

Dico ergo cum Sydonio (cujus epistolæ celeberrimæ) arborem me esse sterilem, res [illegible] actæ sunt, pro pomis spargo; verba pro folijs. Non invenies

)(

nies hic lector phaleratos eorum colores, non sermonem ad blandiloquia compositum (quanquam ita scribere volui, ut quæ rebus grata sunt, gratiora verbis fierent) non emendicatam facundiam, quanquam nec intermissa gratia. Accedit; quòd ut quæq; in manum venerunt, vix tempus examinandi habens, quid utile, quid non, sæpiùs injudicata, atque etiam incastigata promo. Perfectum quippe opus, absolutúmque non tam splendescit limâ, quàm deteritur, & nimia cura destruit magis, quàm emendat; vnde facilè factis intentus lector verborum vel licentiam, vel negligentiam condonabit, & si aliqua desiderabuntur, quæ ad meam non devenerunt, notitiam, non voluntati, quæ condemnatur in culpis, sed ignorantiæ hoc factũ tribuatur. Dico cum Hieronymo: neque quidquid non dicimus, negare arbitrandi sumus. Illud verò maximè curo, & spem habeo rei prosperè transigendæ, ne aliqua mendacij fuligine tincta referam, ne opinionem pro veritate colam, ne castam veritatum, ut Hilarius monet, virginitatem corrumpam: Formicam imitatus, quæ circa inania non occupatur, non arundinem, quæ levi vertitur aurâ; nunquam deflecto rigidi de tramite veri, cujus primus amor in mente omnium esse debet. Quid veritati cùm mendacio? luci cum tenebris? Arcæ DEI cum Belial? Lingunt alij veritatem, non attingunt, nec putant ad se pertinere, ut vera dicant, sed ut apta sint, laudare parati, si benè ructavit, si rectum amicus.

In his verò Epistolis meis nihil falsi, omnia vera, quamvis non ubique tutum vera loqui, sed ubique tandem suâ vi palmam, & victoriã veritas reportat.

Scio verò, uti sunt diversorum ingeniorum captus, non defuturos etiam ex illis nundinariæ sanctitatis, qui, cùm imitari non possint, arguere, & famam, cùm obscurare non valeant, per invidiam allatrare solent. Carpunt scilicet aliena, quia non capiunt, nec sua proferre possunt. Reprehendunt, quia multa non comprehendunt. Momus diligentissimus, & perspicacissimus operum omnium contemplator, ac reprehensor noctis filius somno natus fuisse dicitur; fabulati sunt hunc DEUM nihil quidem ipsum facere solitum, sed cæterorum DEorum, & hominum facta reprehendere. Ita multi sunt similes, qui non ad rationem revocant, cujus certi sunt fines, sed vitiosam consvetudinem. Si proinde invident honori meo, invideant labori, & periculis etiam meis; optarem cum Theodosio novô prodigiô ventos in subsidium vocare, quorum familiaritate, eâdem, quâ venerant viâ, tela redirent, vellem, ut meminerint gravis Pyrrhi, & prudentis vocis; Ne mihi de militia judicet, cujus aures tubarum sonus non circumsonuit; nam qui lacte adhuc educantur, nondum idonei ad pabulum, putant se scire aliquid, quando nondum sciunt, quemadmodum scire oporteret. Faciliùs certè est ficus capere, quàm plantare: Ita illi naturâ in malas opiniones prompti, & ad criminandum magis, quàm ad laudandum nati videntur. Sed quid contendo tanquam maledicis occursurus? clausurusque ora? frustra nitimur, & in dextro, & sinistro latrant itinere canes; nullus sinè illorum reprehensione scripsit. Communem igitur sortem æquo animo ab ijs, quorum ingens ad vanitatis aucupium propensio est, ferre decet, & lunam æmulari, quæ nihil ab instituto cursu desistit insultantibus canibus, in quos haud animadvertisse magnificum ducit triumphum.

Generoso scilicet hi contemptu tractandi ad imitationem illius, qui etsi gallinæ, & galli gallinaceique garritu, & clamore omnia complent, ille tamen ova è nido in sinum colligere non desistit. Quid ab illis speres

…es? qui sunt magis exploratores eorum, quæ dicuntur, quàm discipuli quæ docentur; ex amara radice quis suavitatem exspectet.

Erat Romæ; non deest & apud nos quædam Natio cum strepitu concursans, occupata otio, gratis anhelans, multa agendo nihil agens, sibi molesta, & aliis odiosissima; quæ si id, primam auditionem pro re comperta habens? ex levitate facit, contemnendum est; si ex insania? miseratione dignum. Si ex invidia? remittendum. Frustra nubem offundit livor; non ideo sol non est, quia lippientium oculis non videtur impunè, ubi depravatus est gustus, nectar fastidit, nec tamen ideo nectar esse desinit.

Non curabo proinde, ut, quod magno labore, & legentium utilitate digestum est, obliquis morsibus invidia, & obtrectationibus obfuscet; quia nosco oblatrantium morsus, qui in difficillimis etiam causis livore Duce judicium ferre solent, & candido lectori operam meam, & laborem hunc non levem probatum iri confido, ad quem me cura Posteritatis impulit, imò præcipitem egit.

Veritatem, ne latere Posteros queat, stylo memoriæ mandavi; neque mihi consilium antiqua repetere, sed propositum de ijs, quibus aut interfui (langvidiùs veniunt in animum, quæ aurium viâ manant, quàm quæ oculis hauriuntur (quæque ex fide dignis percepi, sinè ira, & studio, quibus careo, ita hic inserere, ut, si quis de veritate dubitaverit, authenticis probare sim paratus documentis; ex quibus, quæ accepi, immutata refero, ac proinde veri periculum non timeo. Imitari in eo Periclem volui, qui, antequam in publico verba faceret, optare sibi solitus est, ne ullum sibi verbum à re alienum incideret.

In hoc opere, & alijs quæ vel edidi, vel DEI gratiâ sum editurus, sicubi lapsus sum, aut, si quid mihi elapsum, nihil omnino approbo, nisi quod à Catholica tantùm Ecclesia decretum, atque assertum fuerit, semper paratus non tantùm corrigi, sed & corripi, & verum edoceri, nihil unquam & cogitando, & scribendo, quod non cum sensu Ecclesiæ concordare putem.

Si aliqua inveniet lector, in quibus styli invenietur varietas, factum, uti est, confiteor, non potuisse scilicet me; nec enim in tanta farragine unus omnia pervidi, in tam arcto præcipuè tempore omnibus sufficere; adhibui proinde aliquos ex Societate JESU, qui varia Polonico idiomate ab aliis scripta in latinum verterent; non est mirum ergo, si differentia styli quandoque reperitur.

Sed longiùs forsitan, quàm res exposcit in præfatione videor esse digressus; finio, & ut discernat lector, & decernat, si operis, quod suscepi officium adimplevi? si benignus erit? studium meum crescet in annos; possem quidem majore strepitu, sed malo majore fructu, non segniter, non otiosè, non negligenter talia colligendo Posteritati prodesse. Si supervacua aliquando invenientur, satiùs est hæc dici, quàm non dici necessaria; nec tam obest audire supervacua, quàm non audire necessaria, cùm sit ubiquè virtutis modus; æquè peccat, quod excidit, quàm quod deficit: Tantùm valet negligentia in minimis, quantùm difficultas in maximis.

Laudes

LECTORI.

Laudes JOANNIS III. Benefactoris mei ſtyli honore, & in hac parte percurro, quanquam magis me contexiſſe virtutes ejus, quàm ſatisfeciſſe debito fateor, ſummitates tantùm rerum attingo. Perſtringi hoc ſatis eſt, quod pro dignitate eloquendi copia non eſt. Videbit lector in hac Tomi parte multas mortificationes ejus, ab illis, quos beneficijs implevit. Sic viſum fuit DEO, Regem bonum, ne felicitas ejus omni ex parte beata, ac perfecta eſſet, malitiâ ſubditorum ſuorum exerceri.

Ergo bone Lector, completa, quæ promiſſa ſunt, habe, & ſi placet, vide, & lege, nec dubita, ut non veniat, quod reſtat.

ANDREÆ

A.C. 6178

ANDREÆ CHRYSOSTOMO ZALUSKI METROPOLITANÆ Gnesnensis Ecclesiæ & Sacræ Reginalis Majestatis Cancellario Canonico Cracoviensi &c. Stephanus Hankiewicz Decretorum Curiæ Regni Notarius. Gedano 18 Aprilis Anno 1678.

NOsco obligationem meam quam Domui ab antiquo, personæ verò tuæ constanter semper testatus sum, testaborq;. Facio ergo, quod jussisti, acta Gedani à Serenissimo Rege non possum melius tibi describere, quàm si in authentico decretum tibi misero, unde causam omnem, quæ in hac Civitate magno motu agitabatur, facile congnosces, & me si placet, affectu tuo dignaberis.

DECRETUM JOANNIS III.

Inter Instigatorem Regni ejusque Delatores Famatos Seniores & Juniores tam quatuor Capitalium, quàm omnium incorporatorum contuberniorum, civium ac Incolarum Gedanensium, Actores atq; nobilem Magistratum Gedanensem citatum, latum, quo varia in vim perpetuæ ordinationis statuuntur.

JOANNES III. DEI GRATIA REX POLONIÆ &c. &c.

SIgnificamus præsentibus literis nostris, quorum interest universis & singulis citatos fuisse ad Nos, Judiciumq; Assessorium nostrū literis citationis Nostræ Regiæ secundæ Nobiles & spectabiles Burgrabium, Præconsules, totumq; Magistratum, seu officium consulare, & scabinale, in quantum ipsos causa præsens concernit Civitatis Nostræ Gedanensis de officiis, causa scripta infra, Bonisq; ipsorum generaliter omnibus ad instantiam Generosi Instigatoris Regni, ejusq; Delatorum Famatorum Seniorum, & Juniorum tam quatuor Capitalium, quàm omnium incorporatorum contuberniorum, Civium, & Incolarum ejusdem Civitatis Nostræ Gedanensis, ac si injuriatorum. Qui ipsos &c. &c.

SEQUITUR CITATIO.

QUo in termino ex præinserta citatione Nostra, tum ex aresto nomine conventorum per Nobilem Paulum Kolman Gedani Feriâ secundâ in Vigilia Festi S. Laurentij Levitæ, & Martyris Anno Domini millesimo, sexcentesimo, septuagesimo septimo super condemnationem ex parte obtentorum Actorum cadente, cùm partes prænominatæ; Et quidem Actorea, videlicet Honorati Seniores Contuberniorum Capitalium, & aliorum Incorporatorum ijsdem contubernijs, eademq; ipsa contubernia per Honoratum Davidem Meisner Sutorem, Franciscum Hein Pistorem, Georgium Möller lanionem & Joannem Thomes Fabrum, suo & aliorum nomine unà cum Nobili Carolo Zabrzeski; Citati verò utpotè Magistratus Consularis, & Judicium Scabinale Gedanense per Nobiles, & Spectabiles Danielem Preüth Præ-Consulem, Gabrielem Schuman, & Joannem Ernestum Schmiden Consules,

 Danielem

A.C. 1678 Danielem Schlieff, & Joannem Ferber Scabinos, & Gotofredum Peschvitz Secretarium Civitatis Feriâ quartâ in Festò S. Laurentij Levitæ, & Martyris ejusdem anni, coram Nobis, & Judicio Assessorum nostrorũ comparerent, & eundem terminum attentarent. Et citati quidem addi sibi Procuratores ad tuendam causam peterent; Judicium Assessorum nostrorum ad affectationem eorundem citatorum ipsis in Patronos nobiles Joannem Satkowski, & Mathiam Klimkiewicz addiderat. Et causam hanc cum toto illius effectu, Partibusq; ijsdem salvis omnibus exceptionibus, & defensis, tam declinatorijs, quàm peremptorijs, utrique parti servientibus ad nos, & Judicia Relationum Nostrarum propriarum remiserat. In quo termino ex prætacta remissione proveniente partibus ijsdem suprascriptis. Et quidem nomine Generosi Instigatoris Regni Generoso Simone Kurowicz Instigatore Magni Ducatûs Litvaniæ personaliter; Contubernijs verò supra specificatis per Famatos Christianum Meyer, Davidem Meysner Sutores, Franciscum Heyn Pistorem Georgium Möller lanionem, & Joannem Thomes Fabrum suis, & aliorum Contubernalium suorum nominibus agentes, unà cum nobili Carolo Zabrzeski Patrono suo; Civitatis autem, videlicet Magistratu Consulari, ac Judicio Scabinali Gedanensi per nobiles, spectabiles, ac Honoratos Danielem Preüth Præ-Consulem, Joannem Ernestum Schmiden, Constantinum Ferber Consules, Adrianum Stodert Syndicum, & Gotofredum Peschvitz Secretarium Civitatis coram Nobis, & Judicio Relationum nostrarum propriarum Gedani Sabbatho in Vigilia Festi Gloriosissimæ Assumptionis in cœlum Beatissimæ Mariæ Virginis, Anno Domini Millesimo, sexcentesimo, septuagesimo septimo comparentes eumque terminum attentantes, & secum judicialiter controven. Et actorea quidem Parte ex citatione sua præinserta, Originali punctatim contra citatos proponen. Primò respectu Appellationum ad Nos, & Judicia nostra ab officijs, & Judicijs Civilibus Gedanensibus denegatarum. Secundò ratione calculi ex proventibus civitatis per citatos reddendi. Tertiò intuitu Accisarum, à frumentis, & tonnis cerevisiæ, & alijs rebus in citatione express.. per eosdem citatos exigi solitarum. Eoque nomine varia Jura, Privilegia, Responsa, & ordinationes Regias Civitati Gedanensi servientes allegante in oppositum conventis, in primo puncto respectu appellationum contra terminum, & citationem ex eo, quòd Contubernijs contra se agere non competat, tum ex alijs rationibus verbo in Judicio nostro illatis excipien. Nos cum Senatoribus, & Consiliarijs nostris post partium earundem controversias, remissa à Judicio Assessorum Nostrorum ad nos & Judicia Relationum nostrarum propriarum modo præmisso facta, necessaria adinventa, illam resolvendo, ex certis rationibus animum nostrum permoventibus, super eandem conventorum exceptionem deliberavimus. Deinde feriâ secundâ in crastino Festi ejusdem gloriosissimæ Assumptionis in cœlum Beatissimæ MARIÆ Virginis eodem anno expediendam præhabitam deliberationem nostram: Ordinatâ citatione adinventâ, Partes memoratas legitimum terminum habere decrevimus; Et citatis in causa procedere mandavimus. In procedendo verò ijsdem conventis incompetentiam actoratûs ex rationibus oretenus judicialiter illatis objicien. libertatemque peten. Ex adverso Actoribus competentiam actoratûs sui deducere volentibus Jura infrascripta, utpote Privilegium Sigismundi I. quo unicuique Civi ad Regiam Mtem recurrere permittitur. Item Responsa tria Sigismundi Augusti, Contubernijs, Civibus, & centum

tum-viris data. Item Privilegium Sigiſmundi I. aliaque complura Diplomata reproducen. & ſe competentes Actores adinveniri peten. Nos cum ijſdem Senatoribus, & Conſiliarijs noſtris, exceptis Partium memoratarum controverſijs, allegationibus, & defenſis ſuſpenſa pro tunc cognitione competentis actoratûs, nec ne? Citatis ad propoſitionem actorum in primo puncto ratione Appellationum reſpondere injunximus, cauſam hanc in aliam futuram diem juridicam cum conſervatione termini Partibus ijſdem rejecimus. Poſtea feriâ quartâ poſt idem Feſtum glorioſiſſimæ Aſſumptionis in cœlum Beatiſſimæ MARIÆ Virginis legitimè incidente, cùm Partes ſæpe fatæ coram nobis, & Judicio noſtro comparerent; & quidem nobilis Adrianus Stodert Syndicus Civitatis Gedanenſis nomine nobilis Magiſtratûs, ut non per Juris ſtrepitum Judicialem, ſed potiùs per Declarationes noſtras Regias, ſive per reſponſa, modo, & exemplo Anteceſſorum noſtrorum negotium hocce determinare dignaremur, Nobis humillimè verbo ſupplicaret. Porrò Generoſus Simon Kurowicz Inſtigator M. L. Litvaniæ nomine Generoſi Inſtigatoris Regni pro Juribus Fiſci vindicando Jura Mtis Noſtræ ex officio interveniret, & eo nomine conſtitutiones Regni, ſeu Pacta conventa Annorum 1669, & 1674 in materia Appellationum ad Nos, & Judicia noſtra admittendarum, ac Proceſſuum in omnibus cauſis civilibus, & criminalibus extradendorum inter olim Fridrichſon, & Judicium Scabinale Gedanenſe ex ſolenniſſimis controverſijs prolato; ſuper conventis pœnas convulſionis ejuſdẽ Decreti urgeret. Similiter nobilis Elias Conſtantinus Schröder pro parte & in rem civium, & Incolarum Gedanenſium, Romano-Catholicorũ ſe ſe indiceret, porrectâque nobis ſcriptâ ſupplicatione in Punctis gravaminum Fidei Romano-Catholicæ illatorum Procuratorem ad promovenda eadem gravamina addi peteret. Item Religioſus Pater Caſpar Pinski Societatis JESU, nomine, ac pro parte Collegij ſui PP. Societatis JESU in Schottland exiſtentis itidem ratione gravaminum querularetur, pariterque ad deducenda eadem gravamina, & tuendam cauſam Patronum judicialiter ſibi addi poſtularet. E contra nobilis Adrianus Stodert Syndicus civitatis eaſdem omnes Interventiones impugnaret, illaſque ex quo ſunt privatæ prætenſiones nec in citationibus ſpecificatæ, imò nec nobilis Magiſtratus legitimè ſit eo nomine adcitatus non admitti; Sed ut unuſquiſque reſpectu earundem prætenſarum injuriarum ſuarum ſeorſivè jure agat, ſtatui ſupplicaret. Nos cum memoratis Senatoribus, & conſiliarijs noſtris lateri noſtro aſſidentibus, auditis rurſus Partium earundem controverſiis, iiſque accuratè examinatis, reſolvendo ſuſpenſam nuper factam, competentes eſſe Actores declaravimus, & citatæ Parti directè reſpondere injunximus. Porrò in directa reſponſione ijſdem citatis in puncto Appellationum incompetentiam actionis excipiendo, appellationeſq; in cauſis criminalibus tum injuriarum verbalium, & realium inadmiſſibiles eſſe allegando, & eo nomine varias diſpoſitiones, utpote Pacta inter Vladiſlaum Iagellonem & Magiſtrum Crucigerorum, tum inter Caſimirum Regem, Conſtitutiones Terrarum Pruſſiæ, Ius Culmenſe; item Plebiſcitum civitatis Gedanenſis, Reſcriptum Vladiſlai IV. Item Reſcriptum Ioannis Caſimiri de anno 1660. Item Diploma Sigiſmundi III. de anno 1632 Terris Pruſſiæ datum. Item Articulum 7mum Plebiſciti. Item in cauſis minorum criminum videlicet injuriarum declarationem Sigiſmundi I. de anno 1530. Sigiſmundi Auguſti de anno 1562. Item Decretum Vladiſlai Quarti de anno 1640. inter

A.C. 1678

Actores competentes

 Micha-

A.C. 1678 Michaëlem, & Valentinum Wideros reproducen. aliasque complures rationes, & controversias in medium Iudicij nostri inferen. se seque ab incompetenti actione hac liberari exposcen. Econtra Actoribus competentiam actionis deducen. variaque Iura exhibentibus, utpote Privilegium Iuris Culmensis, quo cavetur, ut appellationes admittantur. Item ordinationem Sigismundi I. de anno 1526. quâ decernitur, ut appellationes in omnibus causis tam civilibus summam marcarum 50 levioris monetæ excedentibus, quàm in criminalibus admittantur. Item Privilegium instantiarum de anno 1536. quo statuitur, ut tantummodo sint tres Instantiæ, videlicet Scabinorum, Consulum & Regia, utque officium consulare Gedanense; uti Iudicium intermedium appellationes ad Regiam Mtem admittat. Item Responsa Sigismundi Augusti de anno 1552. ubi cavetur, ut in omnibus causis appellationes admittantur ad Iudicia Regia, exceptis causis recentis criminis, & maleficiorum, atque in executione rei judicatæ Regiæ, nisi sit in executione excessus. Item ejusdem Sigismundi Augusti Privilegium de anno 1563. ubi idem statuitur. Item Constitutiones Karnkovianas, quæ approbatæ sunt de consensu Ordinum Regni, in quo idem statutum est; exceptis tribus casibus, prout supra. Item Privilegium Portorij, quo ordinatur, ut appellationes ad Mtem Regiam admittantur. Item Decretum Serenissimi Ioannis Casimiri inter Instigatorem Regni, & Friderichson, atque Iudicium Scabinale Gedanense. In Iudicijs Relationum Regiarum propriarum Feriâ tertiâ post Festum S. Laurentij Levitæ, & Martyris Anno 1664. ex solenni controversia utriusque Partis prolatum. Porrò citatis allegantibus Privilegium Portorij, quo constitutiones Karnkovianæ penitus sunt in toto revocatæ, & annullatæ. Item contra Decretum Serenissimi Joannis Casimiri Anni 1664. extraditas fuisse ex Cancellaria Regni citationes Regias ad reponendam, restituendamque causam in integrum, ex ijsdem contumaciam primam obtentam, ex secunda citatione remissam à Judicio Assessorum ad Judicia Relationum Regiarum propriarum in anno 1665 factum fuisse, ne proinde in Judicio allegari, nec pro præjudicato firmo trahi posse, asseren. Item Diploma seu Declarationem Regis Michaëlis Anno 1672 datam, quâ Decretum idem revocatur, & civitas tota circa antiquum usum, & Jura allegata conservatur, commonstrantibus; Actoribus autem citationes allegatas in convulsionem rei judicatæ Regiæ indebitè exportatas esse, nec Decretum tam solenniter latum invalidari posse; Diploma quoque Serenissimi Michaëlis Regis subreptitiè, contraque omnia Jura ad sinistram informationem obtentũ esse, quo totaliter hoc idem Decretum Regium invalidatur inferen. atque Generoso Instigatore pœnas convulsionis Decreti Regij urgente. Nos cum ijsdem Senatoribus, & consiliarijs Regni competenti in hoc

Competens Actio puncto actione adinventâ, primùm super ferendam sententiam deliberavimus: Deinde feriâ secundâ in vigilia Festi S. Bartholomæi Apostoli expediendo eandem deliberationem nostram inhærendo Juribus per partem Actoream in medium Judicij nostri inductis, Magistratum, Scabinos, Centumviros, Contubernia, totamque civitatem Gedanensem circa Decretum Serenissimi olim Joannis Casimiri Regis, ac Prædecessoris nostri in Anno 1664 feriâ tertiâ post Festum S, Laurentij Levitæ & Martyris proximâ post solennes Partium controversias, Juriumque demonstrationes in Judicijs Relationum Regiarum propriarum, declarando, elucidando Jura Portorij per Judicium Scabinale Gedanense eo tempore citatos protunc adducta, latum, & promulgatum conservandos, & manute-

A.C. 1678

manutenendos esse duximus, prout conservavimus. Citationes autem per citatos allegatas, totumque Processum pro reponendo hocce Decreto formatum, ut & Privilegium Serenissimo olim Michaële Rege in anno Domini 1672 erroneè per citatos obtentum, ejusdem Decreti Regii revocatorium abrogamus, & annullamus, declaramusq; ac in vim perpetuæ legis, ac ordinationis decernimus. Quatenus Judicia & officia Gedanensia, appellationes in causis Civilibus appellabilibus, Summam Mille florenorum monetæ per Regnum currentis excedentibus, à Decretis suis Parti gravatam se se sentienti ad nobilem Magistratum; Officium autem Consulare ad nos, & Iudicia nostra omnino admittant. Terminũq; prosequendæ ejusdem appellationis in spatio trium mensium non ab extraditione Processûs, prout hactenus observatum fuit, verùm à data Decreti lati vel admissæ appellationis computando, adhinc assignent, & præfigant. In causis porrò semicriminalibus, utpote injuriarum verbalium, & realium, criminaliter, aut civiliter institutarum itidem tam nobilis Vice-Præses, & Officium Consulare veteris civitatis, tum Judicium Scabinale utrumque, ac alia officia ad Magistratum, quàm & nobiles Magistratus ad nos, Judiciumque Regium appellantibus, non nisi à sententia definitiva, seu vim definitivæ habente deferant. Eandem appellationem actis connotari faciant. Processus, seu acta in omnibus tam civilibus, quàm criminalibus causis sive ordinariè, sivè extraordinariè appellabitur Partibus requirentibus tempore debito absq; quavis renitentia extradi faciant. In actionibus autem capitalibus, vel recentis criminis inter Personas civilis conditionis intercedentibus, tum maleficiorum, nec non in executione rei Judicatæ Regiæ (nisi fortè in executione mod⁹ excedatur) finaliter decidant, determinentque, absque quavis ad Mtem nostram Regiam provocatione. Porrò quòd ad recens crimen cum Personis Equestris ordinis possessione Terrestri gaudentibus interveniens, cùm hocce punctum æquè ad omnes majores in Prussia civitates pertineat, quæ non in controversiam ingrediuntur; ex eo differendum negotium esse duximus. Cæterùm obviando querelis continuis Populi, pro æquitate, & justitia statuimus, ut officia, seu Judicia præfata Gedanensia, eorumque Secretarij Originalia, Decreta, Privilegia, Diplomata, Indulta, Rescripta, Chirographa, Membranas, aliaque Documenta sive circa Processus sive aliter per Partes præsentata, insinuata, vel oblata iterũ ad requisitionem Partis offerentis, vel insinuantis restituant, & omnino copiis verificatis cum originali confrontatis penes Acta relictis restitui faciant. Quod autem concernit Jurisdictiones Vice-Præsidis, Judicis, officij censorij, & submontani, Partẽ citatã, & totã civitatẽ circa easdẽ Jurisdictiones, & Judicia, usuque, & cõsvetudinẽ laudabilẽ conservam⁹ & manutenem⁹. Ad extremũ interveniẽtes superi⁹ specificatos, & ad causã hanc cum suis Prætensionib⁹ se se indicentes admisimus, & ijsdem Procuratores, quos habere poterint, addidimus, utque Partes ad alia Puncta Citationis accederent, injunximus. Cùm igitur Actores ratione calculi reddendi de Proventibus, & reditibus Bonorum civilium, tam eorum, qui intrant in cassam Hubdfeld, aliàs subsidiariam, quàm eorum, quos ipse Magistratus percipit, & quasi nulli rationes reddit, proponerent, variaque Jura, Statuta, Responsa, Privilegia, tum Decretum & ordinationem inter Plebem, ac Contubernia omnia civitatis Thorunensis, atque Magistratum, Scabinatum, & Sexaginta-viratum ibidem in Anno 1668 factam exhiberent, & allegarent. Porrò Generosus Instigator Magni Ducatûs Litvaniæ ratione Bonorum Jure caduco per Magistratum usurpatorum, & rece-

Annullatio Privilegij in Anno 1672 obtẽti

Appellationes in civilibus

Appellationes in causis injuriarum

Extraditio Actorum

Actiones Capitales

Restitutio Documentorum in Iudiciis productorum

Conservatio Iurisdictionum Vice-Præsidis, Iudicis, officij Censorii, & submontani

Instigatoris M. D. L. inventio ratione Bonorũ caducorum

A.C. 1678 & receptorum, ad Jura Mtis nostræ pertinentium interveniret. Similiter quoque Venerabilis Radzieowski Ecclesiæ S. Michaëlis in Arce Cracoviensi Præpositus respectu navis cum notabili substantia sua sub civitate Pucensi per nobilem Magistratum Gedanensem receptæ se se indiceret, restitutionemque omnium urgeret. Ex adverso citati incompetentiam Actoratûs, & actionis in hoc puncto exciperent. Nos cum sæpe fatis Senatoribus, & Consiliarijs nostris sole ad occasum vergente causam hanc in aliam diem juridicam rejecimus. Postmodum Sabbatho pridie festi Decollationis S, Joannis Baptistæ, Partibus anteriores suas controversias reassumentibus. Attenta citatorum, nobilis scilicet Magistratus Gedanensis declaratione, & submissione, de reddendo nobis calculo proventuum, & expensarum judicialiter facto: Ad eadem ratiocinia, & calculum de proventibus, reditibusq; omnibus Civitatis, quomodocunque vocitatis, ab ultimaria calculatione Serenissimis Prædecessoribus nostris Regibus Poloniæ data, per Magistratum, aut per quẽcunque ad præsentia tempora perceptis, tum de eorundem expensis quomodolibet factis in præsentia attendentium, & informantium ex communitate Mercatorum, & Contuberniorum per nos deputandorum, faciendum, excipiendumque, nec non ad revisionem, inspectionemq; Archivi totius, Jurium, Privilegiorum, Decretorum, Rescriptorum, Ordinationum, Declarationum, Mandatorum, aliorumque Indultorum omnium, Commissarios nostros declaravimus, designavimus, & deputavimus, salvâ relatione, & informatione per eosdem Commissarios nostros nobis faciendâ & dandâ. Interim ut partes in alijs citationis punctis procederent, & experirentur, injunximus. Proponentibus autem Actoribus ratione accisarum à frumentis, & cerevisia; Item respectu telonii Zulaga, Hüldfeld, Anlaga, & aliorum proventuum per citatos indebitè recipi solitorum. Puncta hæc in aliam juridicam distulimus; Tandem feriâ sextâ post Festum S. Ægidij Abbatis proximâ inhærendo eidem Decreto nostro nuper lato, ad eosdem calculos, & rationes perceptorum, expensarumque nominavimus, dedimus, & designavimus Reverendos Joannem Stephanum Wydzga Varmien. & Sambien. Pro-Cancellarium Regni Joannem Malachowski Culmensem & Pomesaniæ Episcopos, Magnificos Joannem Ignatium Bąkowski Palatinum Mariæburgensem, Joannem Comitem à Leszno Supremum Regni Cancellarium Generalem Majoris Poloniæ, Venerabilem Chrysostomum Gninski Referendariũ Regni, Abbatem Wągrovecensem, Generosos Theodorum Döhnhoff Archi-Camerarium Regni, Marcum Malczynski Stabulî Regni Præfectum, Grabovecensem Capitaneum, atque Henricum de Bolieu Oeconomum Mariæburgensem Colonellum nostrum, Nobiles Gothofredum Brach, & Petrum Scivert Secretarios nostros; ad attendendum verò, & informandum deputavimus, & assignavimus ex Centumviris de prima Quartera Gabrielem Kirsch, de secunda Ægidium Haverschlieff, de tertia Valentinum Ernestum Teschin, de quarta Georgium Grautop; Ex Mercatoribus Jacobum Bartelmes, & Christophorum Coletum; Ex Contubernijs Martinum Ratz, Joannem Krosz. Simonem Wideman, & Danielem Schultz, Committentes, & mandantes ijsdem, ut captato opportuno tempore, quantocius ad locum commodum, idoneumque in unum convenirent, ibidemq; absentiâ nonnullorũ minimè obstante, ratiocinia omnium in genere redituum, proventuum undecunque venientium Civitatis Gedanensis, tum expensarum in quascunque necessitates, quomodolibet erogatarum sibi exhiberi mandarent, trutinarent,

Venerabilis Radzieowski indictio ratione substantiæ suæ in mari interceptæ

Commissio ad excipiendum calculum

Commissio ad revisionê Archivi

Nominatio Commissariorum ad excipiendum calculum

narent, reciperent, indagarent, & percontarentur ad omnimodam informationem nostram, idque ab ultimis rationibus Regiæ Mti Antecessori nostro exhibitis & peractis usque ad præsentia tempora. Quidquid demum ijdem Commissarij perfecerint, Nobis referrent, informarentque, commisimus. Mercatores autem & Contubernales supranominati, ut Regestris, & Ratiocinijs ijsdem præsentes adessent, attenderent, ac Commissarios nostros in occurrentibns præcaverent, & informarent, demandavimus. Porrò ad revidenda, inspiciendaque Archiva, Jura, Privilegiaq; eidem civitati servientia alios Commissarios assignavimus, videlicet Reverendos, Magnificos, Venerabilem, & Generosos; Joannem Stephanum Wydzga Varmiensem & Sambien. Pro - Cancellarium Regni. Stanislaum Dambski Luceoriensem. Stanislaum Hiacinthum Swięcicki Chelmen. Episcopos, Vladislaum Döhnhoff Palatinum Pomeraniæ Skarszevien. Koscierzynen. Capitaneum. Ioannem Comitem à Leszno Lesczynski Supremum Regni Cancellarium Majoris Poloniæ Generalem, Alexandrum Wolff nominatum Episcopum Livoniæ Abbatem Pelplinēsem, Joannem Bonaventuram Krasinski Referendarium Regni Varsavien. &c. Capitaneum, Joannem Grabowski Cancellarium Leopoliensem, Canonicum Gnesnensem, Joannem Gurzynski Capitaneum Starogardiensem Colonellum nostrum, & Stephanum Hankiewicz Decretorū Curiæ Regni notarium. Quibus etiam nobilem Fiscalem Terrarum Prussiæ pro meliori, & faciliori informatione habenda vocare, & adhibere permisimus. Insimulque ut absentiâ nonnullorum ob legalitatem aliquam intervenientem minimè obstante ad Prætorium, sive Curiam civitatis, quantocius opportuno captato tempore condescenderent, ibidemque Archiva civitatis, Jura, Privilegia, Decreta, Declarationes, Ordinationes, Responsa Regia, Plebiscita, Statuta, Mandata, Indulta, & alia Rescripta, vel quocunque nomine appellatas literas civitati Gedanen. quomodolibet servientes sibi exhiberi demandarent, exhibitaque inspicerent, reviderent diligenterque trutinarent, indagarent, & percontarētur. Eaque omnia quomodo ipsis comperta fuissent, Nobis referrent, & informarent, tam in privatis, quàm in publicis commisimus. Cum autem vigore suprascriptæ dilationis nostræ Sabbatho post Festum S. Ægidij Abbatis proximo citati in puncto Accisarum, & Zulaga, aliorumque diversorum cognominum Redituum se se explicarent, atque incōpetentiam Actoratûs, & Actionis exciperent. Econtra Actores diversis rationibus verbo in medium Iudicij nostri illatis replicarent. Nos cum præmemoratis Senatoribus, & consiliarijs nostris competentibus Actoratu, & Actione adinventis Accisas propositas, & à Partibus explicatas immutandas, diminuendasque, ac Populum ab hoc gravamine alleviandum esse decrevimus; de modo autem imminuendi, & quantitate prius deliberavimus. Post expediendo eam deliberationem nostram; Quoad Accisam tam Pistorum à farina, quàm Propinatorum à tonnis provenitem, eam Accisam à farina siliginea, quæ tempore hostilitatis Sveticæ cōstituta fuerat, & nunc ea necessitas cessavit, tollimus, & abrogamus, ab eaque solvenda Contubernium Pistorum liberamus; Magistratum autem, & Ordines omnes civitatis circa antiquam Accisam, quæ in Camera ante idem bellum Sveticum pendi, & percipi solebat conservam⁹. Quod concernit Accisam Triticeam diminui per Pistores, affectatam negotium hocce in ulteriorem deliberationem nostram, utrum? & quomodo? sinè damno publico, & absque gravamine Pistorum eadem Accisa Triticea diminui queat, recepimus, & punctum hoc alio tempore deci-

A.C. 1678

Commissio ad inspiciendæ Archiva

Accisa à farina siliginea

Antiqua Accisa

Accisa Triticea

A. C. 1678 decidendum reliquimus. Porrò quod spectat Accisam à tonnis Cerevisiæ, illas ad florenos duos reducimus, ita, ut abhinc jam non per tres florenos, & grossos sex, sed per duos duntaxat florenos à qualibet tonna cerevisiæ persolvatur, & percipiatur, statuimus. Triens verò ex Accisâ cerevisiaria, qui ad exsolutionem. Capitalium contributionum recentium vulgo Poglowne ab Ordinibus laudatus est, tamdiu recipiatur, donec summa dicta Capitationum integrè collecta, & persoluta fuerit, salvo de cætero Privilegio Casimiriano civitati super collectis civicis indicendis & abrogandis urgente necessitate. Respectu autem Zulaga ad ulteriorem melioremque Informationem tam ex juribus, quàm ex hominibus istius rei notitiam evidentem habentibus capiendam deliberavimus, ac in aliud tempus declarationem in hoc puncto faciendam rejecimus. Postmodum in subsequenti Juridica videlicet feriâ quintâ post Festum S. Francisci Confessoris proximâ, anno præsenti Actoribus ex citatione ratione Instructionum, & simul literarum publico nomine citatis mittendarum, expediendarumque Ordinibus non Communicationis. Consideratâ rei æquitate, Bonoque totius civitatis studendo, præsertim, cùm nullum Jus aut Privilegium, super hoc casu Pars conventa producat, declaramus, quatenus in posterum ad Instructiones, & Informationes Internuntijs civitatis, vel Secretarijs, alijsve Personis per Regnum, vel extra Regnum in commerciorum negotio mittendis dandas formandasque, aut literas nomine publico civitatis expediendas, ordines tam Scabinorum, quàm Centumvirorum per Deputatos ab unoquoque Collegio, utpote ex Scabinatu duos, ex Centumviratu quatuor eligendos nominandosque, adhibeantur, & admittantur. Ita tamen, ut ijdem Deputati omnes juramento speciali de non revelando secreto, & salva fide nobis, succedaneisque nostris Regibus Poloniæ debitâ obstringantur, decernimus. Cùm deinde in crastina Juridica, nempe Feriâ sextâ Pars Actorea de Senioribus contuberniorum, quòd scilicet Seniores quatuor Capitalium Contuberniorum non admittantur ad consilia, cùm tamen ex vi Constitutionis Sigismundi I. octo admitti debeant. Tum quòd stante lite præsenti absque ulla præsentatione Contuberniorum in locum Henrici Pichen Senioris Lanionum amoti, & exclusi, Nobilis Magistratus Georgium Becker Lanionem, in idem officium constituerit, suffeceritque; proponeret, & eo nomine jura varia allegaret. Econtra conventi non per ipsos stetisse, quòd duntaxat quatuor, non octo Seniores ad Collegium Centumviratûs admissi sint; verùm ipsimet Contubernales sumptibus suis parcendo id à Magistratu flagitarunt, assererēt, nunc autem, si volunt, ut iterum pristino usui restituantur, Magistratum non contradicturum declararent. Quoad Pichen & Becker non privatâ authoritate, sed inhærendo Rescripto nostro certo Magistratum fecisse, & Beckerum substituisse, inferrent. Nos cum Senatoribus, & consiliarijs nostris, post ejusmodi Partium controversias, attentâ declaratione nobilis Magistratûs Gedanensis, in vim æviternæ ordinationis statuimus; ut abhinc in perpetuum Seniores Contuberniorum quatuor Capitalium, octo ad Collegium Centumvirorum, nempe ad unamque Quartam bini admittantur, & incorporentur, ijdemque taliter admissi non quatuor, sed octo vota seu sententias in consilijs, & consessibus habeant. Quantum ad Personas Picheni & Beckeri, ex quo post exspiratum annum officium senioratûs per utrosq; prætensi ipso facto cessavit, & Magistratûs innixus literis nostris ad se datis, substituit. Quocirca eundem nobilem Magistratum hac in parte absolvimus, & Contubernia Opificum

Accisa à tōnis Cerevisiæ

Triens Accisæ ad Capitationem

Zulaga

Instructiones & Informationes Internuntiorum Civitatis

cum, circa uſum præſentandi ſuper officium Senioratûs eouſque obſervatum plenè conſervavimus, & ut pro conſvetudine, & more recepto ſemper Candidatos inter ſe eligant; Nobilique Magiſtratui præſentent, ſententiamus. Poſtmodum in ulteriori tractu videlicet Feriâ ſextâ in craſtino Feſti S. Martini Epiſcopi, & Confeſſoris anno eodem, Partibus auſcultantibus, ultimam electionem in undecim Perſonis in ordine ad Centumviratum factam, nullitati ſubjacere declaravimus, non ſolùm ex eo, quia lite pendente facta erat, ſed etiam ex eo, quia contra expreſſam mentem noſtram. Etenim nos voluimus, ut Cives in Quarterijs urbis habitantes Perſonas eligendas nobili Magiſtratui præſentarent; hic autem Ceutumviri in quatuor menſas diviſi, præſentandique munus ſibi arrogârunt. Poſt hæc itidem declaravimus, ut loca in Centumviratu vacantia Principalia urbis Contubernia ſedecim viros Contubernales nobili Magiſtratui præſentent, ex quibus octo ad Centumviratum nobilis Magiſtratus aſſumet. Nos verò ſex Romano-Catholicos ex Mercatoribus Regio noſtro arbitrio electos deſignavimus, quos nobilis Magiſtratus ad Centumviratum eundem itidem aſſumet, ita, ut tam octo Cõtubernales, nunc electi, quàm ſex Catholici in perpetuum ſint manſuri, inque demortuorum Contubernalium, & Catholicorum aut altiùs promotorum locum ſemper ut Contubernales Contubernalibus, ita Catholicis Catholici ſurrogentur. Et quamvis Centumviri, ac Magiſtri Quarteriorum ſolitum civibus, & antiquum præſtare conſveverint juramentum; Nihilominus ad ſopiendas omnes ſuſpiciones, & parandam Centumviris in Populo confidentiam decrevimus, ut circa aſſumptionem ad Centumviratum ſinguli promoti Centumviri, ad præſens verò omnes veteri præſtitoque olim Juramento id peculiare addant punctum, quo ſe tam Centumviri omnes ad promovenda Communitatis commoda ſingulariter obligabunt, quàm Quarteriorum Magiſtri ad fidelem Relationem earum Declarationum, quas ſeu à nobili Magiſtratu ad Centumviros, ſeu à Centumviris ad nobilem Magiſtratum ſint habituri; hæcque omnia pro Bono & Commodo Regiæ noſtræ urbis taliter protunc declaravimus. Ita in his & alijs punctis meliorandis poteſtatem ex commodo, uſuque publico nobis reliquimus. Demum Sabbatho poſt Feſtũ S. Catharinæ Virginis, & Martyris proximo, anno eodem 1677 in præſentia Partium memoratarum ſimiliter declaravimus. Quia hoc juramẽtum, quod Centumviri omnes præſtabunt, non perimet, nec præjudicabit actionibus, quas Contubernia, ſeu alij cives movere intendunt, contra certos Centumviros ordinariâ Juris viâ declaravimus. Secundò quòd octo Contubernales ad Centumviratum admiſſi, ceu meri Centumviri ſe ſe gerere debeant, neque ab octo Senioribus Contubernalibus, vel Contubernijs dependere. Forma autem juramenti per Centumviros, & Quarteriorum Magiſtros præſtandi talis fuit præſcripta; Ego Juro, quia juramentum, quod circa receptionem meam ad civitatem, item quod circa actum homagialem præſtiti, nunc denuò confirmo hoc ſpeciale ad Centumviratus mei munus adjungo; Quia bonum Communitatis in hac civitate; **Das gemeine Beſte der Stadt** fideliter in Conſilijs publicis promovebo; Item ceu Quarterij Præfectus hancce ad juramentum meum addo clauſulam; Quia omnium & ſingulorum vota fideliter colligam, & juxta ſenſum Quarterij mei connotabo; Receſſus verò paratos rectè ſcriptos habebo, & ſervabo; Tandem ob temporis anguſtiam ulteriora citationis Actoreæ Partis puncta in aliam juridicam limitavimus. Porrò in termino ex vi limitationis anterioris incidente, nempe Feriâ Secundâ

Cõtuberniorum præſentatio ad officiũ Senioratus

Electio Candidatorum

Electio undecim Perſonarum ad Centũviratũ caſſatur

Præſentatio Sedecim Cõtubernaliũ ad Centumviratum

Sex Romano Catholici in Centũviratu

Iuramentũ

Actiones cõtra certos Cẽtũviros Octò cõtubernales in centũviratu meri Centũviri

Forma Iuramenti à Centũviro præſtandi

Clauſula Iuramenti Quarterij Præfecti

A. C. 1678 Secundâ poſt Feſtum Sanctorum trium Regum proximâ, Anno Domini 1678 cùm partes, Actorea quidem, Contubernia quatuor Capitalia per toties nominatos Chriſtianum Meyer, Georgium Möller, ac alios Seniores Contuberniorum; nobilis autem Magiſtratus per ſæpe fatos, Chriſtianum Schröder Vice-Præſidem, Danielem Preüth Pro-Conſulem, Joannem Erneſtum Schmiden, Joannem Schwartzwaldt Conſules ad Gotofredum Peſchvitz Secretarium. Tertius quoque ordo, utpote Centũviratus per ſpectabiles Eliam Conſtantinum Schröder, Danielem Memſem, Petrum Reych, Ludovicum Schauman, Valentinum Erneſtum Teſchin, Chriſtianum Siwert & Georgium Grautop coram nobis, & judicijs noſtris comparerent, & ſecum ratione Cameræ pro & contra diſputarent, ac Centumviri quidem ſe, ſeu ordinem Tertium, atque Scabinatum ſimul unà cum Camerarijs ex nobili Magiſtratu ad Adminiſtrationem Cameræ admitti, clavemque caſſæ unam penes Camerarios ex cõſulatu, alteram penes Deputatos à Collegio Scabinorum, Tertiam penes Deputatos Tertij ordinis permitti, tum quoque libros ſeu Regeſtra perceptorum, ac expenſarum penes unumquemque ordinem ſervari, ac denique, ut ijdem Deputati ex tribus ordinibus ſpeciali Juramento ſuper fidelem Adminiſtrationem ſint obſtricti, humillimè peterent; Contubernia quoque Capitalia in id conſentirent, hac tamen conditione, quaten⁹ clavis quarta à caſſa Cameræ ejuſdem penes Seniores Contuberniorum relinquatur, ſupplicarent; Quod econtra Centumviratus impugnaret, & id minimè fieri poſſe (nam aliàs quartus ordo contra principia, & fundamenta totius civitatis daretur, introduceretur que) ex juribus, Privilegijs, ac ordinationibus Sereniſſimorum Regum Poloniæ Anteceſſorum noſtrorum deduceret. Deinde nobilis Magiſtratus per ſuos Deputatos ſuperiùs nominatos utriſque tam Contuberniorum, quàm Centũvirorum illationibus contradiceret, ſeque, & totam civitatem circa antiquiſſimum uſum conſervari, atque Cameræ ejusdem Adminiſtrationem ſoli Magiſtratui pertinere aſſereret. Nos cum Senatoribus Regni, & conſiliarijs noſtris lateri noſtro adhærentibus poſt partium memoratarum diſceptationes, controverſias, & allegationes. Quoniam Collegium Centumviratûs per nuperam Deciſionem noſtram Regiam completum eſt, & Contubernales tam antiqui, quàm noviter ad eundem Tertium ordinem admiſſi, ex vi juramenti ſui juxta Rhotam recenter præſcriptam, non ita pridem præſtiti, Bonum Communitatis totius, conſequenter & Coutuberniorum omnium, tueri, & promovere tenentur; idcirco in vim perpetuæ legis, ac ordinationis decernimus, & edicimus, ſtandum eſſe ordinationi Divi Sigiſmundi Primi, & non niſi Tres ordines, Magiſtratum ſcilicet, Scabinatum, & Centumviratum cum Senioribus quatuor Capitalium Contuberniorum (non obſtante eorum ultroneâ abſentiâ, vel receſſu) Perſonas totius Communitatis repræſentantem ad Regimen, conſilia, & alia publica civitatis negotia, pertinere debere. Eâ adjectâ declaratione, quòd Contubernales in Centumviratu nunc, & pro tempore exiſtentes paritate juris cum reliquis Centumviris gaudere debeant, ac muniorum, & officiorum civilium, quorumvis ſint capaces. Ituitu autem Electionis in Centumviratum, & Nominationis Deputatorum ad functiones, nec non ſalariorum annuorum Officialibus aſſignandorum, puncta hæc in deliberationem noſtram recipimus, & in aliud tempus per declarationem noſtram ſpecialem definienda rejicimus. In Puncto expenſarum in lites, ac Proceſſus fieri ſolitarum, ſtatuimus, ut impoſterum nobilis Magiſtratus nullas lites, aut

Cõfirmatio triũ Civitatis ordinum

Cõtubernaliũ in Centũviratu paritas juris cũ reliquis centũviris

Nulli Proceſſus nomine Civitatis abſq; aſſenſu triũ ordinũ inſtituendi

aut proceſſus nomine civitatis, aut prætextu defenſionis Jurium, & privilegiorum, abſq; ſcitu, & aſſenſu trium ordinum inchoare, inſtituere, & movere, multò magis expenſas ex publico ærario facere audeat, ratione privilegiorum per nobilem Magiſtratum, ac ſi denegatæ comunicationis, ut nobilis Magiſtratus privilegia civitatis, tam centumviris pro exigentia negotiorum ad illorum informationem, quàm alijs civibus indigentibus, & requirentibus pro defenſione cauſarum ſuarum communicet, vel, ſi opus fuerit, per copias authenticas cum ſigillo extradi mandet, injungimus Secretarijs item civitatis Gedanenſis Curiam noſtram ſequentibus, vel ibidem reſidentibus, ut negotijs duntaxat totius civitatis ſecundùm informationes ſibi datas attendant, invigilentque. In privatorum autem cauſas judiciarias ne ſe immiſceant, interdicimus. Porrò ratione diminutionis Secretariorum propoſitæ & eorundem, ut & ſyndicorum ad majora ſubſellia aſſumptionis puncta, hæc utraq; in aliud tempus rejicimus. Quod ſpectat judicium Cenſorium, ubi cauſæ comerciorum, negotiationum, & opificiorum tractantur. Ex quo nobilis Magiſtratus demonſtrat, quòd à judicando, ordinem ſecundum, nempe Scabinos nunquam excluſerint, nec excludere potuerunt, verùm ipſos Scabinos ultro permiſiſſe, ut ex duobus Collegijs Deputati, etiam in abſentia Deputatorum Scabinalium judicia ſibi competentia exercerent. Proinde nobilem Magiſtratum hac in parte liberum pronuntiamus, Scabinis tamen, ut judicijs iiſdē per Deputatos ſuos ex officio adſint, injungimus. Judicio autem eidem Cenſorio, ne in cauſas, & materias juris, ac jurisdictionis Regiæ ſeſe ingerat, verùm juxta præſcriptum officij ſui ſeſe gerat, demandamus. Quoad juramenta calumniæ, & malitiæ, quatenus nobilis Magiſtratus, aliaque officia, & judicia civitatis Gedanenſis, non niſi in evidenti caſu, & neceſſitate juris manifeſta ejuſmodi juramenta admittat, idque cum libertate provocandi, appellandique, ſententiamus. Frumentorū item omnis generis coëmptionem civibus cunctis civitatis hujus in foro publico, ſemper liberam eſſe, & fore debere declaramus, hac adjectâ præcautione, ne eadem frumenta taliter empta ad molendina extranea, alteriuſque juriſdictionis evehere audeant, præſumantq;. Quantum ad recurſum ad extraneos, pro conſilio ſive deciſione objectum. Quoniam nobilis Magiſtratus evidentibus ſatis rationibus deduxit, id nunquam factum fuiſſe, & fieri per rationem ſtatûs, ac officiorum ſuorum minimè potuiſſe, quinimò, ſi quid tale à partibus litigantibus circa agitationem cauſarum in judicijs aliquando allegatum fuerat, ea à Magiſtratu rejecta, nec acceptata, imò per edictum, publicum prohibita eſſe. Proinde incompetenti actione in hoc puncto adinventâ nobilem Magiſtratum de plano liberamus. Quia tamen nonnulla ſcripta (neſcitur per quem edita vel procurata) reputationem tam nobilis Magiſtratûs, quàm civium, ac opificum Contubernalium Gedanenſium lædentia paſſim divulgantur; quocirca eadem ſcripta, ut & alia his ſimilia abolemus, & caſſamus, nihilq; honori, exiſtimationi, & honeſtati utriuſque partis obeſſe debere, nec poſſe declaramus. Item occaſione Mercatorum ad Conſulatum, aliaque officia non admiſſionis. Quoniam ex vi fundationis primævæ, & jurium, ac privilegiorum antiquorum hæc eadem urbs emporialis, & maritima in fundamentis negotiationum, & mercaturarum erecta eſt, temporibuſque ſequentibus per eandem opulentior creviſſe, ac eò uſque florere cernitur, & quo majori exercitio mercaturarum effectivè fruetur, & potietur, tantò clarior & di-

A.C. 1678

Communicatio privilegiorum civitatis

Secretarij poſt Curiam cauſis judiciarijs privatorum ſe nō immiſceant.

Secretarij

judiciū Cenſorium

Scabini eidem adſint

Juramenta Calumniæ & Malitiæ

Frumentorum libera coemptio

Eadem ad molendina extranea non deventur

Recurſus ad extraneos pro conſilio

A.C. 1678 & ditior gaudere posset. Quocirca eidem civitati quàm maxima indies incrementa cupientes, ut ad officia, & munia ejusdem civitatis, utpote ad centumviratum, Scabinatum, atque Magistratum Consularem, Mercatores multum ad Regimen, ornamentum, & commoda urbis valentes ad tertiam partem omnino assumantur, eligantur, & incorporentur, præcipuè autem & non aliàs ex personis Religionum in privilegijs civitatis specificatarum. Respectu conclusorum Secretorum, ac si divulgationis, & præpeditionis objectæ. Quamvis ad præsens Actores assertionem suam non probant, & exinde conventi liberi pronuntiantur. In futurum tamen, ne id fiat, ordinesq; in sanciendis conclusis, & secretè servandis nullo prætextu impediantur, pronuntiamus. Intuitu minarum itidem, ut Judices, & Officiales in judicijs, sive in consilijs publicis cives litigantes, vel consultantes non deterreant, sed eos quietè causas dicere, & consulere sinant. Cives quoque circa agitationem causarum vel in consessibus publicis sese modestè gerant, ac à verbis authoritatem Magistratûs, aut judicij lædentibus abstineant, prohibemus. Actuarijs quoq; Præ-Consularibus, & judiciorũ quorumvis civiliũ Notarijs, advocaturâ coram illis officijs, & judicijs, quorum actuarij sunt constituti, interdicimus. Ratione autem immutationis conclusorum propositæ, ne in posterum unus ordo solus conclusa omnium ordinum mutare præsumat, nobilis autem Magistratus sit obstrictus conclusum eorundem omnium ordinum illico publicare, & ad effectum deducere, sancimus. Occasione diminutionis militum per partem Actoream affectatæ primo hoc in puncto deliberavimus. Interim quatenus nobilis Magistratus numerum, & quantitatem Præsidiariorum in Münda, & in civitate existentium specificarent: tum quantum eidem utrique Militiæ solvitur, informarent, injunxeramus. Cui postquam statisfactum esset, & nobilis Magistratus obtemperando Regestris, ac computis nobis exhibitis eandẽ quantitatem in utroque puncto verificâsset, & declarâsset; Nos habitâ sufficiente informatione expediendo deliberationem nostram; quoniam numerus tantus Militum antea ex necessitate, tempore hostilitatis diversæ adscriptus, nunc pacatâ undique Republicâ, minimè esse necessarius videtur, & Populo gravaminosus nimis esse prætenditur; Præterea, cùm civitas tot debitis, & oneribus gravata est, expedit quoque, ut istæ pecuniæ (quæ pro hac numerosa militia expenduntur) pro solvendis debitis, emundandaque ab oneribus civitate, convertantur. Idcirco ut cõtubernia, totusque Populus Gedanensis à tali gravamine, vixque supportabili onere allevietur, & fructum pacis, alleviationisque desideratæ dulcedinem sentiat, tertiam partem militiæ ejusdem tam in Fortalitio Mündensi, quàm in civitate ipsa existentis ex nunc diminuendam, exauctorandamque debere censemus. Et ut nobilis Magistratus ac ordines civitatis id ad executionem realem deducant, eosdemque milites quoad tertiam partem omnino exauctorent, sententiamus. In futurum tamen, ut ingruente necessitate ordines securitati civitatis provideant, permittimus. Deinde in Articulo convocationis ordinis Tertij ejusdem cum Contubernijs postulatæ juxta Responsum Serenissimi olim Sigismundi Augusti de anno 1552 lege in perpetuum valiturâ, ordinamus, ut nobilis Magistratus, cujusvis anni mense quolibet, ad minimum semel ordines civitatis, sive habeat materiam consultandi, sive non, convocari curet, & sessionem pro consultando indicat, cum hac libertate, quòd ordini Tertio pro tunc vocato licebit ex parte sui proponere in scripto nobili Magistratui, quidquid pro Bono & commodo civitatis salutare visum sibi fuerit,

Mercatorũ assũptio ad munia civitatis

Ex Religionibus in privilegijs civitatis specificat

Conclusa ordinum secretè servanda

Minæ judicum

Cives corã judicijs modestè se gerant

Conclusa per unũ ordinem non immutanda

Conclusa Magistratus publicãda, & ad effectum deducenda

Tertia pars militiæ exauctoranda

Convocatio ordinum à Magistratu semel quovis mense

Libertas tertij ordinis quædam proponendi

fuerit, vel à Contubernijs & Populo illis indicabitur, & ſuggeretur. Poſtmodum in objectione multorum ſangvine junctorũ ad Magiſtratum aſſumi ſolitorum. Itidem perpetuò ſancimus, ne unquam Fratres Germani duo, aut Pater cum Filio, aut ſocer cum genero ſimul in Magiſtratum, & Scabinatum, neque in unam, eandemque Quarteriam Tertij ordinis amplius abhinc aſſumantur, nec eligantur; Nobiliſq; Magiſtratus, ne talis Conſangvinitas in uno ordine, & uno tempore exiſtat, ſub nullitate Electionis obſervet, ſententiamus. Quantum ad opifices vagabundos, aliàs Benhaſi, attentâ Declaratione nobilis Magiſtratûs, quatenus omnes vagabundos, ſive nocivos opifices extra Contubernia Gedanen. exiſtentes, & civium Contubernalium onera omnia ſupportantium commoda præripientes nobilis Magiſtratus juxta ſuam Declarationem ad uniuſcujuſq; Contubernij requiſitionem puniat, à civitate amoveri faciat, & aliàs juxta contenta jurium Contubernalium legitimorum procedat, enuntiamus. Quod ſpectat Quakeros, & Mennoniſtas, quantum ad Quakeros, eos uti execrabiles, nullam ſuperioritatem agnoſcentes, ſiqui in civitate reperiuntur, vel in poſterum invenientur, ex nunc proſcribendos, & expellendos eſſe ſtatuimus; nobilique Magiſtratui Gedanen. quatenus omnino attendat, animadvertat & quoties in civitate illos morari contigerit, illico ex urbe hac proſcribi, & repelli faciat, ſeriò præcipimus, & mandamus. Reſpectu autem Mennoniſtarum, quoniam illi firmiter negant, ſe eſſe ſimiles Arrianis, qui legibus publicis è Regno proſcripti ſunt: idque evidenter probaturos ſeſe offerunt, proinde declarationem & reſolutionem in hac tam grandi materia faciendam ulteriori noſtræ deliberationi reſervamus, & punctum hoc in aliud tempus rejicimus. De cætero quoad granaria frumentis implenda, ut nobilis Magiſtratus, quidquid ex concluſo trium Ordinum omnium ratione eorundem frumentorum ſtatutum fuerit, ne contra eat, imò ad effectum deduci curet, ſententiamus. Apparitores quoque aliquando malitiosè accuſantes, ſeu deferentes, ut ad affectationem cujuſvis injuriati judicium Cenſorium, ſive aliud quodvis ſummariè, pœna contra Calumniatores jure ſancitâ puniat, demandamus. Inſuper intuitu incarcerationis Rudolphi Freytag Notarij publici primò deliberavimus, poſtmodum expediendo deliberationem noſtram, quoniam Nobiles Burgrabius, & Magiſtratus ſine figura judicij eundem Rudolphum non judicatum incarcerari, & per duos menſes circiter detineri paſſus eſt. Ideo, quatenus ijdem citati prænominato Rudolpho Freytag quinquaginta aureos Vngaricales in vim damnorum perpeſſorum intra triduum penes acta Cancellariæ Decretorũ noſtrorum exſolvant, decernimus. Quoniam verò memorati citati eidem Decreto noſtro ſatisfecerunt, & ſæpè fatus Rudolphus Freytag dictos aureos Vngaricales quinquaginta ad ſe recepit, quietavitque, adeo ipſos abſolvimus. Quod porrò concernit Juramentum Burgrabiale, quoniam nobilis Magiſtratus clarè comprobat, quòd Burgrabij quolibet anno per nos conſtituti ſemel fidelitatem Regiæ Mti jurare ſolent, & Rotha juramenti nobis exhibita eſt conformis, nec diſſona à juramento in ſtatuto Regni deſcripto. Proinde nobilem Magiſtratum & in hoc puncto abſolvimus. Cæterùm ne in poſterum Nobiles Burgrabij in ullo (niſi pro conſilio) caſu, ad Magiſtratum Gedanenſem in negotijs officio ſuo Burgrabiali competentibus recurrere iudeant, in caſibus autem obvenientibus dubijs ad Nos, ſuccedaneoſque noſtros Reges Poloniæ ſeſe referant, & informationes petant, ſtatuimus, Intuitu porrò Notariorum publicorum ordinationis deliberavimus. In articulo vi-

Sangvine junctorum cooptatio in ordines civitatis

Opifices vagabundi

Quakeri, Mennoniſta

Ratione granariorum frumētis implendorum

Apparitores malitiosè accuſantes

Freytag Notarius

Juramētũ Burgrabiale

Burgrabij

A. C. 1678 lo victûs quærendi, & mercaturam exercendi opificibus, denegationis priùs pro meliori informatione nostra, nobili Magistratui, ut Rhotas juramentorum, quæ Mercatores, & quæ opifices præstare solent nobis exhiberent, præceperamus. Deinde, postquam reproduxerunt, eandem materiam in aliud tempus rejecimus. Item puncta occasione majoris numeri Catholicorum ad centumviratum addendi, nec non respectu Feudorum majorum, & minorum, ac per quem? vel cui? & qualiter conferenda sint, hæc eadem puncta utraque in aliud tempus rejicimus; & limitamus. Similiter quoad querelam contuberniorum, vigore protestationum eo nomine factarum, quòd scilicet nobilis Magistratus post extraditas sibi à contubernijs citationes, ac inhibitiones ibidē præscriptas ausus fuerit Electionem ante diem, & tempus privilegiatum non expectatâ decisione causæ anticipare, & in ea duos Præ-Consules, duos Consules, ac Scabinos assumere, cooptareque. Nos cum Senatoribus, & consiliarijs ijsdem re maturiùs pensatâ, supra insinuatos Præ-Consules, Consules, & Scabinos stante lite motâ, indebitè electos, ab officijs ijsdem suspendendos esse putavimus, prout ad ulteriorem nostrā in hoc passu Regiam declarationem suspendimus. Porrò interveniente honorato Joanne Erico Ohloff veteris civitatis Secretario, & nomine, ac in rem nobilium ac spectabilium Consulum veteris civitatis Gedanensis per libellum in scripto datum supplicante, punctaque publicè, & judicialiter prælegente; quatenus scilicet transactionem in Anno Dni 1637 die 5 mensis Junij inter nobilem Magistratum ab una, & præfatos Consules veteris civitatis solenniter conclusam, manibus proprijs subscriptam, & sigillo urbis obsignatam, ad præsens judicialiter in suo originali exhibitam, tum & nonnulla petita, seorsivo scripto exarata, atque coram nobis, & judicijs nostris commonstrata, & publicè lecta, authoritate nostrâ Regiâ approbare dignaremur. Nos indictionem hanc nobilis & spectabilis Consulatûs antiquæ civitatis nostræ Gedanen. clementer admisimus, & supplicationi eorum in quantum justæ, & æquitati conformi benignè annuimus, atque transactionem memoratam, nunc judicialiter reproductam, nec non petita in privilegio nostro specificanda speciali diplomate nostro approbare, ratificareque polliciti sumus; demum alia citationis actoreæ partis puncta, ut & decreti præsentis in omnibus, ac singulis articulis, ut supra decisis publicationem ulteriori tempori reservavimus, limitavimusque. Tandem in eodem termino limitationis, rejectionisque, nempe feriâ tertiâ ipso die festi conversionis S. Pauli Apostoli anno currenti partibus ijsdem, actorea per famatos Christianum Meyer, Davidem Meysner Sutores, Franciscum Heyn, Ioannem Falkemberg Pistores, Georgium Golnau, Joannem Thomes Ferrifabros, Ioannem Brenner, Matthiam Szulc Laniones, Capitalium Contuberniorum Seniores, & alios plurimos Contubernales: Collegio centumviratûs per Honoratos Eliam Constantinū Schröder, Gotofredum Brack, Cornelium Wilich, Jacobum Grymwalt, Christianum Siwert Romano Catholicos, Joachimum Figk, Gabrielem Kiersch, Paulum Warnik, ac per alios plures. Nobili autem Magistratu per nobiles Christianum Schröder Vice-Præsidem, Joannē Schwartzwald, Joannem Ernestum Schmiden, Constantinum Ferber Consules, Adrianū Stodert Syndicum, & Gotofredū Peschvitz Secretariū; Deniq; Scabinatu per spectabiles Eilhardū Fridrichson, Joannē Ferber Scabinos corā nobis, judicioq; nostro cōparentib⁹ & quidē Contubernalib⁹ postulantib⁹ publicari Decreta, & interim securitatē sibi caveri exposcentib⁹

Ratione Mercatura opificib⁹ exercenda

Major numerus Catholicorum ad centumviratum

Feuda

Suspensio personarum nuper in Magistratu electarum

Consulatus veteris civitatis Gedanensis

Nos

Nos cum ſæpe fatis Senatoribus, & conſiliarijs noſtris lateri noſtro aſſidentibus Decreta in omnibus punctis lata, ſuperius de tenore ſuo ſcripta, audientibus Partibus, in frequentia multorum adſtantium publicari mandavimus. Inſuper ſupra-fatos actores Contubernales omnes, & ſingulos, ſpecificè eos, qui cauſam præſentem in judicijs noſtris promoverunt, cum Perſonis, boniſque illorum in Patrocinium noſtrum Regium recipimus, ipſisq; ſecuritatem omnimodam, & ſalvum conductum, à vi, & potentia nobilis Magiſtratûs Gedanen. non autem à jure, ſeu ordinario Proceſſu, usq; ad finalem aliorum punctorum citationis in aliud tempus rejectorum, vel in deliberatione noſtra dependentium, & cauſæ totius deciſionem cavemus, & impertimur; néve is idem nobilis Magiſtratus ex occaſione hujus cauſæ aliquam vim inferre, aut vindictam facere præſumat, ſub pœnis in violatores ſalvi conductus Regij in jure deſcriptis, inhibemus. Ad extremum ut inter Partes prænominatas nobilem ſcilicet Magiſtratum, Scabinos, Centumviros, Contubernia, totãque Com̃unitatem hujus civitatis mutua charitas, confidentia vicinalis, & animorum unio, indeq; pax, quæ rerum optima eſt, ſtrictiſſimè coaleſcat, & conſervetur, omnes ſciſſiones, diſmembrationes, diſcordias, ſcripta, vel typis expreſſa, famam lædentia, quæ hactenus inter illos ab invicem interceſſerunt, tum objectiones ex occaſione præſentis negotij tã judicialiter, quàm extra-judicialiter factas, Boni publici, ſervandæq; mutuæ concordiæ causâ, poteſtate Noſtrâ Regiâ mortificamus, tollimus, & abrogamus, nihilque dignitati, honori, bonæ famæ, & exiſtimationi utriusq; Partis, & ſingularum Perſonarum nocere debere, nec poſſe, declaramus: quinimò ut partes eædem mutuâ charitate, & dilectione ſe ſe proſequantur, neq; ullus alterum cujuſcunq; ſtatûs, & conditionis privatim ſive publicè in judicijs, conſultationibus, conſeſſionibus, ac quibuſcunq; locis, verbo, vel ſcripto lædere, exacerbare, aut ex jactantia aliqua, ſeu alio quovis prætextu exprobrare, nec quidquam ad injuriam, & inſultationem objicere audeat, verùm unuſquisq; intra cancellos officij, profeſſionis, & conditionis ſuæ debitâ modeſtiâ ſe ſe gerat, contineatq; ; nobilis Magiſtratus pro officio ſuo populum protegat, authoritate, quâ pollet, tueatur, ac in puro, ac propenſo amore uti concives, & vicinos ſuos conſervet. Populus autem & Contubernia nobili Magiſtratui tanquam ſuæ ſuperioritati ſecundùm jura ſit obſequens, eiq; omnem honorem, reſpectum, & venerationem exhibeat; præcipuè autem Contubernia, & ſinguli Contubernales, ordinationes, & Propoſitiones nobilis Magiſtratûs ejuſdem, quæ incrementum Boni publici, & conſervationem civitatis reſpiciunt, amplectantur, & conſilijs illius ſe ſe accommodent, atq; in omnibus his, quæ civitati ſalutaria, & proficua cum Ordinibus concluſerint, obtemperent, neq; ullas ſeditiones, ſciſſiones, turbas, conventicula illicita, & prohibita (exceptis conſeſſibus contubernalibus, vigore jurium pro bono Fraternitatum fieri, & peragi ſolitis) conſilia privata abſque ſcitu nobilis Magiſtratûs facere, multò minus tumultus excitare, ac ſuperioritatem excutere temerè præſumant, ſeriò interdicimus; deniq; tam nobili Magiſtratui quàm omnibus ut Decretum præſens noſtrum, & omnia ejus puncta modo, quo ſupra deciſa, in viridi obſervantia manuteneant, ad debitam executionem deducant, ſeverè demandamus. In reliquo ad trutinanda ſuperiùs ſpecificata puncta in deliberationem noſtram ulteriorem recepta, revidendaq; jura, & prætenſiones Partium certos Commiſſarios, utpote Magnificos Joannem Jgnatium Bąkowski Mariæburgen. Vladislaum Dönhoff Pomeraniæ Palatinos, Joannem Comitem

A.C. 1678

Securitas actorum contubernaliũ

Mortificatio ſcriptorum famã lædentium objectionũque

Prohibitio exprobrationum & objectionum

Populus & cõtubernia Magiſtratui ſit obſequens

Contubernales ſeditiones non excitent.

tem

A.C.1678 tem à Pieskowa Skała Wielopolski ProCancellarium Regni, Generosum Marcum Małozynski Stabuli Regni Præfectum Grabovecen. Capitaneum, & Venerabilem Joannem Stanislaum Witwicki Abbatem Plocen. Præpositum Infulatum Olicen. Cancellariæ Regni Regentem assignaveramus, & deputaveramus, ijsdem quatenus puncta eadem, omnia jura, ac prætensiones partium reviderent, trutinarent, pro & contra conferrent, & cum commodo, & satisfactione utriusq; accommodarent. Nosq; demum de his omnibus, quomodocunq; per se expeditis, & peractis informarent, & referrent, commiseramus. Ac tandem auditâ relatione eorundem Commissariorum nostrorum, expediendoq; deliberationes nostras præhabitas in Articulis reliquis infra expressis finalem decisionē, & declarationem nostram taliter fecimus, promulgariq; mandavimus;

Electio ad centumviratum & nominatio Deputatorum ejusdem

& primò quidem de Electione ad Centumviratum, & de nominatione Deputatorum ejusdem, ad functiones quasvis decernimus, quatenus abhinc nobilis Magistratus obveniente vacanti post decessum, vel ascensū alicujus Centumviri, ex duabus personis per Collegium Centumvirorum omnino inter se electis, & præsentatis, unam personam nominet, & in locum vacantem investiat, id ipsumque Quarteriæ omnes absque mora longiori post mortuos, aut ad altius subsellium promotos Centumviros, novos præsentent, eligant, & loca vacantia quantocius impleant.

Nominatio Magistrorū Quarteriorum

Idem esse intelligendum de Magistris Quarteriorum, ut ex duabus personis à Quarteria Magistratui oblatis, unus Magister Quarteriæ nominetur, ad alias autem omnes functiones, & Deputationes liberum erit quarterijs in posterum personas idoneas eligere, quæ tamen ultra biennium suas functiones non continuabunt, statuimus.

Functiones ultra biennium non continuandæ

Diminutio accisæ triticeæ

Deinde in puncto accisæ triticeæ eandem accisam à lasta farinæ triticeæ hucusque exigi solitam, itidem minuendam esse putavimus, prout ipso facto diminuimus. Utque abhinc Pistoribus floreni octo, & grossi viginti octo à solita hactenus accisa cujuslibet lastæ farinæ triticeæ tam intra, quàm extra civitatem remittantur, edicimus.

Relaxatio suspensionis noviter electorum in Magistratū

Postmodum intuitu Electionis nuperæ Præ-Consulum, Consulum, & Scabinorum resolvendo suspensam anteriori Decreto nostro factam. Quoniam à nobili Magistratu necessitas sufficienter deducta est illius maturatæ electionis. Idcirco indulgendum censuimus, suspensionemque eandem relaxamus, & personas illo tempore electas, pristino loco, & dignitati restituimus redintegramusque.

Manutenetur Magistratus circa jus liberæ Electionis

In posterum nobilem Magistratum circa jus liberæ Electionis manutenemus.

Zulaga Scharpau Jus maritimum

Quantum ad Zulaga, Scharpau, & jus maritimum itidem expediendo deliberationem nostram, quia in usu civitatem hanc sub Divis Antecessoribus nostris fuisse reperimus; ideo neq; nos ulterius quicquam innovandum censemus, inhærendo privilegijs Serenissimorum CASIMIRI III, & STEPHANI Regum Poloniæ.

Notarij publici

Quoad Notarios publicos, & eorum officia, obviando similibus ab utrinq; querelis, & difficultatibus ordinandum duximus; prout per præsentes æviternè ordinamus, ut abhinc Notariorum publicorum certus numerus maneat, nec plures in Civitate Gedanensi sint, aut tolerentur, quàm sex, excepto uno vel altero, quem Magistratus in Cancellaria sua habere solet, atque ad firmandam ordinationem præsentem ex nunc constituimus, & specificari mandamus eosdem Notarios jam antea specialiter creatos, utpote Rudolphum Richardum Freytag, Augustinum de Ponte, Ernestum Hyacinthum Rozenkerowicz, Bartholomæum Kranich, Henricum Leonardum Mülich, & Georgium Hirschman. Præter quos sex quoad vixerint, nullus alius actum aliquem

Nota-

Notarialem in eadem civitate sub nullitate instrumenti exercere, vel expedire audeat, edicimus. Illi verò sex per hanc ordinationem Nostrã admissi, ut supra nominati post publicationẽ huj⁹ Decreti Nri corã officio Burgrabiali Juramentũ antea per se præstitũ tacto pectore reassumant. Alij verò post fata illorũ per Nos, vel Succedaneos Nros Reges Poloniæ privilegiati circa initiũ officij sui corã eodẽ officio Burgrabiali, Rhotâ Juramẽti solitâ, & usitatâ jurent, decernimus. Quod si contra Juramentum quicquam, aliquis eorum egerit, eo casu per nobilem Burgrabium puniatur, officioque privetur, præviâ tamen informatione, à nobis, & succedaneis nostris Regibus Poloniæ obtinendâ, sententiamus. Deinde quatenus ijdem Notarij sex publici nunc denominati, vel pòst instituendi, acta sive protocolla sua ordinatè conscripta, integra, & fide digna habeant, in eaq; cuncta ab ipsis suscepta, expedita, juxta temporis ordinem inscribant, nec quicquam insinuent, vel per vidimus, aut translationes in latinam lingvam, aliumque modum extradant, quod actis ipsorum non sit insertum, injungimus. Vltra protestationes autem, reprotestationes, idque stylo molliori, modesto absque læsivis verbis conscriptas, seu alia instrumenta officio suo notariali de jure competentia, nulla scripta injuriosa, aut retorsiones: (jurgia & denigrationem famæ alicujus facientia) vel examina testium, positiones, interrogatoria, maximè durante judiciali processu non suscipiant, nec connotent, multò minùs extradant, verùm intra cancellos officij sui se se contineant, gerantque. Insuper quoties aliquem ex his sex nunc ordinatis mori contigerit, ex tunc post fata illius Nobilis Burgrabius noster pro tempore existens acta, & protocolla intra octiduum prævio inventario ad se recipiat, & vidua seu hæredes eadem omnino extradant, id ipsumque Nobiles Burgrabij nostri, instante etiam Nobili Fiscali terrarum Prussiæ, vel in absentia ejus substituti, in quantum Gedani præsentes aderint, semper præstent. Postmodum novo Notario Publico, per nos interveniente morte prioris, constituto, & privilegiato, recepto priùs ab ipso solito juramento, eadem acta consignet, & extradat, specificatione actis ingrossata, manu novi Notarij recipientis subscripta, penes se relicta, in vim perpetuæ legis ordinamus. Idem quoque post mortem aliorum extra numerum superiùs constitutum Gedani morantium, faciat, actaque relicta alteri ex numero præcensito, prævio itidem inventario tradat, statuimus. Cæterum habitâ ratione laborum, & molestiarum, quas Nobilis Magistratus, Scabini, & unusquisq; Officialis Publico civitatis invigilando, Domûs autem suæ rationes negligendo sustinere coguntur, quatenus salaria sua solita, & aliàs ratione administrationum, & functionum nobili Magistratui (in quo nobiles consules veteris civitatis cum consulibus primariæ urbis parificantur) nec non Scabinis, & reliquis officialibus, ex camera provenientia, integra maneant, & stato tempore pendantur, declaramus. Demum occasione litis expensarum, in promovenda hac Actione, per partem Actoream erogatarum, ad præsens refundi postulatarum, punctum, & petitum hocce in aliud tempus rejicimus, Decreto nostro ad præmissa mediante. In quorum fidem præsentibus Sigillum Regni est appressum. Actum Gedani Sabbatho pridie Dominicæ Sexagesimæ Anno Domini Millesimo sexcentesimo, septuagesimo octavo. Regni nostri Anno IV.

Solita salaria Magistratui, Scabinis, & Officialibus integra maneant, in quo Consules veteris civitatis Consulibus primariæ urbis parificantur. Refusio expensarum parti Actoreæ differtur

A.C. 1678

Stephanus Joannes Wydzga Episcopus Varmiensis, Supremus Regni Cancellarius.

Relatio Reverendissimi Domini Stephani Joannis Wydzgæ Episcopi Varmien. Supremi Regni Cancellarij.

Stephanus Hankiewicz Decretorum Curiæ Reg. Notarius mppa.

XXXIX

CARDINALI D'ETRE ANDREAS CHRYSOSTOMUS ZALUSKI METROPOLITANÆ GNESNENSIS ECCLESIÆ ET SACRÆ REGINALIS MAJESTATIS CANCELLARIUS CANONICUS CRACOVIENSIS &c. die 3 Maij.

BEnignissimas tuas Eminentissime Princeps accepi literas, & libens obsequor mandatis tuis, quibus de Avunculo meo piæ & mihi semper dolendæ memoriæ tam amicè quæris, exactam à me tam de natalitijs ejus, vitaque, quàm de morte requirens relationem. Horret quidem calamus hoc scribere, cujus recordatio ipsa non invitas elicit lachrymas, sed quia omni dolore fortior apud me esse debet ratio obsequendi nutibus tuis, facio reverenter, quod jubes, eô adjectô, quod nihil addam veritati, quinimò in mœrore, qui durabit in corde meo semper, memoriam rerum intercipiente; omitto plura, minimè dubius à doctioribus calamis, quorum affectus & in publico & in privato meruit, explicanda. Ergo.

Andreas Olszowski ex antiqua, & ornatissima Domo Prussorũ quæ sesqui crucem cum duabus falcibus in crucem compositis pro stemmate gerit bonam sortitus indolem, post primum literalium in Collegio Callissiensi, per triennium tyrocinium ad Academiam Cracoviensem à Parentibus missus, ut Pöësis nimio studio abstraheretur (felix enim, & velox in carminibus scribendis erat, quæ etiam impetu fundere, & loquendo versificari adsveverat) Rhetoricæ, & Philosophiæ studijs incubuit, in Academia Vitellium, & Petricium oratores tunc florentes suspexit. Adamus Opatovius sæpiùs magnis laudibus juvenem extulit & Principem in Republica dignitatem eidem auguratus est. Quinquennio in literis Cracoviæ exacto, & Theologiæ & juris prudentiæ jactis fundamentis in Italiam abiit. In Patavienſi Academia bonos Professores per tres menses audijt. Indè Romam profectus, ultra biennium & literis, & praxi Curiæ Romanæ impendit. In Bibliotheca Vaticana vix non quotidianus lector fuit Vrbano VIII extincto Innocentio X elegantem Panegyricum scripsit, cui titulus Publica spes, quo scripto magnam de se spem excitavit. Festa nationalia Stanislai, Hyacinthi orationibus dictis & in lucem datis celebravit. Doctoratus juris in sapientia Romana laure-

am

am accepit. Româ profectus in Galliam, Mediolani substitit Bibliothecæ Borromæneæ desiderio, & usu detentus. Parisijs in Sorbona præstantium in Theologia Doctorum auditor fuit. Occasione matrimonij Regis Vladislai cum Ludovica in notitiam Reginæ futuræ, & Aulæ Gallicæ se insinuavit. Redeuntem cum Regina legationem comitatus est, magno honore habitus à Lesczynio, & Opalinio legatis. Non latuit Opalinium indoles, & eruditio Olszovij, quem summâ humanitate excepit, fovit & Regi inter secretarios commendavit. Sed Olszovius secessum literarium, & cupidinem literarum prætulit Gnesnensis Metropolitanæ Ecclesiæ in decennovennali ætate per resignationem Avi sui Materni Koniecpolij pridem Canonicus Inde à Mathia Lubienscio Archiepiscopatus Cancellariatu post Trebicium collato, ejus negotijs Ecclesiasticis, & Politicis obeundis operam præstitit, & summa cum laude gravi ætate confecti Primatis adolescens curas sustinuit, quem Primas tantopere amavit, ut laudibus eum efferendo, & benedicendo sæpiùs illachrymaretur sibique Divina providentia tantùm fulcrum contigisse prædicaret. Interregni post Vladislaum Regem negotia pro Primate gloriosè egit. Ab ejus morte nullo beneficio per quinquennium auctus a Rege, & Regina Ludovica per literas ad Aulam invitatus scribendi elegantiâ, & facilitate primatum tenuit, nullaque gravior expeditio incidit, cui non ille scriptor à Cancellarijs adhiberetur. Cum scriptoribus antiquis parem Trebicius publico elogio in Comitijs, cum Cancellariatu decederet, honestavit, scripta ejus permulta Svetico bello cum templo Bernardinorum Varsawiæ deflagravêre, vindicias Polonas contra Svecos scripsit sub titulo A. O. acri, & elegantissimo stylo. Francofurtum à Rege ad electionem Cæsaris Leopoldi Ablegatus oculos summorum virorum in se vertit. Electoribus; Moguntino imprimis, nec minus Coloniensi, & Trevirensi in honore habitus, cum ob industriam, & virtutem, tum, quod titulos Prælaturarum Gnesnensium, Cracoviensium Posnaniensium præferret. Belli à Sveco Poloniæ illati nec non delectuum in Germania contra Polonos injuriam graviter incusavit, jusq; vindictæ Polonis pactis Monasteriensibus inclusis, etiam contra provincias Imperij aliquando reservavit. Valuit opera, & dexteritas Olszovij, ut Electorale, & Principum Imperij Collegium Legatione, & literis Regem Sveciæ, ad pacem cum Polonia sanciendam perurgeret. Alteram Legationem obijt ad Imperatorem Leopoldum Viennam, qua effecit, ut Cracovia præsidio Cæsareo vacua redderetur, & miles Cæsareus Poloniæ Regno excederet. Referendarius Regni factus, cum Magistratum inviolabili justitiâ admistrans certissimum asylum, & præsidium afflictorum, & gravatorum audijt. Ad Episcopatum Culmensem evectus, magnum sui desiderium in Aula reliquit. In consecrationis suæ solennitate, cùm fortuitò ad *A.C.* 1678

can-

A.C. 6178 cantum verborum illorum, & *iterum venturus est*, prodiret, plausum frequentissimæ tunc Aulæ meruit. In Episcopatu per quinquennium omnes numeros Antistitis implevit, & deploratissimam tunc per Svecos Diœcesim planè erexit, Ecclesias Parochiales reparavit, Sacerdotes accersivit, & sublevavit. Basilicam S. Jacobi Thoruniensem magno animo, & invictâ constantiâ, nemine sperante, multis obnitentibus ex Hæreticis manibus vindicavit, consilia Gallica pro Condæo, & corrupta in Lubomirscium judicia dedignatus, Reginæ indignationem incurrit, nihilominùs vacante Procancellariatu, cum eum Magistratum defugeret, ultrò antehabitus, & capessere ministerium status exoratus est. Incidit in ardua tempora à morte Reginæ. Abdicationem Regi Casimiro dissvadere conabatur summâ contentione, sed frustra. Encomium tamen Abdicantis Regis tulit, neminem præter Olszovium Procancellarium, magis seriò, & sincerè sibi dissvasisse, ne è Regno in privati sortem abiret. Abdicationis ipsius decenter, & sine ullo motu metuque paractæ laus, & felicitas consilijs & prudentiæ Olszovij debetur. Legem cujus summa: *Rex Catholicus esto* sub Interregno promovit & propria manu scripsit, atque Reginas etiam huic legi pro re Catholica inclusit. Quantum in Electione præstiterit, ut exclusis peregrinis Candidatis, Piastum popularibus persvaderet, censura testis, quam Europa loquitur, & miratur. Coronatio Regis ejusdem solerti curâ expeditâ, Legationem pro Matrimonio Regis cum Austriaca ultro suscepit, & non ultra sex dies disposito apparatu, magnâ celeritate, incomparabili prudentiâ perfecit. Addidit ei stimulos ad suscipiendam Legationem, Imperatoris, & Ministrorum de Procancellario summum judicium cum motivo literis expresso, ut ille præ alijs Viennam veniret. Legatio hæc elegantior, an prudentior fuerit, vix judicari potest, copiam sermonis ejus ad Imperatorem hic adnecto. Magnum certè Regi novo, magnam nomini Polono dignitatem, Olszovio æternum decus comparavit. Pactis Matrimonialibus scriptis, & firmatis celerrimè in Poloniam redijt. Rumores discussit, molimina sedavit, citò rem confici, sponsam in Poloniam deduci, Imperatrix Mater ut Częstochoviam usque comes Filiæ, Regi, & Genti Polonæ novum honorem haberi perfecit. Homagium ab urbe Gedanensi nomine Regis recepit, & civitatem illam eleganti sermone extulit. Bibliothecam in Academia Cracoviensi insigni fundatione aperuit, dictitans se præcipuũ studiorum profectum lectioni librorum in Bibliotheca Vaticana Romæ debere, Academiæ Cracoviensi affectum, verbis, scriptis, rebus testatus est.

Gravi & planè Apostolicâ epistola Sviderscium, & confœderatos milites exterruit, de qua judicium fuit Mareschalci Lubomirscij, neque Chrysostomum sanctius, facundiusque scribere potuisse.

Ad

Ad Exercitus Litvanos tumultuantes miſſus ex Comitijs legatus, & Pacificator. A·C.1678

Errori, & furori populari ad Golembium magno animo ſe ſe oppoſuit, & voce, & ſcripto publico.

Jus ſceleri in fortunas, & honores ampliſſimorum civium, id eſt, conſenſum in conſilijs ſenatûs, & ſigillum miniſterio negavit.

Jurare præſcriptâ à ſæcularibus formulâ noluit, & pejerantes impavidus increpuit.

Regi Michaëli licet ſuorum meritorum minùs grato ſolus in caſtra comes fuit, ac eidem ad ſupremum uſque diem ſolus ſenatorum adſtitit, à quo moribundâ voce, & in teſtamento conſtantiæ elogium tulit, & vellus aureum concreditũ de manibus Regijs accepit.

In conſilio caſtrenſi ad Squaraviam multis à bello Turcico deterrentibus expeditionem animosè ſvaſit atque illâ voce: Tranſijmus rubiconem, jacta eſto alea, neceſſitatem bellandi oſtendit.

Ibidem piè, & feliciter ſupremo Mareſchalco, & Exercitui accincto benedixit.

Quàm adverſus fuerit paci cum Turcis ſancitæ, documento eſt epiſtola Imperatoris Turcarum per Magnum Legatum, qui nominatum Andream Olſzowski Cancellarium incuſavit, quòd pacem indecoram ſervari non poſſe, neque debere epiſtolâ ſuâ ad Veſiriũ declaraverit. Peculium ſuum peditatui Germanico fame laboranti ad Chocimum ultro ſuppeditavit.

Mortuo Michaële Rege Sobieſcium Mareſchalcum præ cunctis Regno parem laudavit, eidemque ſi ille Veſpaſianus, Mucianum ſe fore per literas declaravit.

Cùm inimicitias, & offenſiones apertas pro juſta cauſa pro Repub: ſæpiùs ſuſciperet, cúm libertate loquendi, & arguendi uteretur, nunquam per octennium invidioſiſſimi Miniſterij Cancellariatûs in publico læſus, quæ felicitas illi primùm contigit, cùm Cancellarios eminentes in Conventibus Palatinatuum, & Comitijs argui, moleſtari, perſtringi ſolenne fuerit, idque pars libertatis videbatur.

Judicem tam moderatum, & incorruptum egit, ut neque in poſtcurialibus Regijs judicijs, neque in Diœceſanis ab illius ſententia unquam appellatum fuerit.

Tandem eodem die quo IOANNES III Rex feliciſſimè proclamatus, ab eodem, non tantùm pro gradu, ſed etiam ex vi gratitudinis; (multum enim in Electione ad evectionem ejus contulit) Archiepiſcopum, & Cardinalem nominavit, primam dignitatem accepit, pro altera gratias egit, maluitq; eſſe in Polonia primus, quàm Romæ ſecundus. Diſpenſante interim per ſingularem Conſtitutionem Republicâ, ut pro celeriori expeditione Archiepiſcopatûs ſub ſigillo Regiæ Cameræ privato nominatio ejus Romam expediri poſſet, ſine longa mora, & dilatione eam expeditionem habuit,

A.C. 1678 buit, post quam se statim accinxit pro jure Primatiali ad negotia publica; periclitanti Regi IOANNI III sub Zurawno fama congregatæ Nobilitatis, quam universalibus literis (quod tamen sinistrè interpretatum erat) ad dandum succursum Regi invitaverat, & convocaverat. Nominationi Episcopi Marseliensis Gallici Legati ad purpuram, quòd sub sigillo privato Cameræ expedita fuisset, fortiter etiam contra Reginam restitit, cum qua post, omnimodâ satisfactione habitâ, reconciliatus, in promovenda Coronatione ejus, cui aliqui Palatinatus palàm obstabant, diligentissimè egit, perfecitque.

Recurrebant ad eum cum summa confidentia omnes Palatinatus, & nunquam nisi plenè satisfacti ad fratres redibant, zelumq; ejus pro Republica, & libertatibus deprædicabant palàm dicentes, quòd Tulliū eloquio, Catonem gravitate, Metellū vicit innocentiâ, & si Patria pro se loqui potuisset, aliâ oratione ac animo, quàm Olszovij, uti noluisset.

Immunitates Ecclesiasticas, ut ante Episcopus, & Minister, sic pòst Primas factus acerrimè propugnavit; Archiepiscopatûs Gnesnensis dignitatem non tantùm scripto, ut in hoc tomo videre est, sed etiam manutentione ejus fortissimâ propugnavit, & plus alijs Antecessoribus suis extulit. Cum Episcopo Cracoviensi Andrea Trzebicki pro jure Pontificalium in funere Regum legibus, & rationibus disputavit, ac Primatiali dignitati asseruit. Palatium Cracoviæ Archiepiscopale, ne Coronatorem alienæ, incertæque Domûs hospitem in urbe Regni cerneret, à Nicolao Prazmowski Archi-Præsule à fundamentis cœptum, ad summum perduci, perficique curavit anno 1676 suæ, & Successorum Regni dignitati; in quo, cùm omnium Antecessorum suorum depingi stemmata, & arma fecisset, laudesq; pro meritis cujusque, versu descripsisset, id sibi tantùm adscribi fecit. Andreas Olszowski stemmate Prussius cum falcibus, JOANNIS III Coronator.

Hoc satis æternæ laudi vel cætera desint,
Cætera, si fuerint, scribito Posteritas.

In ijsdem comitijs Coronationis plurimùm reconciliationem Ducum Litvaniæ egit, quæ authoritate ejus, & indefessâ operâ pro bono publico tandem coaluerat. Ut Duces, & Generales Exercituum Regni, & Magni Ducatus Litvaniæ, de triennio, in triennium, si meruerint, confirmentur, si in aliquo excesserint, mutentur, vel saltem separatum expleant Juramentum, diligentissimè promovit, & evicisset, nisi favor Reginæ in Jabłonovium Palatinum Russiæ, cui minor clava destinabatur, optimæ ejus intentioni obstitisset.

Post comitia totum se ordinandæ Archi-Diœcesi satis, & in spiritualibus, & in temporalibus ruinatæ dedit, nihilque intermisit, quod ad salutem animarum, curæ ejus commissarum, & ad bonum ordinem

dinem pertinere credebat, ipse in Persona magnam partem Archi-Diœcesis visitavit, inceptâ Gnesnæ post ingressum suum publicum Metropolitanæ Cathedræ visitatione, Synodum Provincialem instituere non tantùm cogitavit, sed jam ad proximè celebrandam dispositionem faciebat, celebrassetque, nisi vindicis DEI manus peccata nostra per ingruentem, Varsaviæ, Lovicij, & in aliis locis, pestem, sancta, & pia destinata retardâsset, quæ prosequi ulteriùs præmatura mors non concessit. Devotio ejus particularis nota fuit DEO, & hominibus; officium Divinum nunquam etiamsi publicis negotiis extremè impeditus, omisit, quolibet die Dominico, & Festo etiam non solenni, sed sæpissimè duplici, Missæ Sacrificium cum summa pietate & ædificatione audientium dicere solitus. A.C. 1678

Tandem, dum vocatus à Rege, pro negotiis Gedani inter Magistratum, & Populum difficillimis, vel per judicium, vel per concordiam componendis, fuisset, aliquotque diebus ante mortem in Laterna Gedanensi, quò ditior, eò impeditior subscripsisset, ex levi morbo sumptâ medicinâ, quam Stanislaus Witwicki protunc Regẽs Cancellariæ infeliciter se (unde multi perierant) in hanc artem miscens, obtulerat, cui ex ignorantia primæ Regius Medicus Braun aliam superaddiderat, non expletis tribus diebus morbi, sanctam animam Creatori suo reddidit, cum summo dolore Mtum, & totius non tantùm Aulæ, sed & civitatis Gedanensis, per quam insolveto hactenus more, corpus ejus processionaliter jussu Regis versùs Gnesnam eductum. Ex peculio ejus triginta millia florenorum bonæ monetæ, ad exstruendam Capellam, quæ nunc Regia vocatur, cùm justius Olszoviana vocari deberet, à Rege ordinata.

Non eo in laudes ejus; manet enim, manebitque memoria ejus, in scriptis, & operibus perennis. Vanitates enim has, sicut vitâ durante semper contempsit, & vitavit, sic post mortem non curat. Is eum optimè laudat, qui narrat fidelissimè.

SERMO ILLUSTRISSIMI ET EXCELLENTISSIMI ANDREÆ OLSZOWSKI EPISCOPI CULMENSIS ET POMESANIÆ Procancellarij Regni, Legati Extraordinarij ad Imperatorem LEOPOLDUM 1669.

SAcræ Mstis Regiæ Poloniarum Domini mei Clementissimi legatus venio, bonum Nuntium ferens Regij affectûs, & amoris, quem ante oculos, animumq; Mstis Vræ palam sisto, atque in sinum ejus domûs lubens depono, in qua, quot Augusti generis Filiæ, tot Regaliũ thalamorum sociæ, Regnorum amores, sæculi gemmæ, pacis & felicitatis populorum pignora, parentesque olim atq; hodie censentur. Alter Jagellonicæ Propaginis surculus, vetustissima Corybutorum Soboles, Atavis editus Regibus, & in solio Bohemiæ semel, Poloniæ toties collocatus, & coronatus sangvis Michaël. Hic sub aspectum venit non infelix, si gratiam in oculis, si locum in affectu fraterno Mstis Vræ invenit. Rex ille, qui extra spem, & ambitum, Regni thronum cælitùs planè

A.C. 1678 planè occupavit, in expetenda tori, & throni socia maritales spes occupare, ambitumq; legatione meâ palàm fateri non dubitat. Illæ Electoris populi voces, quibus amplissimũ Sarmatiæ imperium Rex Indigena debet, etiam in peregrino isto orbe erumpunt, & quàm validè nuper Electorali in campo pro fortuna Regia, segnius nunc pro fortunæ incremento nituntur. Illas fæcunditatis Regiæ, atq; exinde Regis, & Regni felicitatis anxias, & sollicitas, hic planè audire est Msti Vestræ voces amicas, & amantes, quibus cùm liberè Regem Nobis in Regno dixerimus, ijsdem affectu adhuc calentibus, Reginam extra Regnum deposcimus, acclamamusq;. Damus libera gens felicitati Austriacæ manus, neque immeriti sterilitatem Poloniæ nostræ gratulamur, quod Electo divinitùs, & diademate redimito Principi, par consors apud Nos desideratur, apud Vos invenitur. Hic nata est faustis sub penetralibus, hic adolevit, quâ cum Poloniæ fortunam renasci, & adolescere posse nõ vanè speramus. Nam cùm aliarum plerumque gentium fatum sit, Regem illis ab Austria dari, singulare istud Poloniæ est, Reginas ex Austria nobis feliciter assumi. Neque per incertam semitam, aut ignotâ veste, & poëtico illi; Externo venimus Generi. Tot à sæculis repetitæ Regum Poloniæ, cum Austriaca Domo cognationes præstruxêre iter, hodieque pronum, & expeditum faciunt votis Suæ Mstis. Inclytam Olgerdi Magni Lithvaniæ Ducis Neptem Coributi Olgerdini Sororiam, Zemoviti Ducis Masoviæ Filiam, Ernesti Austriaci Conjugem; novem Austriacorum, inter quos pridem imperat memoriâ, & merito fæcunditatis Austriacæ Cymburgim nostram inter Atavias suas numerat, sepultamque Magnam Matrem umbris suis educit, quæ maximos Austriacos in lucem produxit, & immortalem tot sæculis, atq; utinam in sæcula Augustam gentem effecit Majestatis Vræ Tritam. Ab hac vicissim prima orbis domo, Divis Jagellonidis Regis mei, Agnatis, petitæ, impetratæque fuerunt Elisabethæ Sanctorum Matres, Annæ gratijs ipsis, in publicum gratiores, constantes civium, egenorumq; tutelæ Constantiæ, virtutum concentu longè, & svaviter auditæ Cæciliæ, ut proinde gentilitia Serenissimi Regis sydera non exerrare videantur, à suo cælo, & centro, quando Austriaco in fundamento viam suam determinant, ordiunturq;, quibus toties feliciter cursus fuit, atq; recursus.

Nec deest aliud, quod Serenissimi & Potentissimi Regis, Regniq; Poloniæ animum, arcanâ vi, ad eum amicitiæ nexum, sponte trahit, impellitque. Eximia Invictissime Imperator Divi Parentis tui Ferdinãdi, mox Mstis Vræ erga rem Polonam illo tempore afflictissimam propensio, & immortalis gratia. Conclamatum ergo vicinorum infesta undique conspiratione, & coortis repente armis obruti pariter in victoriã, omnes in prædam cesseramus. Candidè & liberè, hoc est, polonicè, loquar. DEum nobis ab Austro venisse. Cujus sola providentia inclinato, & adspirante Austriæ favore, motisq; in Poloniam Mstis Vræ prævalidis auxilijs, excita vis, virtusque Polonorum Scythas, Cosacos, quæque alia grassatorum nomina, urbs Regni caput recepta, Thorunij victa pervicacia, Dania in armorum societatem adducta, Borussia ad officium composita, civibus integritas, Regno forma, templis Religiones restitutæ, quidquid conjuratæ hostilitatis vel Barbarorum insultus fuit, procul ejectum; Leo ferociens, & apertos Poloniæ campos latè persultans in suum nidum revocatus, & quiescere, ac pacem pati admonitus obstrictusque. Quæ tanta à Mste Vra Cæsarea in acceptis ferentes nõ alia ratione Rex, & gens Polona refundere valemus, quàm profitendo,

&

& iterum accipiendo felicitati Austriacæ, & Tuæ Magne Cæsar simul felicitati id imputetur, quòd aliorum adhuc rei alia nomina contrahim9, necdum planè grati, gratiam iterum oramus.

Summum & gravissimum legationis meæ negotium Soror Majestatis Vræ Eleonora est, hoc nomine, quidquid votorū habet Rex meus, includit, arbitratur nec vivere sibi, nec regnare integrum fore, nisi vitæ simul, ac Regni parē sortem, cū hac Consorte seu dividat, seu meliùs jungat. Cor Regium cæteris affinitatibus negatum, Serenissimæ Eleonoræ ultrò pandit cum lemmate; huic uni. Candidæ Austriacorum Tæniæ per memoratos Majores suos innexus amat hæc sua vincula, & sacro, nec nisi cum vita solvendo maritali nexu Serenmæ Eleonoræ adstringi desiderat; neq; formidat gravem repulsam, aut tristes in amore moras; nam quos arma pro Regno suo, pro Poloniæ charitate libenter vinxisse meminit, amorem, ut ægrè, vel cunctanter secum jungant, nequaquam veretur. Imposuimus Poloni magnanimi, libentiq; consensu Serenissimo Michaëli Coronam, en adhuc in assensu, manuq; Majestatis Vræ est, ut altera viro Corona, uxor bona, verè aurea, pia, gravis, prudens, verbo omnia, Eleonora contingat. Atq; hic votorum juxta, & verborum legationis meæ coronis esto. Neq; enim aut me diutiùs orare, aut Mstem Vram diu exorari conveniat, cùm ex retroactæ ætatis documentis, exemplisq;, & præsenti rerum statu, Austriam Poloniæ Matrimonij isto fœdere arctiùs colligari Regnatricem; apud nos stirpē fundari, utrumque inter populum sinceram amicitiam, fidam vicinitatē, commerciorum facilem usum vigere, vim, & immanitatem jurati hostis concessū prætumidi sparsæ, non Austriæ, non Poloniæ duntaxat, sed universæ Christianæ Reipublicæ intersit.

XL

JOANNI WIELOPOLSKI CANCELLARIO REGNI ANDREAS CHRYSOSTOMUS ZALUSKI EPISCOPUS KYOVIENSIS Anno 1679. die 10 Octobris.

Non me dulci diffluere otio, non nihil agere credes, dicesque cùm illud, quod pridem tibi me promisisse asseris, in adjunctis videbis. Supra vires meas, confiteor, fuisse credidi; quod tu desiderabas, & ego facilius pollicitus sum, quàm exequi poteram, dum manum scribendo, mentem super omnia reflectendo, admovi. Nunquam tamen adverti, quod amor tuus nomen difficultatis abhorruerit, quàm dum in materia tam diffusa, & dici potest, confusa, laborare cœpi. Mitto ergo in confuso, quæ in mentem & calamum venerunt. Multa sunt omissa, quæ memoriam effugerunt, multa fortè minus necessaria, quæ ut ponerentur, scrupulum moverunt. Nihil est, quod te & omnes, qui Rempublicam noverunt, lateat, plurima digerenda, plura corrigenda occurrent, quæ tu pro prudentia, quâ excellis, pro experientia, quam habes, lege, emenda, corrige, mihi censui mihi erravi. Siquid adhuc hac in materia vel legero, vel addendum credidero, pro hac confidentia, quam in me habes, & ut ulterius habeas, vellem, identidem mittere tibi non intermittam.

A.C. 6179

DE EXORBITANTIIS COMITIALIBUS IN CONSULENDI ET CONCLUDENDI MODO.

Quod non solùm à nostris, sed etiam ab exteris, quicunque Rempublicam nostram aliquatenus noverant, diu antea ex evidentibus suppositis, prævisum fuerat, nunc universis manifestè innotescit, quo errore in mutationem Reipubl. aut in conversionem, si non in interitum delapsi sumus. Mutatio gravis licet, eò tamen respectu videtur esse populariter tolerabilis, quod (juxta politiæ rationes) nec statum Reipub. nec jura, munia Magistratus immutando, personam tantũ cæso aut pulso altero Rege mutare soleat: sed conversio magis metuenda esset, quæ statum Reipub. in alium statum convertit, tanto magis interitus, qui Regna in provincias redigit. Quicunque horum ex permissione Divina revolutionis contigerit gradus, causabitur peccata nostra Theologus: naturalem quandam nullo modo evitabilem, cum necessitate conjunctam vicissitudinem, Physicus; Syderum vim & efficaciam, Astrologus; Politicus exprobrabit regiminis aliquem defectum, civium inobedientiam, & discordiam; consiliariorum desidiam in publicis, in privatis verò nimiam solertiam, Magistratuum segnitiem, corruptiones & privatos respectus, legum iniquitatem, tardam denique aut nullam executionis rationem. Nos autem reliqui homines non profundæ eruditionis, & politicarum artium ignari, experientiæ tamen qualiscunque, nullam aliam interjectam reperire possumus causam, nisi solum defunctum Comitialem in concludendi modo. Confusus consultandi & concludendi modus (qui nec Majestate aut prudentia Regia, nec auctoritate & consilio Senatûs, nec Nuntiorum Terrestrium bonarum partium conatu, in ordinem redigi poterat) horum omnium origo & incrementum: ille ipse nos ad eam calamitosam rerum nostrarum deduxit perniciem. Tum præceps, subitaneus, improvisus Reipub. lapsus, rapit nos non solùm in admirationem, sed etiam agit in stuporem: cogitque ut ea quæ consequi posse videntur, in ancipiti ad præsens Republica accuratius perpendamus.

Post occupatum à victore Principe Regnum occurrit primùm in mentem absolutum Dominium: terribilis & horrenda vox in auribus, res in animo liberæ gentis. Veruntamen cum evidenter constet, non Scytharum Chano, non Turcarum Tyranno, sed Christiano Principi cessisse arma, confidimus Divinæ gratiæ & clementiæ Principis, rem melius ac sperari metuivè à nobis unquam potuit, cessuram.

Quodsi victor Princeps (delectu exacti judicij Regij) Regium potius Imperium juri Divino & humano conforme elegerit, & Mtis suæ dignitati, & saluti Reipub. melius consultum reperiet. Quivis enim ex concessa sibi à Deo bonitate Princeps fateatur, necesse est, melius atque rectius provisum Reipub. dum summa imperij committitur legibus potius, quàm homini. Is merito Pater Patriæ meretur vocari Princeps, qui fundamentum imperij in legibus collocaverit, easque concomitanti libertati legitimæ ac moderatæ, neutiquam gravem se præbuerit.

Tot Principes (absoluti Domini) laudabiliter diu imperantes, tandem ob affectum, animi vim, & varias illecebras, à bono & justo regimine sæpius deflexerunt. Sed dato, quod ex Divina providentia designatus sit Princeps sapiens & probus, nihil unquam Reipub. abusu Principatus facessens negotij, atque adeo ejusdem sancti propositi tenax, ut nulla

nulla animi perturbatione, ab ijs virtutibus se revocari sinat, mortalitati tamen cum sit naturaliter subjectus, lex mortalem hominem perennitate superat. Ideo satius est imperium committere legibus, quàm homini, vel potius legibus & homini timorato, & subditos sibi à Deo concreditos amanti: qui abstineat à talibus, ad qualia plerumq; Principes naturali instinctu properant. A.C. 1579

Si igitur in tam inopinata rerum vicissitudine Pater Patriæ Divina prædestinatione datus est nobis, & spes est aliqua nostræ expectationis, licet quidem tanto Principi, talia melius sunt nota quæ sublime Regiũ opus concernunt, non potest tamen nobis merito vitio verti si nos qui hic nati sumus & educati, & tractavimus utiq; (ægre licet ut in confuso consultandi modo) hanc Rempublicam, suggesserimus quid opus habeat nostra publica res, genio & magno ingenio populi (quod est summæ artis politicæ) utcunq; accommodata. Neq; ea quæ sunt licentiæ desideramus, imò execramur, sed quæ sunt veræ libertatis, circa hæc nos conservari optamus: nec quidem amplius affectamus de libertate, nisi solam jurium nostrorum confirmationem: in qua fundata est tota nostra & consistit libertas. Correctio nonnullorum non detrectanda, imò optanda, sed id tantum modo fiat in ijs, quæ summa necessitas, aut summa utilitas Reipub. expresserit: si quam levissimo sonitu orbis iste convertatur, si juri & æquitati consona adhibeantur remedia, haud incerta Reipublicæ inde speranda salus: dummodo causa morbi diligenter investigetur & noscatur, nam prima Rerumpublicarum bene ac prudenter gerendarum lex est, earum statum cujusq; vim ac naturam, tum morborum causas intueri.

Ante omnia caput est nosse Rempub. quæ ad præsens erat Monarchia Aristocraticè & Democraticè temperata. Præstantissima procul omni dubio constitutio Reipub. & quoad ipsam essentiam status, videtur esse status numeris omnibus absolutus, nam Majestaticè Monarchicam speciem repræsentat Rex, Auctoritativè Aristocraticam speciem Senatus; zelosè Democraticam Nuntiorum Terrestrium cœtus. At (infortunio sive errore) sine certo concludendi modo videlicet sine pluralitate unanimis consensus sine dubio optimus concludeudi modus, si possibilitas bonitati ipsius correspondere t: sed consideratis considerandis, vix humanum instrumentum, licet non subjecta fuerint, summæ probitati, cum nihil unquam reperiatur inter homines, quod suo loco, tempore, occasione depràvari non possit, ultra omnem possibilitatem consistere videtur. Stetit itaq; ea constitutio Reipublicæ, acsi libra sine examine, ita ut ex lancium depressione aut elevatione, justum rei pondus deprehendi, nec quidquam perpendiculare subsistere potuerit. Factum id non vitio quidem Majorum nostrorum, sed ideo quod confisi nimis posteritati putabant tam nobile depositum statui populari concessum ævo suo ex solidis fundamentis erectum, in ea in qua apud illos erat observantia, & cura perenni conservatum, idemq; in bonum Reip. adhibitum iri. Tanto verò fidentiùs de posteris sperabant, quod ipsi modum hunc concludendi videlicet nemine contradicente summopere sibi proficuum fuissent experti, cum sufficiebat uni bono civi opponere se circa jura & libertates. Cùm verò sensim id mutari (ut nihil inter homines perpetuum esse potest, cuncta quamvis initio perfectè constituta esse videantur, post intervallum aliquod temporis in deterius labantur) tandem & totaliter in contrarium verti cœpit: cum licitum jam erat per abusum è converso cuilibet Nuntiorum non circa jura & liber-

A.C.1679 libertates se opponere, sed circa suam aut suorum privatam rem (pessimo in publicis exemplo, seu verius abusu contradictionis teterrimo) vel circa novitatem, vel circa frivolam aut sinistram legis interpretationem, imò & contra manifestam legem, lapsa sunt omnia in pessum. Et eandem Nuntij normæ Lesbiæ, aut ipsi factiosi, aut alienis factionibus innodati, aut diversis etiam servilibus officijs obstricti; nonnulli Hebræorum salariati Patroni, privatæ rei aut suæ, aut suorum perquā studiosi, eorumq; similia agmina eò in conspectu nostro deduxerunt Rempublicam. Nunquam sperabant Majores nostri, pravis ingenijs, studiô privatæ rei Rempublicam sensim, accedente temporis edacitate adeo pessundari potuisse, ut non Nuntiorum Collegium, sed potius locus naufragij ingeniorum celeberrimus appellari mereretur: eoque magis quò per orationes eorum plus continebant plerumq; coloris & ostentationis, interdum malitiæ, quàm amoris erga Patriam. Qua ratione consonantia à Majoribus nostris harmonicè instructa facta dissonante, etiam saluberrima Reipub. consilia solvebat unius contradictio. Idcirco factum est, ut quod à Majoribus nostris ad salutem Reipublicæ comparatum erat, versum sit nunc in fatalem rerum nostrarum periodum. Nec alia fuit hactenus consiliorum comitialium ratio, nisi in confuso non solùm concludendi, sed etiam consultandi modo, negotia Reipub: tractare. Nam quo ad consultandi modum proponebantur propositiones, pro libitu uniuscunq; Nuntij, non servato ordine, nec ullo discrimine habito, materiæ super materias promiscuè introducebantur, unde tanta materiarum farrago & congeries injiciebatur, ut licet nonnullæ dextrè satis pertractatæ, nihil præter exoptatam præstolarentur determinationem, nulli earum in ea confusione satisfactum fuerit. Erat id consvetudinis non contemnendæ, assignatus fuit dies Sabbathi pro inferendis privatis desiderijs, ne alijs diebus publica negotia impedirentur, sed & hæc dispositio tot annis abusu exolevit. Alterum erat non minus absurdum, quòd tot articuli Conventuum particularium comitia immediatè antecedentium inferebantur, qui continebant eam hypotheticam conditionem, ut ante omnia expedirentur. Idque nullo alio, nisi eo modo, ut nihil aliud permittatur tractari, donec id prius concludatur, horum conditione similium, cùm è diversis Palatinatibus non exiguus fuisset numerus, nulla materia materiam præire sinebat (ac si cum uno eodemq; ostio simul & semel volunt omnes introire, nec alter alteri cedit, conglomerantur in ipsis foribus, nec ullo modo progredi, nec regredi licet) tantum comitijs facessebat negotij, ut ideo plus aliquando temporis consumi fuerit necesse, in eo solo præliminari, unde sit incipiendum, quàm in ipsis serijs deliberationibus, imò hæret hoc adhuc memoriæ nostræ, per integras quinq; septimanas in isto accessorio hæsisse, cum verò restaret solummodo sexta hebdomada ad solam defensionem, cum vix fuissent conversi cum summa difficultate, finem suum talem qualē conclusio sortiebatur. Quod verò attinet modum concludendi; nihil usitatius erat, dum ad scopum concludendi aliqua materia collimaret, nisi tristissimam contradictionis terere viam, eo videlicet modo: quandocunq; aliquod desiderium nuntiorum (licet justissimis de causis) denegaretur, ad nulla negotia (etiam gravissima & summè Reip. necessaria) non condescendere, donec prætensioni eorum satisfactum fuerit. In defectu autem satisfactionis sæpe eo ipso comitia solvebantur. Cautum erat lege Coronationis Vladislavianæ, ut quælibet conclusio Comitialis ante assignatum Conclusionis diem, quinq; diebus inciperet; sed experimentum

mentum docuit, nec quinq; septimanas eo modo sufficere posse, cùm pervicacia nullo potuit justo & idoneo cohiberi fræno. Quando tamen pertinacia non adeo altas adhuc radices egit, profuit aliquando Authoritas Regiæ Mtis, persvasio & mediatio Senatûs quandoq; valebat, sed invalescente Nuntiorum Terrestrium graviore pertinacia, quando summo genere, dicendi nimirum acclamationibus, vociferationibus, tractatus rei propositæ exceptus, dum prætensiones suas (plerumq; putativè Reipub. necessarias) extorquere Democraticè conabantur, jamq; ad disruptionem Comitiorum res vergere videbantur, non potuit Princeps aliter in tanta diversitate lingvarum cunctarum, nisi lancem Monarchicam occulto quidem modo, sed non sinistra in Rempublicam intentione, pondere aliquo subtili onerare, ut Democraticæ lancis obstinatio arte aliqua exquisita politica aliquantum sublevari posset. Ideo privatim dirigebantur plurimæ causæ summo conatu & zelo, interim publica alia pari quidem apparatu, sed non nisi in speciem proferebantur in medium, quibus distenti, tædio quidem levati, sed esurie, siti, vigilijs, dolore stantium pedum fatigati, mansvetiores facti, tandem cum non mediocri difficultate, contraria, pervia, partim silentio involvendo, partim studiosa interjectione aliarum materiarum, reliqua adhibitis placidis persvasionibus, polliticis, largitionibus deniq; ad conclusionem rei perventum est. Interdum etiam ad extremum pro ultima Reipublicæ siti, cum nec procrastinationes, nec ad nauseam prolongationes insomnes noctes, nec alia ordinaria media proficere potuerunt, ne Comitia cum Reipub. periculo infectis negotijs solverentur, conclusiva publicè lecta, privatim postea aliquantum immutata, aptata, moderata, nonnulla parciùs in publico commemorata, nec conclusa, inscripta tamen, semotis arbitris negotium terminarunt. Raro alterius generis (nostra jam ætate) stetit alicujus quæstionis conclusio, nisi Magistrorum politicorum industriâ. Illorum autem, quæ ordinario modo, vel fortuito contigit in rem Reipub. concludi, aut indebita, aut intempestiva, aut nulla prorsus erat executio. Nec tamen totaliter omnis, nec semper in Democratiam confusionis Comitialis redundat culpa. Aristocratia etenim raro aptos, sæpius occultos habet suos, per Nuntios factionis tractandi modos, idque in bonam aut malam partem. Bonam dico, quæ est in rem Russiæ, sed aut Principi aut alicui Primario ingratam vel gravẽ. Malam dico, Reipub. nocivam, aut privatam aliquam rem redolentem. Manifesta factio non ita solebat esse nociva, sed occulta, cum factionis autor in Senatu, aut factionis suæ studiosè contradicebat, aut simulabat se aliud sentire, aut simulatam neutralitatem præseferebat, aut taciturnitate, ne consequeretur vestigijs, laborabat. Monarchia rarius, sed gravius in eo genere peccabat, idque per occulta Nuntiorum, aut Senatorum, aut utrorumq; instrumenta. Palàm verò quæ acta fuerint, est exemplo constitutio in rem civitatis Thorunensis contradicentibus (ut acta testantur) Nuntijs Terrestribus inscripta. Protestati contra eam in facie totius Reipublicæ omnibus audientibus Nuntij omnium trium Palatinatuum Pruthenicorum, non obstante nihilominus ea protestatione constitutio in volumen legum inserta. Adierunt subitò acta Castrensia Varsaviensia Nuntij, petentes protestationem suam suscipi, quibus jussu Regio acta denegata. Protestati coram actis vicinioribus Zakroczymen. In proximè & immediatè sequentibus Comitijs vigore Articulorumm suorum ex conventibus particularibus concordium expostulabant cassationem constitutionis. Mareschalcus Regni dixit ut pro-

A.C.1679

 ducant

A.C. 1679 ducant suam protestationem; produxerunt authenticam Zakroczymensem, negabat Mareschalcus eam esse validam, quòd coram Varsaviensibus non est recognita. Allegaverunt Nuntij, quòd offerentibus eam protestationem acta jussu Regio essent denegata. Mareschalcus nihilominus ad hæc: Varsaviensis protestatio producenda est, non Zakrocymensis. & hæc erat Monarchica elusio, interdictum est Terrestri & Castrensi officio Varsaviensi, ne ullæ protestationes Comitiales suscipiantur, coram alijs autem actis non censebantur validæ protestationes, perinde est nullas protestationes valere posse contra ea quæ (licet inique) inserta sunt in volumen legum. Aliud est terribile exemplum Vladislai IV impresa belli Turcici non requisito ordinum consensu. Contremuerunt Comitia! eo devenerat res, ut colloquium seorsivum sine præsentia Principis peteretur. Quod cum Princeps in absentia sui denegasset, acceptatum colloquium & cum præsentia Principis, sed si subsequentia præscivisset, non audivisset ingrata. Nã quid acerbi⁹ esse potuit, quã tot Senatorũ & Nuntiorũ contrarias suæ intentioni, & firmi propositi audire voces. Tandem eousqꝫ deventum est ut à quodam Nuntio Terrestri proferretur in medium in eadem præsentia Principis Constitutio de Articulo non præstandæ obedientiæ in talibus casibus. Erat hæc & Principis & Reipublicæ summa passio. Quomodo determinata, non sine nota dedecoris dignitatis Regiæ. Extat constitutio in volumen legum inserta, hæret in recenti nostræ memoriæ & judicio posteritatis reservata. Non est igitur laudabilis & pertinacia Nuntiorum, & factiones tam Equestres quàm Senatoriæ, quàm etiam Monarchicæ, & Monarchica in intrudendis legibus vis contra debite illatas protestationes. Prout etiam protestationes non sunt laudabiles neglectæ in facie Reipub: postea nihilominus coram Actis recognitæ. Nuntius tum temporis quando ea gerebantur aut fuit àbsens, aut gravatus somno obdormivit, aut in confusione, & inter vociferantes audire non potuit, vel colloquio familiari aut instructo fuit distentus, ut erroris sui vel negligentiæ circa relationem in comitijs particularibus non careat defensa, usus protestatione. Ejusmodi protestationes tantummodo valere debuissent, quæ in facie Reipub: intercesserunt, quorum verò circa conclusionem nulla fuit mẽtio, eæ irritæ & inanes esse debuerunt. Cùm verò in comitijs omnia vel confusa vel disrupta manserunt, redintegrabat res secretiori Regis cum Senatu (post peracta comitia) consilio, quod absolutum Dominium idqꝫ à potiori redolebat, nec ibi erat in usu pluralitas, & contradictio unius aut aliquorum senatorum valebat, sed jam inveterati moris erat, ut licitum fuerit statuere quod placuerit Regiæ Mti, excepta sola indictione contributionum. Sed tamen reperiebatur monarchicus modus, contrahebantur debita irrequisitis ordinibus, augebatur numerus exercitus ultra statutum comitiale: postea solvere Respublica necessitabatur. Itaqꝫ & comitiale & Extracomitiale non erat laudabile consilium, quod nullo fundamento innitebatur modi concludendi, sed fato periculoso omnia regebantur.

Quæ cum ejusmodi fuerit Respub: constitutione laudabilis, concludendi autem modo abominanda: tantundem illi desiderari videbatur, ac si primæ omnium civitati, cui nihil ad omne cudendi genus deerat solummodo malleus. Malleus itaqꝫ instrumentalis procurandus est, qui omnia Reipub: apprime necessaria instrumenta efformet, ita ut cuncta quæ sunt in ordine ad Rempub: debitè consistere valeant.

Rem

Rem ipsam tandem de modo concludendi aggrediendo, quæritur quænam sit norma istius modi concludendi? si subticetur, non esse ad rem videtur, illatio sine conclusione, imò & absq; justa trutina. Si proponitur, non sine superbiæ vel arrogantiæ nota, quasi verò quis solus id videat, quod cæteris omnibus penitus est ignotum, unde inevitabile invidiæ telum. Utrumq; id ut evitari possit, medio tutius eundum: nec unus hoc, nec omnes curent. Comitialis sit opera. Quo in loco id primum uti præcipuum punctum, per Deputatos ex Senatorio & Equestri ordine præmisso juramento, pluralitate votorum concludatur salva reservata Regiæ Mti, approbandi, retractandi, meliorandi. Ea res benevolentibus Patriæ, non modò non difficilem, sed nec operosam quidem se offeret. Non est hoc unum ex rebus difficillimis, nec in abditis ab hominum sensu retrusa res, nec novus inter homines modus concludendi: qui juxta praxim (ubicunq; rationabilis alicujus Politicæ) tria requirit: juramentum, pluralitatem & occultum suffragium. Hoc trinum non sejunctum, sed conjunctum esse oportet. Sine occulto suffragio absit acceptare juramentum, magis obesset, quàm prodesset Reipub:, data ea porta ruerent perjuria, quæ in facie Principis, Patronorum, Amicorũ, nullo modo evitari possent, quotusquisque enim reperietur, qui palàm majorem Reipublicæ, quàm gratiæ Regiæ, amicorum & commodorum suorum rationem duceret. Eodem modo pluralitas disjuncta ab occulto suffragio nec nominetur, patentissimum enim campum præberet perniciosis factionibus. Occultum suffragium præstantissimum instrumentum liberæ vocis in Republica. Sine occulto autem suffragio, nec juramentum, nec pluralitas optanda, melior est Respublica aliqua, quã nulla, inde enim certa eaq; extrema subsequeretur Reipublicæ metamorphosis. Quòd si autem modus concludendi vitioso non potuerit sapere palato, nullius nisi victoris Principis opus: ille enim (quantum plerũq; miscetur evaporati veneni ad conficiendam theriacam) tantum adhibere potest durioris imperij ad sanandum Reipublicæ corpus, si videlicet aliter fieri nequiverit, ut omnino tamen subsistat concludendi modus, hoc unicum vi tractandum, quo cæteris quies esset. A.C 1679

Nec est ut jam omnino desperetur de Republica, etiam in desperatissimis rebus bene de Republica sperandum est: ignavi tantùm & rerum humanarum imperiti desperatione franguntur. Post cladem Cannensem laudabilior fuit Scipio Affricanus quàm Terrentius Varro, consilio non desperatione restituuntur res. Contra tantam ventorum conspirantium vim, licet Respublica consilio primùm, postea & viribus destituta resistere non potuit, avertet tamen Divina clementia & benignitas Principis interitum Reipublicæ, imò conversionem: mutatio seu fiat naturæ congruenter, seu violenter, non omnino pertimescenda; non enim omnis mutatio in deterius: aliquando in melius, bonum Principẽ sequitur quandoq; melior. Si is conservabit fundatas in legibus libertates, & licentiam comprimet, statumq; præsentẽ Reipublicæ tuebitur, quid optabilius? dum succũbimus armis civilibus & hostilibus, popularibus morbis, hostium undiq; impetu, una salus victis à consilio sperare salutem, cujus fundamento jacto in concludendi modo, omne id quodcunque salubre Reipublicæ visum fuerit, facile, firmiter & stabiliter exædificabitur. Non erit difficile modum consultandi instituere, leges & jussa ponere, pacem & bella moderari, aptabit se correctura juris, executionis ratio, numi percutiendi jus, fidelitas & obsequium exactum subditorum, omnia denique quæcunque ad bonum Ordinem pertinere videbuntur

A. C. 1679 debuntur, facili negotio ordinari & accommodari poterunt, ut nō mutari, sed spontaneè, aptare se potius Respublica videatur. Nec deterreantur à modo concludendi spirituales causæ cum sæcularibus intercedētes: compositio enim inter statum spiritualem & sæcularem formari poterit ad normam causarum tribunalis Regni compositi judicij. Ad eundem ferè modum causæ inter dissidentes in Religione Christiana. Pariter inter unitos & disunitos Græci ritûs.

Et hæc omnia diversa licet, harmonico communis boni possunt resonare concentu. Sin minus, totâ errabimus viâ, nunquam in portu navigabimus: & licet præsens evaserimus periculum, nō evasuri tamen sine concludendi modo certum Reipublicæ naufragium. Cui nec prudentia Principis, nec vigilantia Senatus, nec universale studium bonorum civium, vix ac ne vix quidem subvenire poterit. Solus concludendi modus, subsequente immediatè exacta executionis ratione, tot ærumnas divinitus permissas resarcire, & per tot annos civili & externo continuo bello conquassatā Rempublicā in integrū restituere potest.

PROJECTUM DE EMENDATA REPUBLICA.

NOn minus humani corporis, quàm politici valetudo, duplici ratione feliciter procuratur, additione nimirum & subtractione, eam hoc scripto operam locare Patriæ fuit animus, quæ more soli Attici mel & cicutam præstantissimè simul ferat, & ita bonorum fæcunda est, ut neq; à vitiorum partu absit. Expedit nos Interregni tempore maximè nosse Rempublicam, & quasi in quiete affectas firmasq; partes post diuturnos Reipub. motus circumspicere, dum æquales, & nondum Principis exortu alterati sumus. Optimus enim rerum bonarum, malarumque delectus est, cogitare, quid nolueris sub alio Principe aut volueris.

REX.

Regnum Poloniæ nullo modo comparabile esse debet, cum Regno altero. Magno nobis constat titulus Regni Sveciæ. Rex potest nubere sorori Cæsaris, & in casu quod absit, sterilis decessus Cæsaris, hæreditare posset Regna & provincias relictas. Melius igitur huic ut occurramus lege lata. Polonia enim præsentiâ Regis indiget, & difficultatum suarum habet satis.

Rex ne consilium Cameratuum habeat. Omnes causæ proponantur per Cancellarios, & decidantur à Rege cum Senatoribus residentib⁹.

Senatores continuè resideant, aut paris dignitatis Senatores loco suî substituant. Non tamen deberent esse ijdem Senatores perpetui Consiliarij neq; vocari ad consilium, etiamsi ad Aulam morentur, exceptis residentibus, nisi Rex illorum aliquo extraordinariè ad Consiliū majoris momenti uti vellet, judicijs tamen omnes Senatores assidere ac sententiam ferre debent.

Rex ne in conclavi subscribat sed publicè post Missæ Sacrificium, aut certâ horâ in præsentia duorum aut unius ex Cancellarijs.

Rex ut nullum vacans conferat, aut declaret in instanti, sed deliberet in alterum diem, ut importunos evitare & meditatus dare non perdere beneficium possit.

Rex ne declaret aliquid vacare, nisi per utrumq;, aut alterutrū ex Cancellarijs, nisi Regina alicui suffragari velit in quo Majestati indulgendum.

Promotiones solius Reginæ tanquam Dominæ tolerentur, aliæ fœminæ

minæ intrudere se non debent, secus Mariti earum, ideo in jus vocari debent, ex quo non continent in officio uxores suas. Iam verò tales fœminæ incontinentes, quæ negotijs se alienis ingerunt, relegari debent ab aula ad milliaria triginta.

Rex potest non subscribere honoraria universalia tam particularium Comitiorum quàm Generalium, quàm cæterarum omnium expeditionum. Sufficiet unum universale subscribi, quod ad Castrum debet porrigi: cum ideo magna sit remora Comitialium & aliarum expeditionum. Similiter mandata ad civitates, & varia rescripta juris, possunt sine manu Regis extradi. Beneficiaria tamen ipse Rex subscribit.

Rex ne ullum Senatorem creet, nisi qui saltem semel in Tribunali judex fuerit Deputatus; legum enim notitiam habere debet, & aliquã praxim judiciorum callere.

Rex Confessarium Ordinarium habeat Episcopum, aut Prælatum sæcularem. Concionatores autem etsi possint esse Religiosi, debent supra solum Evangelium concionari, intactis materijs status aut personis Senatorij Ordinis sub pœna relegationis in instanti.

Regi ne liceat alio idiomate literas scribere, quàm Latino & Polonico, cum hoc ipsi Cæsari in Capitulationem additum fuerit. Ad Maternam tamen lingvam propter correspondentiam privatam habere licebit unum Secretarium, qui jurare debeat coram Cancellarijs.

Rex Electus, Legationem mittat ad Sanctissimum cum obedientia. Propter benedictionem sub præterito Principe neglectam, fortasse multa mala evenerunt. Idem Legatus Canonizationem Beati Cantij promoveret, & gratias ad Canonicatus in Cathedralibus impetraret.

Rex pro vulneratis militibus ut quolibet anno vacantem aliquem Capitaneatum plus offerenti pro duodecim aut quindecim millibus conferat; quæ summa sine mora enumerata ad dispositionem ducis reddatur; quod si id neglexerit, ut de proprio hanc summam exolvat, quod nuntij Terrestres in comitijs, aliàs vacantias nominando, diligenter requirent. Hospitalia pro militibus fundentur penes Częstochoviam, Kalvariam &c.

Authoritas Regis conservetur, quia in hoc consistit ordo Reip: & respectus totius Gentis apud externos. Optarem, ut belli inferendi Jus in manus Regum inferatur, ita, ut fuerat sub antiquis Regibus, eo tamen præcauto, ut id consilio secreto triginta ad minimum Senatorum, salvâ trium vel quatuor contradictione, fiat, qui posteà Senatores rationem consilij sui Reipub: reddituri sunt. Essemus enim securiores, & in majori æstimatione apud externos, nam hi videndo, quòd Rex sit disarmatus, & tarda sint molimina Reipub. idque tantùm ad defendendum, & quod omnia claré & palàm in Comitiolis & Comitijs tractentur, contemptui nos habent, major inferentis, quàm arcentis bellum impetus, dicebat Annibal. Omnes Reges & belligerantes id vel maximè curant, ut in hostico bella gerant. Errat, & vapulat Polonia, quòd domi expectet quemvis hostem. Optarem etiam, ut titulus defensionis Reipublicæ mutetur, & legi præferatur, non defensio, sed bellum Reipublicæ.

LEGATIONES.

Rex ne externos ad Legationes & Residentias adhibeat, & lex statuatur; quidquid per externum tractabitur, illud nullius momenti apud Exteros & Rempub. fore.

Apti Legationibus obeundis in Comitijs nominatim proponantur, & ne

A.C. 1679 & ne aliorum operâ uti fas sit, cùm malè obitis legationibus ingens damnum & jacturam Respublica subierit.

Legationibus suscipiendis imponantur viri gnari statûs Reipublicæ præcipuè in aula diversati, & qui in aliquo usu negotiorum fuerint, & gloriâ magis quàm utilitate moventur. Camesiles Francus Mercator in Sveciam Legatus fuit causa belli Svetici. Armeni ad Turcas & Tartaros ne mittantur cavendum est.

Milites Legati sæpius aberrarunt, non est habenda ratio scientiæ lingvarum, quin imò melius si Legatus per interpretem loquatur.

Legatus nosse debet anteacta negotiationis per alios Legatos habitæ, ad eundem Regem aut nationem, in quo informatio ex Cancellaria Regni peti debet, ejusdemq; gentis historiæ perlegi.

Legatus quilibet major seu minor post relationem oretenus factam, porrigat eandem in scripto ad metricam Regni, & instructionem originalem restituat, quæ unà cum relatione debet actis inseri.

Legatus jurare debet coram Cancellario à quo instructionem accipit, super secreto & fidelitate Legationis quòd Rempublicam curabit. Quodsi instructio domum transmissa fuerit, jurabit coram Capitaneo, aut ejus officio Castrensi.

Legationibus adhiberi possunt Abbates, ne interessati otientur, & bona in Reipub. obsequium impendant. Aut si quis ex Prælatis externæ Legationis laborem sumeret prior sit in concursu ad Abbatias, quæ nulla lege immeritis, & fruges consumere natis conferebantur.

Legatus si in officio suo pro Patria moriatur honore statuæ aut imagine à Rege honoretur.

Ad Legationem, quamvis debet ordinari taxa, ne thesaurus plus expendere audeat, suppleat ex vacantibus Regis gratia, hucusq; fiebat ut per favorem & promotionem nimiæ expensæ effunderentur, & quæstui habebantur Legationes.

Taxam hanc sufficere putarem.

Legatis Moschoviticis Varsaviam venientibus, quoniam plurimum thesaurus Regni solus impendat, æquum est ut tertiam partem thesaurus M. D. Litv. addat, aut melius longè si & nostri Legati in Moschovia & Moschovitici in Polonia suo ære vivant, neque vecturis pauperes onerentur.

iam hoc est per pacta constitutū

Legatis Turcicis & Tartaricis ut diaria certa antiquo more statuantur, cum interpretes cæterique interessati, magnis sumptibus sui commodi causa ærarium intervertant. Introductor Legatorum constituatur exemplo aularum omnium, qui semper sit præsens, separatus ad Europæos & Catholicorum Principum Ministros, separatus ad Barbaros.

Legatis Moschoviticis, Turcicis, Tartaricis Custodia ut adhibeatur, nefas sit cum illis agere sine scitu Mareschalci, & in absentia jurati Subdelegati.

Legati & Ablegati Extraordinarij spatio sex hebdomadarum expediantur; Legati honorarij & Residentes sine quibus aula non potest non esse, & Principibus externis negare difficile: ne propter occurrentia negotia Residentes teneant, quot annis mittentur. Ne nimis in Status nostri rationem & arcana uni ingrediantur. Multum detrimenti Respublica accepit per Dominum Hoverbekum, continuum & nimis practicum Electoris Brandeburgici Residentem.

ELECTIO·

ELECTIO REGIS

Electionis Regiæ norma & Regula in futurum describatur. Regnum Vngariæ in servitutem degneravit per Electionem inordinatam. Coacta fuit Electio Regis Mathiæ, cujus Avunculus cũ exercitu viginti millium ex nobilitate conflato, ac erecto patibulo, in eum qui Mathiæ contradicere auderet, liberam electionem oppressit. Quomodo deinde per diversa studia partium ad discidium tanti Regni perventum sit, quomodo in hæreditatem Domui Austriacæ cesserit, historiæ docent. Sed & domesticæ discordiæ, ac penè non amissæ libertatis habemus exemplum, nisi fortuna Reipub. contra Maximilianum cāpum obtinuisset.

Post mortem Regis tempus Electionis lege determinetur intra dies viginti à diè mortis. Ita terminus in jure Canonico definitus est Cardinalibus, ingressus in Conclave die decima à morte Pontificis. Convolant tamen Cardinales ex longinquis Regnis ad Conclave. Dies autem ipsius Electionis beneplacito Ordinum in convocatione relinquatur.

Locus Electionis debet esse vicinus civitati, ut commoditas sit adeundi tenuiori nobilitati, qui carent equis, præterea ut comitatus Primorum possit adire pedibus, cum equorum multitudo pabuli caritatem faciat, & stabulorum angustiæ ac difficultates, multum adferant incommodi, & ab incendio sit periculum.

Non eligatur Rex conjugatus, nisi filius Regis sit uxoratus.

Qui vivente Rege proponeret electionem debet pro seditioso haberi, & ut perduellis judicari. Cum Reipub. potestas & libertas maxima sub interregno sit. Sub Regibus autem sicut pupilla & sponsa, in quocunque enormiter læditur sub Regum Dominio, potest restitui in integrum sub tempus interregni, sicut inscriptiones uxorum coram actis recognitæ cassari consveverunt.

COMITIA ET CONSILIA

Eligatur Mareschalcus primo die sine ulla controversia, sitque electio illius, primi & unius diei actus. Altero die ad salutandum Regem accedatur, & propositio non ultra diem tertium differatur, quibus sententiæ DD. Senatorum succedunt, sine ullo prologo ad solius propositionis puncta primum, deinde liberum erit ingredi, relationem, & quidquid pro Republica in medium proferendum videbitur.

Dictis sententijs & de vacantibus Rege commonito audienda Senatus consulta. Inde enim detrimento sibi est Nuntiorum Terrestrium Conclave, quòd Senatûs consulta non audierit, prout in aliquot Comitijs silentio suppressa sunt. Lectis Senatûs Consultis Rex vacantias declaret. Reversi ad suum Conclave Nuntij judicia, de movendis loco peragant per pluralitatem.

Nuntij Terrarum Prussiæ ad judicia seni ex Palatinatu pertineant. Deputati ad rationes ærarij & Artileriam terni Deputati sint. Ad Tribunal Radomiense & alias Commissiones per pluralitatem Deputati eligantur.

Comitia scindere unus potest Nuntius lege sibi suffragante. Ubi lex non intercesserit, ibi contradictio intervenire debet saltem trium Comitiolorum idem sententium. Si quis contentionis studio aut privatâ causâ dissolvat Comitia, debet accedere ad Castrum aliquod sive Varsaviense, sive vicinius ad manifestationem faciendam, prævio juramento, & debet peremptorium terminum habere in Tribunali ad instantiam solius

A.C. 1679 us Instigatoris officij, sine quavis adcitatione in duabus, ubi producat Jurene an injuriâ Comitia dissolverit, alienum enim à ratione est, unius ob noxam & furias malitiosi aut impudentis totam Rempub. sub ictum proponi, sumptus, labores magnorum civium in auram dissflari. Si quis objecerit liberæ vocis læsionem, libertas vocis in justitia fundetur non in privato interesse.

Protestans non discedat Varsaviâ, sed ad extremum temporis locū tenere, terque, quaterque protestationem innovare debet.

Nuntius, qui primis judiciorum diebus abesset, dabit rationem legalitatis, aut aliàs loco moveri debet pluralitate vocum.

Nuntij ne ijdem continuò sint, sed alternis duntaxat Comitijs.

Manè tam Senatus quàm Nuntij post secunda Missæ Sacrificia suis locis considеant, & sobriè ad Rempublicam stabiliendam accedant.

In Conclavi Nuntiorum aperte consilia possunt esse: sed ubi ascenderint Nuntij cum Rege & Senatu, consilia omnia semotis arbitris peragantur. Auctoritas & anima omnium consiliorum secretum. Vanitatem declamationum in consilijs, quæ viros non decet, vitare necessariū est, de quo Mareschalcus Regni admoneat.

Secretarij actuales, qui Cancellariæ suam operam navant, ad commendationem Cancellariorum consilijs interesse poterunt.

Nuntij munus non possit duarum civitatum civis obire, aut consilium ingredi, nisi singulis Comitijs speciali juramento fidelitatem juret.

Qui convictus fuerit acceptorum munerum, quatuor annis careat voce activa, & honoris loco in omnibus publicis actibus, & sit incapax officiorum & dignitatum.

OFFICIALES

Archiepiscopus. Cùm sit Vicarius imperij, Tutor Reipub. Monitor Regis, Mediator inter Rempublicam & Regem, ubi primùm Senatum ingressus fuerit, juramentum faciat in Comitijs more Cancellariorum.

Cancellarius & Vice-Cancellarius habeant juratos Notarios in suis Cancellarijs. Iidem librum formularum & titulorum corrigant. Expedit unâ formâ scribi aringas privilegiorum, merita tamen cujusq; in privilegij contextu possunt vera & gravi narratione describi.

Cancellarius quotidie judicia peragat, quæ post Curiam veniunt, quod si valetudine, aut alia legalitate sit impeditus, Vice-Cancellarius impleat officium. Cùm magnam patiantur tenuiores injuriam ex mora judiciorum. Causæ non excedentes valorem centum florenorum, ne sint post Curiam appellabiles.

Cancellarius & Vice-Cancellarius sua nomina Regio nomini subscribant in omnibus privilegijs, quæ ex illius Cancellaria proveniunt.

Iidem curam habeant ut Secretarius Regni, qui nullo est labore impeditus, aut alius Secretarius huic idoneus scribat acta diurna, aliàs historiam eorum, quæ bellô & togâ geruntur. Quæ deinde cultiore stylo ad posteritatem tradantur.

Postarij debent jurisdictioni Cancellariorum subesse, & coram illis super fidelitate juramentum præstent.

Correctura constitutionum peractis Comitijs præsente aliquo ex Cancellarijs fiat, qui est Custos legum, & ejus scire interest: quid obsignet.

Prælati applicent se ad Residentiam, qui postea rerum usu exculti possent esse Reipub. necessarij & non nisi residentibus abbatiæ & alia bene-

beneficia conferantur. *A.C.* 1679

Multa etiam beneficia juris patronatûs Regij, per incorporationes suppressa sunt, & aliquorum dotes alienatæ, aut per Ordinationes Episcopales diminutæ cum præjudicio Regiæ Mtis, & bene meritorum Prælatorum, quod ut invalidum, & legibus contrarium, neq; constitutionibus firmatum rescindatur.

Emanarunt quædam privilegia in præjudicium Mtis, sine scitu & consensu Reipub. non nomino illa propter invidiam, consultum tamen est, ut generaliter cassentur per legem publicam, cum tantummodo potuerint obligare conferentem, non verò successores. In futurum verò istiusmodi privilegia primum ad metricam, deinde ad Castrum Territorij sui porrigantur, & in Comitijs publicentur.

Indultum est calamo in quadam convocatione, quo Decreta Tribunalitia in Regno contra Lutheranos enervata. Quod nefas fuit, cùm præteritis confœderationibus tantùm in Magno Ducatu Litvaniæ permissum. Sacra & inviolata sunto Decreta Tribunalis Regni.

Mareschalcus ut semper unus ad Curiam resideat, aliàs officium resignet, nullam aliam dignitatem aut officium tenere possit. Residentes qui ad Curiam veniunt, & apud illam morantur, descriptos habeat, præsertim honoratiores personas Curiales, qui fortunam & gratiam Regis demerentur.

Mareschalcus habeat supremam censuram Curiæ, morum, & lux⁹.

In omnia regimen illi à Curia demandetur. Circumscribatur modus, in victu, vestitu, famulitio. Censores Romæ erant Julij, Catones, Scipiones, Magistri veteris disciplinæ, Præfecti moribus. Qui contra Ordinationem Mareschalci deliquerit, non aliam pœnam luat, sed privatim primo, deinde in publico admoneatur, quodsi incorrigibilis sit, à Curia amandetur. Vir Magnus Lucas Opalinski hoc meditabatur in corrigendis civitatum moribus. Luxus vestium partim admonitione, partim pœna coërceat. Mos fuit in Repub. & nunc in civitatibus Germaniæ servatur, etiam Dantisci definitus est numerus ciborum & vestium. Vidi ego Francfurti ad Mænum extra civitatem licere luxum vestium, intra civitatem vestiri splendidius nefas habetur. Neq; leges sumptuarias scribi necesse est. Mareschalcus de jure, si quid de moribus labat apud Curiam, corrigendi Auctor esse potest. Ad aulæ mores totum cõponitur Regnum. Materias novas & peregrinas, & minus durabiles & ornatus Gallicos inhibere potest.

Officialis Regni cum ad decrepitam ætatem annorum sexaginta attigerit, Ducis Exercituum Regni, Cancellarij, Thesaurarij officium deponat, sumptâ Senatoriâ Curuli, quod gloriosum cujusq; nomini erit, & usitatum in veteri Republica Romanorum & Græcorum, ac nostræ Reipublicæ salutare.

Officia Terrestria, quæ per Electionem fiunt, non debent diu vacare, ideoq; prima vice nemine contradicente Electio Candidatorum absolvatur, quæ si solvatur, altera electio pluralitate vocum constet.

Agnati Domus Brandeburgicæ, qui non sunt lineæ Electoralis, ad contactum vexilli Ducatus Prussiæ ne admittantur, cavere debent Cancellarij.

Academiæ Cracoviensi injungatur, ut historicum Regium deligat, cùm approbatione Regis, atq; ut ille qui inclarescet editis operibus (quod judicio Episcopi Cracoviensis, tanquam Cancellarij Academiæ Cracoviensis relinquendum) præcedat eos, qui privilegio senectutis Canoni-

Ttt

A. C. 1679 nonicatum Cracoviensem & alia beneficia consequuntur.

Fundationes novæ Collegiorum non augeantur, sufficiet unum Collegium in uno Palatinatu, aut in una Diœcesi, ut prodiere docti, boni desinunt.

Quilibet Capitaneus Castrensis & Tenutarius, qui arcem habet, decimam partem redituum singulis annis in reparationem arcis impendat, cui se satisfecisse in Comitijs particularibus probabunt. In casu negligentiæ forum in Tribunali ad cujusvis instantiam.

Regalia bona in minores partes distribuantur, exceptis Castrensibus, & quæ arces habent, cùm Castrensibus Capitaneatibus, si non omnia contra leges avulsa restitui deberent, saltem ut quilibet Capitaneus Castrensi requirat summam redituum sex millium florenorum, apud possessores bonorum avulsorum. Siquidem multum interest judiciariæ dignitati Regiæ, & securitati publicæ, ne egeant Capitanei.

Summæ in Capitaneatus contractæ, qualitercunque, quarta advitalitate extenuentur. Regalia in bona Terrestria transformata, sexta advitalitate, ad primævam naturam redeant.

Advitalitas mulierum obtineri non possit, nisi pro duobus vacantibus, seu parva, seu magna fuerint, quæ sibi placuerint, aliàs inter vacantia Dni Nuntij hæc requirent.

Qui non est bene meritus, ne capax sit Regalium bonorum, Senatoriæ dignitatis, & Majorum officiorum, tam Regni, quàm Terrestriũ.

Decidat Respublica, qui genuinè censeri debeant bene meriti. Putarem talem existimari debere, qui militavit suo sumptu anno integro & præferri illi, qui duobus annis sumptu Reipublicæ stipendia meruit, nisi insignem operam locasset, aut extrema adijsset.

Separata sint vexilla aut cohortes eorum, qui suo sumptu militant.

Ad aulam duobus annis actualiter deserviat, qui inter bene meritos haberi velit.

Qui sexies functionem Nuntij absolverit suo sumptu, aut bis munere judicis Deputati, aut publica Legatione, aut Commissione pro Republica perfunctus fuerit.

MILITIA

Generalis Exertituum Dux, initio sui muneris juramentum præstet, sive coram Rege, sive in Castris coram Commissarijs Regijs, siquidem & auctoritas jurati officij major, & convenit obligare conscientiam ejus, qui in suam tutelam recepit tot capita, & integritatem Patriæ.

Exercituum Duces plures esse deberent subalterni, dependentes tamen ab uno supremò Exemplum est in exteris nationibus, ubi Duces plurimi, salvâ superioritate Supremi. Interest, ut regimen exercitûs habens nomen Ducis & titulum habeat, ut militantes eo majorem ad servitium bellicum sumant alacritatem, sperando se non tantùm simplicẽ commilitonem, sed & Ducem posse mori. Non ne videmus plurimos minimæ conditionis in paupertate natos, & pòst ingentis reputationis fortitudinisq; Duces externos? nonne in confœderationibus simplices cõmilitones regimen totius tenebant exercitûs? Maszhowski simplex & egenus natus nobilis sub Gronowald, quâ victoriâ gloriosiorem nunquã Polonia habuit, ex mandato Regio exercitui cum gloria ingenti nominis Poloni & sui præerat. A ligonibus ad legiones Romæ sumebantur Dictatores, gaudebatq; laureatis fascibus tellus, & triumphali aratore.

Articuli militares, ut corrrigantur, separatimq; typo mandentur; ut

ut quilibet Centurio penes suum vexillum dictos articulos habeat, & ut etiam externæ militiæ articuli reformentur ad leges militiæ. Imperator, Reges, etiam Electores singulares pro dominijs suis conscripserunt articulos. Tot credo ultra millenos reperiuntur milites, qui quid in his articulis contineatur, planè nesciunt, quin etiam non quivis constitutiones emere, & illas habere tenetur. Ut soluto nunc exercitu & præsentibus reformatis cohortibus, novam militiã ingrediens commilito, juramentum expleat, quod per annum integrum sub eodem Centurione serviet, quòd ad confœderationem quocunq; nomine factam vel faciendam non accedet, quòd statutis à Rep: constitutionib⁹ obediet. *A.C.1679*

Duces relationes expeditæ campaniæ in scripto ad Comitia mittãt, & ad metricam Regni per oblatam reddant; ipsi verò in persona nunquam Comitijs adsint, quia cæteti Commilitones comitantur, signa deserunt, in vestitus novos & ditiores multa expendunt, cõversatione aulæ emollescunt. Stativa omnino prohibeantur, aut saltem minimo gravamine ad aliquod tempus moderentur, quia non tantùm maximæ oppressiones pauperis populi, & subditorũ nostrorũ, qui sunt quasi pedes corporis Reip:, & miseria inopum & gemitus pauperum in totam Remp. vindictam DEi trahit, & per istam stativorum distributionem majorem authoritatem vendicat sibi Dux, quàm Rex, habens in manu media, quibus quemq; ruinare potest, unde magnum aliquando periculum libertati.

Miles, & qui actualiter nomen suum dedit tractatq; militiam, sive sit Commilito, Centurio, Colonellus, nunquam Nuncius pro Comitijs eligatur, neq; libertatem vocis in ijsdem præsumat, nisi anno expleto, postquàm militiæ valedixerit, & conditionem terrestrem inceperit. Similiter aulicus actualiter in aula Regis existens, ut non nisi medio anno post abdicatum aulæ obsequium Nuncius fieri possit.

Pro redimendis ex captivitate militibus, & quibusvis captivis Episcopi duodecimam partem proventuum, Abbates sextam quotannis ex charitate, & sub onere conscientiæ impendant.

Officiales externi ut certam quolibet mense pro persona sua solutionem, seu pretium destinatum habeant; militibus verò simplicibus in manum cuiq; sex vel septem florenos menstruatim Commissarius distribuat, uti recordor Lipscium in bello civili Montoviensi fecisse. Videre & reflectere se, jam aliquando debet Resp. impedireq; intolerabilem abusum, quòd Officiales simplicibus militibus parum vel nihil dant, ipsi omnia capiunt. Contentari debet & potest Colonellus aliquot millibus florenorum quotannis, & eo modo solvendo menstruatim pretium militibus, completa semper regimina erunt, non enervabitur fame peditatus, Officiales post mortuos, vel desertores non accipient jure caduco successiones. Magnarum familiarum filij non ita current ad externũ exercitum, quod antea nunquam erat. Jam hic modus in alijs Nationibus est constitutus, cur & in Polonia idem fieri non debeat? & quare tot Officiales, qui nuper nihil habebant, numerant modo in thesauro aliquot centena millia in personas suas deservitæ mercedis? quod externi Generales valde mirantur. Regimina in paruũ reducta numerum magnũ Reip. adferunt damnum, quia in portiones (Sztaby vocantur) & non necessarias vix non medietas sumptûs impenditur. Interest proinde, ut regimina numerosa & fortia redeant, duodecim centenorũ v. g. hominũ vel si in Esqvadrones (ut vocant) dividuntur, tria vel quatuor centena contineant; sed mercedem qualem Rothmagistri accipiunt, tantam

 non

A.C.1679 non ſperent. Tituli Colonellorum, Vice-Colonellorum, Majorum, pretioſa nomina in cohortibus iſtis non contineantur.

Quicunq; more Germanico vel externo ſervit, Polonicum non teneat vexillum, & econtra, de quo forū in Tribunali ad inſtantiā cujuſvis.

Externis Regiminibus & vexillis ut ſtativa hyberna in mercede computentur, uti in omnibus obſervatur Nationibus.

Officiales jus necis abſolutum non habeant, niſi in præſidio exiſtētes, vel in eundo, vel etiam ſi conjurationem aliquam præſumere miles voluerit, rationem cujus Duci reddere debent. Plurimi & maximi fiunt abuſus per tyrannidem Officialium.

Duo regimina nemo habere præſumat ſub pœna infamiæ, de quo forum in Tribunali, & ſub amiſſione mercedis deſervitæ.

Militibus ſimplicibus convenientius & ſatius eſſet medietatem in pecunia, alteram medietatem in victualibus diſtribuere.

In Caſtris & in bellis optarem, ne Rex perſonâ ſuâ adſit, niſi cum publico motu nobilitatis, aut cum magno & numeroſo exercitu. Præſentia Regis toties fuit pro impedimento ad actiones militares, & ad victoriam. Colonelli & Principales ex Commilitonibus jungunt ſe regiæ aulæ, ſæpius ſe præſentant, & deſerunt vexilla ſua. Tot Regimina propter cuſtodiam corporis Regi dividuntur & diſtrahuntur. Authoritas Regia apud milites actiones ejus introſpicientes diligentius, minuitur, & apud hoſtem potentiæ vim & metum amittit. Reges Hungariæ obligabantur ipſi adeſſe in exercitu, quod tamen non bene ſucceſſit, morte duorum Regum ſub Varna & Mohacz, & per id Regnum quoq; illud periit. Sub Zwaniec Zborow, ultra Tyram ſub ictu erat Reſp. noſtra in perſona Regia. Imperator, Hiſpaniarum & aliorum Regnorum Reges per Generales ſuos magna bella gerunt, magnas victorias obtinent. Poſt victoriam plerumq; Rex & aula abeunt, unde fructum victoriæ amittunt, ſicut ſub Bereſteczko & ſub Zwaniec accidit. Optarem nihilominus, ut Rex reſidentiam ſuam ſtabiliat in illa parte ubi bellū geritur.

Loco communis motûs totius nobilitatis, qui in ultimum caſum reſervari debet, conſervando capita civium; convenientior eſſet expeditio bellica, ut quilibet nobilis in loco ſuo expediat, ut dicitur, Poczet, ex facultatibus, vel ſi vult, liberum ipſi erit viritim in campo comparere. Iſti autem ſubſtituti expeditâ campaniâ redeant ad Principales ſuos, à quibus miſſi.

Peditatum & deſultorium militem vulgò Draganos, Bona Regalia & Spiritualia expediant. Civitates armamentario provideant. Scoti, Judæi, omneſq; mercatores ſummas pecuniarias pro pulvere & plumbo provideant. Raytari exulent abſolutè ab exercitu Polonico exceptis aliquot ſignis pro cuſtodia Regiæ perſonæ.

Scartabelli ſeu novi nobiles ut in duplo pro bello contribuant.

Quotieſcunq; metus belli incidit, vellem ut conſcriptiones, & ut vocantur præſentationes in omnibus Palatinatibus inſtituantur, ut communis motus nobilitatis in menſe Julio in campo compareat, & duabus ſeptimanis in caſtris remaneat, non tantùm pro faciendo ordine, ſed etiam ſub illud motûs publici tempus facilius ex Palatinatibus proportionata expeditio, facilius tributa, facilius correctura legum, libertatis ſtabilimentum, & inſuper vigor & alacritas, promptitudoque in ſtatu nobilitari augeri poteſt. Noſcere ordinem, imperia exequi diſcunt.

Regimenta quæ meruerunt, ut in Ukraina vel in partibus deſertis colonias ſuas ſtabiliant, lege firmandum.

Ukrai-

Ukrainam in antiquum reducere ſtatum, & motus illos compone- *A.C.1679*
re Reſp. nunquam poterit, niſi alicui forti in feudum ligium illam reddat. Hoc certè modo conſervatum eſt Imperium Romanum fundatis Marchionatibus & feudis limitaneis.

Si ex ſumma & indiſpenſabili neceſſitate panis hybernalis, ut vacamus, extradi deberet, fiat id ex duplicata quarta Capitaneatuum, qui autem Capitaneatus parum & minus, quàm debeant, dant, ut arbitrio bonorum virorum taxentur.

JUDICIA

Ut pro definitiva ſententia omnes exeant.

Ut cuivis Senatori liceat votum ſuum meliorare, poſtquàm ab alijs informatus fuerit.

Ut cauſæ perduellionis & falſificatæ monetæ per ſecretos calculos ex pluralitate judicentur. Sententia autem Regis tres calculos adæquet.

Ut pro judicijs continuandis poſt comitia cauſarum criminalium de homicidijs violentis, deputentur per tres Nuntij ex Gentibus, judicium verò hoc per duas ſeptimanas poſt finita comitia continuetur, deſtinatis pro eo aliquot etiam à Rege Senatoribus, quia DEUS vindicat ſangvinem juſtum in tota Rep.

Cauſæ fiſci & aliæ actiones currant ordinario modo in comitijs.

Tribunal Regni ut ſemper ſit continuum Petricoviæ & Lublini. In Gallia quævis Provincia habet ſuum Parlamentum ita, ut ſub Interregnum capturalia judicia.

Temerè & vexatoriè litigantes ut in litis expenſis ſalvâ moderatione judicij condemnentur: diminuentur per id actiones in Tribunalib⁹

In cauſa falſificatæ monetæ, & in alijs, quæ perimunt Remp: ut ſine Delatore ad inſtantiam Inſtigatoris ſine mora judicentur: quia tanquam contra ignem obveniendum eſt, ne morâ Reip: periculum invaleſcat.

In cauſis totam Remp: afficientibns ut civitates Regni & M. D. L. Pruſſiæq; non in judicijs aſſeſſorialibus, ſed in comitijs, ut ante practicabatur, reſpondeant.

Gedanenſes audent & præſumunt criminaliter judicare, & decreta ad executionem deducere, uti aliquot nobiles morte condemnati ſunt, quòd illis prohiberi debet, ſed captivatum in delicto nobilem remittant pro adminiſtranda juſtitia ad proximum caſtrum.

Judicia Tribunalitia, quoties Rex per Lublinum vel Petricoviam tranſit, ceſſare debent duobus diebus ante adventum, duobus poſt abitũ Regium, ne authoritas reverentialis juſtitiæ officiat.

Nemo peregrinaturus extra Patriam exeat ſine notitia & conſenſu Regio, quæ peregrinatio non debet durare plus tribus annis. Servire tamen actualiter in aulis Regum aliorum & in exercitibus externis liceat. Qui optimè Græcè loquitur, teterrimum eſſe ajebat Pater Ciceronis. Rex peregrinaturis ad exteras nationes poſſet addere titulos Ducatûs, Comitatûs, ne eos ab externis Principibus requirant, utique illis in Polonia uti non debent.

Quicunq; perſonam ſuam ad perpetuum Incolatum ad exteras nationes transfert, non liceat illi omnia generaliter bona ſua vendere, ſũmas pecuniarias aliò tranſportare niſi medietatem.

Peccatur in Polonia aut nimiò rigore pœnæ, aut nimiâ impunitate, optarem, ut certæ capitis pœnæ in alias convertantur, quando triremes non habemus, condemnentur ad metalla, ad foſſiones ſubterraneas

A.C. 1679 in Wiliczka & Bochnia.

Cogitando de facillimo aliquo & justissimo contribuendi modo credo & judico facilem, certum, & justum esse, ut omnis sal in tributa convertatur, & Regi in recompensam vectigalia & proventus ex vino cedant. Bene sal quintum elementum vocatur si æquale pretium in illo constituatur, quivis ad tributa emendo concurreret. Silesia & in limitibus suis Hungaria sine nostro sale subsistere non possunt; contribuerent insensibiliter. Fieret justa coæquatio cum bonis Regalibus & Spiritualibus, quæ hactenus contra justitiam gravantur stativis hybernalibus,& ita non fieret injuria, quia nobilitas salē daret, spirituales verò & Regalium Bonorum possessores oneri moderatorum tributorum subjacerent. Difficultas oritur de sale Russico, & sale in Prussia transmarino, sed & in eo inveniri possent media, & coæquatio, Rex Galliæ tot milliones ex salis proventibus numerat, cujus rigida est custodia, & exactio.

Quandoquidem magna est desolatio in quibusdam Palatinatibus, possent Comitia indulgere, ut extranei deserta eorum bona emere queant, cùm Reipub. intersit ut habeat multitudinem incolarum pro majori contributione contra quemvis hostem. Ex externis in secunda & tertia generatione fient Poloni; Bona tamen quæ non sunt deserta, nullo modo emere præsumant.

Scartabelli seu novi nobiles, ut paritate juris in uno Palatinatu gaudeant, sed non in tota Repub. nisi filij nepotesq; eorum; vel si id per favorem ob insignia merita Respub. in Comitijs indulgeat.

Ad Statum nobilitarem milites per quindecim annos emeriti, vel per notabilem aliquam actionem à Ducibus recommendati facile admittantur; facti tamen nobiles deservita stipendia Reipub. condonent, quò plures sunt nobiles, eò majus Reipub. robur. Majores nostri in familijs in bello comparentes recipiebant ad sua arma, & insignia milites egregios etiamsi plebeios, ut fortiores fierent, & in prælijs gloriosiores. Gloriatus est eo in manifesto suo Georgius Lubomirski Dux & Mareschalcus supremus Regni, quod novem vexilla Strzeniawsciorū sub Grinewaldo comparuissent, Teczynij aut Toporsciani aliquot vexilla etiam sub insignibus suis præsentabant. Redeamus ad prima principia Majorum nostrorum, & eo modo fama & reputatio antiqua redibit.

Actio repetundarum si v. g. publicam quis acciperet pecuniam, & eam non restitueret in thesaurum vel arma & spolia per bellum Reip. acquisita ad Arsenalia Reipub. non redderet; si publicam monetam cuderet, in usumq; suum converteret, proventus Reipub. contrectaret, caduca jura post milites ad ærariū publicū pertinentia pro se impetraret, & his similia Reipub. læsiva, ab Instigatore instituatur.

Actio læsæ Reipub. si v.g. Cancellarius vel Procancellarius aliquod privilegium in præjudicium jurium Mtis vel Reipub. sigillaret, vel graviter delinqueret in officio contra Rempub. Si Dux Exercituum, provinciam, vel Fortalitium aliquod magnum per conniventiam vel negligentiam perderet, si pacta cum externis insciâ Republicâ iniret, si confœderationem vel extorsiones, & insolitas contributiones Exercitui permitteret, si Nuntius ad externos Principes non attentâ instructione suâ nimis erraret, si Thesaurarius falsam vel malam monetam cudere permitteret, vel currentem Regni inconsultâ Repub. currere prohiberet, aut externam inveheret, si Senator, vel quicunque alius civis aliquas practicas vel factiones in præjudicium Reipub. cum externis tractaret,

itidē

itidem ab Instigatore omnino citandus. A.C. 1679
Causæ perjuriorum, ut separato judicio judicentur, quandoquidem in Comitijs & Tribunali vix locum inveniunt, & interim peccatum coram Deo magnum, & probrum gentis, quod in tantum creverint juramenta, indeque creberrima perjuria sine rubore & conscientiâ, ut in Polonia verificetur, quod Tertullianus scripsit, perjurium sermo est nō crimen. Liberè & verè id dici potest, quod plura in Polonia juramenta per unum fiunt annum quàm in alijs Christianitatis partibus per decem vel duodecim annos. Crederem proinde, ut constituatur aliquod judicium ad instar Capturalis, unum in tribus v. g. Palatinatibus. Tempus judicij una septimana in quolibet trimestri anni; sex Deputati sæculares, tres spirituales; pœna fiat, non restitutionis causæ in integrum, quia judicata non judicantur, sed pœna sessionis turris, & pecuniaria; in vilioribus autem personis condemnatio ad metalla pro anno vel pluribus secundùm gravitatem causæ.

Processus de censibus Ecclesiasticis vel debitis simplici inscriptione sine provisione subscriptis, ut summariè expediantur; qui autem provisionem habet inscriptam, potest pecuniam & justitiam paulò longiùs expectare.

Correcturæ jurium, opto, ut quantocius fiant, sed non in pluralitate Deputatorum, multitudo confundit. Justinianus Imperator infinitas leges in compendium redegit per operam trium tantùm dignorum Deputatorum. Impendendum longius operæ huic tempus, annus non sufficit unus, non semper, quæ celeriter fiunt, bene fiunt.

Omnes opes Polonæ in Gedano consistunt. Occurrendum magno abusui Mercatorum, qui pro libitu pretium constituunt, cum magno fructu suo, & Reipub. nimio damno. Conscripserunt inter se Ordinationes pœnales, & in Gelda sua conferunt in aggravationes summam status nobilitaris & mercium Polonicarum.

Interest etiam, ut unus modius, Gedanicus scilicet per Poloniam currat, & ut ille, qui vendit, ipsemet Gedani mensuret, secundum antiquum jus.

Fortalitium Glowa vocatum, quod dominatur Vistulæ & Havo, demoliendum crederem; aut ut præsidium illud non ipsi Gedano, sed Reipub. juret, & ut supremo Duci subjaceat.

PRÆCAUTIO ANNO 1680 EDITA, ANTE COMITIA 1671 VARSAVIENSIA RATIONE LUDOVICI FILII ELECTORIS BRANDEBURGICI.

NOva tam Berlino, quàm Regiomonto oritur solicitudo; quæ cujusvis integritatem Patriæ amantis civis altius animum subeat necesse est. Ingratus tot tantisque beneficijs quondam cliens, sæpius publicorum hostium in nostram perniciem Colligatus, nunc autem gravis vicinus, uti sub belli tempus majorem Poloniam & Sieradiam ad ipsam usque Wielonam, Varmiamque in pretium sancitæ contra nos colligationis usurpaverat, & supremitatem dominij per calamitates nostras, quarum ipse pars magna fuit, illo tempore extorserat: ita modò sub pacis otium, ne obstinata in nostrum exitium otietur malitia, attentat sub titulo connubij cum Principe Radivilia

A.C. 1679 divilia in meditullio magni Ducatûs Litvaniæ, confinijs Moscoviæ proximisque limiti Svetico terris, quatuor occupare ducatus, & quidquid tanto sæculorum tractu fortunarum in Radivilianam domum magnæ Sapieharum, Hlebowiczorum & aliorum inclytæ per Litvaniam familiæ congesserunt, totum id inaudito auso nostris advena Regnis manu capturus, possessurusque jam velut in procinctu est. Inaudito ausu dixi: quia uti sine scitu Sacræ Regiæ Majestatis ceu supremi hujus Principis Tutoris, aliorumque in Polonia Tutorum; ita sine consensu Reipub. pro indigenatu rem incipit ab executione: nam dum Princeps ipsa Berlinum se conferre nollet: non invitatus nec expetitus pro illa advenit sponsus. Dato igitur, quòd illam jam domi suæ habens effectivè in Consortem ducet: tum primùm ad speciem Reipub. supplicabit pro indigenatu & possessione: si verò precibus nihil à nobis impetraverit, indubiè consurget offensa, grandes ad Rempub: fingentur prætensiones, Christianorum Principum importunas conducet instantias, qui spem auxiliorum hoc nobis pretio venditabunt. Si verò nec sic quidquam evicerit; in omnem occasionem excubabit, quæ planè quotidiana esse poterit; dum cum tam potente luctamur hoste: cuivis malè contento nostro facilis sociabitur, comitiola & comitia confundet, & dum maximè Respub. periclitabitur, ipse jugulo nostro imminebit. Utique documentum hujus habemus occupatum Drahimum, sub interregno; & ita; ut modò habeamꝰ duos milliones debitorũ, pro Imperatore in salis-fodinis, intuitu dati succursûs; duos item milliones Galliæ obligatos respectu Casimiri Regis: crescent plura uti nobis in comitiis Grodnensibus per Ablegatum Lotharingiæ nova orta prætensio, ad bona trans Borysthenem Michäëlis Regis: ita modò nascetur de bonis valoris septem millionum; quæ prætensio res nostras magis miscebit & deturpabit, quàm Turcica vel Crojana summa quæ certè cum hac conjungetur, quia Principi De Croie in cælibatu viventi succedit domus Brandeburgica ex pacto Si verò Respub. concesserit indigenatum & eam domum in viscera sua induxerit; cujus uti diximus & clientelas & amicitias & vicinitates tam graves experitur: sequetur Brandeburgico præsidio imprimis Siebiezum in confinijs Moscoviæ occupandum, Sluci & Kopili etiam in visceribus Litvaniæ, item in Ducatu Samogitiæ Birzis, qui plenè omni alio fortalitio destitutus est, præsidia futura, ex ijsque arcibus illorum locorum Incolis non aliter ac Laurenti Turnus ab arce imminebit, & ita non tantùm jam in Prussia, sed etiam magno Ducatu Litvaniæ Dux vix non magnus audiet, eâque viâ speculabitur & in nostros tractatus cum Moscovia, amicitias & fœdera se immittet. Reflectamus nos insuper; domum hanc medietatem tenere defluitationis Vistulæ per occlusum portum Elbingensem, habet Pilaviam majorisq; Poloniæ defluitatem In Odera Kustrini: vult nobis & Gedanense emporium claudere; quia cũ

Dano

Dano, Hollandis & Anglia tractat, ut possit instituere Societatem Mercatoriam in mari Balthico; cui sedem Golbergæ in Pomerania, Pilaviæ, Regiomonti & Clopediæ in Prussia offert; insuper Mercatoribus grandia lucra, præsidiarias deductiones per maria; quibus artibus penitùs Gedanum occludet. Consideret igitur quisque Patriæ civis, quomodo discretioni hujus domûs suberimus; maturèq; occurramus huic vicino; cui per incautelam Tutoriam Ducatûs Prussiæ jus aliquando concessimus: ne ipsimet ubi & quando minimè timuerimus, aut adverterimus; in ejus Tutoriam aut Curatelam incidamus. Quàm gravem autem injuriam inflicturi sumus tot inclytis in Litvania domibus, ad quas eàdem, quâ exiverunt viâ per Connubia possessiones & bona redire possent: imò quantam jam injuriam insigni in Polonia Equiti facimus, qui in obsequijs Patriæ tot centena millia proventuum insumeret, judicet orbis. Sumamus exemplum à Rege Galliæ; qui etsi major Monarcha, non tamen permittit Principi de Lini sub Hispano existenti; ut de bonis in Gallia jacentibus reditus extra consumat. Quid dicemus de jure parando? quis nobilium tantum Principem ad Tribunal citabit? quis Capitaneus executionem in effectum deducet? proficiscetúrne nobilis Siebiezo trecēta propè milliaria Spiram ad Tribunal Germanicum. Verùm dicet quispiam modos non deesse? verum est; id tantùm obest, quòd sciamus, qualiter serventur hactenus promissa. Quis autem modus Principis hujus habitandi nobiscum & conversandi? erítne in censu Senatorio vel Equestri? in quocunque certò fuerit: non ad manum nobis erit tanta potentia: si autem sub Vasalli duntaxat titulo perseverabit; ne hoc quidem nobis in hac successit domo. En prorsus, quis singula computet ardua & pericula recenseat. Quare opto principijs obstandū; nec verò etiam existimo quenquā bonorum civium superesse, qui vel spem facere vellet hujus indigenatûs dicto Principi. Pro conclusione opto, ut ad Electorem publico mittatur nomine, ne eas res affectet, quæ in disgustum & non in contentationē procul dubio sunt desituræ. Admonenda etiam ipsa Princeps, ne similis esse velit Palatinidibus Marieburgensibus Filiabus piæ mem. Weieri, quæ derelictis hic pagis suis & possessionibus stultam in Germaniam fecerunt translationem. Non commemoro injuriam Reipub. irrogandam inde: quòd sine supremi Tutoris consensu de pupilla eiusdē & sine scitu Reipub. decisivè velint disponere. Grandiùs aliquid hic ausus in se contineret, quàm quod patratum est rapto Kalcksteinio: ad illū enim tanquam Pruthenum jus aliquod supererat; hic autem foret Principem civem Poloniæ velut in spolium & captivitatem abducere: quod non nisi in hostico fit. Quocirca non nisi Calvinista quispiam in Patria fuerit; qui tantum introducere expetit in illam Protectorem; apud quem tot asyla, quot bona. &c.

A.C. 1679

ORATIO

A. C. 1680

ORATIO OBEDIENTIÆ HABITA IN CONSISTORIO PUBLICO ROMÆ A PRINCIPE RADZIWIL PROCANCELLARIO LITVANIÆ ET CAMPIDUCTORE LEGATO EXTRAORDINARIO. 8 Augusti

ANnue Beatiſſime Pater, eo, quo orbem moderaris, placido ſupercilij nutu Poloniæ, ut maximè omnium liberæ, ita æquè ſemper Religioſæ, Regnatorem Inclytum JOANNEM III Sanctitatis veſtræ pedibus ſupplicem advolvi, & ad hanc aſpectabilem Divinæ in terris Mtis aram procumbere, cui omnes mortales niſi humiliter ſerviant, ſervari non poſſunt, nec felices, ac beati eſſe, niſi te ſummum ſacrorum Principem, orbis Patrem ac Paſtorem, obſequentes filij agnoſcant. Venit ad te à rigidi Septentrionis ſedibus manſvetus & placidus, non otioſus Pontificij ſplendoris ſpectator, non unicæ terrarum urbis hoſpes tantùm, & oſtenſum mox ſuum lumen conditurus Advena; breves delicias, non ut in hoc humani generis conventu, Regumq; altero conſenſu, velut in excelſa ſpecula magnificam ſui ſpeciem, & ſtupendam pro DEO & Religione ingentium operum ſcenam producat, & urente heroicum pectus vere pietatis, ſtimulante non ad fucum, ſed ad oſtentationem zelo, tot victoriarum ſuarum, quibus ultima mundi ſtrepunt ſplendorem venerabundus primæ ac ſummæ ſubmittit luci, tot exhauſtos pro re Chriſtiana fuſosq; abundè ſudores, ſuæ ab alto refundit origini, ſuumq;, ut ita dicam, gratus & acclinis coronat fontem. Tot de barbaris Crucis hoſtibus, vel orthodoxæ fidei deſertoribus, fixa æternitati trophæa & victorioſæ præmia frontis, & dexteræ inclytas laureas, & palmas non uno hoſtili ſangvine purpuratas ſacrorum pedum veſtigijs, plantisq; tuis, ut felicius germinent, & creſcant, reverenter, ſubſternit, ſcilicet quod per obſtantia ventorum & tempeſtatum, per funera & cædes, calcataque ſuperborum colla hoſtium, per conſtratum velut horrentibus ſpinis, cladib⁹ campum ad Regale ſolium & purpuram expeditum illi patuerit iter, commiſſaque ſit Polonæ rei ſumma, quam toties ab interitu, & abominando ſervavit exitio, & gentili virtutis ac fortitudinis ſuæ protexit, vindicavitq; clypeo, quod conſpirantibus in unam Patriæ noſtræ cervicem, omnium fere gladijs gentium laxatis, velut ipſius Orci atrijs erumpentes furiali turbine bellorum procellæ illo Duce, & auſpice fruſtra detonuerint, totius terror orbis Ottomanæ rabiès, irrito utcunq; conatu propitijs adhuc incurrerit ſuperis. Quòd toties validiſſimorum nimbo diſcriminum cinctus cadentem alto à culmine rem Polonam, & in ea non perfunctoriè periclitatum Chriſtianum nomen, generoſa Regij pectoris ſui ſuſtinuerit oppoſitione. Arctius Mars belli barbarici fulmen incertum, manu à conſilio præſtantium, Turcicæ potentiæ rapidiſſimi velut torrentis, ſolus obex ſalutem populis, avitæ Religionis cultum, Superis aſſerere, redonareque non ceſſet. Totum hoc, quantumcunq; opus, ſicut æternæ illi menti per omnia maxima, minima, æquè diffuſæ, ſoli Regnorum ac Imperiorum Statori, Fundatorique ſupremo Exercituum DEO in acceptis refert, ita Vicariæ illius in terris Mti Apoſtolicæ Romanæ Sedi ad tuos Beatiſſime Pater venerabundus deponit pedes Poloniæ Regnum & Magnum Ducatum Litvaniæ, annexosq; vaſtiſſimos Ducatus, Regiones, ditiones ſuas, quæ ſervando, ſervatæ ſunt, Paternæ Sanctitatis Vræ ſubmittit & commendat tutelæ, obedientiam more, rituque Majorum præſtat humillimè. Innumeris

meris ille onuſtus infidelium ſpolijs, non indecoro Martis pulvere reſperſus adhuc rubentique à cæde hoſtium inſignis oſtro, congeſtis certatim Regum Principumq; plenus honoribus, invictiſſimus Princeps grande hoc veneratur faſtigium, & inconcuſſam tot ſæculis authoritatemquàm Chriſtus adverſus portas inferi eâ voce fundavit, quâ firmavit terras, fudit maria, cœlos extendit, immunis, plenusq; ſui, nulli Principum addictus, aut neceſſitatibus vinctus; hanc ſolam Divinâ ſicut dignitate ſupremam poteſtatem, ita ope munitam recognoſcit, hanc contra impetus, inſultusq; omnes inexpugnabilem, ut nihil à fortuna, vel injuria metuere poſſint, quos ornat illa, quos tuetur. Hæc Poloniæ ingenuitas, liberrima confeſſio eſt fuitque ſenſus ſemper omnibus tam animorum, quàm armorum viribus propugnatus, non ſic vaſtiſſimas moles in præceps actas ſibi incumbere, ſeque, & ſuper quæ ceciderunt, conterere; quàm à ſacro Eccleſiæ corpore divulſa, prolapſaq; membra, ſuam infidelibus omnibus accelerare reſipiſcentiam. Felices nos ſuperiori quòd ſe convolvit ſæculo, qui illâ tempeſtate, quâ circumfuſæ nobis viciniæ populi nefario ſchiſmate, aut hæreſi pervertebantur: quando alibi veri Numinis cultus, ſincera ſacræ Religionis gloria aut paſſim perierant, aut permiſta erroribus, execrabili opinionum licentiâ confundebantur, ſoli fidei exiſtimationem inter illos Tartareæ tempeſtatis nimbos, non labente pretio, retinuimus, & purum, nivibusq; noſtris ſimillimum candorem, maculoſis non permiſti aut læſi commercijs, mutuo obſervavimus conſenſu, adeò, ut in herba ſemen peſtilentiæ occideret, vel ad ſegetem alibi progreſſa inanibus culmis triſtiſſimam Erebi falleret menſem, omni contendimus ope. Callidas, infandasque ſimul ſpernendi DEUM, & ſpecie Religionis fallendi nocendique artes, innatâ ſemper nobis abhorruimus cunctatione, & procul à noſtris finibus, procul ablegavimus animis. Genio terræ, cœliq; rigentis, malumus nobis famam infamem deeſſe, nomenque malè ingenioſorum in rebus fidei cœlique arcanis ſcrutandis, quàm in credendis conſtantiam, pertinax recti, nulliſque pervium pernicioſis fraudibus pectus, integram, illibatamque mentem, hanc primam à tenero condiſcimus ſapientiam, eamque nō à ciſternis diſſipatis, vel tenebrionum lacunis, ſed ex hoc Romano haurimus fonte, cui Chriſtus ſuum, & Princeps fidei miſcuerunt ſangvinē. Hoc animatus ſpiritu, armatuſque zelo Rex meus Sereniſſimus Sacra hæc profundè veneratur limina, tuis Sanctiſſime Pater pedibus Regia figit oſcula, publicam hanc ad ingens orbi Chriſtiano exemplum, teſtatam facit, & Sanctitati Vræ humillimè defert obedientiam: cujus ſemper recens, tuæque immortalis gloriæ, vigeat in ævum recordatio, nullaq; tam ſera orbi naſcatur ætas, quæ non perenne Innocentij XI nomen æternis ſit ſervatura ſæculis. A.C. 1680

ORATIO AD SUMMUM PONTIFICEM INNOCENTIū XI. A PRINCIPE RADZIWIL HABITA ROMÆ.

Bellorum ſimul ac orbis cœpit, inter homines nunquam quies fuit, ac velut pingve ſolum, ac lætâ ſegete luxurians terra, infelix lolium, ac ſteriles arenas ſponte ſuâ profundit, ac progerminat, ita mutuæ odiorum, atq; armorum cauſæ gliſcunt ſemper multiplici fomite, uruntq; fatali igne humanum genus. Fatale iſtiusmodi certaminum theatrum, & gladiatoria velut arena, Aquilo noſter, & nunquam feriatus à bellis Septentrio eſſe cogitur, ſed hac potiſſimum tempeſtate Rex

meus

A.C. 1680 meus, totaꝗ Polona Reſp. ſeneſcentibus ipſius propè ſecum adverſis, triſti experimento teſtatum orbi facit. Tribus jam & quod amplius excurrit decenniis Troja hæc oppugnatur, per cicatrices quotannis petimur, & lenta inter funera fatis ultimis obluctamur. Superioribus quidem qui ſe convolvunt annis, dum à fronte, à tergo, à lateribus premeremur, quidquid uſpiam infeſtarum nobis gentium eſt, totum illorum ferrum, & rabiem, adverſo pectore, ipſiſꝗ viſceribus excepiſſemus, dū nihil aut alienæ inſolentiæ, aut noſtræ calamitati negatum fuiſſet: vicimus hæc pertinaci, DEi in Nos, Superumꝗ favore, Avitâ Sarmaticâ virtute, patuitꝗ tunc orbi, ex ea nos gente eſſe, de qua memoriæ proditum eſt: animoꝗ ſuperſunt: jam propè poſt animam. Nondum tamē ventum erat ad eum hoſtem, qui alterâ manu Orientem premens, alterâ Occidenti compedes parat, & reliquo orbi rapinas, vaſtitatem, ſervitium, ferrum, & ignem dirumꝗ internecionis terrorem, non minatur tantùm è longinquo ſed propè ingerit, & infert, propè jam fatalem radicibus arboris iſtius magnæ, ac ſpatioſæ ſecurim, ictumꝗ tentat. Ad eum, inquam, hoſtem, cujus barbaro dominatu pulcherrima orbis pars proculcata jacet & ſuperba olim Imperia nunc rerum humanarum ſpectaculm, ac ludibrium populis ultimò devorandis præbent; cui non opus eſt, ut rutilas arenas opulenti amnes devolvant, tam Solem, quàm aurum intra ſuos fines naſcentia habet; qui ad extremum nobiſcum noviſſimè commiſſus, licet pudendis toties cladibus ſuis irritatus, & imanior factus Chriſtianiſſimo Nomini ſuperbiſſimâ contemptione inſultādo, ubi ſolitudinem fecit, non pactis, ſed infami ſervitutis pactione, libera capita, victricem ſemper Provinciam, terrarumꝗ, quas ſeptentrio tegit, Reginam involvere certum propoſitum habet. Quid quantumvis bello hoc, invictus Rex meus unico fortitudinis exemplo, cui comparari non poſſit aliud, præſtiterit? quid egerit? quid non egerit? Sāctitati Vræ abundè compertum eſt. Si qua modo gens, ignotæꝗ telluris tractus eſt, quo ingens horum fama non pervaſerit. Certè, vix credi etiamnum poteſt (Chriſtianis Fratribus, in arena circa Chriſtianæ rei buſtum digladiantibus, ac ſuffecturas in Ottomani perniciem vires mutuo furore profundentibus) ſolam Joannis III. manum, quippe ſola manus Dni erat cum illo, infinitæ Barbarorum potentiæ aggerem velut, ac obicem fuiſſe. Sed jam vincendo quoꝗ non minus laſſamur, quàm atterimur, quàm obruimur, poſt tanta virtutis opera humanum excedere modum, & plus ultra mortalium virium columnas progredi non poteſt, functa munere ſuo eſt. Stans ſupra caput, durâ lege neceſſitas, ſæviorem nunc bello pacis ſpeciem nobis imponit, ſi modo dulce, & amabile pacis nomen convenire poteſt huic immani belluæ, cui nullum contra nos, focoſꝗ noſtros tempus non æquum, non commodum eſt; quæ nulli non occaſioni rabida, intentaꝗ inhiat, cui exitiale venenum aliquando torpet, aut langveſcit, nunquam deeſt. Inter hanc igitur obverſantis fati imaginem conſtitutis, quod aliud in terris validius ſecundùm Superos auxilium? quod magis præſens, & Delphicâ Cortinâ certius oraculum petendum nobis fuit? quàm à Paterna Sanctitatis Veſtræ manu, voce, nutu. Unde omnes votorum compotes diſceſſerunt, nemo certè poſt hominum memoriam ſpretus, dejectuſꝗ abivit; nos quoque hoc toto bello, deciduâ munificentiâ vi recreati, nec modicè fulti, ſicut beneficij magnitudinem intelligimus, ita eâdem obruti, referendæ gratiæ Nos impares teſtamur. Et hæc eſt opis amplius expoſcendæ neceſſitas, quâ Regem meum, & Remp. huc adegit, ſupplicemꝗ Sanctitati

tati Vræ ſiſtit, ut Poloniam, fidiſſimum ſemper Romanæ Sedi mancipiũ, bella Domini, laſſatis aliquando viribus, invicto ſemper animo prælian- tem, à faucibus barbari Aſiæ Regnatoris, Byzantini Tyranni, hanc ſi- bi prædam ſuperbè deſtinantis, bonus ſolicituſq; Paſtor eripias, ut labo- rantibus filijs, ſolamq; hanc circumſpectantibus opem, indulgentiſſimæ charitatis affectu ſuccurras; Provinciæ bello Turcico abſorptæ, Barba- ro nunc dominatu preſſæ, omnis barbariei olim victrices, murus Chri- ſtianitatis, Poloniæ oculus alter, Solymam clamantibus malis vincunt, ea perferunt, quæ facere ſupra omnem barbariem ſit & ſupra omnem miſeriam pati. Non ſtabit hic (abſit dicto invidia) non hucuſq; cõfrin- get tumentes fluctus ſuos Thracius furor: dum Chriſtianitatis everte- re opes, aras omnes, ac templa DEûm incendere, & lamentabile no- mini Orthodoxæ fidei funus, dementeſq; ruinas inſanâ mente agitat. Nos quidem Sarmatæ triſti damnati loco, prima furentis iſtius belluæ præda ſumus, & euntibus ab Oriente in Chriſtianam Europam bellis, hæc prima clauſtra ſunt, hoc omnibus decantatum antemurale. Debetur hoc Tibi Beatiſſime Pater humanorum operum pulcherrimum, quod ipſũ Te ultrò invitat, & ambit, ſpiritum vitalem, animamque, & nervos corpori, quod enerve exhauſtum hactenus eſt, infundere, præmonſtra- re in publicum hoſtem viam, ſignare minaciter ultionem, fundare Chri- ſtianitati ſecuram ab inimicis Crucis tranquillitatem. Olim viri Princi- pes Græciæ Argo-navim per Alpes, & montes, ad mare, ac vellus au- reum decuſque cœlo collocandum humeris tranſvexêre. Quantò magis Sarmatica virtus navim hanc Petri, quæ cœlo regitur, & debetur, cu- jus clavum Sanctitas Vra feliciter hactenus moderatur, per ſaxa & ſco- pulos, ad beatas illas, quas barbarus nunc prædo perſultat, Chriſtianas terras devehere poteſt. Ibit & Rex meus per diſcrimina, per tempeſta- tes, Te Duce, & auſpice, non in nomine tantùm, ſed auxilio, ſed Nu- mine; ibunt fortes Sarmatæ tuo patrocinio fulti, tuo robore, opeq; ſub- nixi, quo fides, & Divina Religio, quo ipſa crux vocat, quæ etiam dũ oppugnatur, apud Barbaros Chriſtianorum cauſam agit, ut vincant, ut triumphent. A. C. 1680

RESPONSUM A Ss. PAPA IN CONSISTORIO PUBLICO AD SERMONEM PRINCIPIS PROCANCELLARII, ET DUCIS CAMPESTRIS M. D. L.

FIrmiſſimum adverſùs barbaras Nationes Chriſtianæ Reipublicæ propugnaculum, æneus murus ad inſanos eorum impetus refrin- gendos habitum ſemper fuit inclytum Poloniæ Regnum. Teſtan- tur id luculenter inflictæ toties ab invicta gente, & parva ſæpe manu, inſignes immaniſſimo hoſti clades, quarum etiam recentia pendere ſu- ſpicimus è Vaticano templo documenta. Et quidem, ſi unquam aliàs, merito ſibi in præſens has laudes vendicat, dum eo Rege gloriatur, qui maximis, pace, belloque rebus geſtis triumphalem virtuti ſuæ viã mu- nivit ad ſolium, deſtinatamq; ſceptro dexteram, tyrocinio probavit vi- ctoriarum, è ſolio verò tanquam è ſpecula publicè non ſolùm Poloniæ, ſed totius Chriſtianæ rei ſecuritati perpetuò excubans, bonorum om- nium votis, ac Pontificiæ imprimis expectationi reſpondet, & majora indies de Regii animi ſui magnitudine, & conſtantia pollicetur. Incre- dibili profectò lætitiæ ſenſu Paterna Sanctitatis ſuæ viſcera afficiuntur, dum Religioſiſſima gentis, & clariſſimi Regni, quod hæc Sancta Sedes

A.C. 1680 nuncupare potest, coronam, & gaudium suum, vivam ac sperantem imaginem intuetur, ac cernit in ore, vultuque, & multò magis in præclaro comitatu virtutum, generis splendorem æquantium, Nobilis Viri Michaëlis Ducis Radziwilij, Regni ad eandem Sanctitatem suam, & Apostolicam Sedem Oratoris à quo propterea præstitam ritè sibi, Regis, Regnique Poloni nomine filialem de more obedientiam, unà cum Venerabilibus fratribus suis Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus perlibenter excipit. Eoque habet cariorem, quò magis illam intercapedo temporis, & locorum difficultas, & itinerum, & afflictus rerum status, & asperitas commendant. Enixiùs interim precibus à DEO exercituum jugiter efflagitabit in invicto Rege, & fortibus viris, cupidis, & paratis, sicuti avitâ, suâq; ipsorum gloriâ dignum est, bella Domini præliari; cœlesti ope suâ, & continenti patrocinio adesse velit, dum Pontificia charitas in tam pia, tam salutari expeditione juvanda, promovendaque nulli labori, nulli incommodo parcet; tum quidquid in se, & in aris ipsis, pro quibus decertatur, opis erit; promptè suppeditando, tum aliorum Principum, quod hucusque fecit, excitando pietatem, quam pacis inter eosdem initæ nuper, ac Turcico capessendo bello, pernecessariè custodē fore confidit. Ut itaq; contingat, nullum vel Apostolici muneris argumentum, vel Paternæ pietatis officium prætermittet. In hanc sententiā elegantissimè modo habitæ orationi respondere me jussit Ssmus Dnus Noster &c.

ORATIO PRINCIPIS RADZIWILII AD AUGUSTISSIMUM IMPERATOREM.

TErris imperitantium Maxime, Christianæ rei ingens titulus, & columen, Romanæ Mtis primus apex, nec vana fides Augustissime Imperator Leopolde; quòd summus cœli, Terrarumque moderator potens DEUS optimus Maximus approbet, benè vertant faventes Superi, & faustum ac salutare Christiano Orbi velint esse, & jubeant. Serenissimus Poloniæ Rex Joannes Dnus meus, huc me oratorem suum, & mentis Regiæ Interpretem, ducere properantem gradum voluit, huc velut ad portum votorum suorum appellere, ut Sacræ Cæsareæ Mti Vræ fervida intimi affectûs sui, & benevolentiæ flaminis præcordia, plenissimum fraterno cultu, ac veneratione pectus animumque ultrò in mutuos ruentem amplexus, & magnificè semper patentem tantò luculentiùs, apertiusq; explicarem. Jungit ille fraternam magnorum molitricem operum, illam Gygantum, orbisque raptorum victricem dexteram, triūphali Tuæ Magne Imperator dexteræ, connectit, laurusq; palmis, Martialesq; virentibus oleis frondes, Sarmaticam Regalem Aquilam, non jam fulmen (Barbarus istud suo capiti exitiale sentiat) sed pro fulmine scutum, & par Latio ancile gerentem, Imperatoriæ Austriacæ, utrumque solem inconnivis oculis spectanti Aquilæ, sociare gaudet, Polonam Gētem placidâ Mte regit, & moderatur, quæ rerum Divinarum fœdera, humanarumque fidem socialem, sanctissimam, & illibatam habet, nec nisi lædentes unquam lædit. Quidni vicinus vicinum, quo non conjunctior alter, rebusq; nostris, ab ipsis Regni cunabulis, magis innexus, publico hoc plaudentis officij munere, & humanissimâ socialis necessitudinis testificatione prosequatur. Quidni publicum, clarumque orbi faciat, Germanos, Polonosque, eodem utrosq; Boreali sydere afflatos, in septētrionem vergentes, suoq; licet cœlo, ac Cynosuræ ferrum amanti, simillimos Populos, mansveta tamen, & humanitatis cultu, candoreque nulli

cessura

cessura ingenia gerentes, quibus utrisque ruendi in ferrum mens prona viris, animæque capaces mortis, utramque invictam bello, labore quoq; invictam, infatigabilem, ac penè ferream, divitem armorum magis, quã delitiarum, ac belli studijs asperrimam Gentem non solùm viciniæ obtẽtum, nec unam inter se coalescendi causam, non unum officiosi amoris fomitem, nec frigida mutuæ secum benevolentiæ illicia, nexusq; animorum multis revinctos nominibus habere. Æternas fœderum sanctiones, nihil juvat in medium adducere, & cõmunia Sacra; eundem Divinæ Religionis zelum, & orthodoxæ fidei, nullis extinctum turbinibus, obrutũve procellis ardorem, par tuendæ in terris, & propugnandæ Christianæ rei studium; eosdem hostes, & bella, adversùs aut Barbaros, aut cõmunis Pastoris, Ovilisque desertores, aut, si quæ alia imperavit utrisque necessitas, nunquam pro libidine, & insano furore, nunquam lymphatis instinctu Ditis inferni animis, gesta multa horum, mutuis viribus & amicâ invicem ope, velut ad commune restingvendum incendium non minus fortiter suscepta, quàm gloriosè confecta; Nil attinet hæc in præsens sat nota Tibi Augustissime Imperator, nota orbi recensere, cunctaque minora dicendo facere. Quando versantibus toties mundum diris, infestisque genijs, omni terrarum parte plusquam civilibus odijs, funestisque facibus flagrante, vocato ad classicum, & velut ad mutuam perniciem authorato humano genere, concussis non extremis tantùm Regnorum sedibus sed ipsa Christianæ Europæ viscera pervadente publicâ peste, nullo sociorum quieto, & non partes suas Personamq; in ferali scena jugiter agitante; Polonis tamen Germanisque, &, quicunque Imperio, Jureque Mtis Vræ censentur, finitimis Populis, sanctos tunc innoxiosque semper terminales fuisse lapides, non de porrecto longiùs, aut extenso latiùs terræ jugero, vel modici agelli turbato cespite disceptatũ, non alio, quàm fratetnæ benevolentiæ placidissimo igne caluisse pectora, non aliis, quàm quæ concors, & socialis ministrat amor, telis, totam inter se conterminam vobis, certâsse viciniam: res & facta abundè docuêre. Malè sanus infestorum utrisque livor, & summa imis confundens malignitas: excita inferni specu, sangvineum quatiens discordia flagellũ fraternaque secum Regna collidere gestiens, inquietum & præceps malum ambitio, callidæ quæcunque artes, violenta aliquot ferarum nullo satis carcere, nullis abundè supplicijs coercitarum, in proxima loca irruptio, dedignatus frænum, & disciplinam miles, non miles, sed prædo sed inops despectaque turba, extorres Patrijs focis ultimi mortalium, temeritas, licentia, & reliqua hominum maleferiatorum vitia, quæ erunt, donec ipsi homines, non quidquã potuerunt, non quidquam possunt officere publico Aquilæ Nræ candori & omnibus Populorum affectibus, nec ponere obicem, quominus sua Serenissimo Regi Poloniæ, Domino meo, totique Reipub:, erga Sacram Mtem Vrm constet veneratio, enixum semper studium, & propensissima fraterni cordis voluntas. Hanc ego centuriatis nuper Regni nostri comitijs, ritè delectus isti munerí orator defero publicè, sistoq; augustis obtutibus Sræ Cæsareæ Mtis Vræ. DEUM optimum Maximum, in cujus manibus sicut Regnorũ, ac Imperiorum sortes, ita Regum Principũque corda sunt, profundè veneratus; ut faciat utraque unum, unum utrisque vobis communem hostem persequendi animum, unum Principalem Spiritum zelo DEI, pro Crucis causa, pro aris & focis Christianis, pro Fratribus, & cum Fratribus zelantem infundat ab alto, suppeditetque. Hæc quidem anxiè, intenteque precatus, dum reliqua insuper à Serenissimo Rege Domino meo,

A.C. 1680 totaque Repub. Sræ Cæsareæque Mti Vræ exponenda in publicum habeo mandata; orandi tempus, locumque à benevolentissimæ voluntatis suæ nutu, amplius precor, & operior. &c.

ORATIO II. EJUSDEM AD IMPERATOREM.

REdonatam orbi Imperiali vestro tranquillitatem, suspiratum diu miseris mortalibus, cœlo demissum Christianæ pacis opus, post horrentia Martis signa, & triumphales Sacræ Cæsareæ Mtis Vræ laureas, rerum denique, quas virtute duce, comite fortunâ hactenus gessisti, Augustissime Imperator, claritudinem intuenti, & accuratiùs lustranti Serenissimo Regi, Dno meo, totique Reipub. Polonæ, non aliud magis anxium votum suppetit, quàm ut laureatæ muneribus fortunæ addant Superi perpetuitatem, cœptaque adeo prosperè ac feliciter continuatis adeo constanter successibus secundent. Utar hic nostræ, utar publicæ de Te æstimationis libertate, utar totâ libertatis fiduciâ. Quidquid hac tempestate immortalium, belli, pacisque decorum collegisti, nostræ id summa spei, votorumque est; Nullos magis proximiusque attingit populos, optatissima lux ista tranquillitatis, quàm vicinam Polonam gentem, Regemque meum, qui ingentium operum suorum prosequendo molimini, & in nostro discrimine luctanti, unicum te viribus, & animo Christianæ rei reparandæ, animum, cælitùs destinatum, Auxiliatorem gentium amicâ compellatione invitat, precatur, solicitat, omnes calentibus votis comitantur, Nisi nunc laboranti Poloniæ succurris, nisi Christianitatis tutelâ, quæ Tibi incumbit, nominis tui mensuram imples, nisi pax hæc bellum Barbaris parit; totaque nisi Christianitas Lunæ Ottomanicæ Ecclypsim inferat, minus erit, quidquid egisti, imò hactenus actum egisti; dum armorum robore, & Divinâ pollentis consilij vi effecisti, ut per diem sol non urat Europam, efficiendum fata jubent, monstrantque Superi viam, ut neque Ottomanica luna per noctem. Magnus nobis animus est, hoc fore initium libertatis Christiani populi, ruinam, ac perniciem Byzantini Tyranni, immortalis famæ, æternæque tuæ gloriæ coronamentum, si tantis, totque annorum spebus magnum diem imponas, si Turcicam vim, quâ clarissima gentium Imperia corruerunt, magnaq; orbis pars pressa servitio gemit, per latus nostrum ad Europæ vitalia eluctantem reprimas atq; infringas, si cœlestibus auspicijs, contra Ditis inferni monstra, bellum Domini præliaturus accingaris. Hoc erit magnificæ pietatis, & Austriacæ magnitudinis culmen, hoc se apud ultimum orbem veneratione implebit, victorem, tutoremq; præstabit; hoc demum efficiet, ut pius, Augustus, felix & meritò dicaris, dum fidei vexilla inter rebelles verò lumini gentes eriges, quæ timeant, horreantque improbi, cuncti venerentur subditi, cœlum, terraq; ambiat; indulgentissima porrò Mater Ecclesia, tumentes continuis lachrymis abstersa genas non jam amplius gemens, & suspirans deploret, intra sua viscera collidi filios suos, fascibus suis se ipsam premi, cognatas acies, & pila minantia pilis invicem corruere, nec sentire cogatur; ultimum toties dolorem, se toties lacerari, toties mori. Fuit hic maximis Principibus apex insanientium votorum ferre ultra Patrios fines arma, ignotos tentare populos, & per calcatum orbem incedere. Sed vanus hic timor, non magnitudo, fatuus ignis, non vera lux fuit. Audierat Alexander in Oceano jacere terras, ultra Oceanum rursus alia littora, alium nasci orbem, nec usquam rerum naturam desinere, itaq; ibat per Oceani portenta, & terribiles visu formas, ut Liberi Patris, ut Hercu-

Herculis fabulosam gloriam imitaretur, dignus ipse, qui fabula mundo fieret, quando solâ libidine vanitatis, fractum militem per sæva urgebat discrimina, quærens orbem, dum amitteret. Quantò meliùs, quantò magnificentius, ipso, ut dicam, Jove dignum, Gygantes debellare, superbum Orientis Tyrannum infestas quaquaversum lunas explicantem, propellere ad sua procul cubilia, in Scythicas agere solitudines, pestem publicam per Septemtrionis nostri corpus ad orbis & Ecclesiæ excidium grassantem, illam parricidiorum furiis agitatam Ottomanicā belluam Christiano Nomini ruinas, & funus meditantem non solùm arcere à limine Christianarum gentium, prohibereque gradu, vel bello Sanctissimo aggredi, persequi, profligare. Unde profectò nec tristes lauri, nec infrugiferæ frondes nec indecoro tinctæ rubore palmæ, sed pretiosa parantur decora, & victurum cœlo nomen asseritur. Hoc Christianum, hoc Imperatorium, hoc Austriacum est. Occurrant Augustæ menti Sacræ Mtis Vræ ingentes cœlo transcriptæ Majorum, & Antecessorum Divæ animæ, Saracenos, Mauros, Arabes, Thraces, fæcem & colluviem humani generis bello petentium, subeant antiqua decora, & decantatæ sacræ in barbaros fidei hostes, & primæ lucis expertes susceptæ vel auditæ expeditiones, ipsumque Byzantii raptum Christianis Imperium. Nos quidem non annorum, sed lustrorum spatiis attriti, nunquam cessantibus bellis cum hac furia ad extremum commissi, nullo Christianorum Principum auxilio fulti, publico hosti expositi, ac proditi tanquam non communis causa ageretur, neq; cum Polona Christiana res periclitaretur; quantum humanæ vires durare, sustinereque potuerunt, sustinuimus. Dexterâ Domini, & invictâ Serenissimi Regis Nostri fortitudine, toto hoc bello non victi, sed exhausti, satis superque manifestum orbi dedimus, posse hunc Orientis Draconem non tantùm comprimi, sed contundi, proculcarique, si unum cor, unaque anima fieret, non dicam, Christiana Europa, sed vel sola circumfusa lateribus nostris vicinia. Erubescenda rerum potentibus labes est, publicum bonum incuriosè everti, bonos socios bacchanti furiæ prædam destitui, in tanto discrimine omnes desidere, frigescere, altum indormire, fatale incendium proxima quæque correpturum negligi, vicini fatum otiosè spectari, quasi non eadem sors omnes maneat, quæ quòndam Vlyssem Cyclopis antro deprehensum, ut postremus omnium voraretur, absit tam læva mens ab Augusto Sacræ Cæsareæ Majestatis Vræ pectore. Germania tua vagina populorum, Mater fæcunditatis, & Martis officina proximū huic Draconi latus ostentat, & rabiosam ejus famem, gulamq; indomabilem irritat. Proximior Hungaria, illa almæ Cereris, Bacchique munerum, & omnis copiæ abundantissima sedes, principe sui parte truncata, præcisis artubus, lacerisq; membris postremas tibi sangvinis voces, & hærentem velut trementibus labijs animam propinat. Dives opum, ac virium potens Moscua, Magni in Septentrione Imperii Dominus, Moschorum Dux socialem porrigit dexteram, offert arma virosque ad tam nobile sanctumque opus, ultrò invitat, & ambit. Nos post ultima opū ac virium profusa, alienæ jam opis indigi, majoribus animis, quàm viribus, funeri ipsi nostro obluctamur, vel, si ita fato datum est, ipse ad extremum (quod primum est) sacrorum Parens, ac moderator, qui rebus humanis cœlesti munere, ac potestate præsidet, Dux omnibus, & Auctor est. Vicimus Imperator, dum non minùs cœli interest, quàm tuâ vicisse. Cordi erit DEO tuus hic labor, tantoq; auspice ac Duce, ipsi tecum victoriam, causamq; victoriæ deportamus. DEO jubente apprehende

A. C. 1680 hende arma, & gladium, dum Serenissimus Tibi vicinæ Poloniæ Rex Dnus meus apprehendit scutum, gentilitium insigne suum, felicem rebus servandis, tegendisque clypeum fatalem Barbaris, nec uno exemplo probatum, & expolitum. Pande vela invitanti ultrò tempori, ac opportunitati, ne desis fortunæ præbenti se. Serenissimum Regem meum totamq; Rempub. æterno tanti beneficij vinculo obliga, & ampliùs obstringe, atque adeo fortunam Cæsaris bonis avibus, Austriaco, Sarmaticisq; Aquilis duc in communem utriusque hostem. Hoc me Rex, Senatus, populusque Polonus orare, suaque amicissimæ propensionis, & benevolentiæ officia Sacræ Cæsareæ Mti Vræ consentientibus animis deferre voluerunt.

ORATIO PRINCIPIS RADZIWILI AD SERENISSIMAM REMPUBLICAM VENETAM.

OPtatissimæ in Christiana Europa pacis serenitate affulgente, dū solos bella Polonos, vel resurgentium bellorum minæ exercent, & nondum tanta humani generis strage exsatiatus Mars Septentrionalium cuncta terrarum concutere haud cessat; Srenmi Poloniæ Regis JOANNIS III. augusta mens & igne quodam volucris, feriari nescit; sed non minùs inclytæ famæ, nominisq; sui immortalitati operatur, quàm firmandæ Regni sui, subditorumq; populorum saluti, debellandis sacrosanctæ Religionis hostibus, profligandis monstris im̄anitate barbaris, & amplificandæ, ornandæque rei Christianæ anxiè, & sollicitè allaborat. Post edita omnis ævi hominum incomparabilia virtutis istius, & fortitudinis suæ monumenta, post fulmina & ignes, sævorum post prælia Gygantum Serenissimus hic Jupiter inducit tantisper amœnum, & renidentem vultum; huc ad Serenissimam Rempublicam Vram, flectit radiantes placidissimo luminum fulgore obtutus, remitti dulce supercilij pondus, leneq; verendum jubar, amoris & benevolentiæ erga Venetam Mstem plenissimum pectus exhibet, & per me suum, ac totius Regni Oratorem Tibi Serenissime Princeps, vobisq; Excellentissimi Proceres amicissimâ mente, & manu denuntiat. Victricium ille armorum suorū laureis, animorum vincula, velut gem̄as, & pretiosos uniones inserere, omnibus titulis majus ac speciosius existimat in eo sceptri sui pulcherrimum decus, & felicitatem reponit, ut habeat in summitate verticis, non magis oculum vigilantem, ne quavis inimicitia impune ingruat, quàm cor succensū, ut omnes amanter alliciat: abundè doctus in utrūq; & exercitus sicut hostes armis vincere, ita inscius, & insvetus à quoquā amicorum, & sociorum amicitiæ, atque humanitatis officijs vinci Serenissima quidem Respublica Vestra, & hæc ipsa urbs Principum ac Regum, totiusque propè humani generis hospitium, illecebris omnis amœnitatis maritimæ, terrestrisque neminem non pelliciens; tot ingentium animarum genitrix, tot heroum altrix, non mœnibus, sed virorum fortium pectoribus munita Sparta, primævâ origine, non hominum, sed DEorum opus minimè jactanter elegantissimo Poëtæ appellata; ingentia in rem Christianam Vestra merita, Orientis ac Barbarorū verè scopulus, undis innatans Religionis illibatum decus & integritas, bellorū ac novissimè gesti admiranda fortitudo, omnium hominum mentes in venerationem rapit, lingvas solvit in præconia. Sed Serenmum Regem meum, ejus Patriæ verum Patrem, cujus verus ante filius extitit, gentis omnino liberæ Regnatorem, sed Remp. nostram, servitij expertem populum, proprio vobis fœdere magis alligat, svaviùs ad vos attrahit, arctiùs

arctius connectit, ducitque volentem hospitali dexterâ illâ, quæ omnis amicitiæ mater est, & fidissima custos, par genij, studiorumque similitudo, comunis libertatis amor, illud nostræ vestræq; genti, DEi Superũque favore concessum ab alto munus, tantò excellentius, quantò rarum magis aliis populis decus istud, ignotumq; bonum est. Odimus quippe uterque populus pejus angve, & abominamur pestem illam naturæ humanæ, ejusque corruptæ præcipuam labem servitutẽ; amam⁹ verò, &, ut par est, æstimam⁹ illã, nõ dicã, aureã, sed quæ omne pretium longè superat, quæ animi præcipua dos, beata faustitatis Mater, Filia providentis consilij, Mavortiarum maximè Gentium Regina est, libertatem. Quæsitam hanc multo sangvine gloriam, multo repertam miraculo, par est non magis prosperis, quàm adversis ipsis clariorem orbi extitisse, dum recentibus annis, effuso in nostram, vestrãq; perniciem Oriente seu fortitudine adversùs hostes, seu patientiâ, ac labore penè adversùs ipsam rerum naturam opus fuit, invicti contendimus, supremoque conatu obnixa virtute atq; animis clarissimè patuit Polonos, Venetosque libertatem non nisi cum anima simul amittere posse. Permultis ergo nominibus ad sanctum, & venerabile cum Vestra Serenissima Republica amicitiæ nomen, & inclytæ toto Christiano orbe Societatis jura allectus, sponteq; suâ invitatus Serenissimus Rex meus, dum vastis cogitationibus totius Christianæ Europæ DEO volente, faustis ac salutaribus mentem admovet, manum præparat, seque accingit. Ultrò Te Serenissime Princeps, vosque Excellentissimi Proceres, convenit, mutuam benevolentiam, & socialem affectum constantissimè spondet, mutuoq; à vobis deposcit eum favorem, qui Venetam magnificentiam decet. Cui unicum consilium præstantiæ, ingentium pro DEO, & pro Religione, pro Patria & libertate, operum, incõparabilis deniq; prudentiæ exemplum orbis Christianus hactenus debet.

COPIA LITERARUM REGIS SERENISSIMI, AD GENERALEM SOCIETATIS JESU; IN CAUSA JAROSLAVIENSI MEDICÆ IN RUSSIA. 18. Septemb.

ÆGrè admodum, dolenterq; ferre cogitur mens Nostra Regia, benevolentissimum illum erga Vestram Societatem, tantis in Ecclesia DEi meritis conspicuam, affectum nostrum, & inclytissimam, quam abundè semper testatam orbi voluimus, esse propensionem, ipsorummet Patrum Jaroslaviensium inconsulto quodam rigore, & tenaci prolatandarum extra limites, & terminos ditionum suarum studio interverti, ac velut violenter inhiberi. Nolumus sanè in generalibus Regni Comitijs, & supremo tribunali, ubi utiq; respectus justitiæ & nostrî esset, remedia quærere, & illa nostris de Serenissimæ Reginæ Consortis nostræ charissimæ bonorum Jaroslaviensium Dominæ gravi ab iis Patribus diminutione, ac detrimento complere querelis, tantoq; majorem, quâ jam satis superque apud plures Regni Ordines laborant, invidiam concitare. Sed Devotioni Vestræ insinuandum priùs esse ducimus, & eandem benevolè requirimus, ut authoritate, quâ pollet, remedium pullulantibus inde malis adhibere, & non obscuram ambitiosæ cujusdam cupiditatis à Societate Polona labem, notamq; sapientissimo consilio, industriâque

sua

A.C. 1681 *sua avertere velit. Rectorum Collegiorum Vratislaviensium frequenti mutatione accidit, ut, dum nullus de Religione sua demereri, nomenq; suum inglorium relinquere vult, dum augendæ, amplificandæq; rei, & cumulandorum quacunq; viâ, & ratione commodorũ mutuum cuiq; certamen, & in hoc unum anxia, intentaq; omnibus solicitudo est. Nostra iisdem de exhibendis producendisq; in apertum juribus, immunitatibus, privilegiis ad Jaroslaviensia sua bona pertinentibus, voluntas ac desiderium toties eludatur, & tanto temporum tractu, tantæ momentum rei incognitum hactenus, indecisumq; relinquatur. Inde non levis thesauro Serenißimæ Consortis Nostræ jactura, & gravißima proventibus damna, per multiplices, tenuissimo juris præsumpti filo pendentes, tabernarum propinationes, per extructas in fundo nostro Nobis invitis domus, & varij generis ædificia, per impedita communia pascua subditis nostris, intolerandum præjudicium, acerba toties collisio, & affectûs nostri non mediocris concußio, ut sequatur, necesse est. Inde & Præposituræ Ecclesiæ Collegiatæ Jaroslaviensis, Juris, & Patronatûs nostri, illata, & inferri solita præjudicia, toties non sine gravi animi nostri dolore, & motu, ad aures nostras perferuntur. Non aliam itaq; existimamus componendarum istiusmodi differentiarum, efficaciorem in præsens viam, & modum, quàm ut Devotio Vestra designet duos virtute, & probitate conspicuos, immunes, & intactos, omni Jaroslaviensi posseßione, juris, & æqui zelantes, ex eadem Societate, viros, qui producta Collegiorum Jaroslaviensium Jura, æquâ judicij lance discutiant, eaq; Nobis, vel ad hoc negotium Delegatis Commissariis nostris præsentent, & negotio voluntaria ipsorummet Patrum dilatione, indeciso, optatam feliciter coronidem imponant. Hanc intentam voluntatem nostram Devotioni Vestræ benevolè exponimus; unde affectum nostrum Regium in totam Religionem de facili videre possit. Quem eidem ultro offerentes, prosperrimam à DEO valetudinem & fanctißimos rerum succeßus ex animo precamur.*

INSTRUCTIO VENERABILI ABBATI DOeNHOFF.

SUmptâ opportunè audientiâ apud Beatitudinem suam eidem Sanctitati suæ soli, nec cuipiam alteri reverenter exponet, quomodo à Reginali Mte, quamvis multa, quæ suspicio in sinistras conjecturas prompta in publicum iacit, neglecta obsolescant, attamen, cùm in rebus magni momenti soleant plerumque esse præjudiciosa, bene consulitur, si Regio candore, & genuinâ informatione malum in herbas ponitur, nulli dubium est, Sacram Regiam Mtem tam colligationem Cæsaream in nuperis Comitijs rem maximè, ex pluribus obstaculis arduam perfecisse; quàm expeditionem personalem extra Regnum suscepisse tantâ celeritate, ut prodigiosa res Statûs Polonici non ignaris videretur; viginti intra dies & exercitum coadunâsse, & extra Regnum movisse, non id eo fine, nec privato aliquo motivo sed solius gloriæ DEI propagandæ desiderio conservandæque Christianitatis, graviter Viennensi obsidione periclitantis studio, quod vel ex eo liquidum est, cùm sua Mtas nullas in

in privatum conditiones, vel utilitates à Cæsarea Mte postulaverit, imò *A.C.* 1681 oblatas non acceptaverit, cùm Serenissimus Lotharingiæ Dux, per Magnificum Mareschalcum Curiæ, Equitem Lubomirski, hic autem per Generosum Gninski ad suam Mtem missum, non solùm spem Regni Hungariæ, sed & possessionem offerret, dummodo Mtas sua veniret, & in eandem se intromitteret. Ubi Regia Mtas altiori, & nobiliori motivo ut dictum est, bellum hoc suscepisse, non acceptatis, quæ ut illicia proponebantur, demonstravit. Unde etiam Divina bonitas tam pium, Religiosumque Mtis suæ propositum benedictionibus suis, & geminatis cumulavit victoriis.

Cùm autem Mtas Regia pro summa rerum experientia, altioriq; indagine, ut olim præviderat Hungaros, ut olim Thekelium indigniori tractatione in desperata lapsuros, Turcicamq; suscepturos protectionem, ita, cùm, postquam id, quod præviderat, evenit, ejus semper consilii Author extitit, ut tolerabilibus conditionibus à Turca avellerentur. Probavit Cæsarea Mtas urgentibus periculis amicum consilium, & Serenissimo Regi munus Mediatoris fraternè detulit, imò antequam sua Mtas eò alacriùs Regno suo excesserit, cui à Thekelio nulla ampliùs imminebat irruptio, eadem mediatio Regis effecit, ne Thekelius in Moraviam, & Austriam irrumperet, postquam Danubium superarunt exercitus Christiani. Ejusdem mediationis opus, quòd se ampliùs conjungere cum Turcis noluerit Thekelius. Et, quamvis potuit ultimo cum Turcis prælio adoriri nostros à tergo, non fecit tamen, spem reconciliationis suæ mediatione Regiâ conservans.

Mediationis autem officium Mtas Regia suscepit, non solùm Cæsaris bono, sed totius Christianitatis emolumento; nam redacto Thekelio per conditiones honestas manet obligatio Thekelio ad sumenda alacriter arma contra Turcam, manet & Transylvaniæ Principi fiducia in Regem, & animus ad excutiendum jugum Turcicum, ad quod rigore Germanico compulsi olim Transylvani; crescit animus hac Regis moderatione universis Vallachorum populis, ut reducem ex Polonia Palatinum suum recipiant, Ducemq; in Turcas sequantur; huc pertinent Rascij, Servij, & Bulgari populi, qui exemplo reducti per suaviora Thökelii libenter Turcicam exuent tyrannidem, famâ Regij nominis excitati, & clementiâ ex dimissis captivis jam præoccupati. Idem de Cosacis dicendum, populo ad bella Turcica nato, qui unâ parte liberalitate Pontificiâ illecti, ex altera exemplis moderationis Regiæ tracti, quid non sunt ausuri? Hinc suæ Sanctitati patebit, quantum interest orbis Christiani, ut mediatione Regiâ Thökelius Turcicum ejuret mancipatum.

Ut autem Sua Sanctitas candorem Regium magis, magisq; perspectum habeat, magnanimumq; ejus ardorem, quo in bella Domini fertur, apprimè intelligat, necesse est Sanctitati suæ non per modum querelæ, sed per modum filialis confidentiæ aperire ea, quæ quempiam alium, quàm Sacram Regiam Mtem ad impatientiam provocarent. Ad promissiones, & assecurationes Cæsareorum ad literas Eminentissimi Bonvisi, quibus promittebatur pro octiduo commeatus hominū ad Danubium, ante pugnam triduo jejunus exercitus, post pugnam pluribus diebus eandem penuriam perfessus, excitatus, labefactatus non persequendi hostis gloriosam sibi elabi occasionem dolenter tantùm passus, sed etiam manumissione à loco invictæ famis audentiùs expetere cœpit ad privatas calamitates publicam quoq; impatientius ferens, quod ne mortuorum quidem in obsequio Cæsareo corporibus, nisi magno pretio

A.C. 1681 tio vendita concederetur humus, quod Princeps Poloniæ non eâ, quâ tantus merebatur sangvis, acceptus humanitate, cujus parsimoniam graviorem fame totus cum Ducibus suis sustinnit exercitus, epidemicorũ morborum violentia, utpote cælitus missa, vel climatis diversitate causata, Christianâ toleratur patientiâ. Sed desiderata ab amicis promissorum fides, quam strages equorum secuta, tum quæ supra diximus, dubio procul ostendunt ingentem Regis moderationem, & boni publici amorem, cùm utrique virtuti, suam, & suorum vitam, incommoda, & quorumcunq; malorum sensum tam strenuè litat. Nec alia habet solatia, nisi in Paterno Sanctitatis suæ affectu, quem sole meridiano clariorem veneramur, colere non desinit.

Malitiosus itaque rumor, quasi Mtas sua vel sibi, vel Principi Filio Hungarica destinaret sceptra, tam procul erit à Sanctitatis suæ fide, quã alienus est ab animo Regio, qui utique novit non se privatarum rerum intuitu, vel auge suscepisse hoc bellum sed dignioribus Principe Christiano motivis. Aliud est, quòd sua Mtas à Cæsarea Mte ad Mediationis onus invitata, postquam illud incomparabili Christianitatis bono assumsit, persistit in eodem; utpote nihil vindictæ privatæ, aut passioni post delatas cælitùs victorias tribuens, sed totum ad commune Christianitatis bonum referens experientiâ rerum probante, neminem ad desperata cogendum consilia; Hungaricam Gentem multùm, sed tamen coactè deliquisse; si Christiano ritu placidiori sorte tractabitur, posse novis obsequijs pensare delicta. Cæterum plus prævidet negotij, Sacra Regia Mtas, cum semiruta Carthagine, quàm cùm integra erat, graviores morientium animalium morsus; utilis clementiæ fama, ubi de promovendo bello Sacro, de eripiendis ex Otthomanica tyrannide Populis res agitur. Nemo nostris accedet rebus, nisi spe melioris fortunæ.

Hæc altissimo Sanctitatis suæ judicio nec privatis obnubilato respectibus submittit Reginalis Mtas, an licet tot Thökelios, quot Hungaros ad desperata cogere: an non expedit dare exempla? quæ tot Populi sequentur, prout spe indubiâ habemus; an denique Serenissimo Regi ex Mediatoris officio licebit manum extendere in supplices libellos? an Regi liberis Populis imperanti armatâ manu premere Gentem, cujus maximum crimen est ex libertate, an licet pro bono, quod Poloniam, Silesiam, quod Moraviam non infestaverint, nostros à tergo non adorti fuerint, rependere malum excidij? an tantùm Regiæ Mti alteri quàm Turcico licebit accingi bello, insciâ Republicâ, quæ, ut sors est varia, pateretur, belli non suscepti de consensu suo incommoda? An lex clementiæ in ore Serenissimi Regis obliquâ interpretatione trahetur in sinistras suspiciones, &, quod horremus, in enervationem sacri fœderis, quod ex parte nostra exactè observamus, juxta præscriptos modos.

Primus est, ut per diversionem agamus contra Turcam, contra quem Cæsar in Hungaria bellabit. Hanc primam conditionem nondũ adimplevimus, quæ in gratiam nostram facta est, consistitq; in recuperatione Cameneci, cujus intuitu Respub. bellum hoc suscepit, & belli impendia decrevit; hanc ergo, quæ primo loco esse debebat, in gratiam orbis Christiani, & Cæsaris posuimus, ut subsequentes duas conditiones amore boni communis impleremus.

Secundus modus consistit in succursu Viennensis urbis; quem auspice DEO Rex Serenissimus explevit gloriosè

Tertius in conjunctione armorum, in ordine ad jaciendam prælij ale-

am, si ita consilio bellico videretur; & hunc modum adimplevimus cõmisso ad Strigonium prælio, imò ultra progressi sumus, dum Parchanam ad deditionem cogeremus, Strigonium obsideremus, & ultra parati, quoad usque cœli temperies permiserit Equitatui, fame magis, & penuriâ annonæ debilitato, quàm prælijs lassato. *A.C.* 1683

Desideratur ergo à nobis, ut Thekelium paucas conditiones subire paratum gentisq; excidiũ aggrediamur, tot fortalitia, quæ munitissima possidet, expugnemus. At Serenissimus Rex ligatas ad hocce exequendum habet manus. *1mo.* Quia adulto autumno hoc est impracticabile. *2do.* Quia tenor pactorum ad solum bellum Turcicum nos restringit, nec ullo colore quæsito, nova sinit inchoare bella. *3tio.* Quia mens, intentio, & impendia Reipublicæ, imò & expressa Pactorum volunt, ut diversionẽ belli agentes Camenecum expugnemus, & hunc fructum tamdiu expectatum proferamus. Non nisi versatissimis in statu constat, periculo Viennensi laborâsse Poloniam, Cæsari ergo nos bellasse, Cæsari tot Illustrissimorum & Generosorum virorum litâsse Regiam Mtem credet arbiter suis populis, non Patrio communi, quamdiu Camenecum hostilis tenebit manus. Tot Senatores agnata funera, tot Nobiles personæ, Consangvineos, Maritos, Fratres, & Nepotes lugent, universa Respublica impendiorum suorum præstolatur solatium. Hic ipse miles, & flos Nobilitatis Polonæ in castris militans fremit, soli Patriæ debitam in alieno solo, per sangvinem, per inediam meliori fato dignã effundere vitã alienæ utilitati. Meminisse sua Mtas deberet, eosdem nunc esse milites, qui sunt Reipub. Status, & Ordines; qui nôrunt contracti cum Cæsare fœderis leges, nec se venisse, ut tot Camenecos in Hungaria expugnent, quot arces, & munitiones tenet Thekelius, esse sibi in Podolia metam votorum Camenecum, & tot arces expugnandas. Hæc inter quid aliud agat Regia Mtas? nisi ut Pactis cum Cæsare initis, strictissimè observatis in ijs punctis, quæ ad Cæsarem spectant, ad ea quoq; convertatur, quæ Reipublicæ sunt prima in intentione & ultima in executione.

Accedunt quàm plurima, quæ Regiæ Majestati ponunt obicem, sive quinquaginta millia florenorum Rhenensium à sua Beatitudine pro Commeatibus exercituum datorum, & privatis personis distributorum, respiciamus, sive illam dependentiam minùs Mte dignam, quam sibi Viennense usurpat consilium; consideremus, sive deniq; nos reflectamus supra consilia Lincensia, quæ deliberant à Danubio ad Rhenum transferendos exercitus imminente vere. Quæ omnia eò tendunt, vel suam Mtem indebitis lassare requisitionibus, vel aliter bello Hungarico implicare, ut illa ad Orientem relicta Occidentem respiciant, demum, ut apud suam Sanctitatem fucum necessitatis faciant, transigendi cum Turcis, invidiâ in gentem Polonam conjectâ exemplo eorum, quæ acta sunt superiori bello. Supplicandum itaq; Sanctitati suæ, ut tanquam Supremus Protector sacri hujus fœderis discernat causam nostram, & dijudicare non gravetur, an Serenissimus Rex Poloniæ, qui reliquit Regnum tot casibus expositum, Serenissimam familiam, & duxit secum decora provinciarum, tot Regni Proceres, quorum vitam, & sangvinem tot discriminibus, tot inedijs, & calamitatibus, unà secum, & Seren. Filio suo litavit, communi bono, Imperatoriæ amicitiæ, innumeros perpessus inurbanitatis numeros debeat ad ea trahi, quæ ultra expressum Pactorũ tenorem sunt, & omittere ea, quæ in capite libri scripta sunt, & quorum rationem reddere tenetur Statibus, & Ordinibus Regni? an vitio debet

verti,

A. C. 1681 verti, quòd Thekelium in desperata agi non censeat? in eo quoque consilio persisttt, in quo & Mtas Cæsarea erat ante victoriam? cumque sinit Cæsarem nova sequi consilia, quid mali est in Rege? quod in suis non persistat? &, cùm Podoliam versùs arma sua convertere intendat, Hungaros à se exacerbari nolit, ne irruptioni versùs Cracoviam det occasionem. Utiq; Regia Majestas moderatione suâ erga Hungaros hucusque immunem ab illorum incursu reddidit Poloniam. Quid nocet Cæsari? si eodem consilio Rex providebit vicinitati suæ ab Hungaria? nec distrahet arma sua in Podoliam convertenda? Placebit Sanctitati suæ jubere, ut revideatur Cæsareo-Regius tractatus, ex quo patebit ad literam, & amussim per Regiam Mtem omnia impleta, quæ Cæsarẽ tangebant, esseque Regem soli Poloniæ debitorem, in recuperatione Podoliæ. Quare viderit Serenissimus Imperator, quæ vigore ejusdem pacti sacro huic debeat fœderi, cujus manutentio, & protectio Sanctitati Suæ est futura cordi.

BREVIS INFORMATIO

De necessarijs ijsq; inevitabilibus expensis, ad quas tenentur Regni Poloniæ Episcopi, & quà tales, & quà Senatores, sine quibus nec decenter munus sustinere, nec Ecclesiasticam immunitatem tueri, nec authoritatem liberrimo in populo habere possunt. Quæ informatio, ut examinetur per personas fide dignas, unicè expetit Author.

1. QUo ad victum: hunc debet habere Episcopus tam decentẽ, ut quotidie personas, ad minus duodecim possit mensæ suæ adhibere. Veniunt enim continuò Prælati, veniunt Nobiles pro judicijs, veniunt amici pro consilijs, veniunt milites pro exigendis vel contributionibus, vel hibernis, veniunt transeuntes peregrini, quos mensæ Episcopali non adhibere, imò & famulitium illorum honoratius tam barbarum est hac in gente, ut Episcopo summum vilipendium conciliet, si non fecerit. Et quamvis in Polonia carò veniunt manducabilia, aromata tamen, & Hungarica vina, cùm aliorum non sit usus, alto sunt pretio. Jam verò in Comitiolis, in Comitijs diebus festivis non potest eximi Episcopus, à tractatione hominum numerosa. Si quid pro Ecclesia, si quid pro Repub., si pro justitia obtinere voluerit: unũ & aliud mille consumunt sexaginta convivæ, toties quoties: in tantum ut fractione panis cognoscatur in Polonia Episcopus: aliàs surdis auribus, quamvis maxima ejus eloquentia audietur: pietas verò seperata à liberalitate avara hypocrisis nominabitur. Huc pertinet illa liberalitas, quâ Episcopi Nobilem Juventutem educandam suscipiunt, & ceu Paternæ benevolentiæ erga Ecclesiam obsidem tenent in filiis, in tantum ut etiam statuto Regni id sancitum sit.

2do. Post victum ad amictum veniendum, qui debet esse, etsi extra luxum, non tamen extra consvetudinem receptam, sericæ, & holosericæ vestes, pelles zebellinæ, quarum inevitabilis necessitas, nec auditum est posse Episcopum vilioribus pellibus indutum ad Senatũ venire, cùm proverbium in Polonia sit; monstrat vestis, quales intùs estis. Huc pertinent decora, rhedæ, peristromata, & aulæa triclinijs exornandis, ut sapientissimi æquè, ac pientissimi Episcopi non possint se eximere ab hac lautitia, quæ jam est pars authoritatis in hoc Regno.

3tio. Comitatus est ad necessitatem talis. Sex Nobiles ad minimũ debet tenere Episcopus, ut habeat, quos ad honoratiores personas quaquaver-

quaversus mittat, Capellanos: Cubicularios totidem, nec potest absolvi ab ea necessitate, ut habeat saltem duodecim satellites armatos; hi enim sunt necessarij Episcopo itineranti, ne ex quolibet diversorio à turbis ebriorum hominum eijciatur, vel ab ijsdem lædatur. Adest & secunda necessitas, cùm milites vagi hac & illac per bona Episcopalia grassantur, cùm insolentes vicini nobiles plebem Episcopalem infestant, cùm deniq; Episcopus seu ex Senatu, seu ex Congregatione aliqua serò revertitur, opus est, ut habeat præsidium, quo se ab insolentia, & violentia lixarum, vel cohortium, quas secum Magnates ducunt sæculares, tutari valeat. Huc spectat & illud, quòd ad minimum rhedam unam cum sex equis, currum itidem cum sex equis, quo utensilia vehuntur, culinæ currum cum totidem equis habeat. Qui enim gnarus est Regionis istius, facilè intelligit omnia, secum ferenda, quotiescunque Episcopus ad aliquem locum proficiscitur. Huc spectant equi Nobilium servientium, tum Ephebòrum. A.C 1681

4to. Pensiones quoq; Episcopus tenetur dare tales; scilicet vix est Episcopus talis, qui Diœcesi suâ non complectatur aliquot Districtus, & Comitiola. In quibus cùm continuò modus contribuendi agitatur, vel executio contributionum instituitur, mirum in modum Nobilitas sese exoneratura, Ecclesiastica bona aggravat. Unde, cùm Episcopus ubiq; Comitiolis adesse non possit. Clerus autem minor ab iis excluditur, necessè est, ut Episcopus habeat Nobiles pensionarios, qui pro Clero loquantur, nec permittant quidquam onerosum statuere contra Clerum; Hæc quodsi non fecerint, miserè pereunt, & agrestes pauperculi, desperato Episcopi patrocinio diffugiunt. Debent habere, & alios pensionarios Episcopi in quolibet castro Regio, & in Tribunali Regni, qui attendant omnibus citationibus, & protestationibus, quibus numerosa, & otiosa Nobilitas ex levissima causa vexare solet, vel Episcopum, vel ejus subditos: & post obtentam sententiam executionem fortem super bonis extendere. Exemplo res pateat: In pago Archiepiscopali Magister Scholæ ante annos decem exegit à transeunte Judæo aliquot nummos. Pro eo citatus Archiepiscopus Praszmovius in quodam Castro, & quia nec per se, nec per alium comparuit ignarus facti, decretum, & lucra pœnarum in eum sunt lata; adeò, ut actus illius in Senatu, & Repub: gestos voluerint irritos facere Adversarij, & nominationem Regis MICHAELIS annihilare, eò, quòd Archiepiscopus illâ in contumaciam latâ sententiâ fuerit capite diminutus.

5to. Comitia Regni, quæ præsentiam Episcopalem exigunt, multas postulant expensas, cùm pro solo hospitio conducendo duo vel tria millia danda, ubi opus viginti septimanis cum toto Comitatu, cum tot extraordinariis expensis permanere. Hinc accidit, quod pleriq; Domini Episcopi, cùm non possint expensis sufficere, à Comitiorum conclusione dilabi coguntur, &, tum demum sæcularis livor, & potestas multa audet in absentes. Huc spectat & illud, quòd quilibet Episcopus vigore Statutorum Regni medio anno ad latus regium Residentiam absolvere & consiliis omnibus adesse teneatur, tanquam Residens Senator sub pœnis duorum millium Imperialium, pro quo citatur ad Comitia Regni ab Instigatore.

6to. Tenetur Episcopus Suffraganeo suo solvere pensionem strictissimè, tenetur Romam quolibet quinquennio mittere, tenetur Officiales tenere, Auditorem, Notarium Curiæ, Instigatorem: Vivent enim raptu, si Episcopus non solverit; Tenetur Episcopus ad processus Ecclesiæ suæ

A.C. 1681 sustinendos: tenetur habere Actuarios; respondere de judicatis suis, seu in Nuntiatura, seu Romæ, hæc omnia exigunt sumptus.

7mo. Quid verò de visitationibus Ecclesiarum dicam, in hac publica calamitate? an non tenetur propriis expensis eas obire? an non tenetur Nobiles cujuslibet Parochiæ ad mensam benignè accipere pro more Gentis? an non tenetur suffragari pauperibus Parochis? quæ omnia profusionem sumptuum denotant. Et, quicunq; Gentem nostram noverit, percipiet, quòd ex nullo horum, quæ hic scripsi, potest se Episcopus eximere, salvo decore, honore æstimatione, quæ nisi sit integra in libera Gente, nihil proficiet Episcopus in iis, ad quæ tenetur.

8vo Cùm Ecclesiastica bona non solùm ab antiquis immunitatibus exclusa sint, in Regno Poloniæ, ut omnia onera æqualiter portent, cum Equestri Ordine, sed etiam ad multò graviora obligentur, ut sunt pecuniæ pro hybernis, militibus, ut sunt stativa, & pernoctationes eorundem militum, ut sunt authorationes, & supplementa militiæ, quæ in Ecclesiasticis bonis fiunt, tunc vastitas, & solitudo agrorum ex hac oppressione sequitur non solùm cum diminutione proventuum, sed etiam cum oneratione marsupij Episcopalis; taliter post Svetica, & alia bella Nobilitas concessit, ut desertatorum agrorum haberetur ratio, in contribuendo, modo verò, cùm Coloni Spiritualium, ut dictum, oneri suo impares ad Nobilitatem confugerint, Nobiliumque agrorum vastitatem impleverint, jam Nobiles prætextu eo, quòd sunt bona eorum meliorata, nolunt admittere respectum desertatorum agrorum etiam in spiritualibus bonis. Hinc sequitur, ut spirituales de proprio marsupio teneantur solvere pro agris desertatis, si executionem pati in bonis nolunt. Insuper continuò rusticis suis deficientibus, tenentur boves, & equos suppeditare. Ergo & hæc est non minima expensa quæ multis millibus constat Episcopo.

9no. Quando aliquis Episcopatus confertur Prælato, tum ille non solùm Romam tenetur, tam magnam, ut modò exigitur, mittere pecuniam, sed etiam tenetur aliam pecuniam habere, quâ emenda sunt pecora, & pecudes à Successoribus defuncti Episcopi: quâ comparanda sunt utensilia Prædiorum, ut sunt lebetes, equi, & alia instrumenta, qua annum gratiæ ijsdem Successoribus exsolvat, debet habere pecuniam, quâ ingressum suum ad Cathedram, & Episcopatum, decenter peragat, cùm interea Episcopalia bona à Capitulo in triginta, & amplius Regentes divisa ab Exactoribus contributionum vexata, conseminationibns non bene provisa (cùm Dni illi Regentes lucris suis inhiantes rem Oeconomicam interturbant) his ex præmissis fit, ut Prælatus ingentia contrahat debita, antequam de Episcopali pane comedat; sic succrescentibus indies oneribus, sub antiquis, & novis contabescunt debitis, penuriâque pressi vel ad pingviores aspirant Episcopatus, vel curas Episcopales, Senatorias intermittunt, & sensim in egestate vitam finiunt, non Ecclesiæ, non Patriæ profuturi, quos in tanto Episcopalis, & Senatoriæ dignitatis culmine angor egestatis afficit. Quod extremum aliquando vitantes Prælati supra memoratas non faciunt expensas, sed quà possunt, corradunt pecuniam, nec pauperi subveniunt; nec Nobilitatem sibi devinciunt; nec authoritatem parant, nec hospitalitatem exercent, actus publicos devitant, in Comitiolis nunquam, in Comitijs raro comparent: sic vilescunt passim inglorij, sine authoritate vivunt; interea Diœcesis, & Clerus fit præda luporum; interea ausus sæcularium ubique crescit, odia contra avaros Pastores accenduntur, sic res Ecclesiastica pessumdatur, fabricæ Ecclesi-

Ecclesiarum non promoventur, Seminaria non eriguntur, ex alterutra harum causarum, id est vel ex egestate Episcoporum, vel qui hanc timent, dum in contrarium ruunt vitium ex avaritia Prælatorum. Prænominatis Episcoporum expensis accedit & hoc malum, quòd à quindecim jam annis vilissima moneta Regnum invasit; quæ omnes pessum dedit reditus in tantum, ut, qui in Polonia habet tres florenos domi, se non habere, nisi unũ & mediũ sciat, cùm in duplo omnes merces excreverint propter vilitatem prædictæ monetæ. Igitur, si quis Episcopus haberet triginta millia florenorum, defacto, & in re ad valorem bonæ monetæ reducendo, non habet aliquid super duodecim millia. Cum his autem duodecim millibus poteſtnè hos sumptus facere? vel saltem eorum medietatem? Utinam ea nunc essent tempora! ut Episcopis ex charactere veneratio, ex pietate authoritas, ex fide obedientia præstaretur! Posset utique Episcopus Regni Poloniæ minori contentus esse dispendio. Sed, cùm alij mores, alia sunt tempora, necesse est ad stylũ, geniumque populi plura expendere, cùm evidens sit in rem Ecclesiasticam expensarum utilitas. Pro fine observandum est, jam octennio mercaturam frumentorum penitus lapsam in tantùm, ut vix non ad mediam partem reducti sint proventus. Huc pertinet cœli inclementia, penuria aquarum, quæ aut sementes suffocant, aut defluitationem cum frumentis negant; huc pertinent biennales pestes, huc hostiles invasiones, biennium majorem Poloniam infestantes locustæ. Ita sub multiplici flagello DEI existens Polonia, maximè verò Clerus meretur compassionem; præsertim verò Episcopi, qui numero quatuordecim pro toto Clero lucrari tenentur: & continuò seu in acie stare pro Domo DEI quorum rationes ni sint cum pane & vino, vix sunt apud populum valituræ. Quare, si quando, tunc modo meretur respectum hic Ordo: propè enim est, ut egestate pressi Episcopi, aut saltem arctati proventibus, desperent se posse aliquid inter tot insultus proficere &c. Non specificatâ hic expensâ Capituli Episcopalis res indispensabilis, & multa alia minutiora &c. A.C. 1681.

ORATIO REGIS JOANNIS III. IN SENATUS CONSILIO POST VARSAVIÆ RUPTA COMITIA. 1681.

APpositè illo Poëtæ me ipsum allocutus fuero: quis me super auras turbo præcipitem vehet, atrâq; nube involvet: ut tantùm nefas eripiat oculis? meritò infaustum, qui Comitia rupit furorem videns, magnum re & nomine Augustum repræsentavero; amissis ille ignaviâ Ducis Legionibus, quà dolore, quà stupore veluti syderatus, suæ oblitus Majestatis in eas solummodo iteratis vicibus prorupit voces: Vare redde mihi Legiones. Audiant id ipsum à me hic & nunc Comitiorum ruptores: redditæ nobis Legiones, reddite securitatem publicam, redditæ tum jam partam, tum quæ in proximo parabatur, ingentem gloriam. Verùm, quæ jam vobis facultas reddendi tanta compendia suppetet? quando jam recuperandi Cameneci promissima manibus elapsa occasio est, & secura spes hoc anno asserendi à tam gravi vicino Rempubl: per compertam Turcarũ impotentiam, prorsus evanuit? Nimium præsumptione peccatum est; acsi designata comitia & ver illa consequens hanc cladem aut obli-

A.C. 1681 terare aut reparare possent. At multum illi falluntur; non alteram sæcula dabunt, quæ huic concertet, occasionem. Nec enim Imperator Turcarum sibi deerit, non operæ parcet, ut intenta nostra præveniat, & paratus ipse imparatos aggrediatur. Quid interim spei nobis superest? statuamus velut pro speculo ante oculos nostros gestum olim ad Chocimum bellum: numerabamus tum tam Regni, quàm Magni D. L. exercitûs sexaginta millia, aderant præterea Cosacorum quadraginta millia, Rex ipse SIGISMUNDUS communi motu Nobilitatem secum trahens succursurus imminebat: & nihilominus pudendis conditionibus ac tributo, ac si victi fuissemus, pax sancita fuit. Reddet igitur in districto DEi judicio rationem, cujus culpâ factum; ut tam certa commodi publici amitteretur occasio. Jam nihil reliquum (nam quod perperam gestum est, revocari nequit) nisi ut tumore posito hosti humiliemus caput, & clementiam quam ille apud nos quæsiturus erat, imploremus; Tartaros verò quàm celerrimâ legatione præveniamus, & missis muneribus feroces mitigemus animos. Sunt hic quidam, quibus iterata & quantocius designanda pro remedio placuêre Comitia: ego verò nec illorũ possibilitatem video, nec emolumenta quæpiam in Patriam redundatura ex illis prospicio. Accedit quod assuetus ab ineunte ætate aprico, liberioriq; Jovi, ampliùs per valetudinem meam protractam in solio sedentariam clausamq; sub umbra Comitiorũ auram ferre nequeam. Quare illud mihi arripiendum esse occurrit, quod me aliquando legisse memini, nunc verò etiam in me experior, consilia quibus impares sumus, fatis permittenda. Absit tamen ut ad Ethnicum & non Christianum appellem fatum: divinam hic intelligo providentiam; quæ fessis succurrere rebus potens vel jacentes spes non raró in pristinum surrigit statum: cui ex æquo, sive sinistram, dextram sortem porrexerit, sive id facere noluerit, gratiæ reddendæ sunt, quicunq; eventus ab illa nobis decretus fuerit. Nunc autem deficientibus viribus & copiis cujusq; erit ascendere equos, arma arripere, sique necessitas postulaverit, etiam cum dispendio sangvinis & vitæ tueri.

ORATIO REDDITORIA SIGILLI & CLAVÆ MAGNI D. L. POST FATA MICHAELIS RADIVILII à PRINCIPE GEORGIO FILIO PRÆDICTI IN SENATU SUB TEMPUS COMITIORUM VARSAVIÆ HABITA.

4. Februarij.

ITáne Rex Serenissime, sub tempus gravissimi Generalium consiliorum actûs in hoc Poloni orbis theatro simul parentalis luctûs epilogum, & pimæ vocis prologum mihi exhibere accidit dolore Magistro? itáne hoc in loco, in quo paterna lingva grandium Patriæ intentorum, laborum, difficultatum & negotiationum suarum Vestræ Mti & congregatis Reipubl. Ordinibus fidelem debuerat facere narrationem, ego repentinâ irreparabilis damni attenuatus

nuatus eventu, compareo manante de amaritudine animæ ſvadâ ex-temporaneus Orator & infelicis officij Miniſter? quid verò ingentis ſupra verba doloris plena loquantur labia? Fruſtraneum, violentum velle conari ſermonem, cogereq; eloquentiam; ex qua major ferendo mœror vires & incrementa ſumit: in caſſum cum pertinaci luctari voce, quam lachryma lachrymam ſecundans velut diluvio inundat, obruitque calamitatis ſenſus: incidit loquelam acrior à cordis vulnere nati in Patrem affectus, neſciunt quieſcere oculi cum prona in reſpuentes ſolatia lachrymas pupilla, ob tanti jacturam pretii, quod fruſtra vel accenſa ultra millionem funalium luce indagaverim & reſtituendum mihi ſperaverim: laborat lingva & velut in agone, invita obſequi tamque parere nolentia, quàm imparia fatigat verba; ut, ſi non pro merito delineare liceat, ſaltem adumbret eos adverſæ fortunæ caſus: quibus zelator honoris, nunc cinis Parens meus in tot votis expetita fuit jactatus ſparta. Tanta enim laborum & difficultatum velut ſtamine ducta in illum ſeſe evolvit congeries; ut quacunque & quocunque ſe in illa auſpicata via verteret, ſemper comes eum preſſerit denſorum turba malorum. Vidit Vienna, tota vidit Patria; qualiter ibi immani ſumptu, ut Veſtræ Mtis magnum nomen & Gentis Sarmaticæ ſervaret honorem, ſuam detrivit ſubſtantiam; qualiterque crebræ corrupto ſidere mortes, quarum metus vel invictos confecit viros; ut noſtras inceptos iratâ fortunâ labores fuiſſe, adeoque reditum perſvaderent, non unus fuêre Tullius. Verùm vicit Patriæ amor, variisque obicibus præpeditum callem paucis expedivit verbis; tu contra audentior ito: uti defacto pulchrâ plenus promptitudine perrexit ulteriùs, quamvis majore parte ſuorum deſtitutus, altera poſt alteram difficultatem morante iter, infracto nihilominus proceſſit animo; quando brevi iterum in novo labyrintho hærere coactum in limitibus Canini Italus orbis per contagij cujuſdam ſuſpicionem moleſtâ viginti hebdomadarum finis terminique dilatione afflixit virum; ubi tamen non ita his viciſſitudinibus ſuccubuit: ut ad deſignatam per inſtrata meris calamitatibus itinera non feſtinaret metam Ivit impulſus & incitatus forti mala corde ferendo, poſthabito metu draconum, quos infallibilis grandis alicujus lucri alebat præſumptio, victurus tantam Iliadem, niſi ipſa fortuna V. Mtem fruſtrâſſet & mora fatorum. Feliciter tandem ſuperatis inſidiis Maleæ Syrtisque doloſæ, in Lazareto Veneto ſedentariâ abſolutâ, conſtitit in Chriſtiani orbis facie, illud meritus: per tot diſcrimina rerum tenditur in Latium. Ibi quantum gloriæ & nomini Mtis totiusque Reipub: ſtuduit! & nihil de Majeſtate remiſit. Spectârunt attonitæ Romæ oculi: quomodo publica tractâret commoda laborum multus, quietis prorſus incurius: quomodo etiam defeſſus & tamen continuus vincendi ardua in omni ſcena Roſcius fuerit! feliciùs alterius cujuſpiam lingva non mea per irremediabi-

A.C. 1681 lem dolorem verba imperfecta relinquens expresserit. Summa omnium est, initio parem successisse finem: jubenteque amore in Patriam non tantùm opes sed etiam ipsam vitam impensam. Manifestum utiq; respondisse ultima primis. Patria prima & ultima meta fuit, cujus gratiæ quæ non dedit? donec non bona Bononia an nostræ domui fatalis Sardinia tristi fato consvetoq; humanæ vicissitudinis exemplo ulteriora confudit intenta. Redeunt ad nos nullis de condigno spargendæ lachymis Parentis mei exuviæ, ossa Patris parva referuntur in urna; redeunt ad Mtem V. ea insignia: quæ in Patria obtinuerat pretium non vile laborum: reddit sigillum M. D. L. quod vivus altè cordi impresserat, gratitudinem autem defert secũ in æternitatem: deponit clavam, quæ illi pro gloria Numinis, integritate Patriæ, Majestatibus Vestris Clava Herculis fuerat; valedicit Majestati non de mortuali cinere vota sua repræsentans: sed de perenni, quod jam inchoavit ævo, profundo optans suspirio: ut Vestra M. congestis laureis Patriam & olivæ serto, chronica actis, sæcula annis, Serenissimam domum repleat ornamentis. Valedicit Illustrissimo Senatui, simulque utriusque gentis congregato Equestri Ordini: & jam destitutus tempore ad consveta tam Reipubl:, quàm cuique impendenda obsequia, properata incusat fata. Nos geminos natos, par flebile fratrum, deserit relinquitque Orphanos in aurora ætatis; quos quia propriâ manuductione, quin ad obsequia Reipub: erudiret, æterna non concessêre decreta; tutelæ commendat Patriæ, cui serviendo consumptus obiit. Relinquit nos in facie Poloni orbis, suæ interim de gelido cinere certus spei; quòd grata Nominis illius memoria filiis evincet respectum, & funere consignata merita faventem nobis conciliabunt recordationem; suffragabuntur & nostræ lacrymæ, quæ necdum siccatis ab infantili fletu palpebris in ingens manant diluvium: nos hoc triste tributum inania munera morti reddimus, Mti verò ad aram, Serenissimi throni nosmet ipsos deponimus; imò hos parvos Quirites nondum defletus Pater sua decora de tumba per ipsorummet manus adsternit; quæ divinæ voluntatis decreto victus non potuit parta tueri. Jam si exitio Patris territus natus per violentiam naturæ in verba prorupit, miles ne feri: mea jam orphana lingva fato Parentis impedita, desinit in lacrymis.

XLI.

LUDOVICO ZALUSKI NUNC EPISCOPO PLOCENSI FRATRI SUO CHARISSIMO IN EXTERAS NATIONES EXEUNTI ANDREAS CHRYSOSTOMUS ZALUSKI MAGNUS REGNI SECRETARIUS, ABBAS WĄCHOCENSIS.

Brevis informatio, duplicis peregrinationis; Mentis & corporis: Hæc per Regiones, illa per Historias: Utraq; paranda prudentiæ causa

COMITEM itineris tui, dum me mea non patiatur esse conditio, sequor affectu, è conspectu non ex animo abeuntem, hancq; peregrinationis tuæ informationem, quam magis meus erga te affectus, quàm ingenij tui fœcunditas, & judicij requirit

quirit maturitas, ire tecum voluit. Tu pro solita humanitate fidum comitem acceptabis. *A.C.* 1681

Hucusque domesticæ securitatis in portu, aliena de longè tranquillus spectabas pericula, ipsâ ætatis innocentiâ, ut Palladis sub ægide tutus. Nunc solus in altum, avitis quidem insignem decoribus navem (cui dant carbasa Majorum curules, purpuræ parentum, & amicorum vota secundos spirant ventos) immensi tamen æquoris æquè, ut minores Liburnos, obnoxiam periculis. Unde quàm magnâ tibi opus sit pro acu nautica prudentiâ, pro polari sydere propriæ vocationis Cynosurâ, ipsa periculorum edocet magnitudo. His qualiter instructus fueris, tali cursu ibis inter tot excubantes invidiæ Scyllas, simulationum Charybdes, humanæ conditionis brevia. Inter Æoleas aulæ tempestates, concurrentium turbinum collisiones, inter tot personarum, ac fortunarum dolenda naufragia, ibis alter Ulysses his comitibus inter monstra natantia suaviter dolosos Syrenum cantus, per Symphlegada navigabis Colchos, tot bonæ spei transibis Promontoria, antequam fortunatis tuam ratem festiva inter celeusmata inferes Insulis.

Polare hoc, quo illustrius tibi oriatur sydus reflexâ recogita mente, natalium tuorum sortem, Majorum imitamenta considera, illâ te in Patria natum, cujus conservatio, cura, libertas æquali cum cæteris ad te pertineat jure, quæ tuis sustentanda olim incumbet humeris, hacque conditione omnes bonorum gradus, dignitates, & eminentias tibi patere voluit, & quamvis sanctior te ambiat toga, publica tamen quà bello, quà pace, & quidem primo loco te vocabunt consilia. Hâc vocationis tuæ benè perspectâ Cynosurâ, facilè illam, quam navigationis tuæ dixi acum, requires prudentiam. Hæc

Historiarum paratur cognitione, quotidianâ perficitur experientiâ, & exercitatione, Historia tibi tót sæculorum monstrabit recessus, senescentis ætates orbis, Monarchiarum sibi ad invicem succedentium quaternionem, Gentium, populorum ortus, ac interitus, Regnorum æquè ac hominum occasus, continuam in humanis revolutionem, legum, consvetudinum, morum, rituum, Religionum pandet discrimina, hæc infractâ pectus in adversis armabit constantiâ, in prosperis debitâ firmabit animum moderatione: Magnorum ad magna animabit exemplis, casus, infortunia, rerum creatarum ludibria ob oculos ponet, fortia in sago, salutifera in toga, suppeditabit consilia.

Experientia, quæ in peregrinatione, quam aggrederis consistit præsentem orbis monstrabit faciem, vicina remotaque tecum lustrabit Regna, vires, & opes Populorum, Imperiorum formas. Vim Imperantium, facilitatem obedientium, inter sese lites, prætensiones, æmulationes Principum, locorum opportunitates, nationum indolem, climatum temperiem, humorum syn- & antipathiam tuis proponet obtutibus, multa tibi sequenda, multa declinanda videbis, cuncta hæc tributariam prudentiæ tuæ ferent experientiam. Sed jam

Juvat sigillatim de utraque nempe mentis ac corporis agere peregrinatione. Prima est historicas per regiones, ubi intersumus absentibus, nobisque intersunt absentes, eò mente pertingimus, quò ætate non valemus, exigua inter illos, qui viderant, nosque inter qui legimus differentia, nisi fortè hoc feliciores sumus, quo æquiores esse possumus judices sine ira, & odio, quorum causas procul habemus.

Hæc igitur historicæ lectionis sit methodus. Exempli causa; accepto latinæ historicæ Principe Livio, primæ decadis uno, & altero vel tertio

A.C. 1681 tertio perlecto libro, ad principia revertere lectionis. Hæcque institue examina, quorum primum est

Grammaticum. Observabis verborum significationem, energiam, sensum, constructionis elegantiam, locutionem, & similia. Magni velim hoc facias examen, cùm enim verba sint internæ mentis imagines, primum prudentiæ elementum est, genuinas mentis suæ proferre repræsentationes, non verò difformia intimis conceptibus parturire monstra, in hoc enim Orator Apelleam tenetur imitari artem, ut res proprijs debitisq; depingat coloribus, quod tum demùm præstabit, si nativam verborum significationem accuratè perspexerit, aliàs tot commissurus mendacia quot dissona protulerit verba. Secundum

Rhetoricum. Figurarum vehementiam, Metaphoricæ translationis amœnitatem, rotundas verborum transpositiones, periodorum numericam plenitudinem, transitionum accommoda vincula, & similia. Tale examen est utilissimum. Stagnantium etenim adinstar undarum immobilis torpet oratio, quæ sine figurarum motu, troporum ornatu prodit: nulla vis argumenti, exigua rationis efficacia, si prædictâ non animatur vehementiâ, fastidium sui generat sermo, qui vivus, ac elegans in certamen rationum non descendit Athleta, adeo, ut, quòd in acie tubarum sonus, musicusq; valet concentus, hoc in oratione figura tropiq; præstent, excitent, recreent, inclinent, urgeant, & persvadeant. Tertium

Historicum. Observabis nexum rerum inter se cohærentium, fidam relationem, rationi con-vel-dissonam, infra vel supra fidem, affectu pro hac aut illa parte laborantem. An anteriora cum posterioribus bene conveniant, media cum fine. Tale examen vel indè prodesse crede, quod ex illo disces debitam tot rerum connexionem, dum tibi in Senatu, in publico gravior incumbet relatio, disces tot interesse hominum, populorum gesta sine confusione recto proferre ordine. Disces nimio historicam pro hac, vel illa parte affectu in posteritate amittere narrationis fidem, si nimium accuset, excuset, vel probet. Disces deformem adulationem, generosum non decere scriptorem, neque contumelias etiam in pessimos mortalium scommaticè jactas videbis. Videbis demum magnam esse vim historiæ de fama populorum ac Principum, de gloria gentium, dispones absolutissimè, probabisq; recte illum Imperatorem magis timuisse decretales historicorum calamos, quàm Persicos enses. Quartum est

Chronologicum. Annorum ac temporum inquires rationem, non modò illius, quam legis gentis, verùm etiam coætanearum nationum, quæ illorum vis, quod robur tum erat, dum sua Roma inchoaret primordia? quæ rerum mundi facies, dum infans adhuc mundi Domina sub Regibus viveret Roma? Tale examen, vetustatem. prioritatem gentium ostendet, ne forte cum aliquo ejus examinis ignaro dixeris leges tabularum à Romanis victoribus Græciæ esse datas, vel Solonem, Lycurgum in multis fuisse secutum Romulum, Nummam &c. Ex hoc examine patebunt crescentis Romæ, consistentis, & declinantis tempora, alterationes, urbis & orbis ætates, potiores, deteriores, inclinatos, in præcepsque ruentes. Denique hic patebit, ille sæculorum partus Heroës Magni, quorum si fæcundior contingat ætas, fatales orbis proculdubio, ex congressu tantorū syderum necesse est patiatur Ecclypses. Quintum est

Georgraphicum. Inquires ubi terrarum urbs Romana condebatur, quâ orbis parte, quo climate, propitio, an aspero cœlo? regione torridæ magis, quàm frigidæ obnoxia zonæ. Remoto, vel vicino à mari

loco

loco, plana an montosa plaga? pingui, vel sterili gleba? Ejusmodi examen, magnum rebus politicis adferet lumen, hinc enim cognosces ex climatis temperie asperam, vel generosam gentis indolem, induratum bellicos ad labores, vel fluxum corpus, famis minùs, vel magis patiens. Ingenia flexibilia, an pervicacia? opportunitas fluminum, & marium maximas rerum humanarum monstrabit commoditates pace belloque, fertilis gleba, opimam nec suis unquam defecturam usibus monstrabit nationem &c. similia. Sextum est A.C. 1681

Ethicum. Considerabis, qui Conditoris, Regumq; Romanorum mores; ad normã virtutis compositi, an violentos sequentes impetus? quæ animi moderatio in prosperis, quæ constantia in adversis? quæ in consilio prudentia, in executione activitas? quæ humanitas in peregrinos, clementia in suos? Item hæc omnia inquires, in ipsis civibus, eorumq; expendes mores, vitia, virtutes, extrema ad quæ magis inclinent? quæ educatio juvenum, virorum occupatio, senum consilia, vigor, & exempla virtutis? quæ victûs, quæ amictûs ratio? Hoc quoque examen fæcundum est. Ex Ducis enim moribus cognosces civium, & totius Reipub. constitutionem. Ex bellatore Romuli genio gentis paratos ad bella animos, castrensibus exercitatos laboribus, suis metuendos vicinis. Ex pietate Nummæ, religiosum populum, justum, felicem. Ex populo luxui non dedito, colliges activitatem populi, gloriæ & honoris avidum, fortem, strenuum, victoriosum. Ex mutatione morum Patriæ, imitatione exoticorum, certam imperij concludes crisim, & ultimam subrutis fundamentis tantæ molis periodum adeo, ut quemadmodum in homine omnis humorum mutatio primus mortis creditur esse nuntius, ita & in omni imperio certum mutationis prodromum esse, tot sæculorum probavit experientia. Septimum est

Politicum. Observabis quam formam regiminis Conditor ille Romulus novo posuerit populo? bellicisne, an pacis illud firmaverit artibus, quibus solidaverit legibus, quibus pœnis in delinquentes, præmiis in merentes positis, vitia coercuit, provocavit virtutem? Quæ illi belligerandi ratio, quod pacis studium? quæ fœdera, necessitudines cum vicinis, remotisve gentibus, quomodo cum hostibus ense, an conditionibus transegerit, pacem perpetuam iniverit, an suspensione armorum magis distulerit, quàm sustulerit bella? illamq; cui impar erat, aliò diverterit procellam? res ipsa loquitur hoc historiæ examen esse summum ad acquirendam rebus in politicis prudentiam, adminiculum. Nihil enim sub sole novi, antiqua sunt, sed recenter fiunt, eædem res mutatâ temporum ratione, & personarum recurrunt. In historia veteri velut in speculo tuæ Reipubl: videbis faciem, has causas, pares eventus, eadem pericula, difficultates, & discrimina. Ibi videbis usitata remedia malis, media antidota eò magis proficua, quò solidiori illa trutina examinaveris, reflexaq; excusseris mente. Ita in Romulo videbis Lechum, in Numma Miecieslaum & similes. Octavum est

Comparativum. Comparabis primò veteres cum veteribus historias, ut in dato exemplo Conditorem Romulum, cum aliis Urbium, Rerumpublicarum conditoribus. Populum Romanum cum aliis populis; habes egregium comparationis faciendæ exemplum in eodem Livio decade prima, ubi ille Alexandum Magnum comparat cum Ducibus protunc Romanis, hostibus Alexandri, exercitus cum exercitibus, & similia. Tandem accedes ad comparationem veteris sæculi cum præsenti, quo hoc ab illo differat. Comparabis modernos Principes, Status, Monarchias

A.C. 1681 narchias, cum antiquis, demum descendes ad comparationem tuæ Reipubl: tam cum veteribus, quàm modernis. Ultimò comparabis Heroes antiquos cum posterioribꝰ, imò, & cum Magnatibus tuæ Reipubl: visurus quis alicujus more, ore, & cæteris qualitatibus præferat symetriam? Tui quoq; memor eris, ut nimirum unum alterúmve ex antiquitate, tandem & ex tuis Civibus assumas, quos imiteris, illos nimirum quibus integra fama, tota authoritas, innoxia ab omnibus probatur, laudatur vita, his velut idæis uteris ad conformandos mores tuos, eorum tramites premes in petendis honoribus, in consiliis publicis, in constantia mentis inter adversa, moderatione inter prospera. Sic demum ex lectione historica proficies cum pro modulo, & proportione in te id expresseris, quod in aliis miraris, veneraris, ac probas. Utilitatem hujus examinis demonstrare haud necessarium arbitror, per se patet ex tali collatione maximum lumen tuo oriturum intellectui, ubi tot simul paria disparia contuleris exempla, in hoc excessum virtutis, in illo defectum, in tertio videris temperiem. Recurrent olim lecta, velut dato signo convolabunt exempla datâ similitudinis tesserâ. Memoriæ consules crebriore revocatione in mentem, promptuarium magnæ comparabis eruditionis, nec per Bibliothecas quæres exempla propositionis, aderunt velut ad nutum cum admiratione audientium, & efficacia sermonis propositi. Nonum est

Christiano-Morale. Considerabis in tanta rerum creatarum vicissitudine, quam historia exhibet, luculenta Divinæ gubernationis argumenta, supremum æthereæ illius mentis in res creatas tantùm valere arbitrium, ut omnem humanorum consiliorum transcendat providentiam, inopinatis confundit casibus, summa imis permiscet; Fluxa mundi omnia, & peritura ostendens, vitam hominis instabilem, tot calamitatibus ærumnísve obnoxiam. Considerabis illud supremum in mundana politie bonum, honorem, qui vitæ præfertur, in alieno brevi, & mutabili favore situm, interpretationibus sinistris, calumnijs expositum, in tantum ut cum cætera fortunæ Bona tuis clausa teneas manibus, hoc unicum quod cunctis præstat, ab alienis cogeris emendicare suffragijs, meros scilicet àëris ictus, verba fumos, & grande nihil cui tantopere insudas, vitam cum sangvine multoties, & conscientiam profundis. Cave ne dixeris Monasticis debitam claustris ejusmodi considerationem, observationem, tuo statui politico est per quam necessaria, hæc enim de nimia rerum humanarum detrahet æstimatione, cum videris fatorum quâdam occultâ dispositione, indignos crebriùs, quàm emeritos summis præfici honoribus, evehi, & extolli. Hinc est ut non cures ea, quæ tot vilibus fortuna prostituit mancipijs, altior solidioris boni inerit cura, quæ nullas patitur vicissitudines. Armabis infractâ pectus constantiâ, nec præterlabẽtis mundi curabis tempestates, malitias. Assvesces contrarijs consilijs tuis eventibus, nec præconcepta spei contristaberis decipula. Habebis bona ut dimissurus, dimittes fortunas ut denuo possessurus. Non pavebis si totus illabatur orbis semper unus & idem manebis. Adnotarem hic plura legendæ historiæ examina, si magis ingeniosus, quàm discretus videri vellem. Cætera fœcunditas ingenij tui perficiet, mihi sufficiet dedisse ansam. Hujus loci erat de libro, & titulis connotationum agere, sed cùm me brevitatis epistolaris moneat conditio, oretenus hac de re jam locutus sum, nunc ad secundam, quam aggrederis, transeo peregrinationem.

Primo Quamprimùm patrios excesseris limites promptam ad manus

nus non modò Europæ generalem, ſed etiam particularem illius Regionis habeto delineationem; ut firmas tibi terrarum imprimas ſpecies, locorum ſitus, ac diſtantias, marium, fluminumq; opportunitates, quò faciliùs tibi conſtet, cujus tibi metuenda, aut optanda pro rebus dubijs propinquitas, cujus temnenda diſtantia, ne ſis in eorum numero, qui ſine difficultate crederent Claſſes Helveticas Cracoviam petere obſidendam, aut Equitatum Hollandicum magnam invaſiſſe Britanniam, Rigam uſque ingentes abegiſſe prædas. *A.C.* 1681

Secundo. Ex eadem Mappa, & è terra oculis ſubjecta diſces, quæ cœli terræq; illius qualitas? Montoſane? & ſic pedeſtri magis eget præſidio. Plana? equitatu opus habet. Paluſtris? difficilis aditu externis hoſtibus. Sylveſtris? tot fortalitia, quot ſylvas, tot occaſiones bellico ſtratagemati ad hoſtes perdendos. Fertilis? Suâ, ſibi, ſuiſque ſemper annonâ ſufficiet. Sterilis? à vicinorum pendebit ditiorum arbitrio, ni ſterilitas glebæ opportunitate fluminum & induſtriâ incolarum ſublevetur. Fortalitiâ non providebit commeatibus; majora tenebitur numerare ob cariſtiam victus ſtipendia. Septemtrionalis? invenies populos libertatis amantiſſimos, cogi neſcios, cum enim illa vis caloris, propter circumſtantiam contrarij, ſeratoſq; poros non evaporet, plena calidi ſangvinis conſervat corpora, hinc illa vis ignea, ſubalternari impatiens, libertati ſuæ ſcrupuloſè metuens. Inde Daniæ cum Svecia divortium, Imperij Romani intra Germaniam diutiſſimæ concuſſiones, Poloniæ motus, Moſchoviæ revolutiones. Inde facilis Luthero Germanus auditor, ad excutiendam Romanæ Eccleſiæ authoritatem, cujus abſolutum eſt in Eccleſiaſticos, & conſcientias imperium; ſileo Belgium hiſce amore libertatis notum caſibus. Nec Bohemiæ commemoro actus tragicos. Econtra: Torrido ſyderi ſubjecta Regio? videbis populos propter nimiam caloris evaporantis excentrationem, ad frigidam ſeu melancholicam inclinatos temperiem. Minis ac terrore teneri, abſolutiſſimo Regi Imperio, ſat documentum clarum eſt terribili illa Hiſpanorũ inquiſitione, quæ ſuppliciorum gravitate in officio, & religione illos continet populos. Temperatum ubi reperis clima, omnia ibidem exultabunt extrema, Legum moderatio, imperij forma mixta, medius inter ſervitutem & libertatem ſtatus. Hinc ſimul conſtabit, Septemtrionales manu magis, quàm conſilio poſſe, famis plura concoquente calore impatientes, gloriæ avidos, generoſos, raro militarem ſervare obedientiã, ob innatam ſuperioribns repugnantiam, crapulam, & victus intemperiem. Contraria in contrariò climate, media in medio reperies.

Tertio. Conſiderabis populoſitatem Regionis, quæ tamen ex climate, & temperie corporum provenit? Opes induſtriales, & nativæ à mineralibus, frumentis, armentis. Populoſam Regionem ſat habere ad defenſionem ſui militis, imò & ad auxilia ferenda, maximè ubi primogenitura in uſu, minorennes fortunis ſpoliatos, ad arma vel invitos cõpellet. Dives populus ni luxus, opes, moreſq; corrumpat, hoc ſæculo noſtro imperat, cùm nullus ſit tam inacceſſus locus, quo aſellus auro onuſtus non accedat, aurea Philippi haſta, magis quàm ferrea Aiacis metuenda. Exemplum eſt Gallia, cui hodie tot tantique famulantur Principes, hocque ſolùm metuunt, quod amant, aurum Gallicum. Conſidera privatas publicaſque opes & reditus, his adjunge expenſas Exercituum, Claſſium, Proregum, Legationum, penſionum, & cæteras nã hæ multoties non modò exhauriunt proventus, verùm etiam excedunt, ut in Hiſpania tam fæcunda Indici auri, viſum.

Quarto.

A.C. 1681 *Quarto.* Considera vicinorum potentiam, hæc enim potentes, vel infirmos facit Principes. Potentiorem videre liceret hodie Sabaudum, nisi duorum Regum potentiâ ab utroq; inter malleum & incudem positus ambiretur latere. Nec Anglia tantùm sibi in mari arrogaret Imperium, quale vix Neptunus audet, si semota orbe, aquis, & scopulis munita, hoc non fuisset felicissima, quòd tribus Regnis in unum coactis, nullam amplius timere valet vicinitatem. Secura à repressalibus in tantum ut aliena ambire possit sine suorum discrimine.

Quinto. Formas Regiminis absoluti, liberi, vel mixti. Absolutum est Imperium? inquire de genio, & moribus Principis, de Regnatrice Domo, de Ministris Statûs primariis, eorumq; inter se confidentiâ, potestate, gratiâ apud Principem. Populi constitutionem, an sessoris patiens nec ne? novorum avidus, vel pacatus. Considera Principes cognatos, & consangvineos, ut illis cum suo convenit Monarcha? Vasallos, Gubernatores &c: Mixtus est Status? Inquire quæ ordinum inter se combinatio, quæ authoritas? potestas? unio? quis consiliorum modus, quæ contributionum ratio, quis præses conclavis, quis armorum, quæ populi cum primoribus concordia? Anarchicum Imperium seu omnium? inquire quis inter illos authoritate svadendi, quis virtutis opinione valeat, quæ belli ratio gerendi, quæ pacis conservandæ rationes. Videbis in absoluto Imperio, si bene amatus est Princeps, summam activitatem, secretum, obedientiam, opes, præmia virtutis, pœnas scelerũ. Non videbis Magnates malè habitos occasiones rebellionibus captare, facilè externis principib⁹ adhærere. VidebisMonarchã, modò cũ Procerib⁹ bene metu populi, modò cum populo ad terrorẽ Procerũ cohærere. In Mixto Statu, videbis ordinũ inter se collisiones, æmulationes,jurgia,multoties fatalia. Videbis consiliorũ ob certamina rationũ tarditatẽ,plebem afflictã ob libertatẽ potẽtũ. Videbis inopinatis expositos periculis, futurorũ incuriosos facile primi occupãtis hostis cedẽtes ad ingressũ. In Anarchico ni dexteritas Majorum unitis inter se animis bene inconditam norit mulcere plebem, continuos Euripos, rixas, motus, cædes Magnorum ad instantiam cujusvis calumniatoris. Videbis cuncta impetu magis, quàm ratione geri, in prosperis immoderatos, in adversis dejectos. Tandem deprehendes omnia prædictorum Statuum, seu Imperiorum corruptionis principia interna, & externa; Causas ortus, & interitus.

Sexto. Controversias Principum, prætensiones jurium, æmulationes Gentium, odia personarum, inclinationes nationum mutuas, omniumq; horum exactè expiscaberis rationes, momenta, causas & ordinem, difficultates. His cognitis facilè perspicies, quis quò impelli possit, quibus cui persvadendum vel dissvadendum rationibus, quibus mediis hic cum illo magno rerum tuarum commodo conciliari possit,ut mediationis penes te remaneat gloria.

Septimo. Magnum experientiarum lecturus librum, orbem tot capita, quot homines continentem, magnis allabora conatibus, ut ex principiis Physicis hominum noscas inclinationes. Exacta Physiologiæ cognitio, primum est humanæ prudentiæ arcanum. Aliis enim tibi erit utendũ argumentis, ut persuadeas cholerico,nempe gloriâ,honore,æstimatione,generositate tenetur, submissione capitur, vis illa ignea ac demitti nescia. Cùm sangineâ complexione, per suavia, jucunda, facilia eundum, Catonis in illis nauseam, & tædium excitat rigor. Melancholicos, præoccupationes difficultatum, solutiones dubiorum movent, terror injectus, metus, ruina. Phlegmaticos acriores excitant stimuli, nec tam alta,

alta, quàm pathetica argumenta. Ex eadem complexionis cognitione, disces activitates Ministrorum Statûs, consiliorum vim penetrabis, à cholericis violenta, à sangvineis mitiora, à melancholicis plena scrupulis, à phlegmaticis insulsa, inepta expectabis. Sed & ad privatam amicitiam multum imò totum conducit, si noveris cui confidentiam, cui exteriorem cultum, cui amicitiam, cui speciem ejus exhibeas. Nec te illud à proposito dimoveat, quod pleriq; buccinent, inscrutabiles esse hominū mentes, rejectus tot hic error experientiis, cum videamus relicta soli DEO minutissimarum cogitationum exactâ cognitione, nobis per tot prodentes sese ubiq; gnoses, certâ conjecturâ majores patere cogitationes, sunt vultus magnæ cogitationis rei, sunt minoris, non est natura tam manca ut sola loquatur lingva, loquitur munitissimis lineamentis, signis, motib⁹, toto demū de internis recessibus perorat corpore. Experiri si libuerit, probabis quæ per transennam dico, non probo, cum hoc præsentis non sit instituti disputare.

Octavo. Necessarium existimavi primis saltem coloribus, præsentis sæculi delineare symetriam, quo facilior reliquarum rerum tibi pateat cognitio. Primum itaque Romani Imperij attingere casum, cujus fragmenta tot Regnorum ac Principatuum decoris teguntur nominibus, hodiernumque Imperium nihil aliud est, quàm magni nominis umbra.

Urgentibus rem Romanam illâ lege fatis, quâ summis negatur stare diu: Ut opes nimias mundo fortuna subacto intulit, & rebus mores cessêre secundis, raptati fasces pretio, sectorq; favoris ipse sui populus lethalis ambit⁹ urbi, annua venali referens certamina campo, hinc usura vorax, avidumq; in tempore fœnus, & concussa fides, & multis utile bellum. Hinc Sullæ, Marij, Cinnæ, Sertorij, quorum enses civili imbuti sangvine ultimam Cæsare & Pompejo Ducibus attulêre ruinam. Pharsalici, Mandenses campi victum orbem & urbem Julianæ dedêre familiæ, Philippici oppresso Bruto, & Cassio ultimis qui pro libertate sunt ausi, gentium Dominam fecêre servire Domui. Demum cadente in Nerone Imperatrice Cæsarum Domo, militari cœpit famulari furori, inde bimestres, & paulò longiores visi Imperatores Vitellij, Ottones, Galbæ, per calcatas Civium cervices, immensas exercituum strages, ad Imperiale evecti fastigium, data quidem sub Vespasiano, Tito, Trajano, Nerva, optimis Principibus respirandi post tot clades facultas, sed Civilium bellorum enervatum cædibus Imperium; cunctis Gentibus, quarum ensis in partes vocatus Romanum didicit fundere sangvinem, primo contemptui esse cœpit, inde rebelliones, mox & vinci se posse Roma à barbaris ostendit, inde invasiones. Tot motibus Imperatores impares divisêre Imperium Marcus Aurelius, & Antonius Verus fratres, nempe id, quod hostes cuperent fecerunt. Tandem illæ in Oriente Persarum, Sarracenorum, Arabum, invasiones, quæ diu suis conflictatū casibus Orientale Imperium, tandem partim vi, partim subsidiorum prætextu, barbaris, quos cernimus, dedêre possidendum. In Occidente Septemtrionales populi Gotti, Longobardi, his accessêre Hunni in Augustulo ab Augusto cœptum oppressêre Imperium.

Exinde summis Pontificibus patuit occasio, sepultam resuscitandi Majestatem. Cùm enim ob summam Vicarij Christi reverentiam Constantinus Magnus, urbem Sedi Sanctæ relinquens, Byzantium sese transferret, relicta sine præsidio Roma barbaricis patuit incursionibus, summus Pontifex, Gallicanorum Principum Pipini, & ejus filij Caroli Ma-

A.C. 1681 gni respexit pietatem, & fortitudinem. Imperatorium Carolo contulit decus, eumque Sanctæ Sedis & totius Christianitatis voluit esse advocatum. Divisione posterorum Caroli Magni Majestatem sustinere non valentium, Imperium ad Germanos Saxones translatum, vagum variâ fortunâ Magnatum Germaniæ, Angliæ errabat per Domos donec Georgij septimi authoritate, post dejectum ex Imperio Henricum quartum, publicâ lege Imperiale decus soli relictum Germaniæ, quæ primo nemine contradicente, demum ob nimiam in multitudine confusionem per Deputatos eligebat, tandem negligentius rem tractantibus suam cæteris, soli aulæ Magnates post mortem Ottonis tertij sibi hoc arrogarunt Electionis opus, donec post decessum Friderici secundi ad septem primores redacta eligendi facultas; aurea Caroli quarti confirmata bulla, sub nomine Electorum Imperij, memoratos hodie conspicimus Principes, qui Electo pacta convenienda scribunt Imperatori, civile permittentes imperium, imò si deliquerit deponunt, ut in Venceslao visum. Secundum est sciendum

Reges omnes Imperatorem agnoscere primum Christiani orbis Principem, vel ex eo quòd alij Principes, naufragi imperij fragmenta possideant, ut quisque Romanis rebellavit, vel oppressam à barbaris sibi vindicavit partem. Inde est, ut sine contradictione loci prioritate illam venerentur Mtem, mediatoremque de jure quasi acceptare, utpote supremum Rei Christianæ Patronum. Scies tertio

Summum Pontificem esse omnium fidelium communem parentem, illiusque arbitrium maximum esse in Christiano orbe, cum & Imperatores, & Reges indignos sceptris declaret, primoque occupanti exponat illorum Regna ut tot sæculorum probavit experientia. Quarto sciendũ

Titulos modò tam illustres Marchionum, Burgrabiorum, Palatinorum, Comitum, & Baronum inde ortos, quòd cum Imperatores ob crebras in bella expeditiones justitiam administrare non valerent, è comitatu suo dignas selegebant personas, qui judicia exercerent. Marchiones illos dixerunt, quos limitaneis præfecerunt Provincijs, Burgrabios, quos Urbibus, Landgravios, quos medijs provincijs, Comites, quos Aulicos judices esse appellationum voluerunt. Comites Palatinos, illos cui suprema in aula judicandi data facultas. Hi postea judices successu temporis, partâ popularitate, & impetratâ in filios successione Magistratûs ad eam pervenerunt potentiam, maximè verò, cum obnoxios sibi eligerent Imperatores, ut amplius non esset in potestate Imperatorum eos, ex illis dimovere stationibus, coactique sunt Imperatores, recepto ab illis fidelitatis juramento, feudi titulo occupatas concedere provincias, sic reliquum virium Imperatoris distractum, & enervatum. Constat hic veros non esse nisi in sola Germania, & Italia, Marchiones, Comites, Landgravios, alibi simulacra, & vana nomina sunt, non res. Quem autem Imperator propter insigne aliquod liberum pronunciavit pro tempore aliquo, vocati sunt Barones, quos verò in perpetuum, suis titulis adscribunt, semper Barones, ut Imperatores suis semper Augusti. Quinto

Quod in Imperio Electores habent prærogativas, hoc olim in Gallia Duces pares, in Hispania Grandes, in Anglia Mildores habuêre, nunc stat ubiq; horum nominum umbra. Reges absoluti, sublatis è medio ijs, qui secum corregnare solebant Principibus. Sola Germania sollicitè sibi præcavet similia inconvenientia.

Esset hujus loci attingere revolutiones Electionis Pontificiæ; item potestatis Curiæ Romanæ, attingere ortus, & incrementa Augustæ Au-

stria-

ſtriacorum Domus, quæ ſex Magnarum in orbe familiarum nitet decoribus, eoque multas ſibi concivit invidias, æmulationes, hoſtes. Intereſſe intermediorum Principum, qui inter duas planè polares potentias Galliam, & Hiſpaniam poſiti juſtum utriuſque bilancis conſervant pondus. Sed cum longior eſſem forſitan, quam mei inſtituti poſcit ratio, tua verò in hiſtorijs, juxta methodum præſcriptam, evoluendis ſedulitas exactiſſimam harum rerum promittit notitiam, manum de tabula fero, felicemq; optimis, quos meditaris conatibus, exopto ſucceſſum, qui ſum &c. &c. *A.C.* 1681

SPECIFICATIO MEDICAMENTORUM

Quæ in Officinis Pariſienſibus præſertim verò in ſecretis Statûs Pharmacopæis pro futuris uſibus copiosè præparantur.

1. SYrupus magnæ obedientiæ, & venerationis erga Cæſarem, qui in Germanicis Apothecis vix ampliùs reperibilis, cùm pauci eum curent, Catholicis æquè, ac Acatholicis in æquali doſi exhibendus.

2. Pillulæ capitales aſcendentes vapores liberæ futuræ Electionis tempeſtivè diſſipantes, & ex capitibus evellentes.

3. Diverſa leniora corroſiva Dominis Prælatis, & Eccleſiaſticis Dominatum ſæcularem ſenſim extergentia.

4. Noduli laxativi, & Clyſteres ejuſdem ferè efficaciæ; Privilegia de non appellando non violenter, ſed inſenſibiliter, & ſucceſſivè.

5. Emplaſtra attractiva in magna quantitate Viduarum, & Pupillorum, aliorumque in Potentiorum Cameris conſtipata debita exextrahentia, & ad ſolutionem permoventia.

6. Electuarium Reſtitutionis de Jure poſtliminio liberas impetit civitates, quæ in municipales civitates transformatæ ſunt, in priorem ſtatum redigens, & vero ſupremo capiti reddens.

7. Compoſitio ex nitro & ſulphure cum carbonibus ſuperflua fortalitia, & arces, tanquam ulcera Provinciarum tollens, nè periculoſas inflammationes cauſare poſſit.

8. Stomachalia Statibus Imperij ſtomachum à cruditatibus jurium Mtis Pacis, & belli. Item levationis cum cæteris collectarum, & contributionum ante omnia mundiſſimè evacuantia indifferenter Catholicis, æquè ac Acatholicis exhibenda.

9. Fortius purgans bona Eccleſiaſtica reducens, & ſi fructus percepti adhuc remanſerint, medicamentum reiterandum, & doſis duplicanda ſolis Proteſtantibus pro uſu.

10. Sudoriferum ſpecificum, telonia, quæ olim publici juris fuerunt, nunc autem proprii juris facta ſunt pariter abducendi, doſis pro conſtitutione ſubjecti adhibenda, an facilè ad ſudores propendeant.

Supra recenſita medicamenta Magnatibus applicanda, qui ſolvere & expendere poſſunt.

Nobiles verò, Cives, & Plebeji per continuam ſcarificationem, &

A.C. 1681 & phlebotomiam, quousque id sustinere possunt ab omni repletione curantur.

Præter hæc præparatur specialiter, cum omni diligentia Extractus Laudani Opiati Coronas septemtrionales in quietiori somno continendi, nè præmaturè expergiscantur.

INSCRIPTIO IN JANUA REGIS SERENISSIMI.

Hic Jovis Alcides, Mars, & Bellona triumphans
Victuris plantant laurus, palmasq; Coronis.

VEL

Transtulit huc Oriens laurus, palmasq; virentes,
Ut seri carpant hinc laurea serta Nepotes.

3.

Hic virides laurus, & palmas gloria plantat
Ut seri carpant, victricia serta Nepotes.

4.

Hic ubi nunc laurus, & palmas gloria plantat
Carpite securi victricia serta Nepotes.

ALLUSIONES IN GRATIAM VILLÆ NOVÆ.

Rex plantavit opus, Mars, & Bellona triumphos,
Hic nisi par tantis fructibus hortus erat.

2.

Par orbi Villa hæc, quin toto vastior orbe
Non capit hunc orbis, quem nova Villa capit.

3.

Delectat magnos Princeps Varsavia Reges,
Ipsos delectat, sed nova Villa DEos.

SUPRA ARMAMENTARIUM.

Mulciber hic totus Mavortia fulmina cudit,
Quisquis es Enceladus, tonitru fatale caveto.

COPIA MEMORIALIS DATI A RESIDENTE SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS Javoroviæ die 5 Octobr.

AD ultimum meum memoriale, quorum plurima Sacræ Regiæ Mti Vræ submississimè detuleram, tandem ex Senatûs consilio hanc receperam resolutionem, ut ipsemet attenderem & curarem, si quæ convincentia obtinere possem, quæ in Regio Mtis Vræ circa correspondentiam Ministrorum S. R. M. Christianissimæ cum primario Rebelliū Ductore Thekelio intercederent quæque compactatis & fœderibus inter sacram Cæsaream Mtem Dñum meum Clementissimum, & sacram Mtē Vram ab antiquo & recens stabilitis adversarentur, præsertim cùm Sacra Regia Mtas Vra meis non nisi relationibus informata aliam luculentiorem notitiam non habuerit, econtra plurimis Regis Christianissimi cōtestationibus nihil quidquam tale ab ijs moliri assecurata fuerit. Quo accessit

cessit ipsa Serenissimi Regis Christianissimi per totam Europam & in au- A.C. 1682
lis omnium ferè Principum Christianorum, vel maximè dum Luxenburgum præclusione accesuum salvaretur facta declaratio, iminentibus cum Oriente motibus Sacræ Cæsareæ Mti, & Augustissimæ Domui Austriacæ nihil adversi inferendum, quo tanto facilius comuni Christianitatis comodo prospici posset. Indeque Mtas Vra vix dubitare poterat, ut cum Turca rebelles conjuncti, durantibus quidẽ inducijs loca & munimenta in Hungaria expugnent & evertant, ut quidpiam tot, tantisque declarationibus repugnans à Ministris sit pertentandum, verùm ipse Deus causæ, quia Christianitatis & Cæsaris Protector ac vindex tradidit in manus meas talia, quæ coram Throno Mtis Vræ & universo orbe produco documenta, literas scilicet & correspondentias inter Ministrum Gallicum du Veruac, & Thekelium, utique tam pijs Serenissimi Regis Christianissimi, & verè Christiano Principe dignis inhibitionibus & manifestationibus è diametro contraria. Res nullo speciali artificio digna cõtigit, quia necdum homines proprios per licentiam quidem habitam disposueram, & solam non nisi correspondentiam cum Oeconomo bonorum Illustrissimi Domini Stadnicki Castellani Præmisliensis colueram, ubi Minister Gallicus du Vervac suâ importunitate, quam nuper & in Monasterio Basilianorum exercuerat, eam indignationem meruit, & Oeconomus mihi familiarior, & intentionibus meis faventior factus fuerit; ita, ut dum Hungari Nimirovia ex statione du Vervac redeuntes ab eodem Oeconomo detenti, literis spoliati, & potestati meæ traditi sunt, quos quidem Tabellarios ad limites ditionum Scæ Mtis Cæsareæ Domini mei Clementissimi expedivi, ipsasque literas factà prius hinc publica productione ad Sacram Cæsaream Mtem D. meum Cl. transmissurus, ut mundo aperto constet, an hactenus querelæ meæ sinistræ fuerint, quas adversus eundem du Veruac Principis sui mandatis contravenientem exposui. Magna certè universæ Christianitati, magna Augustissimo Cæsari, sed nec minor Mti Vræ per hunc Veruac illata est injuria, ut qui inscia Mte Vrâ in hoc Regno, tanquam domi suæ, tam indignam ipsam hanc perniciosam correspendentiam ad Aginum usque protendendo sibi frequentissimè (uti ex confessatis innotuit) usurpavit, ut orbi fere impressionem fecerit, quasi Polonia interesse suum ex vicinis periculis non comprehendens proprio lateri per tolerantiam hujus du Veruac pugionem admoveat, quo se ipsam conficiat. Plus dico in ipsum Regem Christianissimum Principem ac Dominum suum injurius est, dum occasionem in seram usque posteritatem suspirando præbet, quasi talia vel non libenter ferret, ubi propediem Francofurtum ad Mœnum præsens, orbis Theatrum, ac Ratisbona viderint, quæ & quanta in Regno Majestatis Vræ hucusque perpetrata, & in præjudicium Christianitatis mediantibus Ministris Gallicis cum rebellibus acta sunt, in Regno inquam Mtis Vræ, cui à tot sæculis cum Sacra Cæsarea Mte, ejusdemque Regnis & provincijs strictissima intercesserunt fœderum, compactatorumq; jura, ex eo scilicet fundamento progressa, quod utrumq; Regnorum crederet se stare non posse, si alterum corrueret. Annus autem dabitur, quo dictus du Veruac in diversis intra Regnnm Mtis Vræ Hungariæ vicinis latitat locis obtendens mandatorum Principis sui expectativam, quasi Gedanum aut Regionomtum, eâ, quà Galli solent ire viâ, Gallia non esset propinquius cuncta illa expediendi, quæ Rex Christianissimus juberet, sed auscultavit, lucensque ex Hungaria sors ut cum gratulatione ad Thekelium accederet, & novæ Ottomani-

A.C. 1682 cæ inaugurationi, suis utique conatibus promotæ applauderet. Dum itaque de tantis in Regno Mtis Vræ, sed eâdem insciâ, intercedentibus machinationibus coram DEO & Mte Vra, totaque Christianitate solennissimè protector, eandem Mtem Vram submississimè exoro, dignetur hisce evidentissimis, & plus quàm convincentibus documentis perpensis pro jure illius, quam Mtas Vra semper experta est, integerrimæ amicitiæ, quamque reciprocè sua Mtas Cæsarea indubiam habuit, tandem efficacissimè resolvere, & seriò demandare, ut hic du Veruac, qui jussu Seren. Regis Christianissimi Principis cum propinquo cognato Principe Sacræ Cæsareæ Mti D. M. Cl. conjuncto excedit, qui functione sua in præjudicium Christianitatis abutitur, & protectione juris gentium se indignum reddit, è Regno Mtis Vræ haud mora expediatur, cæteraque omnia præsentibus rebus noxia removeantur. Cùm & ipsa Sacræ Romanæ Ecclesiæ jura & censuræ, armorum ad infideles deportatores, quidni cum ijs collusores, ipso facto pro excommunicatis habeant. Hicque du Veruac non modò à sua Mte Christianissima severissimè puniri, sed etiam è Regno ejusdem Mtis suæ proscribi meretur, utpote, qui mandata, seu inhibitiones transgressus, in ipsum Principis sui honorem, & reputationem, verbumq; per orbem proclamatum sicarium egit. Cujus firmitas si in terris periret, in ore Principum invenienda esset. Non ambigo Sacram Regiam Majestatem Vestram tot iteratis æquissimis instantijs permotam, suffragantibus ad id viribus fœderum amicitiæ, & propriæ convenientiæ locum daturam. Cujus benignissimis Regijs Gratijs me submississimè commendo.

ORATIO DICTA AD SEREN: & POTENT: POLONIÆ REGEM JOANNEM III. A RESIDENTE CÆSAREO ZIEROWSKI IN PUBLICA SEDENTE SENATUS AUDIENTIA. Leopoli 20. Nov.

EA est præsentium temporum infelicitas, ut pax in pace quæratur, & pax per pacem pacificanda sit. Impedit Europa ad sistendum Christiani sangvinis profluvium Monasterij Vestphalorum annos, summis undequaq; curis intentos, ut paci consuleret. Adjecit, & nuper eidem renovandæ Neomagi majora conamina, cùm tamen per omnem exquisitissimam industriam modum adinvenire non potuit, ut post binã pacem, paci prospectum esset. Recruduerunt ea scilicet omnia, quæ cõfectis pacis tabulis quieto loco credebantur ita, ut nihil unquam magis ambigui esse videatur, quàm pax in ipsa pace. Causas disquirere nolim, quia de amica pace agitur. Illud autem Sacræ Regiæ Mti innotuit, placuisse Suæ Mti Christianissimæ, spatij cujusdam temporis, ad decursum usq; elabentis mensis per Legatos suos Plenipotentiarios Francofurti ad Mœnum meminisse, quo cuncta terminarentur. Quàm parùm autem per tantas angustias hæc assequi possint, vel inde metiendum erit, quod ante hac his omnibus, de quibus nunc agitur, in tuto ponendis, summa Sacri Romani Imperij dignitas, & libertas, quam utique Sua Mtas Christiana majoribus contestationib9 servatam cupit, quàm ut extra ordinem coarctatam velit. Neq; de Suæ Mtis Christianissimæ æquanimitate existimari potest, hisce restrictionibus inhæsuram, dum non nisi res præcipitarentur, & ultra tertiam pacem, ulteriorum desideriorũ semina facilè relinquerentur. Pax itaq; bono omine tractanda, & speranda, eaq; secura universalis, & stabilis, ad quam tantò firmiùs assequendam Sacra Cæsarea Mtas D. meus Clementissimus, præter illam, quam

unà

unà cum Sua Mte Catholica Seren: Magnæ Britanniæ Regi obtulit, mediationem etiam S. Mti V. offerendam, mihi clementissimè injunxit, ut & mundo de integerrima sua, pacis consequendæ voluntate constet, & simul Majestas Vestra clariùs conjiciat, quanti Sacra Cæsarea Majestas D. meus Clementissimus Sacræ R. Mtis Vræ æquitatem æstimet, sensumq; à partium studiis longè remotum, causasq; rerum procul habentem. Nec poterit Mtas V. gloriæ suæ æternùm duraturæ majus adjicere pondus, quàm dum Oriens insurgit, bellaq; minatur, Mtas Vestra corda Principum Christianorum tali nomine conjunxerit. Et hæc sunt Seren: & Potentissime Rex, quæ Sacra C. Mtas D. meus Clementissimus per singularem fiduciam de Fraterno Mtis V. affectu expectat, sibiq; in maximum confidentissimæ amicitiæ argumentum appromittit, nihil unquam intermissum, quod pari officiorum reciprocatione, gratum, acceptumq; Majestati Vestræ reddere possit. A. C. 1682

ORATIO MARESCHALCI REGNI LUBOMIRSCIJ, QUA SCIPIONEM CURIÆ GERMANO SUO EQUITI MELITENSI REDDIDIT IN COMITIIS.

Miretur nemo Germanos duos Fratres uno niti scipione, id est lege. Sacra Regia Mstas, dum te Mareschalcum jubet; te & in fulcrum legum & in columen suæ assumit authoritatis & Majestatis. Movetur illa ad id non tantùm virtute & meritis tuis, quæ hactenùs à te Patriæ exhibita, omnia arbitrantis Principis non effugerunt oculum: sed etiam à Romana quondam antiquitate seris sæculis consignato mysterio, quod ut sapientissimus Polono orbi explicaret Regnator, in te Serenissimo respexit vultu. Prodidit in fastis Pòëta, Romanos pro fortuna publica Bellonæ sacrificaturos eum sibi eligisse diem, quem sol geminato de sub nube ortu fotunâsset:

Manè, ubi bis fuerit; Phœbusq; iteraverit ortus,
Hâc sacrata die Thusco Bellona duello
Dicitur, & lætis prospera semper adest.

Serenissimus Poloniæ nostræ Phœbus, S. R. Mstas, in ortu felicis Coronationis suæ propitio semel subditam & fidelem sibi nostram respexit domum, unisq; insufficientiæ meæ superatis nubilis, me quãvis indignum servum Regalis munificentiæ radijs, ut sol tenuem & exilem consvevit nubeculam, coram facie Majestatis Suæ accendit: hodie iterum dum suis auspicijs corda civium ad sacrificandum Patriæ Bellonæ, provocat, eandē sereno suo dignatur domū, in eodē secundo oritur horizonte, nec autimparitate viriū aut imperitiâ unius victꝰ in alterū te liberalis ortûs sui & Regiæ dignitatis Augustū dispensat mane. Et hæc faciendo minimè deviat ab Indole sua magnanima hæc Serenissimi Phœbi nostri in omnibus benè provida consultaq; munificentia: num enim portentum sit? quòd, dum in hac Patriæ nostræ nunquam utinam occidentali Hesperia, per nescia marcescere liberorum cordium nobilitatis viridaria delicians im̃ortales nomi-

A.C. 1682 nomini suo plantat laurus; etiam in uno scipione geminos de eadē stirpe implantatos palmites ad sua inclinet obsequia? ut quantum alteri deest, tantum compenset nec deficiat alter. Nunquam levitatis vel frustranei laboris in suis conceptibus insimulaverim antiquitatem: quæ securam domûs Regiæ lariumq; Patriæ adumbratura custodiam germanos fratres non invitis adstrictos vinculis in imagine exhibuit, vocavitq; Penates. Ad obsequia enim & custodiam Regni ea conspiret unio necesse est: ut unus pro duobus sit, & duo coalescant in unum. Unde non sine causa S. R. M. te ad suæ Regiæ domûs assumit moderationem; ut per hanc compagem binos, uti natalibus unos, sic & munere futuros in ævum sibi obliget Penates. Qui tantus Serenissimi capitis ceu Minervæ beneficio hodie in lucē editus partus geminorum illorum fratrum Esau & Jacobi mihi suscitat memoriam: certārunt illi quodammodo, nascendo, quis prior ad obsequia in mundi prodire deberet lucem. Adveniente partu unus ex illis protulit manum. Profero & ego, cui obsequij primogenitura ex beneplacito & bonitate S. R. M. priori obtigit, & scipionem hunc virgam directionis tanti sociam obsequii & intuitu præstandi Principi debiti & fideli custodiā juribus Patriæ invigilandi tibi porrigo. Et quia manus manui tradit: sumo inde doctrinam à gnara rerum omnium magistra natura, quæ ex regula sagacis politicæ formato humano corpori geminos, qui capiti obsequerentur adjecit fratres, manus scilicet: quas ita ad consensum capitis instruxit; ut quidquid illud discretè & industriè adinveniret, manus non segnitet exequerentur. Verùm re ipsa pateat & effectu, quod symbolo adumbravi. In cujus rei argumentum geminas fidelium famulorum obligationes fidelitatem & obsequium Majestati submisse adsternentes, justissimum censemus, sacras plantas tantæ Regiæ bonitatis pro tanto honore & gratia utrâq; germanâ stringere & amplecti manu.

FRAGMENTUM LITERARUM EPISCOPI CRACOVIENSIS AD AMICUM die 26. Januarij.

Ante 15. dies accepi Dominationis Vræ literas, I. Januarij scriptas, plenas eo dolore, quem quivis bonus civis hujus Regni concipere meritò debet, ex tam misero, & afflicto statu Reipublicæ, cujus principium ortum est ex suscepto, sed nondum perfecto negotio Electionis novi Regis, illud anno præterito institutum, revera non suo tempore judicium, & ex eo isti tam horrendi motus, quorum nondum finis, meus certè animus horret meminisse, quæ jā acta sunt, & quæ adhuc imminent. Tot tantisq; malis non alia medicina efficacior esse potest, quàm amnistia præteritorum, ut in futurum benè esse possit, sed obstat causa Lubomirscij, nondum sopita, quantum is jam ultus est, si quam habuit injuriam, in Comitijs elaborari debet, in componendo hoc negotio, & componi quidē potest

poteſt, ſi Lubomirski, pacem ſincerè optabit; ex literis Dnis Vræ intelligo eandem inſolentiam militum in Pruſſia graſſari, atq; hic in Polonia, ubi miles omnia deſpoliat, nullo vetante, ſpem ſolummodo habemus, ſi Comitia feliciter finientur, & contributiones ad ſolvenda ſtipendia peſſimo militi ſtabilientur, ſaltem aliquam partem, damnorum compenſationem in Commiſſione nos accepturos. Jam nuper benè intellexi, præſidia arcibus, & civitatibus in Pruſſia & in Polonia multis in locis eſſe impoſita, cujus rei prætextus ſumptus, quod oportet ſecuritatem Regi, & Regno providere, hoſte in viſceribus Regni exiſtente. Indolui etiam, cùm me præſente, Thorunio milites præſidiarij impoſiti ſunt, diſſvaſi, quantum potui, ſed nihil profeci. Cæterùm Principem aliquem rebus tam turbatis, in Poloniam ineunte vere venturum, non credo, quis enim, cùm pace frui poſſet, rebus tam confuſis ſe immittere vellet? condoleo etiam plurimum D. Vræ incommodis, de quibus juſtè conqueritur. Civitas Dantiſcana prudenter facit, quòd alieno malo cauta eſt, in ea enim tempora venimus, quòd legum jam nullus ſit reſpectus. Spero tamen DEum nos reſpecturum, & omnes technas, quæ contra ipſius voluntatem Divinam parantur, proſtraturum. A.C. 1683

ORATIO AB ALBERTO ADRIANO LASSOCKI CAPITANEO WYSZOGRODENSIS NUNTIO MASOVIÆ IN COMITIIS PRÆSENTE REGE ET SENATU HABITA 17 Martij 1683.

SEreniſſime Rex nolo in Regali corde renovare dolorem, utor verborum parſimoniâ; quia inclinatus in occaſum dies longiorem ſermonem vetat. In materia læſivarum literarum Legati Gallici exiſtimo ab alijs Nuntijs, qui ante me dixerunt, abundè veſtræ Mti eſſe ſatis factum: nec ego ex ſtatione mea contravenio quin læſum honorem ſuum literis apud Regem Galliæ reſtitui contendat.

In cauſa Theſaurarij Regni nec perſonam nec factum tango; id ſolùm dico, quod modò eſt in deliberatione veſtræ Mtis & totius Reipub. an ſummariò proceſſu ex termino tacto per diſpenſationem antiqui juris miniſter ſtatûs judicandus vel non judicandus ſit? ævo meo magnæ intervenerunt diffidentiæ, certæque ſuſpiciones inter Cancellarium Regni & aulam piæ memoriæ Regis Caſimiri in tantum: ut eo deventum fuerit; ut in judicio Mareſchalcali Cancellarius decreto criminaliter opprimeretur, nec intuitu iræ Regiæ in Tribunali Piotrkowienſi ſecurè poſſet ſubſiſtere: quare Viennam divertere coactus, mox etiam illinc ad inſtantiam Regis motus, tandem apud Reginam Sveciæ Chriſtinam invenit protectionem: ubi exiſtens quia invidos torquebat, inſimulatus fuit literarum, quæ interceptæ ſub tempus comitiorum Anno 1652 fuerunt. Verène iſtæ literæ illius fuerint? an autem ab aliquo malevolo ſcriptæ? plenè non conſtitit: contentum illarum erat, ut conciliaret Coſacorum affectum Regiæ

Sveciæ

A.C. 1683 Seciæ. Quare illis in facie Ordinum productis eò adduxerunt Rempub.; ut præcipitanti judicio & consilio in contumaciam sine replicatione per legem publicam in Cancellarium pœna perduellionis statuta fuerit. Aggravatus Cancellarius tam acerbo decreto cum exercitu Regis Seciæ in Poloniam pro solutione venit. Quid secutum sit in memoria nostra est. Luit Mtas & Respub: quòd in tam præcipitem & inauditam condemnationem novo stylo & exemplo temerè consenserit. Ab adventu cum copijs Sveticis condemnatus iterùm Cancellarius, in hostis potestatem Metropolis Regni concessit, Rex ex Polonia alio migrare coactus, exercitus noster partibus Sveticis adhæsit: hic ipse locus consiliorum victorem excepit, Provinciarum desolatio, quæ adhuc præ oculis est se latè diffudit. Tanta & alia plura mala ex uno præjudicio Cancellario facta ceu ex fonte manârunt, ægrè flamma belli tractatibus Olivensibus 1660 est sopita.

Ab hoc crudeli Svetico bello non potuit adhuc respirare Respublica; quia piæ memoriæ Regina Ludovica videns sterilitatem Regis assiduè de Successore ad Regnum cogitabat: quia autem Mareschalcus magnus idemque Dux ejus annuere votis nolebat; eò deduxit bonum Principem: ut Mareschalco magno & Duci simul crimina innocenti objicerentur, mandatis aggravaretur, dies pro Comitijs indiceretur, & invitis Ordinibus indebitè insons judicaretur ac ab officio utroque tam Scipionis, quàm Clavæ abjudicaretur, quæ ceu caduca forent, alijs resignata sunt. Fundamentum autem harum criminationum non nisi chartulæ fuerunt, quas memorialia nominare libuit, ab Officialibus confœderati exercitûs Swiderscio, Bartnicio, Jordano, ad placitum Reginalis Majestatis subscriptæ. Tantas injurias Ministro Regni irrogatas DEUS nequaquam conniventiâ veluti sepelivit: successerunt bella civilia, ingens Palatinatuum ruina, Montoviensis & Częstochowiensis expeditio, fusus utrinq; sangvis, vixq; magni motus tractatibus ad Legonicos sunt tranquillati, & constitutione 1667 pacificati. Digna animadversione res est; qualiter DEUS Regi CASIMIRO minimè pepercerit, quòd malis & iniquis consilijs paruisset: dum eam illi negavit gratiam, ut in throno Parentis & fratris sui feliciter vitæ suæ clauderet dies.

Secundùm abdicationem Casimiri Regis & fata Reginæ Ludovicæ Respub. suspectam externorum tutelam perosa ex æqualitate piæ memoriæ Regem Michäëlem in thronum Regni assumpsit: nec frustrata fuisset spe suä & votis; si non connubium cum domo Austriaca intercessisset, quo factum est; ut æmulæ domus Gallica & Austriaca partes quæq; suas in Patria nactæ colliderent Rempub., à Proceribus Gallicæ factionis in odium Michäëlis Regis quatuor Comitia rumperentur: ob quam rupturam amissa Podolia, captum Camenecum, deperdita Vcrainia.

E converso

Econverso Domus Austriaca in comitiolis majoris Poloniæ tumultus excitabit: quæ ibi gesta fuerint, nec Regiam Mtem Vram, nec ullum alium latet. Demum Proceribus Regni de literis ad Gallos arcano cifrarum modo scriptis per mandata dies dicta, judicatique in Comitijs sunt: verùm Senatus inculpatos liberos de plano invenit, ipse etiam ego eo tempore ex Nuntiorum hypocausto ad ea judicia deputatus citatus libertatem pronuntiavi. Quia verò hæc nostra sententia in summam ignominiam Delatorum majoris Poloniæ cedebat, evicit Majestas ut trium dierum dilatio in gratiam literarum cifris scriptarum concederetur: quâ concessâ potenter laboratũ est, ut indulgeretur evasio juratoria, quatenùs ita tumultus & excessus ex instinctu aulæ in Comitiolis Majoris Poloniæ patrati tegerentur. Assecuta hæc omnia est aulæ interpositio; quamvis jam re ipsâ citatis concessum esset juramentum. Insecuti postmodum sunt ingentes motus, & Golembiensis confœderatio, quam Comitia pacificationis tranquillarunt. Quandoquidem ergo præcipitantia judiciorum, quibus Ministri Regni afflicti sunt, causam dedit ruinæ, tumultibus & ingenti confusioni Reipub. quemadmodum manifestis & in oculis meis practicatis probavi exemplis; minimè vereor ut amittam gratiam vestræ Majestatis: si in præsenti termino utar jure vetandi. Non permittam igitur; ut antiquo juri injuria fiat, ut illud corrumpatur: novitatem introduci non sinam nec Ministrum Regni ex termino tacto judicari concedam. A.C 1683

COPIA TRACTATUUM CUM CÆSARE.
31. Martij.

NOS JOANNES III. DEI GRATIA REX POLONIÆ, &c. Notum testatumq; facimus tenore præsentium, quòd cum quotidiana experientia compertum habeatur, Ottomanicam potentiam, vel ideo Christianitati gravem, atque in dies proficere, quòd in commune periculum armorum societatibus, & fœderibus provisum sit, in præsens quoque, ea per universas in Europa Turcicas ditiones, ipsamq; Asiam belli fiant præparamenta, quæ nonnisi populis Christianis, potissimùm autem Hungariæ vicino, tum & nostro Poloniæ Regnis possunt esse nociva, unde nec aliter plena eorum securitas consequenda videatur, quàm si ad invicem, ab immanissimi hostis aggressione prospiciatur, ablataq; totis viribus recuperentur, stimulante præsertim ad id paternâ universalis Pastoris INNOCENTII XI. sollicitudine, qua jam aliquot ab annis pro sacrosanctæ fidei, & Religionis zelo, pro tot populorum salute, & Christiani nominis gloriâ, sacrum fœdus ineundum efficacissimis institit adhortationibus. Quapropter perpendentes simul ipsam Turcarum perfidiam, quâ pacis paulò ante conclusæ infractionem toties attentârunt, nempe in dislimitatione Podoliæ, & frequenti Tartarorum in Provincias nostras incursione, tum & necdum elapso induciarum decursu subditorum Sacræ Cæsareæ, Regiæque Mtis tumultuantium protectione Regno Hungariæ inhiat, & deniq; successivè omnibus universale discrimen immineat, ordinavit, & instituit Sacra Cæsarea Mtas, ad Nosq; misit Plenipotentiarios suos, Illmos & Magnificos

A.C. 1683 ficos Carolum Ferdinandum Comitem à Waldtstein, Baronem in Zwigar, Mynchengarz, Leytszyn, & Majore Augez suum Consiliarium Arcanum Camerarium, & Augustissimæ Imperatricis Viduæ Eleonoræ Dominæ Matris nostræ amantissimæ Supremum Aulæ Præfectum, aurei velleris Equitem, Legatum, & Joannem Christophorum Zierowski, liberum Baronem de Zierowa In Honnensdorff, Geltendorff, & majore Schottkau Consiliarium & Ablegatum suum pridem in Polonia versantem, quibus vigore literarum suarum Plenipotentialium 2da mensis Januarij præsentis 1683 Anni datariam plenam, ac integram facultatem, & potestatem concessit, dedit, & tribuit, ut Suæ Mtis & Successorum suorum Regum Hungariæ & Bohemiæ, ac Archiducum Austriæ nomine nobiscum Ordinibusq; Regni nostri, & M. D. Lit: fœdus offensivum, & defensivum simultarie, vel si alteruter eorum impeditus, absens, vel non valens fuerit, seorsivè tractare, perficere, & concludere possint, ac valeant. Et illi quidem per frequentiores cum nostris, ordinumq; Regni nostri, Magniq; D. L. Deputatis ad id Commissarijs Varsaviæ in loco Comitiorum Regni Generalium habitas conferentias, post invocatum Divini nominis auxiliũ prævià maturâ deliberatione, in mutuas fœderum leges convenerunt, eo, quo sequitur modo, videlicet:

Notum sit universis & singulis quorum interest, & quomodolibet interesse poterit. Quod cum inter Seren: & Potent: Principem ac Dominum D. LEOPOLDUM Electum Romanorum Imperatorem, semper Augustum, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, Styriæ, Carinthiæ, & Carniolæ, Marchionem Moraviæ, Ducem Lucemburgiæ, ac Superioris, & Inferioris Silesiæ, Virtembergæ, & Theclæ, Principem Sveciæ, Comitem Habsburgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi, & Goritiæ Landgravium, Alsatiæ Marchionem S. R. I. Burgoviæ ac superioris, & inferioris Lusatiæ, Dominum Marchiæ, Sclavoniæ, Portus Naonis & Salinarum ex una: Et Serenissimum & Potent: Principem ac Dominum D. JOANNEM III. Poloniæ Regem, Magnum Ducem Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kyoviæ, Volhiniæ,, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Severiæ, Czerniechoviæq;, Regnum, ac Rempub: Polonam, Magnumq; D. L. ex altera parte de arctiore amicitia, correspondentia, & fœdere inter se pro mutua Regnorum Provinciarum, ac Ditionnm suarum defensione, ac securitate ineundo ab aliquot retrò annis actum, nunc verò metuendum sit, ne vicina in Hungaria mala longiùs serpant, & cum primis altissimè memoratarũ Sacrarum Majestatum Regna, & Ditiones corripiant; Idcirco utriusque placuit inceptum tam salutare opus per certos ad id concludendum specialiter Deputatos Ministros redordiri, maturare, ac perficere. Congressi itaq; utrinq; legitimè constituti Plenipotentiarij, nempe ex parte Cæsareæ Mtis Illustrissimi & Excell: Domini, D. Carolus Ferdinandus Comes à Waldtstein Baro in Zwigar, Mynchengarz, Leytszyn, & Majore Augez Sacræ Cæsareæ Mtis Consiliarius Arcanus Camerarius, & Augustissimæ Imperatricis Viduæ Eleonoræ Supremus Aulæ Præfectus, aurei velleris Eques, Legatus, & Dominus Joannes Christophorus Zierowski liber Baro de Zierowa Honnensdorff, Geltendorff, & minore Schottkau S. C. Mtis Consiliarius, & Ablegatus; Ex parte verò Sacræ Regiæ Mtis, Magni Ducis Litvaniæ, Regni, ac Reipubl: Polonæ, Magniq; Ducatûs Litvaniæ Deputati ex Senatu Rñdi in Christo DD. Joannes Małachowski Cracoviensis, Stephanus Pac Vilnensis, Michäël Radziejowski Varmiensis, Stanislaus Witwicki Luceoriensis, Casimirus

simirus Opalinski Culmensis, Stanislaus Woienski Camenecensis Episcopi. Illmi, Magnifici, ac Generosi Andreas Potocki Castellanus Cracoviensis, Felix Potocki Palatinus Cracoviensis, Christophorus Grzymaltowski Posnaniensis, Martianus Oginski Trocensis, Casimirus Sapieha Vilnensis, Exercituum M. D. L. Stanislaus Jabłonowski Russiæ, Exercituum Regni Supremi Duces; Nicolaus Sieniawski Volhyniæ, Regni, Joannes Oginski Plocensis; M. D. L. Campiductores, Martinus Zamoyski Lublinensis, Ant. Chraponicki Vitepscensis, Franciscus Bielinski Mariæburgensis, Vladislaus Dònhoff Pomeraniæ Palatini; Constantinus Breza Posnaniensis, Martinus Kątski Leopoliensis, Georgius Wielobarski Volhyniæ, Stanislaus Lużecki Podlachiæ; Piasceczynski Brestensis M. D. L. Vladislaus Łos Culmensis, Otto Fridericus Felkierszamb Livoniæ Castellani, Stanislaus Lubomierski Supremus Mareschalcus, Joannes Wielopolski Supremus Regni Cancellarius, Christophorus Pac M. D. L. Supremus Cancellarius, Joannes Gninski Regni, Nicolaus Dux Radziwil Magni Ducatûs Litvaniæ Procancellarij, Benedictus Sapieha Thesaurarius M. D. L. Hieronymus Lubomierski Eques Melitensis, Mareschalc⁹ curiæ Regni Officiales. Tum Venerabiles Andreas Załuski Abbas Wąchocensis nominatus Episcopus Kijoviensis, Christophorus Gninski Abbas Wągrovecensis Referendarius Regni. Ex Equestri verò Ordine Raphaël Comes in Łeszno Vexillifer Regni. Comitiorum Generalium Mareschalcus, Joannes Kraszynski Referendarius Regni, Capitaneus Varsaviensis, Franciscus Jordan Pincerna Regni Capitaneus Dobsczycensis, Franciscus Sapieha Præfectus Stabuli M. D. L. Josephus Słuszka Vexillifer M. D. L. Andreas Joannes Zydowski Vice-Capitaneus, & Judex Castrensis Cracoviensis, Martinus Olszowski Capitaneus Wielunensis, Martianus Czaplic Succamerarius Kijoviensis, Casimirus Sapieha Capitaneus Brestensis, Stephanus Zaborowski Capitaneus Wolodomiriensis, Alexander Przyiemski Vexillifer Calissiensis, Hieronymus Kuropatnicki Judex Terrestris Leopoliensis, Melchior Gurowski Pocillator Posnaniensis, Hyacinthus Rostworowski Vexillifer Livensis, Jacobus Wilkotarski Judex Surrogatus Castrensis, Wschovensis, Seraphinus Głębocki Venator Junivladislaviensis, Eustachius Grotus Capitaneus Baygrodensis post plenipotentiarum tabulas utrinq; ritè commutatas, in mutuas fœderis arctioris offensivi, & defensivi conditiones, leges, & articulos, ut sequitur convenit: *A.C.* 1683

In Nomine Sanctissimæ & Individuæ Trinitatis. Sit inter Serenissimos & Potentissimos Principes D. LEOPOLDUM Divinâ favente clementiâ Imperatorem semper Augustum, ejusq; Regnorum, Hungariæ, ac Bohemiæ, nec non Archi-Ducatûs Austriæ, & cæterarum Suæ Mtis Provinciarum hæreditariarum Successores ab una; Et D. JOANNEM III. DEi gratiâ Poloniæ Regem, Magnum Ducem Litvaniæ parte ab altera illa animorum, & armorum societas, quæ utriusq; Mtis Regna, & Provincias, ut vicinitate mutuâ, ita communione periculorum belli Ottomanici conjunctas, & in eis sacrosanctæ fidei cultum, tot Populorum salutem, non solùm ab ulteriori immanissimi hostis aggressione in tuto conservare, verùm etiam recuperatis ab utrinq; ablatis, firmâ, & stabili pace valeat beare.

Et hæc vera erant motiva, quæ Sacram Regiam Poloniæ Mtem, & Rempub: ad fœderis hujus necessitatem induxêre, utpote eam, quæ vicina, & propria considerans pericula, conclusam ante aliquot annos cũ Turcis pacem, multis infractionibus læsam, nec diu duraturam benè

A.C. 1683 præviderat, maximè verò dum paterna universalis Pastoris INNOCENTII XI. sollicitudo, aliquot ab annis, Regiæ Mtis magnanimitatem, Statuumq; Regni pietatem, ad sacrum hocce bellum ferventissimis, ardentissimis, & creberrimis adhortationibus, ac favoribus subsidiorum promissis sollicitare non destiterit.

Sit ergo inter altè memoratas Mtes, earumq; in throno Successores, Regna, & provincias offensivi, & defensivi belli societas; prima ad gloriosam, & stabilem, cum hoste communi utriusque partis pacificationem duratura. Altera ad ejusdem pacis perennem conservationem, perpetuum permansura.

Quò autem majori robore, & indissociabili vinculo solidetur, tam sacrum, piumque opus, utraque pars communem Patrem Pontificem Maximum sacræ hujus societatis Protectorem, Manutentorem, ac in virtute Gvarrantiæ Evictorem suis cum Successoribus maximis Pontificibus venerabunda assumit, minimè dubia Sanctitatem suam id facturam, ut neutram partem pœniteat, Paternis, ardentissimisq; suæ Sanctitatis adhortationibus pronas dedisse aures, & filialem submisisse promptitudinem.

Obligant se identidem tam Sacra Cæsarea Mtas, quàm Sacra Regia Mtas Poloniæ unà cum Regni, & M. D. L. Ordinibus sub onere juramenti propriarum manuum præsentis tractatûs subscriptione, omnique alio vinculo, quod firma, & indissolubilia Principum, & populorum solet reddere fœdera, initam ad præsens belli societatem, sacrosanctè, inviolabiliter, in omnibus punctis, clausulis, articulis, per se, & Successores suos conservaturos.

Quod ut majorem habeat vigorem, ac Religionem, ipsum juramenti Sacramentum Eminentissimi Cardinales, nominatim Eminentissimus Pio, & Eminentissim⁹ Barberini uti earundem gentium Protectores, & repræsentantes intra decursum binorum mensium in manibus suæ Sanctitatis, in eam juramenti formam, quæ seorsivo articulo pacta est, & in hoc tractatu ab utrinque subscripta habetur, nomine suarũ Mtum, tanquam Principalium suorum corporaliter præstabunt.

Itidem sua Mtas Cæsarea prætensiones ex tractatu tempore belli Svetici occasione subsidiorum facto resultantes annihilat, de hisque Sacram Regiam Mtem, & Rempub. totaliter quietat; nominatim verò diploma ex Senatûs consilio emanatum de Electione nullum declarat, eidem renuntiat, regnoque Poloniæ, & liberis ejus suffragiis restituit, & hypothecam, si quæ est, inscriptiones, & prætensiones ad Salis-fodinas Vielicenses integrè remittit, in perpetuum, & annihilat.

Vicissim Sacra Regia Mtas, & Respub. Poloniæ ex supradicto tractatu resultantes obligationes omnes, vel prætensiones in perpetuum solvit, & annihilat. Ut his ab utrinque sublatis, in perpetuum prætensionibus, omnes præsens conjunctio excludat scrupulos, & confidentiæ obices.

In societate itaque belli offensivi permanentes partes nullo modo, & prætextu seorsivè, etiamsi opima votiva, & maximè favorabilis alterutri illarum esset oblata, acceptabunt pacem, nisi simul, & semel utraque pars consenserit, eademque acceptaverit.

Hæc belli societas erit inter Serenissimum & Potentissimum Imperatorem, quà est Hungariæ, & Bohemiæ Rex, Archi-Dux Austriæ, tũ aliarum provinciarum Dominus, ac Hæres, ita ut suæ Mtis in hæreditaria Regna, & provincias Successores teneantur, ad hoc fœdus, & iisdẽ punctis,

punctis, clausulis, ligamentis obligentur, ad quod Sacra Regia Mtas Poloniæ, ejusque in throno Successores, Regnum Poloniæ, Magnusque Ducatûs Litvaniæ vice versâ obligantur. *A.C.* 1683

Eadem belli societas limitatur, solius belli Turcici necessitate, nec ad aliud quodvis bellum, ullo prorsus colore, & prætextu extendi unquam poterit.

Declarat itaque Sacra Cæsarea Mtas vigore præsentis societatis sexaginta millia hominum ad bellum in Hungaria gerendum, quo numero comprehenduntur viginti millia subsidiorum Cæsareæ Mtis, Amicorum Principum, & Legiones in præsidijs fortalitiorum in Hungaria permanentes.

Declarat vicissim Sacra Regia Mtas Regnum Poloniæ & M.D.L. bello gerendo competentes quadraginta millium exercitûs vires durante eodem bello alendas.

Casu verò quo Viennensi vel Cracoviensi urbi obsidio immineret, eo tempore utraque Cæsarea, & Regia Mtas, actualem armorum suorũ conjunctionem mutuò, & ad invicem sibi adpromittunt, Exercitibusq; integris pars partem pro liberanda illa urbe, quæ caput, & Metropolis est, juvabit, propulsandam obsidionem curabit. Idem utraq; pars factura, quoties bellico consilio assistendi sibi mutuò integris viribus, vel earum parte necessitas postulaverit. Quo fine, intimiorisq; communicationis ergo, Residentes ab utrinque Officiales belli gnari, specialiter ad id selecti, circa partes ad invicem manebunt; aliàs per diversionem bellum geri debet, videlicet Sra Cæsarea Mtas Regno Hungariæ, Fortalitijsq; ejus vindicandis; Sra verò Regia Mtas Poloniæ, Cameneco, & Podoliæ, ac Ukrainæ vindicandis incumbent. Bello acquisita, sive rehabita ex ablatis, pro jure, ad quas antea pertinebant, partibus cedent.

Quoniam verò bellum præ foribus jam adest, executio autem Comitiorum in Contributionibus præstandis, tam citò haberi nequit; tum Sra Cæsarea Mtas, duodecim centenis millibus florenorũ Polonicalium currentis in Regno monetæ, Regno Poloniæ, & Magno Ducatui Litvaniæ succurret, pro primis, & præsentibus belli expensis idq; in continenti post subscriptionem præsentis tractatûs; cujus summæ refusionẽ nunquam in Republica prætendat, à Ssmo nihilominus Pontifice, ejusdem omnimodam sibi fieri compensationem curare liberum erit. Promittit interim Sra Cæsarea Mtas, præsentis tractatûs vigore, quàm efficacissima apud Regem Catholicum sine mora interponenda officia, pro extradendis decimis per ditiones suæ Mtis Italicas, videlicet tam in Regno Neapolitano, quàm in Statu Mediolanensi, quàm primùm eas Sanctitas sua imposuerit. Quarum decimarum subsidium, usque ad honestam pacem duraturum soli Regno Poloniæ applicabitur, nullatenus Sra Cæsarea Mte pro suis impensis easdem dividi prætendente vel impediente.

Cùm autem ad hancce societatem non solùm invitandi sint Christiani Principes, sed & ultrò se offerentes admittendi, ideo utraq; pars se obligat, pro posse invitaturam, ad eam amicos, & fœderatos Principes, ita tamen ut utriusque partis consonus accedat assensus, quoties aliquis Principum admittendus erit, nominatim utraque pars Serenissimos Moschorum Czaros omni curâ ad hanc societatem invitabunt, flectentque.

In quantum verò utriusque partis consensu contingeret, alterutram Mtem in Castris fore præsentem, eo casu Generalis gubernatio penes præsentem foret.

Quod quidem fœdus antiquis inter eosdem Serenissimos Principes,

 Regnaq;

A.C. 1683 Regnaque, ac Dominia eorum compactatis, & limitaneis Graniceorum Commissionibus nullum præjudicium adferre debet imò perpetuum illis robur addit, & præstat.

Juramenti verò supra nominati ab utraque parte in manibus summi Pontificis & inter Eminentissimos Cardinales Protectores, & Repræsentantes præstandi talis debet esse tenor:

Ego NN. Serenissimi & Potentissimi Principis LEOPOLDI Jmperatoris semper Augusti; quà est Hungariæ, & Bohemiæ Rex, & Archi-Dux Austriæ, aliarumq; Provinciarum Hæres, uti Principalis mei speciali mandato ad id instructus, ejusq; Mtis in Regna, & Provincias hæreditarias Successorum nomine sanctè juro; vel Ego NN. Serenissimi & Potentissimi Principis Dni JOANNIS III Regis Poloniæ, & M. D. Litv. Principalis mei ejusq; in throno Successorum Regum Poloniæ, & Magnorum Ducum Litvaniæ, universæq; Reipublicæ Polonæ, & Magno Ducatui Litvaniæ, quorum specialibus mandatis ad id instructus sum, nomine, sanctè juro.

Quia fœdus offensivum, & defensivum contra immanissimum Christiani nominis hostem inter altè memoratas Mtes initum, & Varsaviæ die 31 mensis Martij. Anno currenti 1683, per earundem Mtum Plenipotentiarios conclusum, & manuum subscriptione munitum, & ab ijsdem altè momoratis Majestatibus ratum, gratum, acceptatum, ac propriarũ manuum subscriptione firmatum in omnibus ejus punctis, pactis, clausulis, articulis, ac ligamentis bonâ fide juxta tenorem verborum, & genuinam eorum significationem Serenissimus & Potentissimus Princeps LEOPOLDUS I Imperator semper Augustus, ut Hungariæ, & Bohemiæ Rex, & Archi-Dux Austriæ conservabit, tenebit, & adimplebit. Ejusq; Mtis Successores, Hungariæ, & Bohemiæ Reges, Archi-Duces Austriæ observabunt, tenebunt, & adimplebunt. vel Seren. & Potent. Princeps JOANNES III Poloniæ Rex, Magnus Dux Litvaniæ, ejusque Mtis in throno Successores Reges Poloniæ, & Magni Duces Litvaniæ, ac universi Regni, & Magni Ducatûs Litvaniæ Status, ac Ordines &c. &c. observabunt, tenebunt, & adimplebunt.

Neq; de hoc absolutionem petent, nec oblatam suscipient; Sic me DEus adjuvet, & hæc Sancta DEi Evangelia.

In quorum fidem nomine Serenissimorum suorum Principalium eorundem, literis Plenipotentiarum mediantibus, Nos infrascripti; Legatus, & Ablegatus Augustissimæ Cæsareæ Mtis Extraordinarij, ac Sacræ Regiæ Mtis, Regni, & M. D. Lit: ex Senatorio, ac Equestri Ordine Deputati Commissarij manibus propriis subscribimus, & Sigillis munimus. Quod Sacræ Serenissimæ altè memoratæ Mtes Domini Nostri Clementissimi uti Principales in spatio unius Mensis præstabunt.

Actum Varsaviæ sub Celebratione Generalium Regni Comitiorum. 31 Maji.

Subscripserunt Deputati quos *vide fol. 805.*

Quem quidem Tractatum nobis relectum in omnibus suis Articulis, punctis, clausulis confirmavimus, ratihabuimus, & approbavimus. Quemadmodum illum per præsentes confirmamus, ratihabemus & approbamus; Promittẽtes in verbo Regio pro Nobis, & Successoribus nostris Regibus Poloniæ, omnia & singula juxta conventionem præ-

præinsertam per Plenipotentiarios Nostros tractata, & conclusa, integrè, & strictè, ac inviolabiliter observanda, harum fide & testimonio; literarum subscriptione, manus Nostræ, ac Sigilli Regni Nostri appressione expeditarum. Quæ dabantur Varsaviæ 31. Martij. Anno Domini 1683. Regni verò Nostri IX. *A.C.* 1683

RESPONSUM RAPHAELIS LESZCZYNSKI VEXILLIFERI REGNI AD ABLEGATUM CÆSAREUM NOMINE CONCLAVIS NUNTIORUM

ILlibatam, Sacra Cæsarea Mtas nullâ unquam rerum vicissitudine, aut urgente ratione, dum in Rempublicam testatur amicitiam, & Ordo noster præteritorum memor, futurorum spe plenus, præsentium extat gratus. Nihil magis genio nostro congruum, quàm tanto sub Rege moveri. Quid enim loqueretur Achylles? aut quid apud magnum loqueremur Achyllem? Equestrium virium est, citò parare victoriam, at non minùs consilij collatas sociare vires: Alta centenis meliùs recumbent templa columnis. Multos in summa pericula misit, venturi timor ipse mali, tempestiva fluunt fata periculis, præcogitati mitior ingruit procella fati, hæret lateri lethalis arundo, premere DEUS, quos cœpit, urget. Reddimus Sacræ Cæsareæ Mti omnem, quæ pro tantis, tanto Imperatori debetur, gratitudinem: Consilium nobis in ulteriori negotiorũ tractu reservando, quò propius bellum nostro sub Ductore sequemur, hoc magis belli erimus terrore remoti.

UNIVERSALE REGIS JOANNIS TERTII 3 Maij

POst titulos. Quemadmodum à primis regni nostri auspicijs negotiorum Reipub: & consiliorum spem plenissimè semper in providentia divina fundavimus; ita in hunc usq; diem eâdem providentiâ & bonitate suffulti fortunatum præteritorum proximè comitiorum exitum ejusdem divinæ potentiæ opus, Domini exercituum, Magni Consilij Angeli inter debitas gratias proni esse recognoscimus. Et quia in ijsdem comitijs de universali concordia & plenario consensu Statuũ Reip: attendentes potentiam Ottomanicam, si usquam aliàs in exitium totius Christianitatis armatam, & in Regnum Vngariæ penetralibus Regni nostri uicinum conversam, prospicientesq; aperta & supremam perniciem ab illa parte nobis minantia pericula, conclusimus cum Imperatore Christianitatis contra hostem Crucis fœdus offensivum & defensivum; insimul etiam resoluimus nos assentientibus ijsdem Statibus ad bellum contra prædictos Ethnicos, item ad defensionem & ob avertenda pericula augere Exercitum, ac contributiones tam authorando militi, quàm eidem conservando decrevimus: inde impensè desideramus à vobis; ut amore Patriæ, quæ omnes charitate complectitur; conservationeque universi in maturam considerationem assumptâ, opportunam ut nunquam aliàs vindicandæ ex abysso periculorum Reip. recuperandis ablatis, & fortunatæ velociq; Deo dante pacificationi occasionem è manibus elabi non sinatis; sed imò velitis toto studio & quàm efficacissimâ applicatione sancitorum quantociùs incumbere executioni. Manifestum omnibus vobis est; quomodò præsentia tempora segnes medicos non requirant, quomodò intempestiva contributionum extraditio in gravissima non semel discrimina Remp: præcipitaverit, nosq; ipsos (ut aliorum exempla taceamus) ad Zoraunum frustrata sit. Postulamus igitur per amorem

A.C. 1683 communis Patriæ ardenter à vobis; ut hoc acceptabili tempore, hâc die salutis expensâ quàm ocissimè contributionum extraditione vota totius Christianitatis, desideria nostra, quibus efficacem defensionem intendimus Reip. & vestram propriam conservationem, ac securitatem ad felicem portum & infallibilem (quem Deus prosperet) effectum deducatis, eò primùm & impensissimè considerato; quòd, quantò maturiùs per velocem contributionum redditionem subsidia belli provisa fuerint, tantò citius optatâ securitate & gloriosâ ac constanti pace gaudere licebit. In quantum verò (quod avertant superi) fatalitas aliqua in longum productura & moratura esset extraditionem contributionum: jam imposterùm alia deforent media salvandi Remp: necquidquam superesset, nisi, siquidem jam latè fama coronata fine suo comitia, & in illis sancitum bellum divulgavit, sola pereundi necessitas. Quia autem in ijsdem comitijs Divinâ nobis semper præsente providentiâ factum est; ut aperirentur, à quibus nunquam timueramus, machinationes tam contra bonum Reip: quàm contra unionem & jura Cardinalia illius, quàm etiam contra personam nostram: quarum Thesaurarius Regni causa instrumẽtum primusq́ne motor audit; pro ut idipsum universæ Reip. in comitijs prævio Senatûs consilio manifestavimus: æquum & in commune necessarium censemus, id vobis etiam deferre; ut non tantùm plenam confidentiam tam in communi erga ordines Reip: quàm in particulari erga singulos hujus Patriæ filios exhibeamus: verùm etiam, ut sinistris relationibus per privatas informationes viam præpediamus. Quod non alio animo & fine facimus; nisi ut perfectâ animos unione compaginemus, omnesq́ue diffidentias de toto annihilemus & extinguamus. Ut verò pleniùs cuivis pateat attentatum & ausus Thesaurarij Regni; hanc genuinam ex literis ipsiusmet exscribimus vobis informationem. Quàmprimùm prædictus Thesaurarius tanta in Gallijs bona per emptionem sua fecit, tam citò prorsusq; ex tunc ad illius Regni interesse agglutinatus est; in tantum: ut cum dispendio Patriæ posthabito respectu nostro, & omni quà boni Civis, quà jurati Senatoris obligatione, illa per fas & nefas in effectum deducere intenderit, adinventoq; ad eũ finem de ingenio & cerebro suo arcano scribendi modo, actuq; literis eo stylo exaratis omnia nostra consilia per quendam Kallierum factorem suum prodiderit; de electione, interregno, & successione in thronũ cointelligentias habuerit; literas nostras, quibus ante comitia ab ipso ceu Ministro statûs & Senatore hujus Reipub: consilium requirebamus, illuc miserit; consilia nostra tam in Senatûs consiliis, quàm in comitiis se anteversurum, corrupturum comitia, Comitiola rupturum, diffidentias variis, nunquamq; veritati consentaneis rumoribus seminaturum, hanc tam necessariam à sæculis exspectatam, à nobis in Grodnensibus comitiis binâ legatione expetitam, nunc ultrò oblatam cum Cæsare armorum conjunctionem se impediturum pollicitus sit; prout de facto, quò id præstaret pro possibili laboravit. Nam dum ex Senatûs consilio misissemus Cancellarios ad Legatum Regis Galliæ cum expostulatione: qualiter, si fœdus defensivum displiceret, moremq; gerendo intentioni præsentem dimitteremus colligationem, ac inde proxima ex gravissimo in vicinia bello pericula nos quoq; attingerent, & (quod DEus avertat) Metropoli nostræ Cracoviæ supremam adferrent ruinam: qualiter (inquam) nos salvaturus esset? respondit dictus Legatus, quòd, quemadmodum Principi suo visum non esset, ut Respub: fœdus defensivum iniret cum Cæsare, eò; quòd in illo nihil illi placere posset, nec

ulla

ulla in Rempub: redundatura commoda prospiceret; ita dum jam resolutio stetit, & offensivum bellum declaratum est, omnia promissa auxiliorum media servaturum & expleturum polliceatur. Ab hac Legati Gallici declaratione, cùm Cancellarij requisitionem nomine nostro factam, se in scripto illi consignaturos offerrent; ut sic luculentiùs Principem suum de illa informare posset, vicissimq; hoc modo ad reciprocum in scripto responsum propter majorem promissorum certitudinem provocarent: primitùs Legatus quidem annuit, & scripto id ipsum roboraturum promisit; mox tamen resiliit, nec se facturum sine consilio & re collata cum Thesaurario Regni asseruit; demum absolutè negavit. Quod ex literis Thesaurarij in Gallias datis comprobatum tenemus, in quibus gloriatur se, utut Legatus suppetias in publicum declaravit, in privato se tamen consiliis suis id ipsum corrupturum, & curaturum; ut quemadmodum nihil in scripto dedit, sic nec inposterum quidquam de hac materia respondeat. Detulimus id totum Ordinibus Reipub: ubi cùm complurium sententia fuisset, ut quantociùs summario processu & in instanti judicaretur; nos nolentes sub tempus Regni nostri vel vestigium ejusmodi rei relinquere, quæ qualecunq; quoad insimulatos videretur præjudicium facere juribus Patriæ, prærogativis & libertati, quæ sacrosanctè conservare & augere desideramus, satius existimavimus id relinquendum judicio Reipub. Nihilominus, ne hæc ipsius commoda ulteriùs nobis nocere possent, paterent autem reliqua illius numerariis literis occulta molimina, quæ (uti conjecturæ probant) tam integritatē Reip: quàm nostram personam petunt, de consiliariorum nostrorum sententia hunc modum arripuimus, ut declararemus nos ad interim ipsius submissione contentos futuros; cujus submissionis hæc sunt essentialia: quòd nobis comitia præsentia, uti declaravit, non rumpet, clavemq; ad incognito charactere scriptas literas intra octo hebdomadarum spatium sit resignaturus, & redditurus, quam hactenus expectamus: tum quòd ad obsequium Reipub. aliquot centenos homines militiæ authoratos suis sumptibus sit exhibiturus, & cimelia, quæ post comissionem de illis, jam ab aliquot annis sub tempus Regni nostri à Reverendissimo nuper Andrea Trzebicki Episcopo Cracoviensi ab oppignoratione vindicata, ipse privatâ authoritate ad placitum suum pretio imposito rursùs oppignoravit insciâ prorsùs Repub. in integrum sit restiturus, & indubietatibus rationum, quoad thesaurum, quarum discussio hic & nunc in præsentibus comitijs ob altioris momenti negotia tractari non potuit, Ordinibus Reipub. satis faciet. Jamq; hic & nunc cum ex eo, quia consilia nostra divulgavit & alijs partibus obligatus est, imò ex antecedenti notatus de talibus ausis fuit, tam Senatûs consilio, quàm comitijs interesse nequeat, officium thesaurarij Regni deponet.

Quæ omnia potiùs acceptare visum est ex Senatûs consilio; quàm in rebus ambiguis illi relinquere campum & libertatem nocendi: confidimus & desideramus interim; ut quemadmodum nullius nostri commodi gratiâ ad id medium nos inclinare præ nobis tulimus; sed merè illud ideò, ut occurreremus & in herba extingveremus perniciosas bono publico machinationes, arripuimus: ita nullus respectus privatarum (si quæ intuitu defendendi erroris, suique criminis non sine dispendio veritatis in lucem prodiêrunt) informationum habeatur, nec aliter quà publicè, quà privatim quispiam rem æstimet & interpretetur.

Quæ dum genuinè deferimus, iterùm atq; iterùm tempestivam & quàm citissimam contributionum extraditionem commendamus. Valetudinē

A. C. 1683 letudinem bonam & fortunatum consiliorum finem Fidelitatibus Vestris precantes, gratiam nostram uti omnibus in universum, sic singulis civium in individuo offerimus. Datum Varsaviæ 3. Maji. Anno 1683. Regni nostri IXmo.

SALUTATIO REGIS NOMINE CAMERÆ NUNTIORUM A LESZCZYNIO INCISORE REG. MARESCHALCO HABITA.

SUbit salutaturum invidia uberrimæ illius felicitatis, cujus securos quispiam suos reddidit: quòd quotquot ad suum venissent Principem, nonnisi haustâ de hilari & sine ruga fronte ejusdem lætitiâ essent redituri, Rex Serenissime. Apparet quod huic luce Mtis prorsùs occupato & absorpto visum fuerit; Serenitatem non posse esse aliquando nubilorum parentem: & non advertit ipsum etiam solem splendidosq; ejus radios densis quandoq; nubibus sepeliri. Sibi hoc proprium fecit altissima supra ipsos Reges potentia, quæ de integra felicitate sibi servavit finem, nonnisi initio relicto Monarchis, ut id in illorum potestate esset, de eventu autem fortuna judicaret. Certius istud est, lætiùs ad Principes acceditur, quàm reditur: Prælia quis victus commemorare velit? Procul hinc ergò abscedit luctus; dum hodierna luce beneficio. Vestræ Mtis comparet Respubl: suis immota columnis, secura, & gloriosa. Sugillent sanè ut volunt, nos invidæ Dominationes; ac si forma Reipub: nostræ felicior, non stabilior foret: frangent non imprimént dentem; ubi spectaverint Regnantem & Regnum: qualiter Imperij & obsequij probè temperati sibi respondent concentus: ut grato nutrit libertatem Majestas pabulo lenis Imperij; utq;, si quod ex libertate vitium irrepserit, paternè indulget, nec ponit de Patria curam. Et hæc nostra fortuna est, Rex Inclyte, quòd quemadmodum praees, sic etiam prodes: non tibi persuadent aliud mille incommoditates & valetudinis detrimenta: indicit Majestas Vestra comitia juri faventior, quàm sibi, ut ostendat, à se libertatem errantem servatam; quam in his Comitijs illibatam exhibet. Nec sufficit Mti Vræ: repræsentat securitatem nostram velut pro calculatione, quòd neminem unum perdiderit. Hæret admiratione defixus orbis, non ob heroica gesta Mtis: quia eorum frequentia saluti Patriæ toties secunda, ipsâ assvetudine admirationem amisit: spectat quàm magnus mirantium, tam magnus invidentium populus; quomodò vestra Mtas ijs, in quibus furibundi Martis velox industria est, ademit opportunitatem, nocendiq; ingenium oppressit: ambiguis ars stupet ipsa malis. Næ has inter vices etiam sapientissimus Director magis accusare fata, quàm illa mutare nôsset: hic verò novo & insolenti modo, sine gladio hosti designata meta Serenissimo scuto: quæ mille clypeos æquat. Magnum nomen Mtis Vræ suis cladibus eruditum hostem, ampliùs erudijt: quòd quemadmodùm Vra Mtas non attendit ad parvum gregem exercitûs sui: ita & vicissim Nobilis miles sui Ducis premens vestigia, non numerat hostem: tam nominis horror, quàm tuus ensis agit. Fabulæ eæ tantùm fuerunt, quarum pro teste vetustas est; ut exigua manus innumeras subegit turmas, & nimia cædes frameæ obtudit aciem, perdidit ensis opus; hebesq; ferrum fregit sine vulnere mēbra: recentia præ oculis nostris omniq; comparatione majora Majestatis vestræ actorum sunt exempla, quando quatuor orbis partes in nominis nostri perniciem obstinatas non Regali (more nostro) brachio; sed personâ propriâ sustulit & triumphavit. Submisit Africa grandia, quæ in arcanis

arcanis receſſibus & Nili vorticibus in noſtrum exitium alebat mon- *A. C. 1683*
ſtra: auro liberalis in noſtra damna pugnavit America: exeruit in ſupplementum vires Aſia: ipſa inſuper Europa ferrum in vulnera noſtra haſtarumq; ſtylum exacuit: omnem hanc potentiam etiam pluribus non impar, invicta Mtis dextera (citra aſſentationẽ loquor) diſſipavit; quodq; maximũ, in turbido propitio nobis, hoſti calamitoſo quà ab enſe, quà à magnitudine nominis ſui modo illum obruit, nos protexit. Sua rapiebant vota certum furere cum ruina noſtra hoſtem; ut inter infortunia noſtra ſuam probaret fortunam: verùm probè edoctus eſt, quòd veſtra Majeſtas non cæcâ fortunâ Duce, quæ non niſi Bellonæ imperitos ſecundare conſvevit, prælietur; ſed Argo oculo de eminenti Regni ſui ſpecula incomparabili activitate hoſtiles noverit diſſolvere reſolutiones: robore bella geris, caſibus ergò cares. Quis non deſperaſſet de nobis, attentis barbarorum viribus, & tot fumantûm Regnorum cadaveribus; mœſtos multa movent! non ſuſtentâſſet alia manus ulla: tot declinandis fulminibus ipſi impares fuiſſent Miniſtri fulminum: verùm nulla nos incredulitas occupare potuit: didicimus ſub felicibus Regni Majeſtatis veſtræ auſpicijs non cogitare de integritate noſtra; ſed certi eſſe: ſiquidem intricatiſſimis temporibus liberam & ſecuram Rempub: in hoc orbis producit theatrum. Sequitur inde fama, quæ ſine libertate merum phantaſma eſt, inania ſomnia, & errans ſine oſſibus umbra: procedit illa tutè illibato oculo prodroma Sereniſſimo Protectiori, latè per orbem promulgatura; ut illam jam in barbarorum limitibus conſiſtentem veſtra Majeſtas ſervavit. Habetis Monarchæ ſuper vos Dominam: cuncta Principum ad famam dirigenda. Sternit veſtra Mtas præcelſum de hoſtium ſpolijs thronum, jacet ſub pedibus Huſein Baſſa, terribilis illa ad Zoraunum obſidio coronavit tempora, ejuſmodi actis contenta fama hactenùs ibi, ubi campus Martis erat, ſibi feliciter eligit ſtativa. Verùm difficile numerare eſt jam orbi notas Mtis veſtræ actiones; deficiunt tituli: ſi titulos annoſq; tuos numerare velimus, facta prement annos. Excipiat hunc Mtas veſtra titulum; quòd Patriæ Pater & Cæſar ſit. Eadem Regum & Regnorum conditio: non ſemper Regna ferro, ſed etiam famâ conſtant: ſæpius hoſtis expavit nomen, quàm chalybem: nunc etiam quiſquis in Chriſtianum orbem curioſum conjecerit oculum, famæ vires agnoſcat neceſſè eſt: non ſoli duntaxat id Poloniæ competit; igitur gratulandum nobis eſt, quòd latè per univerſum radiemus beneficio Mtis veſtræ liberi, ſecuri, & glorioſi. Nolit inpræſentiarum fungoſa aliorum Regnorum proſperitas noſtris comparari & æquari bonis. Cedat quidquid ſub ſole eſt Magno Mtis veſtræ nomini. Punctũ illa ſunt, quæ dum in ſe mutuò cadunt, veſtra Majeſtas illa protegit & defendit: militant illa in alterna damna, Mtas veſtra verò bella Domini bellat totius Chriſtianitatis bono: Ibi fœdera in commune nefas ſanciuntur, hic verò pro omnibus unus Regium exponit pectus. Superbè gloantur alij, tot ſe Regnorum Dominos eſſe; ut per illorum Dominia ſolis ignorent occaſum, auroq; graves ſibi jactant navigare claſſes; ipſi interim ignavâ nequeunt gravitate moveri: non per avulſionem belli ſuppetias veſtræ Mti ferunt, nec de aureo illo vellere quidquam in nervum contra Chriſtianitatis hoſtem communicant: imò nec, quod ab illis debetur, exolvunt. Alij autem quamvis illos ſatietas gloriæ eò evexerit; ut externis gentibus poſſint velle quietem: quieſcere tamen nequeunt, urget ulterior famæ tituliq; cupido. Si oculum intendimus in frigido ſideri ſubjecta climata; quàm & ibi glaciatæ in hoſtem manus, aliàs in ſui pernici-

A.C. 1683 em accensæ fatis. Purpura Cæsarum dividuos vetat ire fasces, adeoque quæ mare, quæ terras, quæ tantum possidet orbem, non capit fortuna duos. Aliorum autem Regnorum vel divisum robur, vel otiosæ manus; nihilq; præter chirothecas novêre. Si demum spectemus illos; qui quò orbem visant sidereas novêre vias: nulla & inde nobis succursûs lucra, inane ventorum remorumq; subsidium est; nam ubi luserunt navigia, sorbentur: non est quod respiciamus in illos: Deus scientiarum Domin⁹ Mti Vræ concessit manum, quâ Poloniæ Dominus, totius sit Christianitatis Protector. Tu consule cunctis. Imploramus & expetimus hanc thaumaturgam manum, quæ in bello salus, in pace præsidium, nostra nunquam frustratur vota; interq; manifesta discrimina adversasque vices facit virtutem; hujus certi sumus, hæc auguramur: Sic tibi Sarmatæ, sic fata, toto sic superi statuêre cœlo.

ORATIO VALEDICTORIA LESZCZYNIJ VEXILLIFERI REGNI MARESCHALCI NUNTIORUM FINITIS COMITIIS AD REGEM.

PRimus hic tandem illuxit dies, quo sortis hactenus futuræ dubia, excusso doloso cinere, Polonia jam secura fortunæ, ardenter instat: aut mihi redde meos, aut me quoq; conde sepulchro. Non licuit antè isto prosperitati nostræ favere sensu; quia & supremas exerere vires non tantùm periculosæ plenum opus aleæ erat; sed imò certum etiam Nominis Nostri exitium: nunc jam dum Domitrix fatorum consummata Mtis V. prudentia ad Serenissimum Scutum, ceu currum gloriæ junxit Aquilas, certi illas, utpote Jovis alites præpete volatu ultra Lunæ, supraq; eluctaturas metam; securas spes assumimus: quòd hodie bellorum merces, non pœna paratur. Non futilis ille ingenij conceptus fuit, sed veritatis inventum; quod ille ex speculatione sua; nos ex nostra calamitate didicimus: quàm vastum sit Lunæ corpus, quomodo orbis Planetæ hujus, orbem contineat, quomodo rapto de sole lumine luceat & quodammodo vivat: Provolaverat par geminum Fratrum, cùm pernix alter in conspectas inter lilia spinas ex alto præceps sese induit, non facilè se illis rursum in liberum Jovem expediturus; felicior noster Ales, quà forti ungve, quà alis sustentatum opposuit scutum; ne luminare majus minori tantam suppeditaret lucem. Quanquã quid dixi? Serenissime Rex, non Aquila umbonem portat, sed ipsa portatur ab illo; Scutum alitem ad sidera tollit: æquè & hic ceu prior fatiscentibus viribus ex alto rueret; nisi hic clypeus vasti celatus imagine mundi sustentaret. Hoc nimirum illud ancile est, in quo propitiis fatis nostram Jupiter locavit Aquilam; ut ceu in specula posita longè à se inertem arceret somnum. Et verò non longi trahitur fabula somni: Excitat nos Mtas V, monstratq; nobis, ut ultrò vocent venientia fata; invenit nos Mtas V. ceu primùm somno experrectos, adeoq; incapaces eorum quibus incumbere oportuisset, & promptiores ad arripienda noxia, quàm bona expetenda, in tantum: ut multi temporis labore non sine regiæ valetudinis detrimento edocta, quomodo condidit regna labor, Cælitem potiùs quàm mundi sublunaris Civem de se orbi Polono exhibuerit. Graves Majestatibus fasces sunt, nec sine sudore geruntur: alij vix dum gustatum regnorum pomum, perosi acerbitatem ejus, abjecerunt; alij inventam neglexêre coronam, ne digiti unius levissimo dignati attactu. Si quæramus unde tam specioso pomo, ac si nondum adultum maturitati foret, acerbitas? inveniemus Statûs rationem esse:

quæ

quæ non raro non tantum dirigit Principes, sed sæpe numero imperio *A.C. 1683*
suo contra eorum bellat voluntatem. Hæc imperat in gratiam boni publici suarum terrarum oblivisci; & nomina sangvinis odit: Marcescant necesse est, lilia: ne pulchritudine illorum illecta Aquila spectaculo candido gloriæ moretur volatum. Non inglorium id Monarchis est, si se rationibus Statûs subjiciant, quantò difficiliùs totius Reipub: sensum ad hanc traducere regulam; tantò fecundior fama Principum est, si id evicerint. Quid confert purpura majus? Vota consequi & quæ optabantur adipisci adeò apud Majores Nostros arduum erat; ut & sperare nimium censerent. Vicisti Rex Inclyte fatorum iram: statuisti nos extra metum belli; fundâsti nos in pacis spe, quam nos non tam præstolabimur, quàm faciemus. Amor quo fidem sanctam prosequimur, quo Majestatem colimus, quem universæ debemus Patriæ, dabit in vulnera vires. Redimus ad Fratres nostros enarraturi gloriam, denuntiaturi felicitatem ex coronatis Comitiis, invitaturi hos ut erudiant in cædes ferrum tuendæque Mti chalybem accommodent, illos quos ægra senectus labori Martio impares, pietati addixit; ut superos placent placidasque exorent in seros annos sine nube rugas. Sistimus adhuc gradum, donec benedixerit nobis Mtas V. expectantes; recurrimus ad Heroam Mtis manũ, nec aliam respicimus quæ manum nostram lavet. In hac confidimus, quæ proprio magis igne pulchra est. Gustabimus in illa amorem, affectumque in nos, nostrique defensionem. Hinc derivabimus vicissim ignes, quibus in reciprocam Mtis defensionem accendamur. At nunc Rex Magne triumpha, ex supremo & coronario operum Tuorum ac totius Christianitatis opere: Fortunatè finita Comitia sunt: Operis victoria finis.

ORATIO NUNTIORUM EXERCITUS AD REGEM PETENS EXSOLUTIONEM.

EA suprema libertas est liberarum gentium; quæ sub Mtis Vræ imperio vivunt: ea clementis Regni per fideles subditos melliflua prosperitas: quod ad gloriosum Regnantis lituum non tantum sincera statuum Reipub. ab usque remotissimis ditionibus atque provincijs cum votis ad Comitium properent obsequia: sed etiam militarium affectuum officiositas non jam auro, sed merito splendescens, ferro solius duntaxat cruoris depicta purpurâ cum debita necessè habeat comparere veneratione. Cui mori non se subtrahit Equestris M. D. L. militia; comparet hodie ante oculos Mtis Vræ cum submissionis fidelitatisque censu Litvanus Eques. Sistit se autem triumphorum & victoriarũ evocatus tubâ, quæ dum sub regalis scuti tutelam armorum trophæa, & quà sago quà togâ decora deposita memorat, eadem animis intulit æternum memoranda. Reddens ille hoc sinceræ subjectionis tributum votis addit vota; ut Mtis Vræ gladio sceptroque Cæsari, non tantùm liberales felicitatis undique consurgant lauri; sed etiam, ut propitium cœlum ijs fortunet Senatum & Equestrem Ordinẽ consilijs, quò tam Respub. exoptata sortiatur solatia; quàm Vræ Mti Sarmatico Fabio perennaturos gratitudo ad gloriam meditetur obeliscos. Quod indubiè continget: nã si olim Romana Respub. à cladibus respirans suis, grata regnanti attribuit Trajano; ejus auspicijs senectutẽ imperij reviviscere cœpisse: quantò ampliùs nostra recognoscat necesse est; (dum Mtis Vræ ætatis nostræ Herculis felicem regiminis præ oculis ponit providentiam, & præclaros Regiæ virtutis legit triumphos) non tantùm in clypeo Mti stetisse ma-

A.C. 1683 se magnificos arcus, sed totam etiam Rempub. movisse lacertos; quando & inopem populum dulcis exsaturat quies, & Patriam pacatæ ram⁹ olivæ pro auro coronat: Gaudet illa tam dulcem esse imperantis clementiam; sub cujus auspicijs effloruisse voluit faustitas & pax & apertis gloria campis. Jam nunc secundùm adorationem Mtis fortunatæq; consiliorum coronidis apprecationem, proni in facie Reipub. inferimus preces: ut vulnera militi per nos exhibere liceat sua, & emerita gratitudinis reportet munera; quæ hactenus in suspenso fuêre, patienter maluimus expectare stipendia; nunc non inter dolosos ea requirimus cineres, sed in arena libertatis certi infallibilem malis nostris medelam, quà à Clementia Principis, quà ab Illustrium Ordinum compassione nos inventuros. Quia verò nihil æquius ac scrire; quò se exsangvis conferet post bella senectus: tantùm nobis temporis non indulgemus; ut computemus Equestris militiæ heroa merita; cùm ea abundè præ oculis sint Vræ Mtis, qualiter pro Patria per funera & neces non semel proprij diluvio sangvinis naufragum demerserit hostem; quomodo non hebetis frameæ fulgura Mti lucidum fecêre diem, eam tantum cum submissione pro sangvinis pretio deponimus precem: Tu armorum Cæsar consilium fessis auxiliumq; feras.

Cui præterea simultanea à sinceris subditis obligetur submissio? cui per affectum inclinata adsternenda corda? si non Reginali Mti cujus regalia tempora non tantùm liberæ gentis Divina dextera insignivit diademate; sed etiam per corda civium eô ad grande solatium condecoravit titulô, ut Domina populorum in libertate natorum existens, illud meritò audiat; quòd divisum cum Jove habeat imperium. Unde recognoscens suave suæ subjectionis jugum & non vanam felicitatem Equestris militia M. D. L. quidquid debiti per corda Mti tenet, & germinat; id totum constanter plenissimâ respectûs & submissionis veneratione ad plantas advolvit, & non aliâ sinceræ subjectionis suæ utitur supplicatione; nisi ejusdem contestatione, optans sibi à Reginali Mte protectionem; ad cujus tanquam Sarmaticæ Bellonæ aram, suam appendit vitam & sangvinem &c.

NARRATIO TRANSACTIONIS D. ROSEN QUI VOLUERAT PER PROTESTATIONEM SISTERE ACTIVITATEM NUNTIIS MAJORIS POLONIÆ.

NON feriata malignitas est Dñi Rosen seu potiùs àliena; quando præterito Sabbato protestationem intulit Czersci contra Comitiola nostra: verùm falsò; quia in primo puncto posuit, quòd nobis præsentibus contra Comitiola tanquam intempestivè designata, esset protestatus, seu potiùs contra universalia. In secundo puncto posuit Dominum Malachowski, ac si etiam is protestans fuisset; & quidem post protestationem oppressus, & vi adactus ad restitutionem activitatis. In tertio puncto gravissimè omniũ impingit dicendo ab ignobilibus Nuntios electos. Hujus protestationis inferendæ nobis minæ sunt intentatæ; quarum causâ in conclavi marmoreo congressu habito consilium inivimus in quo conclusimus, nullatenus nos permissuros ut loco standi ex Camera Nuntiorum moveremur: si verò id omninò expeteretur, decrevimus nos insimul præviâ generosâ voce exire, & totâ in Comitia nobiscum unà, præteritorum Comitiorum Mareschalco subjicere: nã complures alios Nuntios in societatem pertraximus. Ivimus ergò salutatum

tatum Regem ad conclave; ubi Cancellarij Regni cum Episcopo Cracoviensi nomine Regis rem habuerunt dicentes; Regiam Mtem pro paterna solicitudine videndo Dnum Rosen in objectione protestationis persistere, proponere media pacificationis illius, desiderareq; à nobis ut saltem bonis verbis illi satisfaciamus. Secessimus tantisper ad partem & sequentem conclusimus declarationem; quam Incisor Regni tanquam primus ex nobis Cancellarijs exposuit. Regiæ Mti uti profundissimæ à nobis deberentur gratiæ, ita pro paterna solicitudine, nos illi gratias acturos; verùm neq; nos Dni Rosen neq; ejus protestationis aut meminisse velle, aut de utroq; inquirere: nemini meliùs constare posse, nos legitimè electos Nũtios esse, quàm nobis ipsis: non congruere nobis ut Domino Rosen bona verba dem⁹; quin potiùs desiderare nos ab illo, ut pro tam læsiva protestatione primùm nos, deinde totum supplex deprecetur Palatinatum: ubi indubiè singuli singula verba daturi sunt. Non ad gustum accidit hæc declaratio Cancellariis; qui intendebant variisq; utebantur mediis, ut nobis tractatum cum D. Rosen persuaderent, verùm frustra singulis singulcs verbis secundantibus, existimo pœnituisse illos susceptæ functionis. Sub hæc contulit se Rex ad templum pro votivo sacro, in quo habita concio seu potiùs Comitia; quia prorsùs themati proposito non respondit: sed ad instructionem nostram rupta exaggeravit Comitia adulatione nimiâ, hypocriticâ sacræ scripturæ trutinâ, perditamq; per ea Patriam & similia. Dolendum enimverò Ecclesiasticas Cathedras pascendis Verbo DEi animabus duntaxat destinatas ad politica & statum, fœdissimas adulationes, & ex parte etiam ad calumnias translatas. Deducto deinde Rege ad conclave, hypocaustum nostrum ingressi sumus, ubi Eques Melitensis Vexillifer Regni Mareschalcus præteritorum Comitiorum reddendo Scipionem, multo dolore mala ruptis Comitiis orta imaginaria expressit; & ita unanimi omnium voce, nullâ obstante contradictione Incisor Regni Collega de medio nostri factus est Mareschalcus. &c. A.C 1683

RESPONSUM LEGATO CÆSAREO ILLUSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO DNO COMITI A WALSZTEINS

Nomine Sræ Ræ Mtis per Illmum Lubomirski Mareschalcum M. Regni.

NOn primum jam hoc, non novum, non peregrinum Lechiacis in auribus peraugustæ Aquilæ oraculum, nunquam angustâ fronte, nec unquam non augusto corde suscepit Sra Regia Polona Mtas, Illme Sræ Cæsar. Regiæq; Mtis Dne Legate extraordinarie, nihil sibi duntaxat hoc in passu vel sperabant minus, nec optabant magis antiquis obfirmata vinculis fœderata hæc Regnorum jura, quàm audire, quàm bene velle, Aquila, Aquilæ simillima, utque vestra illa atra hostibus, sic nostra hæc amicis candida, utraq; porrò sibi Mte non distormis, magnitudine non impar, virtute non diversa, sorte non disjuncta, conatibus non aliena. Habuit olim ex Divorum sociata progenie Polonus, quod coleret orbis, formidaret barbarus, stupesceret universus. Habet & modò non minus, quod audiat, non minus, quòd gaudeat, gaudensque percipiat Sra Regia Mtas Dnus meus Clementissim⁹, non plus auribus, quàm animis pronus, optatâ tanti Cæsaris amicitiæ contestatione lætari, cujus dulci semper possessione universum hoc Poloniæ Regnum non infructuosè ab antiquis gloriatur. Quod ingens utriusque gentis bonum, ut etiam utrâque Regnorum virtute, unanimitate, populorumq; suorum

Aaaa feli-

A.C. 1683 felicitate roboretur, nihil magis Sra Regia Mtas Dominus meus Clementissimus in votis habet. Excipiet idcirco, optabitq;, uti semper liberos ita nunquam à magnis, gloriosisq; conatibus alienos Senatûs, populique sui sensus, ut ubi ex illibato hoc liberrimarum mentium mellificio, succum faucibus gloriæ masticandum collegerit, tunc omne id, quod inde tulerit punctum, sincerissimæ quoque Illustritati vestræ communicet. Interim, faxint Superi, ut pristina illa quondam non auspicijs minus, quàm virtute minimè obliterata Majestatum nostrarum unanimitas, sit Regnorum quoq;, populiq; Christiani integra felicitas, uti Augustissimi Principes nostri semper dicti pares gloriâ, sed melioribus fatis, auris, laurisque vigeant fortunati ambo, si quid mea carmina possunt. Nulla unquam dies memori, quos æstimet ævo.

CONSIDERATIONES OB QUAS COLLIGATIO CUM CÆSARE VIDETUR NON NECESSARIA, IMO DAMNOSA REIPUBLICÆ.

Imo. CÆsar neq; paratus est, neq; animum bellandi habet; sed ultimâ plane adactus necessitate extrema tentare cogitur: quod evidenter patet, dum pacem mendicare à Turcis non cessat, etiam cum dispendio honoris (quia per Tekelium) & substantiæ; quia Hungariâ cedit & aliquot milliones se redimendo offert. Hinc apparet bellum hoc ut exitiosum sibi ab illo æstimari, cumq; sufficere nequeat; nos in illud inducit: ut suas terras liberet, adeòq; non ut paratus sed desperatus colligationem cum nobis affectat.

2do Colligationem inire cum pereunte est spontaneè se se objicere discrimini, & intrare in societatem periculi & fati incautè præsertim dum fruimur pace.

3tio Si bellum Turcicum in nos converteremus, jam non ab Ucraina, sed ab Hungaria Cracoviæ illud immineret, & consequenter in ipsa viscera Regni, Palatinatus Cracoviensem, Sieradiensem, Sendomiriensem irrumperet. Hostis enim universam posset potentiam, quam in Cæsarem armavit immittere Poloniæ, & ex altera parte Tartaros ad diversionem sat exilis exercitûs nostri destinare. Inde repentinè Patria nostra fieret sedes miserrima belli, & media deessent: nam quomodo stante in visceribus hoste cogerentur contributiones, pararentur commeatus, nobilitas pro communi motu sese expediret? unde in illo momento nervus? unde sufficientia & media tanto bello paria? nisi forsan quispiam Monarcha sub protectionem suam, aliàs honorificum jugum pretio summarum oblatarum nos vendicaret, qualem nullum esse exstimo, aut si quis est: nescio an ille libertati conduceret?

4to Cæsar distractus bello cum Gallia non sufficeret sui contra Turcas defensioni: unde quod de proprijs deesset viribus, Polonis indubiè supplere vellet.

5to Præparamenta Cæsaris & exilia sunt & intempestiva: patet omnibus ut ipsi subditi ei inimici sint, quòd Proditores habeat impunitos, cujus exemplum amissa Hungaria: deinde desiderantur personæ bello aptæ, unde Generales ab exteris conducere necesse habet. Tum non constat quis Generalissimus futurus? Electores, nisi cum Gallia pax sanciatur, recusant suppetias dare Cæsari.

6to Natura & conditio colligationis cujusvis hoc importat; ut unus alterum non deserat: unde obligata foret Polonia tamdiu domûs

Austria-

Austriacæ tractare interesse: quamdiu recuperandum quidpiam esset de Istria, Hungaria, Sclavonia, Dalmatia ad usq; limites Venetorum. Et quandoquidem ditiones Cæsaris Statui Veneto conterminæ sunt: cur non primùm cum Venetis de colligatione agit; unde Polonia mensuram caperet, cum non admodum remoti ab ea parte, ex qua contra Cæsarem Turcæ arma parant. A.C. 1681

7mo. Considerandum & illud: facta colligatione cum Cæsare liber etiam passus Svetico succursui dandus erit per Poloniam: nam Rigâ venientibus non nisi per Litvaniam, Masoviam, & majorem Poloniam patet via, eâdemque reditus: nam nec Brandeburgicus, nec Imperium per sua dominia transitum concedent. Consequenter non tantùm Turcica potentia immunem non relinqueret Patriam; sed nec Sveticæ, Germanicæ, Moschoviticæ illi parcerent copiæ, adeoque tum primum aperiretur theatrum belli, latè pateret desolatio per bona Nobilium, Ecclesiasticorum & Regalia. Meminimus adhuc non tam auxiliares, quàm exitiales nobis Cæsaris fuisse suppetias quæ oppignorationes Civitatum fuerint; quàm cruda Commendantes in Nobilitatem exercuerint imperia; quæ omnia hic & nunc longè graviora acciderent Turcâ à Vienna in viscera Poloniæ delato adeoq; Patria in campum Martis conversâ. Quæro iam cui tam primùm obnitendum esset? Tartarísne, Valachis & Cosacis à Leopoli? an Turcis, Hungaris, Transylvanis à Cracovia, an Auxiliaribus nos consumentibus Svecis, Germanis, copijsq; domesticis?

8vo. Deberent esse per Palatinatus fortalitia & commeatuum domus atque Granaria; cujus verò ea sumptu extruerentur? si Reipub. indubiè cogeretur Nobilitas & privati sua prædiola ad ultimam evisceratíonem ad incitas redigere? si verò alieno sumptu: externa toleranda forent præsidia, concedendæ civitates Palatinatuum in pignus ijs, qui suis sumptibus hoc bellum sustentarent, nec superesset Nobili negandi locus silente inter arma jure, farragine gentium implente Poloniam & communi calamitate belli vix decennio finiendi, etiam oblivionem legum & libertatum inducente: unde adhuc viventibus nobis jam Comitijs longum dicere contingeret vale.

9no. Deberent etiam esse hiberna continua in Polonia; nam in Russia subsistere non foret possibile famelico propter sedem belli exercitui, cujus exemplum in Svetico etsi minori habemus bello.

10mo. Excursiones Tartaricæ non jam Leopoli aut Jaroslaviâ; sed Sendomiriâ, Posnaniâ, Culmâ terminarentur: circa Leopolim autem cũ Palatino Valachiæ & Cosacis hiberna stativa sumerent; Commeatus indicerent universalibus Generales; quos convehere etiam Nobilitas ad fortalitia cogeretur: quin militem in suis pagis suscipere. Nec enim aliter per rationem belli & consistentiarum defectum fieri posset.

11mo. Non recederent igitur à nobis Colligati, læti translatũ ad nos bellum, suosq; exercitus apud nos alere vellent: nec modus deinceps suppeteret redemptionis, nisi in partes diruptio vel ultima perditio non jam libertatis sed ipsius terræ sentiretur. Imperator Turcarum primùm totam subjugare vellet Poloniam, quàm aliò arma convertere habendo præsertim præ oculis bina exempla perfidiæ à nobis in rumpendo pacem exhibita.

12mo. Considerandum & hoc sine Mediatore vel vade potentiore non sat securam & firmam colligationem esse posse: quis autem fidejussor pro Cæsare, Svecis, & Moschis erit, futuros eos fidos socios, Polonis-

A.C. 1683 que servaturos fœdera, nec privatis factionibus illorum nostra involvenda? Quid de bellis & æmulationibus mutuis Christianorum dicam? Sveci v.g. cum Dano vel Brandeburgico, Galli item &c. profectò si nobis (quod avertat DEUS) adversi quid accideret, non paterentur æmulos suos Poloniæ sese tueri fortalitijs; ingruerent in Patriam; nec permitterent adversarijs suis sua extendere pomœria; imò quisque vellet partem aliquam de nostro avellere. Tum quis sponsor pro Polonis, illis vicissim erit, fidemque faciet, nos in colligatione ea omnia patienter toleraturos; quæ per conditionem belli evenire possent, nec Comitia rupturos, vocémve liberam inhibituros, in tali casu contributiones durante bello punctualiter exhibituros? quas etiam tempore pacis difficulter contribuunt, imò illis contribuendis impares sunt. Verùm pronior in id sum, ut credam Comitia imposterùm non futura bello in ipsis visceribus hærente: convocationes quidem esse poterunt; sed & eæ sub hasta absolventur. Consentiendum erit in id, quod Generales & Commendantes imperabunt, & necessitas pro lege habebitur: nec hoc modo forsan ævo nostro finietur bellum; ad quod num Patria hic & nunc parata sit, & eam apparentiam habeat; ut æternam pacem vix dum coalitam tantoque conatu sancitam rumpere debeat aut possit, non expectatis eventibus futuri belli & conjunctionis cum Cæsare? & num tam repentinè & irreflexè tractatus & colligatio intendenda sit; quisq; rerum peritus pro consummata arbitretur prudentia.

13mo. Venetijs cum Principe defuncto Radivilio Legato nostro metu inopinati periculi ne quidem conferre de Colligatione animus fuit, imò nec videre quidem, multo minùs audire Principem voluerunt: quin ipse Cæsar in præteritis Comitijs nullatenùs colligationem nobiscū inire voluit. Moschus in deceptionem nostram pacem pactus est cum Porta Ottomanica, nec fœderari nobis voluit. Polonia sub Vladislao in illo florenti Reipub. statu de bello Turcico nec cogitationem quidem admisit: repugnârunt his intentis magni in Patria viri, Parens Sacræ Regiæ Mtis feliciter modernæ, Castellanus Cracoviensis, Lubomirski Palatinus Cracoviensis, & alij complures, qui magnis rationibus nixi infinitorum malorum præsagi, non optabant: ut ea minùs cautè Patriæ accelerarentur. Quare & nunc nisi res, per Europam inter Christianitatis Monarchas pristinæ restituantur tranquillitati, quod futurum per DEI gratiam desperandum non est; maturum & tempestivum non erit Reipub. acceptare colligationem. Nullatenùs igitur temerè rumpendam pacem censeo, nulloque modo per acceptationem sacri cum Cæsare vinculi accelerare ultimum Reipub. periculum expedit.

14mo. Et hoc advertendum est, si ad colligationem deveniretur; quod vadimonium nobis Cæsar aut pignus daret? nos enim Cracoviâ & alijs fortalitijs, quæ ægrè postmodum evacuare voluit & salisfodinis cessimus, aliasque graves conditiones intuitu suppetiarum contra Svecos acceptavimus.

EXCERPTA EX LITERIS THESAURARII REGNI MORSZTYN LECTA IN SENATU SUB EADEM COMITIA.

1. DEscribit quòd tota aula se contra Galliam declaraverit. *2dò* Quòd distributiva Justitia sit fomes offensionum contra Regem. *3.* Significat Comitia contra Jura designata esse, nec sine mysterio. *4.* Conjunctionem cum Cæsare in Regio conclavi conclusam, sed eo ipso rumpendam

pendam. *5.* Sapiehas malè contentos ab aula discessisse. *6.* Palatinum *A. C. 1683*
Wolhiniæ Sieniawski non assecuturum clavam, obstantibus fatis. *7.* Petit à Rege Galliæ ut sibi liceat Filiam suam in Consortem elocare Capitaneo Mariæburgensi Bilinski, magnum inde rebus Galliæ momentum promittendo: in iisdem literis scribit se fidelem subditum Regis Galliæ. *8.* Misit aliquoties additamenta ad cifras, inter quæ de successione, Electione, & interregno tractavit. *9.* Significat Galliæ, septem Comitiola rupta, totamque Poloniam Regi malè affectam. *10.* Scribit, quòd Cæsar Electionem per Poloniam aggreditur; vos autem dormitis. *11.* Quòd sessio nulla futura inter Germanicum Legatum & Palatinũ Russiæ. *12.* Quòd Colligatio destruatur in Comitiis. *13.* Quòd Legati relegentur excepto Cæsareo. *14.* Admonet correspondentem, ut cifris in scribendo utatur. *15.* Quòd Duces sint contentiosi. *16.* Quòd volentibus assequi gratiam Regiam, primùm ejuranda sit Francia. *17.* Quòd Comitiola Varsaviensia curâ ejus & Mareschalci Regni finita sint, electiq; in illis Nuntij Capitales Regis hostes, uti Subdapifer Varsaviensis Dnus Szymanowski. *18.* Quòd nullus Nuntius meliùs inservire possit Regi Galliæ in Polonia, ac ipse. *19.* Quòd Rex mediationem susceperit quærendo ansam offensæ ex negativa Regis Galliæ. *20.* Significat de Matrimonio Principis Regij cum Archiduce Austriæ; sed id non rectè scriptũ.

EXCERPTA EX LITERIS LEGATI GALLICI IN SENATU LECTA.

Primò SCribit Comitiola contra Regem agere. 2. Colligationem cum Cæsare à se destruendam. 3. Se corrupturum omnia intenta Regis. 4. Se etiamsi in publico declaraverit Nomine Principalis sui pro Republ: quidpiam in usum belli Turcici; id tamen in privato corrupturum. 5. Describit Gentem nostram scommaticè, nullius fidei esse, nec honestatis amantem, nihilq; agere; nisi priùs pecuniis solvatur. 6. Regem ipsum itidem scommaticè tractat & describendo propè Sardanapalo comparat, asseritq; nullam ex illo spem Christianitati affulgere posse, prorsusq; nulli usui futurum. 7. Palatinum Russiæ contrarium Colligationi esse affirmat. 8. Describit conferentias suas cum Sapiehis, quos Regi Franciæ promittere dicit assistentiam suam & Nuntiorum suæ partis; verùm non sine pretio. 9. Habuisse se à Thesaurario præcautionem de iis, quæ in secreto consilij conclusa fuerant. 10. Assecurat de potentia factionis Gallicæ in Polonia & de favore Palatini Russiæ, intimatq; quòd Nomine Regis sui ei declaraverit Coronam Poloniæ, quam declarationem gratissimè susceptam ab eo, gratiasq; actas esse asserit. *NB.* Verùm in sessione cum Comissariis Regiis ea Legatus negavit. 11. Scribit se quinquaginta millia imperialium in pensiones secundùm ordinationem Regis sui distribuisse. 12. Quod Thesaurarius Regni Thesaurarium Litvaniæ cum tota domo ejus in partes Regis Galliæ pertraxerit, pensionesq; assignaverit Palatino Vilnensi 4000 imperialium, Thesaurario verò duo millia. 13. Quòd Thökelio pecunias suppeditaverit pro bello contra Cæsarem. 14. Quòd Mareschalcus Regni caput factionis futurus sit pretio securitatis Civitatum Scepusiensium. 15. Quòd apud Regem efficere non potuerit, ut se permissivè haberet respectu Hungariæ; etsi mille imperiales obtulisset & successionem Principis Regij in Regnum. Unde quia Rex contrarius est, desiderat; ut alterum tantum inimicis Regis detur.

A.C. 1683

PUNCTA JUSTIFICATIONIS THESAURARII REGNI IN FACIE REIPUBL: 18. Martij PROPOSITA.

1. UTI electus populus non ausus cum DEo loqui clamavit ad Dominum: non loquatur nobis Dominus: ita & ego idq; tantò humiliùs Vestræ Majestati supplico; non loquatur contra me Dominus.

2do Romanus Orator suâ frustratus facundiâ est, metu opprimente verba, dum Milonem defensurus circumseptam armis advertit curiam, insolitamq; formam judicij: desunt & mihi verba; quibus me justificem de tantis, quanta mihi objecta audio, ac si mihi Regimen arrogâssem, & vivente Principe de Successore agitâssem, & promisissem alteri Coronam, in qua feliciter Vestram Majestatem regnare mihi semper sum gratulatus.

3tio In quam transactionem involuta vicissitudine fatorum tot & tanta Nomina variorum Magnatum; qui quia jam insontes & innoxij, uti re ipsâ erant, judicio ipsiusmet Mtis V. hic & nunc declarati sunt: ita & ejus spei vivo, quod clementiam V. Mtis certò experiar.

4to Originalium ipsorum saltem communicationem peto, maloq; per illa; quàm per excerpta literarum, in quibus non raró sensus alterari solet convinci. Non auderem supplicare, petereq; indulgentiam, si mihi conscius aliquarum rerum contra publicum, ceu peccati mortalis essem. Reflecto me supra me ipsum & dico quis ego sum, ut tantam potentiam habeam transferendi Regna, aut ut Galliæ Regnum tot implicatum bellis in me recumbat, meæque hominis privati persvasioni innitatur. Per cifras duntaxat meras & solas sorti & adversis sum expositus fatis. Verùm & eæ, uti impensè satagam, nullam cum literis habent connexionem; quæ hic & nunc nescio ubi delitescunt: aut forsan ausu muliebri periêrunt; rem autem ita se habere, & non aliter, cœlum testis est. Ab Jove tonante fulmina peto. Demùm debitâ submissione me Majestati Vestræ humilio & honorem meum, salutem & fortunas ipsis throni plantis subjicio.

EXCERPTA EX LITERIS GRZYMALTOWII PALATINI POSNANIENSIS

Literæ Regis ad dictum Palatinum datæ ad Danubium ex adverso Strigonij 30 Octobris.

GAudemus, Te pro Commissione Moschovitica proficisci, quàm præsens rerum nostrarum status tibi pro sufficiente informatione futurus plurimùm necessariam esse dictat. Cætera ex instructione patebunt, quam post rupta comitia Procancellarius Regni Cancellariæ M.D.L. consignaverat. Quod ideò insinuandum tibi duximus, ut hoc filo ad ipsum devenias glomum. Quidquid autem de proprio ære in hanc functionem expenderis; refundet id juxta morem pristinum & æquitatem Respub. nec ipsi tibi quo ad id deerimus. Nunc verò bonam tibi precamur valetudinem.

P. S. Pluribus Procancellarius tibi informationem dabit.

LITERÆ

A.C. 1683

LITERÆ GRZYMALTOWII PALATINI POSNANIENSIS AD GUROSCIUM POCILLATOREM POSNANIENSEM HORCIS 21 Novembris.

Queritur plenipotentiam non mitti.

JAM ante ſeptimanam commodè Kadzyni conſiſtere poteram; verùm conſultò Minſci duos dies moratus ſum, Tribunali ibi actu ſua judicia continuante. Habuit mihi honorem Mareſchalcus cum aliquot ſuis Collegis. Mohilowiæ autem triduum conſumpſi, nuptijsq; interfui Lukomſcij, ibiq; cum Litvana nobilitate lætè converſatus Kadzynũ arripui iter, nonniſi ſexto die, id eſt, craſtino ab abitu Mohilowiâ illic conſtiturus. Nam tria duntaxat, quandoq; etiam tantùm duo, in diem milliaria conficio; quòd ſatiùs exiſtimem, ut noſtrâ abſentiâ aliquantum Smolenſci Comiſſarios Moſchoviticos remoremur; quàm ut prodamus errorem, nos carere Plenipotentiâ. Quid ad me ſcribat Palatinus Trocenſis; patebit ex adjunctis. Video Procancellarium dedecori ſibi ducere, ſi cum Senatoribus vetuſtarum proſapiarum correſpondeat; nihil enim ad literas meas repoſuit. Solatium inde capio; quòd ſocium hujus habeam Palatinum Trocenſem. Rex ſcribit conjunctionem cum Moſchis neceſſariam eſſe; Procancellarius autem ſupprimit Plenipotentiam: forſan ideò, ut Czernichowienſis Palatinus hoc opus finiat. Abſit, ut invideam: ſed tamen politicine ſit, tam neceſſariam difficultare negotiationẽ, quam & Moſchus libenter differet, ulteriores noſtros ſpeculando ſucceſſus, Turcis præſertim impedientibus, & vicinis toruo oculo eam reſpicientibus? decernat, qui judicium rectum & prudens habet. Prætereà nunc primùm bellum cœpit; nam præteritâ expeditione irritata Porta certò nos vindictæ deſtinat, nobiſq; forſan ex magna parte reparare & augere exercitum opus erit: impoſſibile enim; ut copiæ noſtræ diminutæ non ſint, quà frequentibus cũ hoſte experimentis, quà morbis; quin ipſa hyems non paucos adhuc homines & equos abſumet. Ex his forſan conſiderationibus Rex conjunctionem urgendam cenſet. Sed video, alij privatas res agitant, ſine publica cura, Procancellarius, apparet, pro Filio Palatinatum Pomeraniæ & Theſaurariatum Pruſſiæ obtinere nititur; quæ ſi adeptus fuerit: ne Lucifero quidem ſuperbiâ ceſſerit: utrumque theſaurum ſigillo adjunctum habens. Faxit Deus ut Reſpub: inſpiciat rationes theſauri, cujus vix non duæ partes in privatum Domus ipſius cedunt uſum: nam Palatinus Czernichowienſis jam biennio de theſauro vivit, in Dnum Proski ad libitum pecuniæ erogantur; nec ſcio, unde illi cambium eſſe poſſit? niſi per Patres Jeſvitas: ſi eò ad convertendum miſſi ſunt: ſed nec Proski tanquam non pridem Ex-Jeſvita deeſſe deberet huic muneri; niſi forſan oblitus jam ſuæ vocationis eſt, cujus intuitu eum Sanctum ordinem ingreſſus eſt. permaneo &c.

P. S. Hodie id eſt vigeſimâ quartâ literæ venerunt à Commiſſarijs Moſchoviticis, quibus ſignificant, ſe præſtò eſſe. Si defuerit Plenipotentia; quærendæ nobis artes erunt differendi viam: nam detegere tam craſſum minoris Cancellariæ errorem ob non datam Plenipotentiam, neq; decorum neq; ſecurum: ne Moſchus forſan arctiori Portæ adſtringatur amicitiâ; certum enim impediri à Turcis Moſchorum nobiſcum conjunctionem.

LITERÆ

A.C. 1683 LITERÆ GRZYMALTOWII PALATINI POSNANIENSIS KADZYNO AD MELCHIOREM GUROWSKI PINCERNAM Posnaniensem 14 Decemb.

QUid nobiscum agatur, ex annexis patebit. Simile quid ante bellum Sveticum evenit; ante quod immediatè Lubecam ad tractandum cum Svecis expeditus fuit Avunculus meus Joannes Leszczynski tum Palatinus Lencicienfis, & Procancellarius Litvaniæ Naruszewicz sine instructione; redierunt rebus infectis; bello sæculis memorando Respub. ab inde involuta fuit. Nobis fortassis (utinam sim falsus Vates) in præsentiarum idem eveniet; aliàs uti non vanis suppositionibus nixus asserere valeo, potuisset in Reipub. commodum ingens quoddam evinci bonum; verùm dum opportunum tempus negligimus, non segniter interim laborantibus Turcis, ut Moschos in suam lucrentur partem, vel de toto nihil omnino futurum est, vel non tam bene perficietur; vel etiamsi bene quidpiam effectum fuerit; expeditioni sequenti servire non poterit, in qua DEus novit quæ nos fata manent: nam facile fuit, superare Turcas, dum Germanico peditatu & equitatu tormentisque instructi eramus: at modò, dum solis in hostem pergendum erit, quis sponsor nos Victores futuros? Verùm nolo pluribus morari comprimo calamum maneoque &c.

EJUSDEM LITERÆ AD MARESCHALCUM REGNI LUBOMIRSKI KADZYNO 28 Decembris.

QUæ nobiscum agat in hoc loco (utor phrasi magni in Repub. viri Parentis tui) nefarius ille libertatis Polonæ cauponator, patebit tibi ex copia literarum, quam transmitto. Jam hic homo existimat sibi omnia licere; dum Mareschalcali authoritate tuâ pessundatâ & sancita Reipub. convellit, & honorem nostrum calcat fidemque in dubium vocat; dum talia ausus tractare & concludere cum primo Ministro Ducum Moschoviæ. Expulimus ex Polonia Thesaurarium Morsztyn, quòd in Gallias arcanis literis sive citris scripsisset: noster Cauponator de provincijs Reipub. stante Commissione ab ipso destinatâ secretè tractat: videtur mihi hoc longè grandius priore esse nefas. Scriptum nobis convocationem Senatûs Cracoviæ futuram: rogo te per omnia sacra, ne te ab illa absentes: nam aliàs hoc perversum caput ibi mirabilia faciet, si resistentiam non invenerit. Sancita Reipub. & honor noster oro te ut sub tuo sint patrocinio, pateant necessè est Reipub. hæ decoro & virtuti repugnantes artes, Quid hic debuerat & potuerat in rem Reipub. fieri, in annexis leges: cum hic perversus homo hæc omnia confudit. Sed & Germani certè ad eam conjunctionem non magno adjumento futuri sunt; præsertim ubi adverterint pro Marchione de Bethune conclavia parari in arce Cracoviensi.

EJUSDEM LITERÆ AD CANCELLARIUM REGNI WIELOPOLSKI sub eadem data.

EXistimo me non sine præsagio scripsisse ad te; non sine mysterio id factum asserendo: quòd requisita ad negotiationem nostram nobis missa non sint. Quod verò istud mysterium sit, in alteris literis à te provocatus explicui: nec falsus sum, jam enim palàm est. Dominus

minus

minus Okrassa asseruit id nobis Commissarijs; literas Procancellarij Galliczyno à se redditas, á quarum acceptione se à dicto Principe ad conclave secretius deductum, ibique semotis arbitris sibi fuisse propositum; ut non per Commissionem sed Legationem de conjunctione armorum & pace perpetua tractaretur. Ecce est, quod Author voluit & quod aliquot literis tibi intimavi.. per DEum vide, num bene Procancellarius novus fecerit novâ re adinventâ? quòd juratos Senatores ad novum juramentum super secretum còegerit, cujus indignitati nec ego nec Episcopus Posnaniensis ferendæ pares abscessimus à Deputatione? Insuper in supplemento instructionis adjectum gravissimum juramentum, quod me assecuro esse impleturum; priusquam auspicer negotiationem, ad quam neminem admittam nisi similiter juraverit: ipse interim Procancellarius contra jus & fas cum primo Ministro Moscuæ secretè correspondet, invertit sancitum Reipub. quæ nos ad tractandum negotium tanti momenti Commissarios juratos destinavit. Ideò verò hæc scribo; ut tibi tanquam primo Ministro pateant artes, quibus te, uti confido, opponere voles, sancita Reipub. tuendo. Crede non erubescam; etsi hæ literæ in senatûs consilio lectæ fuerint: nam hæc nonnisi veritati consona esse scripta, testimonio collegarum ex Senatu & ex Equestri Ordine probare possum, & Deo dante in Comitijs non sinam ea latere sub modio. Confero me hinc Mohiloviam obviàm Cursoriæ; proficiscuntur mecum Dni Collegæ ob duas rationes: prima & potissima est, ut ob distantiam nostram causa sit differendi congressûs; etsi Commissarij Moschovitici jam omnes parati sint: donec resolutio nobis à Rege veniat, quid ob defectum plenipotentiæ nobis agendum sit: absolutè enim non videtur Palatino Trocensi eum detegere defectum; de qua materia Palatinus Vilnensis integram philuram rationibus implevit. Altera ratio; ut Mohiloviâ Cursoriam expedire possimus quatuor dierum tempus lucraturi: tardiùs enim Kadzynum posta venit, nec est cur ibi moremur jam absente Palatino. Mohiloviæ igitur nos distrahemus aliquantum in istis anxietatibus; in quas per favorem Procancellarij incidimus. Secunda omnia erant in Polonia; dum quisq; Magistratus attendit muneri: verùm cœperunt omnia pessundari, dum unum caput omnium in se derivare functiones voluit, tot inter curas singulis respondendo impar.

P. S. Spem quam habuimus ingentem recuperandæ magnæ alicujus pro Repub: Provinciæ & sanciendæ maturè, priusquàm ver ingruat conjunctionis, jam nobis præcidit tractatus cum Galliczyno: quia infallibiliter has duas differendi arripient occasiones. Primam exspectationem legationis, quæ in fundamento literarum Procancellarij cum Galliczyno jam destinata est. Alteram exspectationem Legati Cæsarei per literas Archiepiscopi Nazianzeni positivè promissi, quem ego absolutè non spero venturum ob reflexiones super novellas; quas hic sat copiosas ex diversis habemus partibus; tum ob alias rationas, quibus scribendis supersedeo. Moschus qui à Commissarijs Moschoviticis literas reddidit, cum cachinno quæsivit ex famulis meis; Commissariúsne sit is Dnus ex Regno, qui Moscuæ de nocte comprehensus detrusus in communem vigiliarum tabernam fuerat? non scio, quis is extiterit! Litvani suum fuisse negant, ego Polonos defendo: indago interim nec tamen assequi possum, quis hanc infamiam subiêrit? eàdemq; nostrum nomen coram hac Gente asperserit. Sed forsan conscius est hujus labis Dnus Okrassa, cui incumbet, id ipsum aperire; præsertim si urgebitur. Nonnisi risu excipit Palatinus Trocensis; quoties de hac re illum interrogo:

A.C. 1683 rogo: non desistam tamen ab inquisitione donec notitiam consequar, forsan illam obtinebo, ubi Castellanus Trocensis ad nos advenerit: nam, uti existimo ipso præsente Moscuæ casus iste contigit.

LITERÆ GRZYMALTOVII PALAT: POSN. AD NOMINATUM KIJOVIENSEM ANDREAM ZALUSKI. 28. Decembris.

QUamvis in diversas causas cogitatione meâ quandoq; delaberer; semper tamen ad hanc potissimùm revertebar rationem non missorum requisitorum pro nostra cum Moschis negotiatione, causam in caput Procancellarij detorquendo; qui omnia Magistratuum & legum munia jure in diversas personas divisa in se unum traxit, unde tantis curis par esse non potuit. Verùm ab hac opinione absolvit me reditus Moscuâ Dni Okrassa asserentis, consultò id factum à ProCancellario, eundemque adhuc facere idipsum exspectando resolutionem à Galliczyno, primo Ministro Ducum Moscoviæ; cum quo de Provinciis Reipublicæ secretè per literas tractat. Discerem perlibenter, quâ authoritate ille convellit sancita Reipubl: & fidem Commissariorum à Republ: ad tractatus cum Moschis destinatorum in dubium vocat? De hoc quidem interrogandum non est: cur id faciat? quilibet enim id assequi potest: quæro solummodo quâ authoritate? Verùm parco pluribus: concedent Superi tempus, quo aliquando Reipub: relationem facere licebit, nunc duntaxat depono dolorem meum in sinum tuum: nam si id erat, prout defacto fuisse constat, in pectore; ut Commissio à Rep: designata diversis artibus protelaretur: cur præcauti non sumus neque præmoniti indubiè non acceleraturi iter in has terras? prout non sine ingenti sumptu huc delatus sum, compellente me & ad hoc iter urgente Cancellario Regni: nunc verò illicitis artibus difficilem nobis reddit Commissionem oblatâ legatione Moscuæ absolvenda, quam occasionem arripuerunt Moschi, certoq; nos adusq; vernum deludent tempus: frustrabitur interim Respub: speratis suppetiis, quæ destinatæ fuerant pro vere contra Turcas, frustrabitur tantis latifundiis, quæ sine dubio recuperâssemus pro Republ. Parcat illis si vult DEus. Discernendum tamen erit Reipub: benè an perperam factum sit? an non consimile facinus sit hæc fecisse, ac in Gallias scripsisse cifras?

EJUSDEM LITERÆ AD SUPREMUM CANCELLARIUM REGNI sub eadem data Mohiloviâ.

EXpeditis per postam literis meis longiore ad te stylo scriptis, redditæ mihi sunt literæ Palatini & Castellani Trocensium; in quibus vehementer invehuntur in artes Procancellarij, quibus Reipubl: illudit. Mitterem tibi copiam illarum; sed quia totam philuram implent, D. autem Okrassa festinat, dare illas nequeo. Originale autem ipsũ servandũ mihi est pro relatione in futuris DEo dante Comitiis faciendæ; ut ad demonstrandũ habeã, me nõ temere tã ad te quàm ad Regem scripsisse de iis, quæ nobiscum & per consequens cum Republ: Procancellarius hactenus egit. Mitto etiam excerptum ex literis, quas ex Prussia à magno ibidem Viro & antiquitus indigena accepi. Literæ meæ per Cursoriam nescio, quando ad tuas devenient manus: multus enim disordo in postis Litvanicis est; binas tuas tam pridem datas à te, ternas autem

autem à Procancellario Litvaniæ hic reperi; nisiq; ipse huc adveniſſem, jacuiſſent etiam inpoſterum. Oſtendam authenticis documentis in Comitiis, quantum noſtris acceſſiſſet rebus, ſi per Procancellarium licuiſſet: quem meritò illorum numero inſcripſero, de quibus Tacitus: privatas res agitant ſine publica cura. Jam jurisdictionem Mareſchalcalem conculcavit, Comitialia ſancita convellit, contributiones in Comitiis ſolus & unus format, theſaurum Regni dirigit, & Pruſſiæ theſauri Regimen affectat. Proventa ordinaria Reipub: in ſuæ domûs intervertit cõmoda. Prorſùs jam non paulatim ut Romæ quiſpiam, ſed præcipiti curſu omnia Magiſtratuum & legum munia in ſe unum traxit. *A.C.* 1683

PUNCTA

Quæ ad reſtituendam internam in Hungaria pacem Sacra Regia Majeſtas Dnus Noſter Clementiſſimus ad compellationem eo nomine Auguſtiſſimæ Majeſtatis cenſet obſervanda.

1. VT Comes Thökelius à protectione Ottomanica unà cum ſuis adhærentibus ſincerè recedat, & ad obſequium Auguſtiſſimæ Majeſtatis redeat.

2do. Oblivio ex tunc perpetua omnium, quæ in diem hodiernum acta ſunt, eidem Comiti Thökelio, & ei aſſiſtentibus ſive amniſtia præſtari deberet.

3tio. Conſervatio libertatum antiquarum ſecundùm diploma Auguſtiſſimi Imperatoris, quod in ſua Electione, anno 1655. Hungaris benignè indulſerat, deberet etiam præſtari, & brevi indicenda diæta confirmari, & ad orbitam legum, qua exciderunt, bonâ fide reduci.

4to. Reſtitutio bonorum mobilium, & immobilium, quæ confiſcata, & humanitùs ad reſtituẽdũ practicabilia, etiã deberet præſtari.

5to. Super quæ Sacra Regia Majeſtas Dnus Clementiſſimus pro bono pacis petitam à Succeſſoribus ſuis Sereniſſimis Regibus Poloniæ, & à Republica fide juſſionem præſtare paratus.

6to. Caſſoviam tantiſper præſidio liberam donec tractatus finiantur, cenſet Sacra Regia Majeſtas, utpote qui locus, ut inter exercitus medius pro tractatibus finiendis deberet aſſignari.

7timo. Et quoniam tam Serenmus Princeps Lotharingius, quàm Illmus D. Baro Zierowski Ablegatus Scræ Cæſareæ Majeſtatis non inſtructos ſe declarârunt in Ordine ad clementiam Auguſtiſſimi Imperatoris Comiti Thökelio declarandam; cur D. Saponora primo tredecim comitatus jure hæreditatis, mox partes Hungariæ ad Chronum fluvium, tandem ad fluvium Vagum cum titulo Principis propoſuerat, cenſet S. R. Mſtas ſaltem jure advitalitio aliquid ipſi concedendum, ut majori animo mereri in Auguſtiſſimam Majeſtatẽ nitatur. Cujus clementiæ totum id relinquitur, quam S. R. Mſtas in præſentiſſimum pacandarum rerum, ut primi veris, eò magis votivi, & ſecurioris reputat remedium. Cùm longa praxi erudiatur; amoris

A.C. 1683 moris vim eſſe magnam, metûs imbecillem.

8vo. Quò citiùs Auguſtiſſima Mtas, hæc, quæ clementiæ ejus ſubijciūtur, declaraverit, eò citiùs interna pax refloreſcet, & miles æſtate, multoq; autumno fatigatus vires colliget, pro futuroq; vere fortior reddetur.

EXCERPTA EX LITERIS IN QUIBUS RELATIO EXPEDITIONIS VIENNENSIS.

SI nullum par virtuti pretium eſt: cur ibi vileſcat illa; ubi ſuum cuiq; decus in ſera ſæcula ſecurum tutumq; eſſe debuerat. Antiquo illo & ſimplici, cùm nullis adhuc orbis legibus regeretur; ſed ad ſolam duntaxat rationis regulam vitam exigeret, quanta virtutis apud mortales obſervantia? quantuſq; valor fuit? per vitæ fortunarumq; diſpendia illam ſectabantur. Crevit cum ætate mundi etiam in eandem amor & honor: nam ſi veterem revolvamus diem; quis tum virtutis ornandæ zelus? quod ſtudium? ſtetêre immenſæ moles, quæ ævum ferrent; triumphales arcus atq; Coloſſi, qui Victores ſecuturo diei commendarent: adjectæ laureis coronæ, coronis ſerta, mixtaque palmarum & palmatæ veſtis præmia; ut etiam his non indiga licet Heroum fortitudo, illuſtrior raperet oculos, animos provocaret. Nec falſi ſunt, tam manifeſta præmia & gratitudo exacuerunt animos, erudierunt ad aſpera cives: ut extrema quæq; pati, velq; vitam & ſangvinem Majeſtati & Patriæ litare non dubitârint. Dum impræſentiarum in politicum regimen intendo oculum, & perpendo; quis ſub hæc tempora reſpectus Heroicæ fortitudinis ſit, ex quo jam tot ſeculis Chriſtianiſmus per Poloniam ad naturæ, alterum cælitùs indultum ſibi gratulatur lumen, quæ merces & præmia Martiis reſpondeant viris: quantum diverſus præſens à præterito dies eſt! reponuntur præclaris decoribus dedecora, fortunarum diſpendiis levipendia: & minora hæc adhuc, nec patientiam pro gloria DEi militantium fatigarent; ſi ſaltem merenti militi meliorem ultra opes ſubſtantiam, partam ſangvine & vitâ famam ingratitudo, an livor non eriperet. Quam pro innata generoſitate nobilis & miles aſſerturus, inprimis honori gentis meæ per ſiniſtras de Expeditione Viennenſi relationes læſo vindicias fero, tum etiam à datis vindiciis nemini obligatus, omnem ſive favorem ſive livorem procul habens; ab aſſertandi ſtudio, an idolorum cultu longè remotiſſimus, quod cuiq; ex juſtitia debetur, Chriſtianâ charitate impertiturus. Nolo meminiſſe heroicorum Equeſtris Polonæ militiæ actuum, quæ fatis velut in imagine futuris prælufit facinoribus; quando ad ſolam vocem famamque euntis ultra confinia Principis, Ducumq; ſolo gloriæ & in Patriâ affectûs ſtimulo incitata, generoſa, nobiliſq; indoles nullius pretij illiciiq; ſperans, ſuis ſumptibus merens ad ſua quiſq; ſigna convolabat: nam hæc omnia certiorem à DEo in cœlis, quàm ab hominibus in terris mercedem exſpectant. Sufficit tantum ad latus Majeſtatis exercitum confluxiſſe; ut Rex ſecurè pro exigentia neceſſitatis eum partiri potuerit: uti actu partitus eſt: nam partem copiarum Palatino Volhyniæ Campiduci Exercituum Regni tradidit; quem, ut meum promam ſenſum præcurſorem ſuum eſſe voluit; ut famâ adventûs ſui labentes res Auſtriæ erexiſſet, & congregatam Chriſtianitatis militiam ad ſuccurrendum quantociùs Viennæ ſtimulâſſet: intrinſeca autem cauſa fuit, quemadmodum horum conſcij

ſcij prodiderunt; ut Supremo Exercituum Duci (quem de omnibus ſuis, ſine ejus prorſus conſilio cuncta adminiſtrando, celaverat reſolutionib⁹) præcerptam occaſionem gloriæ minori Campiduci porrigeret ſecundi alicujus in conſortio Germanicarum copiarum conflictûs occupandi dedecus; quod mox verificatum eſt, quando ipſe primum ſeceſſit, probavitque in tractu ulteriorum actionum; quantum ejus famæ & nomini Perſonæ, ſangviniq; ejuſdem eſſet indignatus. Ipſe Rex cum altera parte Supremoq; Duce remanſit, valeq; facto in montibus Tarnovienſibus Reginæ, quæ cum ſua progenie armiluſtrio eodem die interfuerat, finibus Poloniæ exceſſit. Tertio deinde an quarto die viſum Regi eſt, aſſumptis aliquot levioris armaturæ vexillis Ratisbonæ ſeſe ſeparare à Supremo Exercituum Duce, relictis penes eum graviore Cataphractorum militiâ, peditatu & tormentis eâ intentione: ut quantocius poſſet cum Duce Lotharingiæ aliisq; Colligatis coram congredi, cum illis de ſumma rerum communicaturus: præſertim quòd frequentes de extremo (ut ſic dicam) Viennæ agone literæ deferrentur, conſtansq; inſuper fama aſſereret Turcas & ſex millia Tartarorum Ductore Hani Filio & Thekelio Moraviam ingreſſos eſſe. Sed forſan nec hæc poſtrema cauſa fuerit; ne ſocium victoriæ haberet inviſum ob immenſas dotes, quem tamen ſemper Patria fidem probavit Germanicum: adeò etiam excelluiſſe nocet, ingensq; virtus utut extra æmulationem ſit, extra odium nunquam erit. At & Mtes livore non vacant, utcunq; tolerando; ſi illo in pares ferrentur, inferioribus autẽ invidiam feciſſe obnoxiã infra fortunæ Regiæ decus eſt. Sub hæc in via occurrit Principi Comes Schaffgotz qui Cæſaris ſincera in Regẽ ſtudia, promiſſa & amicitiam renovavit. Adfuit & Eques Militenſis Mareſchalc⁹ Curiæ Regni, qui de conflictu im̃ediatæ cũ Hani filio peracto, uti & de ſtatu Cæſarei exercitûs Regem edocuit. Tũ tertius ſupervenit Campidux nullo experimento militaris fortitudinis exhibito (ſic ſcilicet non rarò humana falluntur vota) cujus copijs Oberholebrunæ Rex adjunctus, ibidem Ducem Lotharingiæ à Cæſarianis; Principem autem Waldeck à colligata circulorum militia delatum ad ſe humaniſſimè excepit, priorem etiam in tentorio menſæ adhibuit, ſecundo excuſante gratiam, quòd quantocius ſibi ad exercitum properandum eſſet. Acceptâ ſecundùm prandium notitiâ de ponte ad Tulnum conſummato, quamprimùm Steteldorſum ventum, de trajiciendorum exercituum ratione agitatum fuit. Mox à conſilio indictum copijs quàm citiſſimè expedirent ſeſe ad trajiciendum. Tenuit ea res à 4ta ad 9nam uſque, primæ partes & præcedentia noſtro Exercitui conceſſa, cujus numerum 20000 non exceſſiſſe conſtat. Secutus Lotharingus cum Cæſarianis, viginti quatuor millia fuiſſe feruntur, ſex item millia Saxoniæ Elector ducebat. His copijs Danubijs tranſeundus fuit. Ex altera parte Cremſio in perſona advenit cum decem millibus Dux Elector Bavariæ & Princeps Waldeck cum octo millibus igniti peditatûs. Et hæ ſunt copiæ collectum Chriſtianitatis robur, murus tunc & antemurale: ſed quàm immenſis barbarorum turmis impar, niſi dextera Domini feciſſet virtutem. Gemino tractu Viennam Regi ceu Generaliſſimo totius Chriſtianitatis ducere hos exercitus placuit, Polonis ſuis compendioſius, at difficilius decrevit iter; lenius, ſed longius Germanis, quibus Electores duo, quadraginta alij abſoluti Dni Principes inerant, imperatum, Danubij litus radere, & verſus Kloſter-Neuburgum tendere. Noſtris alta montium juga ſcandenda fuere, loca inacceſſa propemodum ipſis feris viæ incognitæ, prærupta & voragines, ſaltusq; exantlandi re-

 lictis

A.C. 1683 lictis impedimentis (quæ milliari ex ulteriore parte Tulni loco ad Danubium munito relinquere necessum fuit) undè nonnisi nautico pane & aqua militi triduum victitandum fuit, equis autem de folijs quercuum suppeditatum pabulum in illo horrore solitudinis: donec tandem misericordiâ Dni illuxit dies salutis Viennæ propitia, Sarmatico nomini gloriosa: quæ tum fecit & dedit Dnus Exercituum; non ea humana sibi arroget superbia: non ullus ambitionis deceptus præsumptione pro opere manuum suarum censeat; quod desuper processit ab alto. Ipsa confusio loquitur quàm virtus altissimi operata est; dum panico terrore ante conflictum hostem ad fugam disposuit. Magnalia ea fuerunt Dei ad oculum manifesta, dum adhuc eo die (Dominica erat & 12 Septembris) peditatus Janczarorum à Vezyro sub Viennam expeditus tempestivo recessu à Vienna jam præsignabat quid illis in proximo eventurũ esset, vixq; exiguum equitatûs & pauca Tartarorum turma penes Vezyrum remanserat expectans adversa fata & fortunam. Ergo jacere aleam belli feliciter casuram Christiano universo placuit: manè horâ sexta ad Kloster-Neuburgum Germanicus miles auspicium conflictui dedit; cujus notitiâ habitâ Rex suis ex nunc mandavit, pergerent ad campum, in quo jam aliquot horis Germanum certabat robur. Secundis auribus & animis acceptum mandatum, paruêre cuncti & pulchrum spectaculum ipso suo de montibus illis exhibuêre descensu: dum velut ex equo Trojano ex illis altissimis claustris prodirent, & ceu jam satis de præcelso speculatæ essent prædam, nunc se ad illam rapiendam demitterent Aquilæ Polonæ, imperterrito animo in Draconem præliaturæ. Excepit legiones Supremus Dux Exercituum, & incomparabili activitate prudentissimè in terribilem hosti aciem disposuit, exspectaturas nutum Generalissimi Christianitatis S. R. Mtis. Non hic examino benè, an perperam factum sit? quòd vexilla Cataphractorum Turcicis duellis & præliminaribus fatigata fuerint & in fossas, tum etiam in ignes equitũ Janczarorum conjecta; non enim id ad me pertinet militari æquè ac alij subjectus imperio fui, sed tamen recto illi favere judicio difficile, quòd defendendo dextro cornu ipse interfuerim: nam præclaris illis heroibus generoso pectore in hostem progressis, majorique ex parte cæsis, ingens strages magnis Domibus in ævum memorabilis obtigit: quod necessarium non fuisse quivis fatebitur, qui modò meminisse volet; ut posteà à conflictibus & præliationibus cum sinistro cornu tumultuariè tota potentia Turcica dextræ Palatini Russiæ alæ incubuit, & supremas planè vires aliquoties tam ante, quàm in tentorijs exerere conata est ut capto Vezyri signo, quod postmodum Summo Pontifici Romã transmissum est, nostris generosè contra nitentibus, Germano robore à tergo densis ignibus secundante retrocedere, tum etiam fugâ salutem quærere necesse habuerunt. Sed nec fugientibus parsum: habuerunt à tergo hostem, sequebantur ultrices Supremi Ducis legiones, ultra castra Vezyri fugitivos; ulteriùs etiam insecuturæ: nisi occasus solis cursum victoriæ inhibuisset. Datum aliquod quieti tempus est. Quid interim in castris Turcicis gestum fuerit? dicant ij: quos prædæ sitis insomnijs torsit; dicant, qui rapta spolia justâ successione à se jactarunt occupata; ij deniq; loquantur: quibus omnis quietis commoditas obtigit, svasitq; somnum hostibus inquietudo. Nos verò cum strenuo & vigilanti Duce ne equis quidem descendimus, gloriæ non mammonæ attenti, securitati prospeximus; quam vacillare posse etiam à victo hoste non dubitabamus, velq; ipsam noctem faventiorem, si redire voluisset barbaro

cogi-

cogitabamns. Et hæc relatio de Viennensi expeditione ex conscientia & fide est; de qua nemo aliter sentire, nemo aliud pronuntiare potest; nisi: dextera Domini fecit virtutem. Sinistrum cornu hostem aggressum est, corpus exercitûs eum veluti appendit libræ, dum deprimeret; dextrum cornu ex castris expulit. Interim utcunq; hæc fuerint, misericordia Dni Christiano orbi victoriam, Ethnicis ignominiam, Viennæ dedit salutẽ. Hos successus intendit Respub. annuit Divina voluntas: at quæ sequuntur ambitionis humanæ sua insequentis commoda opus erunt. Jam exactâ ex tota Austria Ottomanicâ potentiâ maturè meditanda incumbebat Exercituum conservatio; at contra factum est, ad ipsum usque Presburgum inter acervos cadaverum proficiscentibus, super illis nocturnæ quietis ergo assignata stativa, tempus revisione captorum spoliorum absumptum, privata momenta in examen vocata; cogitationem omnem excluserunt de civibus: quæ etiam tantum prævaluêre; ut ultra pactorum obligationem in stipendium externo Principi cesserimus nobis injurij. Tum sub prætextu continuandi pro Patria belli & hibernorum in terra hostili sortiendorum itum est ad novas arces recipiendas: at frustra fuit. Adverso eo, quòd providi magis rerum suarum essent, minusque privatis addicti, Colligati, satis gnari nec temporis opportunitatem, nec veri similitudinem esse; ut eâ tempestate caperentur arces, imprimis Elector Saxo & Bavarus cum Principe Waldeck recesserunt à nobis, cujus secessionis notitiam Rex priusquam rediret (nam Javarino in majorem insulam sese contulerat recogniturus fortalitium, & fortificandi modũ, accepit: non tamen à suis intentis destitit. Trajecto ad Komoram flumine unà cum Duce Lotharingæ novis arcib⁹ appropinquare mens fuerat: at ubi didicit & ipsum per se munimentũ firmi⁹ esse, quàm ut facilẽ ej⁹ quis expugnationẽ sibi polliceri posset, & insuper forti teneri præsidio mutatô pro arbitrio Principis in arena consiliô Strigoniũ vers⁹ arma & copias convertit non sine clade famulorum, quorum aliquot centenos illa terra Hungarica Turcis parens vix dum salutata absumpsit. Ibidem funesta initia nostri cœpêre exitij, invalescentibus morbis, quà ex auræ desuetudine, & mutatione; quà ex contagio Viennensi; unde famulis equisq; destituti supremam, quâ nos ipsi caderemus, præstolabamur perniciem. Accessit summum malorum famæ ultra vitam & opes æstimatæ prostitutio, velutiq; ab ipsis sideribus, quæ vertice videbamur contingere detractæ ad terram allisio; ut qui ante strenui milites Poloniq; audiebamus victores; jam inposterum contumeliæ nostræ superstites, fugæ assueti Barbari apud Exteros; apud nostros ignavi audiremus. Meritóne verò opprobrium vicinis, nostris autem subsannatio fuerimus; cujusq; id errori imputandum sit? orbis ipse ferali feriæ quintæ prælio oculis præhabito arbitretur & dijudicet. Tribus à loco conflictûs milliaribus Polonici nominis distabant castra; cùm vesperi ne mentio quidẽ facta iminentis sequenti die prælij. Aberant adscititij famuli pabulatum victûsq; aquirendi causa dimissi, ordo in castris qui pugnæ præluderet nullus. Sic comparato exercitui indicta in crastino profectio est, nec procul tamen itum; Milliare duntaxat Parkano confeceramus: cùm Rex ipse ut recognosceret positiones locorum profectus, ab obviis Præfecti vigiliarum Campi Exploratoribus didicit incerta de hoste: nam priores paucos adesse ferebant; posteriores augeri numerum asserebant Turcarum. Non exspectato qui certiora nuntiaret Rex imperavit Equitatui, adesset quantociùs. Acceleravit equidem ille, sed tamen cecidimus & cæsi sumus. Erupit ex valle hostilis & de abscondito

A. C. 1683

A.C. 1683 sese explicuit acies: tum primum nostrum periculum advertimus, quindecim millia Turcarum erant, nostrum nonnisi quatuor: itum in mutua vulnera infestis animis, sed & fatis. Acies rarior apud nos: nam quibusdam locis nonnisi una linea aut ordo erat. Momentum fuit, quo primis custodiis exitium, itidem octingentis Dragonum hostis mortem dedit: sic in sinistro cornu dextram expertus fortunam sibi inimicus, sinistram sortem in dextrum cornu itidem intulit. Excepit impetum hostis egregiè præclara Heroum Trias; Vexillifer Regni, Palatinus Pomeraniæ, qui etiam ibi victima occubuit, & Referendarius Regni cum suis cataphractis claudens dextrum cornu: at exaltare cornu non licuit: adhuc debilius erat, quàm ut ferendæ aut sustinendæ adversæ potentiæ sufficeret. Suppetebat auxilium nullum: Corpus exercitûs otiosum prorsus stabat, spectator potiùs, quàm miles, mox spectaculo futurum. Accessit quòd Senatorum quispiam dignus ob idipsum judicio Reipublicæ, obequitans continuis vicibus vexilla, nomine Regis imperavit immotam stationem: inclamabat ille, starent, dirigerent hastas: sic desperato succursu cùm ternâ vice furentem hostis impetum infractis lævum cornu excepisset animis; tandem & ipsum cessit, traxitq; ruinam alias secundissimam Polono nomini daturum gloriam, si per otiosos licuisset, novusq; togæ magis, quàm sago assuetus non vetuisset Imperator. Igitur cum cæde hominum occubuit & illa ingens fama nostra! nec perpendenti vicissitudines humanas mirandũ id, præsertim; dum illæ non raro cælitùs in scelerum pœnam infliguntur. Jam tum forsan magis humana nitebamur prudentiâ, DEi incurij negligentesq; fiduciæ; quâ cælum in suppetias provocaremus: occupaverat animum ambitio, an invidia, ut Germanis præcerperemus lauream, consortemq; eventûs gloriæ non haberet, in abyssum confusionis nosmet egimus præcipites. Merebatur & miles castigari, qui, quòd adempta Ducibus potestas esset, insolens, solutâ disciplinâ in eos prorupit ausus; quos etiam in Turcis quisq; damnaverit. Nihil illi sacrum, ne sacra quidem altaria, & sancta sanctorum, quæ profanare, & sacrilega manu injectis ignibus absumere non erubuit. Quæ illa præterea temeritas fuit? contra principia bellica, nullo præhabito indicio de viribus hostis, periclitari aleam, & de summa rerum decernere voluisse? Dedimus igitur justitiæ Divinæ pœnas; quæ mox misericordiam subtexuit, dum nos arrogantiam humilitate, discordiam animorum unione mutavimus. Vicimus hostem, quia nosmet viceramus. Insequenti cladem die, cum Principe Lotharingiæ & Supremo Exercituum Poloniæ Duce (nam Campidux Presburgi æger aberat) Rex de dispositione aciei consilium iniit, mox in crastinum prælium indixit. Illuxit Sabbatum Magnæ Parenti DEi sacrata dies, simulq; felicioris conflictûs auspicio ipsa prælusit militum alacritas (8vus dies Octobris fuit) Processêre in campum exercitus tam Polonus, quàm Germanus meliora fata experturi, quia sociati. Circa meridiem dexteritate Ducum velut in chartarum ludo intertextæ & interpolatæ in acie stetêre copiæ. Lævum cornu commodè Palatino Russiæ obtigit circa montes, ex quibus maximus timebatur futurus Tartarorum insultus: Corpus benè peditatu & equitatu confertum, concessum Duci Lotharingiæ; Rex dextram ducebat alam, radens cum parte sua Danubium triginta millia universi fuêre exercitûs. Turcarum verò sub septem Baszis (nam duo adhuc à Vezyro Budensi post feriæ quintæ prælium submissi fuerant) triginta sex millia numerabantur, brevi nulla propemodùm futura. Successerunt deinde nostri versùs Barbarorum

rorum Exercitum ut ad ictum tormenti non nisi remoti fuerint. Hostis expectabat interim ad Torzchum fortalitium à montibus usque ad Danubium diductis lateribus. Mox adverso debilius sinistrum cornu nostrum esse, faciliusque expugnatu: dimisit se in vallem sub oppidum, quod feriâ quintâ nostrorum effugerat oculos, eodemq; statim utrumq; cornu accurrit. Datum initium pugnæ à Capitaneo Chelmensi Supremi Ducis Exercituum Legato. Hic, dum alij hastas nuper victas parant, in linea sua Referendarij Regni Cataphractos habens, tanto impetu & felicitate in hostem invectus est; ut secundantibus alijs 7 vexillis, quantumvis aliquoties Barbari reniterentur, prorsus illos fregerit, & in fugam egerit. Ruebant igitur præcipites, quò sua quemq; rapiebant pro meritis fata, alij versus Parkanum, quod non nisi quartâ parte milliaris dissitum erat, tentavêre Danubium; sed frustra: alij Grani fluminis vorticibus absorpti occubuêre. Eodem impetu rupto ponte plurimus hostis vindex quidem nostrum evasit ferrum; sed non elementum: quod suo in Danubio sangvine hostium erubescens humanæ vicissitudinis alternas vices oculis nostris repræsentavit. Adjectum excidium Parkani, coactumq; luere societatis & hospitij barbaris præbiti pœnas. Ita mirabilis excelsi dextera fecit nobiscum misericordiam suam, reddiditq; benedictionem benè ordinatis rebus; quam præposterè instructis nuper negaverat: Intra aliquot horas induit confusione hostem, & potentiâ & loco superiorem, recenti milite (nam ad priores copias septemdecim millia accesserant) instructum, tumidum proximâ victoriâ quàm verò exili manu ad tantam victoriam usus est? novem duntaxat vexilla totā hanc cladem fecêre, ut iterum Gedeonis cum paucis effusa castra Madian superantis miracula meritò redijsse censere liceat. Sed quid ego horum meminerim? etiam unus sufficit Altissimo ad 10000 fuganda. Cecidêre hostium facilè 30000 millia & quidem selecti militis, 3 Bassæ in prælio occubuerunt, duos propemodum suis manibus Dux exercituum cepit, sextus globo trajectus inspectantibus cunctis nostras nudus ferè per Danubium effugit manus, septimus cum aliquot centenis de sub Strigonio liber evasit, alibi calamitosiore nece nequicquam potentiæ Turcicæ afflictæ solatia de se præbiturus. Magna ea profectò victoria, quâ majorem vix retroacta vidêre secula; quo tamen illa lucro nostro? ingratis concessa cœlitusq; data: nam adhuc in ore nostro tantum beneficium erat; & jam irritabamus eum in adinventionibus nostris. Scim⁹ præceptum DEI magnum esse de dilectione proximi: hic autem regnavit invidia & livor. Quia Dux supremus vicit; torvi vultus respectu pensata victoria est: quia generosè certârunt Heroi equites; alio detorta alijsq; imputata palma. Quod illud Mtis oraculum fuit? quo suis ademit, alijs attribuit gloriam, non Sarmatas sed Croatas extollens coram Germanis: cùm tamen apud nos captivi essent Bassæ. Veriùs æquus virtutis æstimator Dux Lotharingiæ coram supremo Duce, nostris victoriā acceptam retulit. Triste id omnino accidit Polonæ virtuti ab extero laudari pro merito, à suo deprimi pro passione: quare non minus animis quàm viribus cadere, quas lætior vultus Principis erigere potuisset. Quamvis quidem non paucos autumni tempestas & iniquiora inter cadavera, putentesque Turcarum reliquias ad hostium propugnacula stativa absumpserant, non pauciores tamen etiam exploratoriæ & pabulatum ob summam rerum penuriam expeditæ missiones per detestabilis odij respectum ceciderunt, casuris etiam pluribus; nisi Germanus miles ad Strigonij expugnationem se resolvisset: quod undiq; oppugnatum 27 A.C. 1683

 Octobris

A.C. 1683 Octobris feriâ quartâ per deditionem in potestatem redactum est. Jam autem per totum hoc mansionis in castris interstitium nihil comodo publico gestum est. Tractatus cum Tekelio admodum langvidè absolvebatur, non alio intuitu: nisi ut penes Cæsarea lucra, privata etiam Domûs regiæ locum haberent emolumenta. Hinc de Tekelio & Abaffio quærebantur munera; inde palliato boni publici obtento ad speciem publicabatur; trahi has moras: quò exercitus non in Polonia sed hostico hiberna sortiretur stativa. Unde factum est, ut incertas in superiori Hungaria, quæ sepulchra utriusq; gentis Exercitui futura erant, inviti nansisceremur consistentias, securioribus quæ hospitibus debebantur, in inferiori Pannonia dimissis: cumq; à benè sentientibus in Senatûs consilio ob difficultates & incommoditates innumeras in his calamitosis hibernis intervenientes querelæ depositæ essent; quantis passionatorum extēplò motibus eæ exagitatæ fuerint, quàm sinistris interpretationibus sensus meliorum subjacuerint, toti exercitui patuit. Quis sub id temporis compassionem negâsset etiam de Ministris Status, adversô: eversam esse consiliorum formam, & ademptum Magistratui Ducali in militem imperium. Totis castris vulgatum erat, ne Dux Bassas quos suæ debebat frameæ, præsentaret; sed singulos integrosque restitueret. Quod num jure exigi petique potuit? deerat utique lex positiva Reipublicæ, quæ id juberet: vestigium duntaxat alicujus juris supererat, ut suo capta tempore præsentaret. Æquitas verò ipsa postulat; ut quisq;, adeòq; etiam tantò amplius Dux eo gaudeat quod jure belli aquisivit. Vidimus utiq; præsentibus temporibus insignes in manibus privatorum captivos: num quem illorum Reipub: restituere coacti sunt? non memini Regem ipsum feliciter modernum aut reddidisse, aut de hoc compellatum, ut redderet; quos adhuc Ducem agens ceperat: quamvis æquè respici poterant commoda ex illis in publicum proventura. Iustus DEus propitiam suam exeruit liberalitatem; quæ, dum in terris cessavit justitia distributiva, aliunde supplevit: nam & hæc expeditio castrensis tam sumptuosa non ex discretionis Germanicæ intuitu, sed de propria cujusvis substantia est absoluta. Et tamen per exercitum rumor non deerat; qui asserebat Primoribus copiarum tanquam intimæ admissionis & perpetuis belli Consiliarijs grandia in menses conferri præmia; at Tholossano auro similia ea putaverim: Infelicissimos judico, quibus de pretio sangvinis nostri participare placuit, felicissimos qui puras ab his donis servârunt manus, contenti Divinam per sua dispendia auxisse gloriam. Vltimâ Octobris divisio copiarum in stativa facta est, sub Strigonio. Germanis Silesia, Moravia & inferior Hungaria obtigit: Nobis ascendere Hierosolymam sive Hungariam superiorem imperatum. In quo itinere, quia inter circumjacentia Turcarũ fortalitia Szeycinum opportunius expugnando ob plures circumstantias videbatur; illi ex nunc successimus nec morati 10 Novembris feliciter occupatum, Germanis nullô nostrô lucrô reddidimus: quin doloris plurimũ tulimus, quòd Capitaneus Stognicensis præclarus Heros pedem utrumq; amisisset. Quas in illa peregrinatione difficultates, famem, cœli terræq; injurias exhauserimus; quã arduum iter versus Koszycam, Presburgum &c. Hungariam peragrando exantlaverimus; dicere difficile est. Per tela per ignes eundum fuit; à tergo, fronte, & lateribus, undiq; infesta omnia; rapiebamur palàm & clam; fessi & ægri capiebantur, cædebantur, pagi cum relictis incinerabantur, sangvinis pretio fascem fœni & avenæ licitari necessè fuit. Fuissent & ea utcunq; adhuc populo erranti per abrupta montium & in via-

via tolerabilia, intuitu terræ promissionis tandem assequendæ; si huic alteri populi DEI Josve ad eam deducere libuisset: at secus factum est. Nam loco Terræ melle & lacte manantis Koszycam promovit exercitum, duris globorum bolis ad mortem tractandum. Tulimus illinc præter opprobrium & funera nihil. Commissarij Regij ludibrio, Exercitus contemptui habitus, adeò: ut præsidiarij illius loci in nostra signa ad usque castra irruerent: quare saturati opprobrijs receptui canere recedereque debuimus. *A.C.1683*

Gemina hic occurrit consideratio quam prætermittere mihi visũ non est: sed nec licet. Prima est ratione Exercitûs M. D. L. non magis speciosi quàm fortis. Hunc secundùm peregrinationem Szecino à consortio aliorum excludere libuit, dilata illis indies stativa sunt, tandem ad incitas viarum tractuumq; iniquitate redactis nulla de locorum positione prævia notitiâ Vivariensis comitatus infestis Hungarorum fortalitijs abundans ad supremam perniciem est designatus. Secunda est quod contra jura gentium legati Tekeliani Absolon & Nagi sub custodiam ideò dati; quòd Koszyca & Preszovia se non sivissent vinci; quòd Tekeliani hostilitatem exererent, Invasoresq; terræ suæ non fuissent venerati. Quod num licuerit? quisq; arbiter esto: peccatum eo est contra scriptum ad Archivum datum; usurpata potestas ultra præscriptum. Movere debuerat ad commiserationem extrema Hungarorũ calamitas; quos, ceu pilæ essent, jam huc jam illuc per ludibrium pro libito jaciebat quisque: at compassionem nullam adversa invenit fortuna; suppressa quin instrumenta protectionis ad omnes tres Status Reip. destinata, invasum vicinum & amicum Regnum; quamvis fucatæ mediationis prætextum in elusionem gentis obtulisset, igne & ferro depopulata omnia, quodq; gravissimum omnium insciâ per conculcatas leges Repub. novo inchoato bello altera in Poloniam aperta porta hosti: quæ omnia odio forsan libertatis gerebantur; ut eâ per Hungariam primum oppressâ gradus ad opprimendam in Polonia & via sterneretur; Preszoviâ Szybinum movimus qui locus, quia minùs munitus utriq; exercitui tam Polono quàm Litvano (aderat enim etiam & iste relictis impedimentis per hospitia sua) facile 8 Decembris cessit. 11 Ejusdem Præsidium Polonum sub regimen Cõmendantis Deinemarck concessit.

Hic finis nostræ expeditionis simulq; spei panis Germanici. Consulti quidem de consistentijs Primores Exercitûs; sed pronum erat intelligere, id non nisi per ludibrium fieri: jam enim tempus effluxerat. Datus nihilominus color rebus est; ut per hiberna in hostico sumpta fama apud Exteros, fides apud suos pararetur. Adinventionibus igitur laborare necessum fuit, quas in publico arcanorum consilio subtilitas suggestionis Austriacæ suppeditavit; imperatô: ut ad propositionem Comitum Hũmanai & Czaki, quĩ nos in bonis suis hospitio exceperant, ad comitatum Ungvariensem Exercitus destinaretur. Nec miror ab ijs, (quòd aliàs à suo Tekelio securitatem desperarent) hæc extrema media porrecta fuisse: at istud miror, ut obduruêre corda Nostrorum, pensiq; habuêre reliquias copiarum in exitium præcipitare: nam 9 Szybino milliaribus, ubi ea res tractabatur, locus stativorum aberat, per montes Curucis sive Siculis infestos eundum, præterq; Koszycam, Preszoviam & Bardicovum tenendum iter erat; cùm interim legiones nostræ fessæ essent, equis & famulis absumptis, manca non nisi & lacera vexilla numerarentur. Nihilominùs Plauwcziis redditum senatûs consultum est Ducibus, quo mandabatur, per Ungvariam pars exercitûs locaretur, peditatus Scepusij, Catapha-

A.C. 1683 taphractus miles & reliquæ copiæ in confinijs Poloniæ ſubſiſterent. Hac diſpoſitione à S. R. Mte demandatâ ipſemet Rex Lubomlium, ubi campi-Dux Regni ſimul expeditionem, ſimul vitam finivit, diſceſſit. Supremus verò Exercitium Dux eo die adhuc ſubſtitit: inſequenti autem die Circulo Militari abſoluto cum reliquo Exercitûs ulterioris ordinationis continuaturus curſum, Muſzynum profectus eſt: ubi rigidis mandatis munitâ intuitu conſiſtentiarum conſtitutione Grzybowiæ ſuam expeditionem clauſit. Hoc igitur compendium geſtorum eſt non confictum; ſed de veritatis conſcientia in unum confectum; jam nunc (Polonus Polonis, Frater Fratribus loquor, quorum gratiâ ea collegi) componat quivis hæc cum novellis; quæ de cerebro & officina Cracoviæ prodierunt, agnoſcetq; ibi ſervilem paſſionem veritati fuiſſe inimican. Fateri illum oportebit, præclara à DEo fuiſſe qui noſter ſalvator fuit, cætera perperã geſta homini imputanda: qui jam tandem velit ſe malorum haberi Authorem. Hic caveo; ne te nimis ſecurum credas in laribus tuis, tantâ trophæorum noſtrorum magnitudine tibi ſecuritatem perſvadente.

Magna quidem ea fuêre; ut tempori illi ſecunda loquar; ſed parva, ſi conjecturas ſequi velim: Hoſtem nondum fregimus ſed irritavimus.

Exſpectat ille nos & ver, virulentum in nos paratiſſimus Vezyrũ immittere, redintegratis viribus priores etiam compenſaturus: Nos autem omni curâ procul ſumus. Florem Heroum veteranorum & Magnorum virorum amiſimus: exitium in proximo propemodùm videmus. Nam ab extra bellum cum Turcis habemus: ab intra autem omnia diffidentijs plena. Hæc omnia advertenda ſunt, invigilandumq; ne quid Reſpub: capiat detrimenti.

BREVIS CONNOTATIO EXPEDITIONIS SUB VIENNAM. 1683.

15. Auguſti die nimirum Aſſumptæ in Cælum Virginis (Dominica ea fuit) jam expedito Palatino Volhyniæ cum parte exercitûs diebus aliquot ante; Rex alterum elegit tractum, Będzinum, Tarnovienſes montes, Ratisbonam, Opaviam, Olomutium, & Brunam tranſiturus. Eandem viam ſecutus Palatinus Ruſſiæ, cujus etſi initio exiguæ erant Copiæ; ſed mox convolantibus undiq; ad notitiam profecti Regis creverunt in juſtum exercitum.

20 Auguſti Aſſecutus eſt Rex exercitum; nam hactenus non niſi aulâ ſuâ comitatus cum Regina ibat. Auditô Majeſtates apud PP. Societatis JESU ſacro Piekaris, ad quas tum exercitus ſtabat, non deſcenderunt in caſtra; ſed rectà profectæ ſunt ad montes Tarnovienſes milliari uno à loco auditionis ſacri diſſitos. Nos in illis non niſi ſequenti die, qui Sabbatum fuit, conſtitimus.

22. Auguſti Dominica fuit, movit Rex ex Tarnovienſibus montibus; exercitus in aciem diſpoſitus ſtetit, ſeq; Reginali Majeſtati præſentavit: quæ luſtratione abſoluta valedixit Regi & cum aula præſente in Poloniam reverſa eſt.

24. Auguſti Ratisbonæ conſtitimus. Excepit ibi Regem Comes de Obersdorff. Ipſa autem Comitiſſa cum filiabus in caſtra ingreſſa omnia perluſtravit, & tentoria Ducum inſpexit. Rex eo die dimidio milliaris à Ratisbona apud Ciſtercienſes noctavit.

25. Auguſti Expoſitis ſummis rationibus Rex à Supremo Exercituum Duce ſe ſeparavit, aſſumptiſq; 20 vexillis & aliquot centenis deſultorij militis, Officialibusq;, quibus libuerat, Opaviam delati ſumus, circa meridiem

ridiem. Compta ea satis civitas est, Nobilitas nobis descensione ex equis factâ obviàm venit, tum etiam Cives in ordine suo: illa quidem longè ante civitatẽ nos excepit; hi verò ante portã. Salve ter ex tormẽtis per ambitũ mœniorũ dispositis datũ. Substitimus ibi eo die per aulas, eramus autẽ circiter 3000. Salutavit Principẽ à Cæsare Comes Schaffgotz. A. C. 1683 *Honores Regi in Cæsareis civitatibus facti.*

26. Augusti feriâ quintâ Olomucium pervenit Rex, eoq; modo, quo & Opaviæ tam à Nobilitate, quàm Civitate exceptus, salutatus insuper decorâ oratione, deductusque ad hospitium ubi tam à militibus, quàm civibus salve datum. Sequenti die invisit Collegium PP. Societ: JESU, tum ad Palatium Episcopale rediit.

27. Augusti Feriâ sextâ Olomucio excessimus, & aliquot inde milliaribus; quia serò illinc profecti eramus, noctavimus.

28. Augusti Sabbato milliari uno Brunâ noctavimus, quo circa vesperam venit Princeps Lichtenstein cum Principe Holsatiæ Consorte sua, quæ cum Eleonora Regina in Polonia fuerat, & Dno Palfi Ungaro; salutârunt hi Regem, moxq; Brunam redierunt.

29. Die Dominica Rex ingressus Brunam est Metropolim Moraviæ, civitatem egregiè munitam, præsertim quoad arcem: quæ quidem communicationem tantoperè non habet cum urbe; sed tamen etiam ipsa Urbs satis provisa præterito præsertim bello Svetico; quando arx præclarè defensa fuit, utut illam Sveci oppugnárent. Convivio ibi exceptus Rex à Consiliario Cæsaris Kołowrat, aliisq; summis honoribus, quemadmodum Opaviæ & Olomucij. Inde eodem die movit, stetitque ad oppidum milliari Brunâ dissitum, primâ vice sub tentoriis noctatur⁹.

30. Augusti Quamprimùm Rex de loco nocturnæ quietis movit; comparuit Aquila grandis ac speciosa, quæ prævolando Principi ostenderet viam. Constitimus ad Direnholcum tempestivè tribus milliaribus Nikelsburgo; ubi de mandato Regio Campidux cum parte exercitûs exspectabat. Eodem die Rex Nikelsburgum divertit visurus hortos ad elegantiæ amussim dispositos, cum Palatio, item celebrem cadum sive dolium, aliasque raritates. Pro nocte ad Castra rediit. *Aquila Regi ostendit viam.*

31. Augusti Manè admodùm, locum eum reliquimus: serenus erat dies, cælum sine nubilis sudum; cùm circa septimam diei placuit Altissimo novo nos recreare Phœnomeno. Comparuit super capita nostra Iris, instar novæ lunæ, insolita adeoq; miranda. Habebamus à tergo solẽ tantò inde nobis illa aspectabilior omniũ in se oculos convertit. Cornua utraq; à sole aversa, colores autem uti in iride satis illuminati, noscibilesq; erant. Ibat utrinq; via solem versus, quarum obscurior dextra, læva autẽ illustrior fuit. Luxit hoc Meteorũ 2. circiter horis, & circa 9nã disparuit. Intendim⁹ planè ões oculos nostros Rex, Cãpidux, tot9q; Exercit⁹. Imago hæc ejus fuit *Phænomenon in cælo novum.*



Nikels-

A.C. 1683 Nikelsburgum quadrante post conjunctionem cum Campiduce insperatè supervenit Dux Lotharingiæ cum aliquot primoribus Exercitûs, quem quantocius instructo in aciem exercitu ante catephractorum Campiducis vexillum subitò in pulchrum ordinem dispositum, Rex suscepit. Dux ultra 30 aut amplius passus remotus adhuc existens, descendit equo, pedesq; Regi appropinquavit. Rex jam aliquot duntaxat passibus distante, subitò descensu ex equo facto gratiosè & peramanter amplexus est. Mox inscensis equis Holbrunum copijs prodromi profecti sunt, ubi ex temporaneo sed eo ad stuporem omnium, qui sciebant tempus omninò tot præparandis defuisse. Venerat eodem Princeps Waldeck Generalis Imperialium; sed is non moratus non sumpto prandio festinavit ad suos.

1mâ. Septembris totum diem expectavimus quieti; dum supremus Dux Exercituum cum copiis adveniret. *2dâ.* Septembris feriâ quintâ noctem diemq; totam vehementiores pluviæ impedimento fuêre. Quãvis ergo jam tubâ datum signum fuerat profectioni; suspensum nihilominùs iter est: quòd supremus Dux Exercituum cum peditibus & tormentis viarum iniquitate præpeditus accelerare non posset. Unde is dies in ijs stativis abijt: quocirca vesperam iteratò Dux Lotharingiæ cum Principe Saxone de Eysenach alijsque Primoribus invisit; nam illorum copiæ nonnisi tribus milliaribus inde ad Korneyburgum stabant. Habuêre hi secum Italum, qui eodem die Viennâ venerat; item Turcã & Tartarum pro indicibus captos: ex quibus constitit, quantum Vienna premeretur, quàmque impossibile illi futurum imposterùm esset sustinere hostilem obsidionem. Adjecit Italus, jam scire Commendantẽ de adventu & festinatione Regis Poloniæ. Idem jam tertio Viennam per obsita & undique hostibus cincta loca pervaserat. *3tiâ* Septembris feriâ sextâ movit Rex geminis duntaxat vexillis squammatis loricis armatorum, & ijs, qui ejus signo attenderent assumptis; mandatô: ut exercitus etsi lento passu, pro posse tamen sequeretur, Wackiendorffum: ubi auditô sacrô mox ulteriùs promovit, & pro prandio Steteldorffi stetit in arce Comitis Hardeck, qui Præfectus Stabuli fuerat apud Wallensteinium Generalem: ibi consilium generale indictum, intimatusque Principibus copiarum conventus. Comparuêre omnes à prandijs; Dux Elector Saxoniæ cum consangvineis duobus de Lavenburg & Gotto, item 3tio de Eysenach. Dux Lotharingiæ, Marchio Badensis Princeps consilij, Ludovicus de Baden, Princeps Waldeck, Degenfeld Generalis copiarũ Ducis Bavariæ, Goltz Generalis Ducis Saxoniæ, & complures alij Principes & Generales, uti Caprara, Lesle, Rabatta, Caraffa, Princeps Salmes, Marchio Preiner Generalis belli Commissarius: fuerunt præterea complures juvenes, quos inter de domo Hassau, Princeps de Ausperck, Dux Sabaudiæ & alij quos omnes Rex admiratione sui implevit ipsoq; regio vultu & alacritate ad ulteriores labores accendit adeò; ut sibi gratularentur, se sub tam bellicosi Principis imperio & directione futuros. Complurium etiam sibi devinxit affectum Princeps Regius, ritus & declarationes cerimoniarias eâ præsentiâ excipiens; quâ satis demonstravit; non minorem Patre extiturum. Advolavit immediatè ante consilium Dux supremus Exercituum, alijque cum illo Magnates; quorum præsentia (absit assentatio) extinxit quodammodo Germanicorum splendorem, clareque patuit nobis imperium, illis obsequium convenire. Fuit igitur ibi consilium, in quo adhuc dubitantibus Rex resolvit scrupulum, præire pollicitus per pontem cæteris. *4tâ* Septembris determinaverat

Consilium generale de bello sub Vienna gerẽdo

Rex

Rex proficisci ad pontes Viennenses nonnisi trib⁹ milliaribus distantes; ut recognosceret loca circa Viennã, sed graves pluviæ prohibuerunt iter. *5ta* Septembris Dnicâ die advenêre jam junctæ universæ sub utroq; Duce Copiæ Steteldorffum, quò iteratò Dux Lotharingiæ cum pluribus Generalibus redierat. Pulchrum illæ exhibuerunt spectaculum prætereundo & in planitie latè alas extendendo Germanicis Principibus. Spem vicerant, quà specie quà numero suppletæ legiones erant & vexilla ijs, qui nos insecuti fuerant. Constitimus deinde ad pontes versùs Tulnum, ibique generalibus castris fixis Rex ipse pro nocte relictâ arce interfuit. *6ta* Septembris feriâ secundâ omnium propemodum consilium fuit, subsistere adhuc; dum pontes repararentur, & viæ in insulis admodùm vadosis meliùs insternerentur; præsertim, quòd impossibile videretur cum gravioribus tormentis transvadare. At evicit Rex, vicitque exemplo difficultates: nam sum̃o manè ipse prior transivit pontem & vada, inq; alteram delatus partem, defixo tentorio alios ad sequendum invitavit. Quod igitur supra posse esse putabatur, possibile probavit effectu Princeps, cui nihil impervium, cui militat æther: nam eo die tam secundus à sole æstus fuit, ut etiam majora vada siccitati reddita opportunam viatori exercitui viam præbuerint, & ex altera parte Danubij steterint (exceptis curribus) inter Tulnum & montes; qui vertice ferientes nubes, imò nubibus velut insepulti fugiebant humanum oculum, terrebant animum. Hi nihilominùs brevi post exantlandi fuêre. In ijs montibus sylvæ sunt Cæsarum recreatio; quòd ibidem per interpolantes juga valles, saltusq; venari soleant. Eodem die Renegatus Helvetius in nostra castra advenit, qui se hesternâ die vesperi transfugisse à Turcis asseruit, significavitque Sabbato proximè elapso cuniculis actis cornu propugnaculi ad palatium siti ejectum fuisse sine graviore detrimento: unde incursionem & impugnationem tentari ab hoste nequiisse, versari illum tamen in fossis loricamque Lobet dictam inter propugnacula aggressurum. *7tima* Sept. feriâ 3tiâ Dux Lotharingiæ cum suo exercitu, Saxoq; Elector trajicere cœpit. Nostri eo adhuc die quieverunt, quòd Bavariæ Elector & aliæ copiæ Crembsio nondum advenissent. *8vo* Septembris feriâ 4tâ die Natæ Virginis DEiparæ adhuc Cæsarianus miles trajiciendo occupabatur, Nostrorum etiam curruum complures in altera ripa remanserunt. Elector interim Bavariæ cum Principe Waldeck copijsq; suis, uti & Saxo advenerunt, lævumq; à Danubio latus, ubi & Cæsareus miles stabat ad Danubium obtinuêre. Copiæ eæ omnes benè ordinatæ & admodùm pulchræ fuêre. Salutavit Regem Dux Bavariæ. Turbatum bis de nocte in sinistro cornu, at causa turbationis nulla exstabat. *9nà* Septembris Tulno movêre castra versus montem & Viennam; ubi in oppidum Königstadt incidim⁹ Turcicis ignib⁹ insepultũ: quæ sors omnes circũjacentes civitates involvit; ita ut in tota provincia nihil intactum à vastante hostiũ flammâ remanserit. *10mà* Septemb. feriâ sextâ examinatis peritis locorũ, quà potissimum montium juga accessa essent, elegit sibi Rex dexterum cornu ideò; quòd & arduum magis sciret illàc penetrando esse, & Hanum sinistrum in exercitu Turcico tenere cornu, adeoque graviora imminere posse pericula. Nec falsus est: nam quaquaversum inter montes & civitatem in plano camporum Tulnensium Tartarorum transivimus hospitiorum indicia; Cæsarianis lenior concessa & securior ad Danubij ripam via; quà etiam impedimentis curribusque nostris imperatum iter utque Greyffenbergi expectarent ulteriorem Regis ordinationem, mandatum. Itum ergo in montem à nostris est inaccessum propemodùm

A.C 1683

Polonus exercitus

Joannes III Rex exẽplo trahit ad transvadandum

æstu insperato siccantur vada

Civitates circa Viennam flammis datæ

A.C. 1683 pemodùm, vijs nonnisi angustis & saxorum obice arduis, sylvarumque densitate impeditum. Unde ob difficultates divisus, ne sibi mutuo impedimento foret, per diversa ferebatur exercitus, noctabat quisq; ubi sors obtigisset, altero de altero prorsùs ignorante. Rex semper primus & veluti præcursor, cautus tamen, generoso exemplo animabat cæteros. Cuilibet parti peditatûs assignata duo tormenta; quæ in montem deportarent, ad reliqua tormenta & apparatum bellicum peditatûs dextrũ cornu relictum, sinistrum alijs copijs associatum arduos utcunq; eluctatum tractus in pago Kirchbach ignibus consumpto noctavit. Rex paucis comitatus velut in prima custodia stationem pro quiete sortitus est. Cataphractis autem in densa & angusta sylvula inter lævum & dextrum peditatûs cornu somnus capiendus fuit. At peditibus ad tormenta relictis nec quiescere quidem licuit: nam totam noctem in deportandis illis & devehendis insumere necesse habuerunt, & quantumvis omnium ferè equi jungerentur, ægrè tandem eluctati per aspera circa meridiem sinistri lateris peditatui juncti sunt. Turbatum eâ nocte in castris Polonicorum vexillorum est; equi & apparatus quà bellicus, quà equestris à compluribus amissus. Faciliora omnia & proniora Germannis fuêre, qui eo die Kierlini constitêre. *11ma* Septembris Perrexit Rex ultra, quem Equestris militia in Weilgen assecuta est; item peditatus sinistri cornu deserto dextro & gravioribus tormentis ijsdem vestigijs institit. Deventum eo die ad Calvum montem cœnobio Capucinorum inclytum pro nocte, ex quo jam Viennam & castra Turcica spectare licebat, patebatq; rectà per declivia inter montes ad civitatem via satis ampla, quam Dragonibus insidere mandavit, omniq; modo & arte impedire, ne fors quidpiam à Tartaris à tergo turbaretur. Dextrum cornu ægrè circa vesperam ad radices Calvi montis constitit, nec ulterior fatigato milici ascensus possibilis fuit, quòd luna non luceret. Ibi ergo noctare jussus: cùm & aliud accessit malum, errore ad oppidum quoddam flammis ab hoste consumptum delati fueramus; unde relegere coacti viam, totam planè noctem insomnes egimus, laboribusq; prorsùs trahendò inter fossas, aspera & cellaria vini tormenta nos confecimus.

Calvg mons

12ma. Septemb. Dominicâ die ante diluculum cum tormentis & peditatu in nomine Domini perreximus. Verùm quia jam initium pugnæ datum fuerat, & ex altera parte montis confligebatur: impossibile verò videbatur tormenta cum curribus in montem deducere, assiduè fatigando Regem per Nuntios vix tandem obtinui, ut sola tormenta relictis curribus, ad quos certa vexilla reliqui, deducere in montem liceret, peditatûsq; dextrum cornu eòdem assumerem. Quod etsi concessum fuit; tantum tamen laboris exhausimus: ut ægrè circa primam à meridie verticem montis obtinuerimus, hominibus undique & ubique infessum. Adhuc universus exercitus in Calvo monte subsistebat, solumq; duntaxat lævum cornu Christianitatis copiarum cum hoste de loco, qui necessarius explicandæ aciei erat depugnabat. Quàmprimùm legiones omnes in unum collectæ fuêre de mandato Regis promotus in proximũ montem capiendi pro acie loci exercitus est. Imminebat ille proximè aciei Turcicæ, non quidem sylvis grandioribus impeditus; sed tamen virgultis & spinis, fossis & vineis vinearumq; stabilitati fixis aggeribus ac muris nimium quantum nostris arduus. Ubi minimè rebamur, cæcæ foveæ nostros fatigabant: jam saltandum, jam repeendum & eluctandum erat; sicque difficultas una alteram excipiebat. Occupavimus nihilominùs & eum montem, quem inter & Turcas nonnisi mediabat vallis, in quam

quam se mixti Tartaris Turcæ demittebant, nostris tormenta in eos exonerantibus. A. C. 1683

COPIA LITERARUM CHRISTINÆ REGINÆ SVECIÆ JOANNI III. REGI POLONIÆ POST LIBERATAM VIENNAM SCRIPTARUM die 23. Octobris.

Magnum & rarum spectaculum dedit in universum mundũ Majestas Vestra memorabili illo & glorioso die succursum Viennæ ferendo, pro quo tantum debet illi Sancta Sedes, & universus orbis, ut gaudere & applaudere gloriæ suæ sit obligatio cujuslibet Christiani, qui suam in communi testatur lætitiam. Felici illo die monstravit se Mtas Vra non tantùm Coronâ Polonicâ, cui DEus eam præfecit, dignam, sed meruit Imperium mundi, si illud uni tantùm Monarchæ cælum destinasset. Libenter ego vellem exprimere Majestati Vestræ meos sensus super id particulares, & sum certa, quòd clarè cognoscere posset, neminem melius me reddere justitiam gloriæ, & meritis suis. Possum dicere, & inde glorior, quòd nemo me melius pretium victoriæ hujus cognoscat, nemo valorem actionis tam insignis æstimet, nemo tam magnæ victoriæ à Mte Vestra de Monarcha Asiæ reportatæ æstimet consequentias, cùm ego plus alijs cognoverim periculum nostrum, plus timuerim ruinam & exterminium, quod nobis formidabilis illa potentia minata est, de qua voluit DEus triumphare per medium heroicæ fortitudinis Majestatis Vræ, cui imposterum omnes alij Reges post DEũ debent conservationem Regnorum suorum. Ego verò cùm amplius Regna non possideam, profiteor obligationem conservationis meæ, independentiæ, quietis meæ, quam ego supra omnia Regna mundi æstimo. Interim tamen opus est, ut confitear ingratitudinem meam erga tam magnum Regem, uti est Majestas Vra, ex eo, quòd premar invidiâ, quæ mihi eò minus tolerabilis quò magis mihi nova ista passio. Nemini viventi invidebam unquam, sola Majestas Vestra facta est scopus invidiæ meæ, effecitq; ut crederem huic me obnoxiam, cujus me credidi incapacem. Velim tamen sciat Mtas Vra, invidiam meam esse ejusmodi, quæ excitat in corde æstimationem & admirationem, Majestati Vestræ debitam. Non invideo Regnum, nec thesauros & spolia, quæ acquirere datum est à DEo, invideo Majestati Vestræ incommoditates, & pericula. Invideo titulum liberationis Christianitatis, nec non gratiam, quod possit dici dator vitæ & libertatis amicorum æquè ac inimicorum, utrisq; enim vitam & libertatem in tuto locavit. Attamen invidia hæc tantum gloriæ incrementum Majestati Vestræ contulit, ut multũ mihi deesse dicerem, si illâ carerem. Quanquã certò spero me veniam & indulgentiam à Mte V. impetraturam. Dominus DEus, qui est unicum meritum & præmium actionum heroicarum & gloriosarum, remuneretur Majestati Vestræ in hoc mundo & in æ-

A.C. 1683 *ternitate, quia solus est, qui possit hæc omnia dignè recompensare in se ipso. Conservet, & prosperam faciat Majestatem Vestram pro gloria & obsequio Catholicæ Ecclesiæ; reddat illam semper triumphantem de omnibus ejus inimicis. Interim non ingrati sint sincerissimi mei & affectuosissimi sensus, cùm sim…. &c.*

XLII
STEPHANO WYDZGA ARCHIEPISCOPO GNESNENSI.

Relatio à Comitiis Anni 1683 biennalium gestorum & laborum Exercitûs tam in Horizontibus Viennensibus & Hungaricis, quàm Podoliensibus, & Subistrensibus sub clava Stanislai Jablonowski, Palatini & Generalis Terrarum Russiæ, Ducis Supremi Regni ab eodem facta.

ABbreviatum tempus in tanta sui angustia abbreviare, hoc pro ratione dignitatis vetat vel ipsa obrui magnitudine, quidquid in vivis cordibus debitæ recenter impressit memoriæ, & decora ingenia Posteritati promulgabunt, & relinquent. Ast hoc ad communes plausus quasi vasto & undis abundo affudit Oceano guttas, at tamen revolutione crescit gratitudo; heroica & magna Sacræ Regiæ Mtis facinora, domi chara, & in castris honesta, non possunt uti ab alijs, sic nec à me præsertim damnari sub umbras silentij, quamvis suâ venient in sæcula famâ; sed & hic piâ enarratione, sincerum illorum æstimationem egerit cor. Igitur à publico eò major debet esse ad regratificandum animi subjectio, quò alacrior executionis fuit promptitudo. Exile ingenium, verbaq; mea debitam non capiunt gratiarum actionem, hanc tantùm æternam exarant obligationem, quod cum profusione sanguinis mei, audaciæ, valetudinis, reliqua fortunæ S. R. Mtis, & totius Reipub: sincerè & zelosè nomen portabo coram Gentibus.

Post felicem præteritorum Comitiorum conclusionem, magnis S. R. Mtis curis, semper æquali pro Repub: applicatione, eventu rerum optimo, memorabili Nominis Poloni famâ, prima studia direxi ad executionem sancitorum Reipubl: ratione reductionis Computi Exercitûs, statuti, & dispositionis, ac repartitionis.

Ubi statim difficiliùs erat, exitum, quàm principium invenire, quia declaratæ Palatinatuum, & Terrarum in quatuor quartas summæ nullatenus triginta sex millibus sanciti, & statuti exercitûs computo sufficere poterant. Modus corrigendi hujus erroris non erat, nisi ut Exercitus minueretur, quod nulla ratione, extra fines Poloniæ, & pro tam magno Religiosi fœderis negotio eundo, fieri potuit; aut semiquartam, ad quartam reducere, ut hæ summæ sufficiant. Visũ ergo S. R. Mti, & Senatui eo temporis existenti, prout hic lectum, medium hoc efficacius, & salubrius conservationi universi ad semi quartam, Quartam prædictam solutionem Exercitûs adjicere.

Igitur pretiosa temporis momenta difficultate illa, extraditionis modo, rebus confectis assignationum, pro conscribendo, & augendo milite, constitutione hujus decreti, elapsa quod prævia non nisi ultimis Maji hinc Varsaviâ migravi. Sine mora ergo cucurri ad Exercitum sub Trembowolam, illum revocando per hibernis locationibus, deinde decimâ Julij inde movi. Pro Præsidio Confiniorum, & excubiis, reliqui supra dena Vexilla, & Cosacos sub præfectura Sierakowski

kowski, moderni Succamerarij Belzensis. A.C. 1683

In progressu, expedivi Palatinum Volhyniæ Ducem Campestrem Regni cũ aliquot denis Vexillis Cataphractis, Loricatis, Valachicis, & Desultoriis, ut ageret Prodromum ad fines Hungariæ, ipse verò festinavi cum Exercitu magnis passibus Cracoviam, ubi steti 7. Augusti, & adhuc ibi Palatinum Volhyniæ inveni.

Reliquit ergo S. R. Mtas, & Senatûs consilium in Vigiliis finium Poloniæ magni Nominis Castellanũ Cracoviensẽ, & præfectura Vexillorum residuorum, prætacto Domino reddita. Ego verò movi statim cum S. R. Mte Cracoviâ in Silesiam ad Montes Tarnovienses inde ad Raciborz, ex hoc ergo loco S. R. Mtas retractũ Druszkowicz Castellanũ Lubaczoviensẽ à suscepta nobiscum & communi viâ, ordinavit (fidendo activitati, probatæ experientiæ, applicationi, & solitæ in publicum sinceritati) ad Exercitum Cosaticum neo conscriptum sub Duce Kunicki in Provinciam Generalis Exercituum horum Commissarij, sicut prædictus latius hoc enarrabit, & ipse cum loricatis Vexillis, & Desultoriis stipatus præcedenter jam ad Danubium ivit. Ego verò Cataphractis Vexillis, Peditibus, & Carragine onustior mansi, attamen quamvis tardis, sed crebris vestigiis procedendo, & festinando, accurri alterâ die statim, post adventum S. R. Mtis ad Statendorff super Pontem ad Tulnũ, & conjunxi cum S. R. Majestate.

In Statendorff habuit S. R. Mtas Consilium bellicum cum Principibus Lotharingio, Saxonico, Valdecensi Generali Circulorum Imperij, cum, aliis Principibus, & Generalibus Cæsareæ Mtis, & Exercitûs Bavariæ; Jucundum erat spactaculum oculis animisque pergratum dum Sacra Regia Majestas velut mundi Domitor, & rerum fortuna nostrarum, tantis Exercituum Congregatorum Gubernatoribus, præesset arbiter consiliorũ & sententiarũ maturâ prudentia, & sublimi Consilio combinatis. Hoc finito accessimus ad trajectum in Danubio 4. milliaribus à Vienna sub Tulno.

Videre erat & ibi ignes spirantem Martem in Sacra Regia Majestate summa diligentia & activitate omnia agens citraque moram sub latus hostis trajiciendum mandans. Profuit in tantum vigilantia S. R. Mtis, ut per septem pontes in finibus, & ipso torrente per sylvam latam satis, per loca limosa, gravi cœno tenacia, & rivis incerta, intra duos dies Exercitus trajiceret. Propter velociorem verò transitum gregarij in aliquot finibus, vadis sibi, more Patrio inventis trajiciebant, quamvis in aliquibus locis, & Cataphracta Vexilla sufferebantur ab aquis.

Castris jam locatis post trajectum, & civitatem Tulno cum omni plebe & carragine, 6. Septembris reddebant publicam visitationem Principes, Bavariæ, & Saxoniæ. In crastinum Exercitus illorum à Kremza venerant, inprimis Principis, Bavariæ postea Saxoniæ, in reliquò Circulorum Imperij, magno, & splendido apparatu. Adduxit hic captivum nuntiũ ab hoste missus in excubias Rozwadowski, Præfectus Vexilli loricati Palatini Podoliæ magni animi, & magnæ experientiæ homo, unde prima fuit de statu, & consilio hostili notitia. Igitur ita informati, sine mora, movit se Exercitus inde, jam ad sylvas, & montes Viennenses, super loca mœsta visu, ac nemora deformia, quæ transire videbatur impossibile capacitati humani intellectûs. Carragine ergo relictâ, arce, & Istro, super quæ locata victualia movimus feriâ sextâ 9. Sept: ad prædictas sylvas, & montes cũ communi, plebe maxima difficultas fuit ab i-

A.C. 1683 gnorantia Ductorum, quia hi, tantùm oras has, quæ exercitus tam magnos capere non poterant, nec erat tutum, scivère, & tantùm manuducente DEO fidendo probatæ Sacræ Regiæ Majestatis felicitati eundũ nobis erat, & sine omni in sylvis, & montibus ordine, noctandum & subsistendũ. Sabbatho, quamvis exercitibus Germanicis nos conjunximus, impossibile fuerat, ob montes & sylvas densas, ordinatis invicem stare castris, prout ratio vicinorum tentoriorum & castrorum hostiliũ jusserat. Stetimus ergo in quodam monte in densa valde sylva, in valido igne, interruptâ voce insomnes magis, quàm pervigiles.

Peractâ nocte in duro cespite, statim manè à suo Exercitu discessit S. R. Mtas ad Kalemberg arcem in monte, sub qua ferè à prima lucis origine, jam Turcæ cum exercitu Cæsareæ Mtis magno congressu dimicare cœperant. Inde S. R. Mtas observavit positionem Viennæ, castrorum Turcicorum locationem, & commoditatem campi ad confligendum. Dum tales aguntur congressus, exercitum suum in campum educere Wezyrius cœpit.

Igitur & S. R. Mtas oblatum videns sibi millies expetitũ tempus, jussit & me similia tentare pro gloria obsequij, & natura officij mei, cœpi & ego exercitum nostrum dextrâ alâ ex sylvis educere.

Statim etiam S. R. Mtas ad exercitum suum accurrens ulteriora distribuebat mandata etiam exercitibus externis. Acies ita fuit instructa. Alam dextram exercitus Regni tenuit, in quo ego cum legionibus, mea, Principis Palatini Belzensis, Vexilliferi Regni, Excubitorũ Regni, Venatoris Regni, Metatoris Exercitus; Omnes hi prædicti cum legionibus in personis suis, sed & Palatinus Pomeraniæ, Castellani Kijoviensis, & Volhyniensis, Mareschalcus minor M. D. Lit: Referendarius Regni, Succamerarius Leopoliensis in legione mea cum suis vexillis, velut præsidio stetêre.

In vicinia mei legio S. R. Mtis, ponè eandem legio Palatini Volhyniensis Ducis Campestris Regni, cum iisdem legionibus in ordine aciei legiones Castellani Cracoviensis, Palatini Cracoviensis.

Lævam verò alam à Danubio tenuit Mareschalcus minor Regni cum legione sua, cui addita tria Vexilla cataphracta Palatini Plocensis Procancellarij Regni, Capitanei Szczuroviensis. Corpus verò generalis aciei Exercitus exteri, nimirũ Cæsareæ Majestatis sub Principe Lotharingio, Principum Bavariæ, & Saxoniæ, ac cærorumq; statuum Imperij constituebant. Obequitando ergo Sacra Regia Majestas aciem instructam, alios spe, alios gloriâ, cunctos alloquio, & cura, sibi & prælio firmabat.

In accessu prælij, in educenda dextra alâ sub ipso monte in villa, statim nobis Turcæ obviarunt, ibi in eo loco ferox animi heros Assver⁹ Colonellus Sacræ Regiæ Mtis, gravi ictu hostilis glandis tactus, brevi posthæc occubuit, non priùs tamen cessit fatis, quam hostis latibulis suis ad montem in planum cederet.

Sacra Regia Majestas intentum in omnia pericula habens oculum cuncta disposuit pari celeritate ac scientia, exercitus Germanicos, Cataphractisque vexillis, quæ in abdito erant, junxit Cosatica signa commisit que pugnam fatis trahentibus orbem. Prosiliit ergo legio Castellani Cracoviensis in agmina hostilia, & generosè decertavit, quæ ex hac sua dexteritate multum quidem habet famæ, plus tamen doloris, dum tam firmum Patriæ fulcrum, magnæ spei solatiorum paternorum promontorium Capitaneus Haliciensis filius prædicti Castellani ma-

ni ma-

ni major natu, inter obstantes, & armatos ferro, viâ factâ sibi, immatura fatis victima concidit. Cecidere cum illo multi Heroës, Kaczkowski, Talomir Præfecti, & alij insignes Comilitones, qui tamen vivunt, & vigent famâ rerum gestarum. *A.C.* 1683

Iisdem vestigiis secundavit legio Palatini Cracoviensis, non minori audaciâ, & hâc gloriâ quia illi ipse Palatinus præivit super obvia tela, Divina providentia cujus nutu regimur in talibus æstibus, sicut prædictum salvavit incolumem, ita servet diu Patriæ. Dum tamen frangere vires hostiles legiones hæ non possent, ordinavit Sacra Regia Mtas vexillum Serenissimi Principis Alexandri sub Domino Zbierzchowski, post quod statim Palatinus Lublinensis ipse personâ sua cum vexillo cataphracto; Łasko cum vexillo Cancellarij Regni magni cataphracto, Ensifer Regni, cum suo etiam cataphracto, & Domini Præfecti stabuli Regni cataphracti ruêre cum suis residuis.

Videre erat immixtum vexillum Serenissimi Principis Alexandri ignibus, strenuè agere fortia, frangere acies Turcicas, & rigida manu immersis in pectoribus & præcordijs hastis, extremos vitæ anhelitus in hoste extorquere, in eodem æstu Palatinus Lublinensis cum suo sat gloriosè egit, & fortia repressalia fecit, comitatum aliorũ non otiantium habendo.

Res admiratione digna Serenissimi Principis Jacobi prætmatura juventa, quomodo ibi corde impavido(fatebitur quisq;) strenuè & audacter, hilariter, & non timidè in tam magnis prælijs, & armorum fragore, sine dubia spe vestigiorum Serenissimi parentis sui, enituit clarius sole. Undè statim noscitur ex tenero Jovis ales ungve.

Dum hic tam magni Martialis prælij incipiunt æstus, & Lerna Turcicæ potentiæ egeritur; Dönhoff Castellanus Vilnensis Generalis Colonell9 non otiatur cum Equitatu suo animosis passibus succollando Generalem Łącki sine conservatione sui. Non minori resolutione hic Regimen Desultorium Serenissimi Regis sub Francisco Gałecki Præfecto Culinæ Regni, magnisq; animis Colonelli sui stetit gaudens viam fecisse cædibus, Ad dubiam adhuc belli aleam sævo hostis furori juvit loc9. Hoc tempore dum tam Serenissimi Principis Alexandri vexillum in medijs fluctibus instructæ aciei Turcarum & alia vexilla cum illo superius præfata, cum suis reliquijs, etiam & in supplementum ordinata Legio Sieniawski Palatini Volhyniæ Ducis Campestris Regni tunc temporis strenuo conflictu cum hoste perfringere eundem luctatur, vixsum & mihi, omnia Cosatica vexilla in ala mea existentia, sub directione Linkievicz Præfecti tunc temporis vexilli mei Loricati admovere in hostem & ipsi instando Sacræ Regiæ Mtis felicitati facto insultu in aciem hostilem addere alacritatem, prout Dnus DEus, & felicitas indulsit, ut Wezyrius videndo in hoc assultu suam lævam alam propulsam, strages præterea, & funera exercitus sui, & tergum jam cœperant nostra vexilla, statim cum corpore secedere cœperit.

Juvit ad hoc summopere Martinus Kącki Palatinus Kijoviensis Generalis Artileriæ Regni, ipse in personâ suâ non innitendo artibus explosorum, prout in talibus occasionibus: sibi quisq; prosper, & lentæ adversus imperia aures, torment temperando, dirigendo, immodicè jaculando, æthereo nocens fumavit sulfure ferrum. Mareschalcus minor Regni alâ suâ ad Danubium egit præ se potentias tam magnas hostiles usq; ad mœnia Viennensia. Igitur, dum ita undiq; cladibus irruimus, nocituraq; gerimus arma, procedit ulteriùs Sacra Regia Mtas medio, ego dex-

A.C. 1683 trâ alâ, adhuc ad occasum solis fuit una hora, dum castra hostilia intravimus; attamen non totaliter castra hostis fugati, quia magnitudo situs ejus fuerat, transivimus & in littore alius partis erat standum, nox ferè concubia & illunis nimis successit, & jam hic somno vigili cesserunt langvida membra. Periêre funestâ morte in ignibus, & mutuis insultibus emeriti Sacræ Regiæ Mtis, & Reipub. Heroes Modrzejewski, Thesaurarius minor Regni, & Zbąski, Succamerarius Lublinensis, graviter ibi tactus, & mox postea mortuus, Commilitones ad hoc multi ex varijs vexillis, sed præcipuè ex vexillo cataphracto Vrbanski Castellani Rospirensis, ex vexillo Capitanei Haliciensis, etiam Pstrokonski Castellanides Brzestensis Cujaviensis, Mączynski Capitaneides Clonosen. Wyganowski, ex eodem vexillo Dni Vielunensis, & alij cum illis ingentes animos in fata ferentes. Continuò hæ fortes animæ, & bello peremptæ vivent, non tantùm in cordibus nostris dignâ memoriâ, cruenta pro bono communi Christianitatis emeriti gerentes insignia doni, sed etiam in posthuma communicante rerum memorias posteritate. Alia multa vexilla & Regimina advenire non poterant pro hac occasione, partim quia inermis novus miles, & à longinquo.

In crastinum summo manè feriâ secundâ expeditus Mączynski Venator Regni experientiæ magnæ & ad ardua probati cordis, victoriæ socius, ac bonus militiâ, & Strzałkowski Capitaneus Litynensis cum legionibus suis excubijs post hostem, ad scrutandos sensus illius, dum denuntiavêre quòd fugâ ociori properaverit, indulsit S. R. Mtas diem integram causâ congregandi exercitus ad gremium.

Feriâ tertiâ in postridiè, movimus post cladem ex castris Turcicis, peractâ nocte Exercitus sine curribus hucusq; exiverat in campum feriâ quartâ accepta notitia quòd Sacra Cæsarea Mtas ad Sacram Regiam Mtem in gratitudinem recentis beneficii eliberationis Viennæ, & servatæ Christianitatis discedit.

Dum ergo advenit, & mutui Monarcharum peracti complexus, videndum fuerat egregiè concordes, & proximorum certaminibus inconcussis famam ad posteros sicut S, R. Mtis ita gentis totius Poloniæ, dignum hoc spectaculum & salutatio referet.

Post amplexus Sacræ Cæsareæ Mtis, cum Sacra Regia Mte, placuit videre exercitum. Igitur duxi ad ostentationem Cæsareæ Mti, cui pro obsequio omni grates retulit verbis paucis & sensu permodesto. Hâc solennitate peractâ ivimus cum S. R. Mte, & Exercitu Preszpurgũ. Hic nos modò in via relicta carrago assecuta, & his novem diebus fuimus sine curribus. Cum Preszburgum venissemus, & vix diebus aliquot respirio oblatò, trajecimus nos quinq; ostjis in Szut Insulam cum exercitu, & Sacra Regia Mtas divertit Javorynum videndi fortalitium magnæ regularitatis, & loci sitûs. Convenimus ergo postea sub Kiemarzyn. Exercitus stetit cum Comitatu Germanici.

Adduxit hic milites suos, & plures, & bonos non tantùm ex piissimis Antecessorum, erga hanc Rempub: vestigijs, sed etiam suis stimulis meritissimus, & ipsemet in Cõmune bonus Pallade dignus utraq; Lubomirius Præfectus Stabuli Regni. Et quamvis hic invaluerant morticinia hominum, antequam decedere cœperant, attamen in has vices, adventu illius Domini, tot reddidit Fortuna Viros, quot tela vacabant.

Igitur Exercitus trajecit sub Komarzyn iterum per Danubium, & Wag fluvium rapacem, qui ibi incidit.

Feriâ Quintâ ergo manè scilicet 7mâ Octobris aliam non habendo præ-

præter hanc notitiam, quod Turcarum tantùm, & Janczarorum aliquot centena Parkani, & in alia parte tentoria valde pauca, ivimꝰ bono omine, & impetu accipiendi ſtatim prædictam civitatem Parkanū. A.C. 1683

Ibi primæ Vigiliæ, dum appropinquant, inveniunt inferiùs Exercitum in inſtructa acie Turcicum ad civitatem eandem Parkanū, qui invisibilis fuit, quouſq; deſcenderent.

Itaque tam in propinquo Turcis viſis, fieri non potuit, quin confligerent ad invicem. Diu vexilla his primis Vigilijs juncta fortitudine Colonellorum ſuorum, & præcipuè Bidzinski Caſtellani Sandomirienſis Excubitoris Regni, magnanimitate, & velocitate ejuſdem ſuſtinuerat impetum Turcicum. Sed dum contra torrentem difficilè erat niti, contra tam magnam potentiam hoſtilem dare repreſſalia, erat recedendū, attamen ijſdem veſtigijs ſtatim corroborati, iterum in oculis meis, quo caſu veneram, in ſuum locum hoſtem removerunt. In hoc verò tumultu, & mutuis certaminibus, ex parte Regimina Deſultoria profligata.

Cum exercitu etiam tunc temporis S. R. M. ad nos venit, qui in ipſo tantùm Equitatu ſine Peditibus, & tormentis fuerat, ad hoc in receſſu Carraginis legio integra Lubomirſci Mareſchalci Minoris Regni manere debuit, ob graves Antiperiſtaſes, ſemi jam ferè Exercitûs æger iverat in carragine, aliæ complures à latere, & à parte non ſperando occaſionem diſceſſerant, exercitus Germanicus poſt milliare, & longius à tergo fuerat.

Attamen utcunq; fieri potuit, inſtructa acies, quamvis nimis raro milite, & quaſi ex inopinato defixo.

Cum dextra ala ergo, quam cum legione ſua duxerat Leſzczynski vexillifer Regni conſeruit hoſtis, ſed dum fortiter contra acres irarum ſtimulos, violenter, & impetuosè inſultus legio hæc ter ſuſtinuit in æquabili audacia & robore prodicti Prodromi ſui, coactus hoſtis terga fugacia dare. Legio verò hæc inhæſuro ſimilis, & jam tenere ſperans, in illa denſa agmina aciei illius defixit eum, & accepit magna clade, attamen quamvis cum confuſione prædictus revertebatur hoſtis, tentavit adhuc aliquoties majoribus catervis felicitatem ſuam, an infringet in una tantum linea exercitum poſitum. Juſſi ergo legioni meæ Vexilliferū Regni auxiliari, non verborum jactantiâ ſed re ipſa, audaciam, & reſoluta corda Dönhöff Palatini Pomeraniæ, Joſephi Sluſzka Mareſchalci Minoris M. D. L., Kraſinski, Referendarij Regni, ante ſua vexilla, & aliorum Colonellorum videre erat, ita ſtrenuè dimicaruut, & conſeruerunt, cum magnis illis hoſtis tumultibus, ut in fugientibus hi ſpe celeres, illi timore vix non in aciem impegerint hoſtilem, manibus certando & ferè arma armis ſibi extrudendo. In hâc confuſione, & tali cōgreſſu jaculo tactus Palatinus Pomeraniæ fæcundi gloria Martis, mutuæ Patriæ Noſtræ ſenator, dum jam præ nimio ſenſu doloris in ulteriori poſtea infortunio exercitus fugere non potuit, dirâ manu hoſtis cōfectus in campo occubuit. Vexillifer verò præfati Cataphractus Kęſowki utraq; Pallade miles diſſectus. Igitur & ulteriùs, dum toties hoſtis retulit confuſionem. Corpus exercitûs Turcici, ſupplementavit notanter, lævam illam alam Turcicam, quæ nos ſæpè offendebat. Dum ergo illa jā, tàm magna Turcica ſubſidia invicem in nos venerant, ut ad faciem comprehendi non poſſent, circumdedêre à lateribus & à tergo lævam alam noſtram, ut tolerare fuerit impoſſibile. Dum ergo hoſtis tergum occupavit, extrema tentata. In hac omni infelicitate hoc ſupremum pro felicitate,

A.C. 1683 tate, quod S.R.Mtem dextera Potentis ad meliora fata hujus Reip., & in ulteriorem adhuc conservationem illius incolumem servaverit Quia sicut ad acies S.R.Mtas fuit prima, providendo auxilia alæ dextræ nostræ dum confligebat, ita vicissitudine rerum fuit ultima. Attamen à suis teneris Dux, & Monarcha Magnus, secundarum, ambiguarumq; rerũ sciens, eoq; intentus, ex tam gravi Providentiâ Divinâ ereptus periculo. Principis Regij Jacobi cor adhuc in viribus immaturum, sed ad casus rerum audax,& hilare sat felix & hæc probavit occasio. Succamerarij Regni enituit virtus in talibus æstibus, & magna consternatione, ostẽdit im̃utabilem hucusq; ideam veterem, pristinarum suarum, & memorabilium actionum, ut tam in prosperis quam in adversis idem robur, pectusq; nimium esse debuerit, non recedendo ullo vestigio à S. R. Mte. Cecidêre hic magna hominum nomina & corpora, Præfectorum duorum, Kalinski,Dambski Episcopi Plocensis, SzemianowskiCastellani Vielunensis vexillorum Cataphractorum, sed hi nequeunt mori, quibus barbaricæ vitam peperere gentes,& Regimen meum Desultorium, quod in subsidium dextræ alæ desilierat ex equis. Totius ergo exercitûs in hâc occasione totius diei non periere, supra mille ducentos. Octavâ Octobris scilicet Feriâ sextâ, quievit exercitûs, & vacavit devotioni, deprecando eum, qui tetigit,& pro Sabbatho alacriter ad ulciscendum parando cor.

Igitur Nonâ Octobris Die Sabbathi exivit Exercitus noster in campum, & Germanus ad aciem, com̃isit mihi lævam alam S.R.Mtas, dextram quæ ad Danubium extendebatur, cum medio exercitu ipse accepit in directionem. Corpus instructæ aciei exercitûs Germani tenuêre. Czarnecki Notarius Campestris Regni, sicut semper audaciâ, & animo, ferox ordinatus à me cum decem delectis vexillis, in ala mea stetit, habendo oculum tam in Tartaros qui in tergum Exercitûs impingere debuerant, secundùm relationem cujusdam captivi quàm in diligentem animadversionem, ubinam in æstu maximæ occasionis opus foret subsidio; secunda linea exercitûs com̃issa fuerat in mea læva ala Potocki Palatino Cracoviensi.

Dum in lævam alam appropinquat hostis, Kątski Palatinus Kijoviensis, Generalis Artileriæ Regni tormentorum explosione adventantes salutavit, quamvis parum igne illo confusus hostis, tamen acriùs pedetentim appropinquabat. Igitur jussi ut Michaël Dzewuski Thesaurarius minor Regni, eo temporis Præfectus vexilli mei catephracti, in omnibus occasionibus fortissimus, & promptus metuenda pati assumptis decem vexillis legionis meæ & Cataphracto meo Vexillo, cum hoste congrederetur, favitq; fortuna; nam hæc vexilla ex monte primos hostiles impetus detrusêre. Quo viso Exercitus Turcicus, omnem suam potentiam in eadem vexilla convertit. Illa ergo irretorto vultu, dedêre prius ignem industriè satis, & postea in illam turbam hominum impegit Thesaurarius hastis, commixti statim cum hoste. In eodem etiam congressu à Commilitone meo cataphracto Martino Zorakowski, depressus ex equo Bassa Syktryski, & acceptus. Gloriosissimâ memoriâ gestis præclarè ostendêre hic nec animos, nec corpora victa. In hoc conflictu Slufzka Mareschalcus minor M. D. Litv. & Krasinski Referendarius Regni Antesignani suis vexillis, sine ullo sui damno, quos eò magis misit venturæ gloria famæ.

Dum in hac confusione, & turbido Denewalli Generalis Cæsareæ Mtis jussisset ex monte cataphractos suos movere, hostis jam à nostris illis vexillis dextro robore fractus, quidam in fluvium Gran, alij ad

civita-

tem Parkanum festinanter fugere cœperant, sed secutus superbos ultor à tergo DEus. *A. C.1683.*

Sacra Regia Mtas & ala sua non permittendo hostem corrigere, ordinavit omnia fermè Cosatica vexilla ad intercipiendos fugientes, cedebantq; sicut feriâ quintâ rebus secundis avidi, ita hic adversis incauti. Hos ergo qui ad fluvium perrexerant, gregarij nostri confecerunt. Quos verò civitas Parkanũ capere non potuit, hi per pontem fugientes aquis hausti sunt, cum pons dissolveretur. Ita ergo gaudebat cædibus, & vulnere miles. Ad expugnandã verò civitatem Parkanũ adduxi statim Regimina Gardiæ S. R. Mtis & Serenissimæ Reginæ sub Morsztyn, cum alijs, etiam Henrychowski Colonelli Artileriæ cum tormentis.

Interea dum Peditatus noster expugnát hanc Civitatem, à montibus milites; Cæsariani à Danubio. Ego cum S. R. Mte ad fractum pontem, unde hostis fugerat, & postea sparsim à nostris insequentibus fuerat cæsus excurri. Duæ solummodo horæ impensæ sunt expugnationi, viq; occupata est civitas.

Secundùm captivorum relationem, contextumq; literarum Vezyri interceptarum, Exercitûs Turcici in hac actione fuerunt 36000, nostri verò & Germanici 32000. Quinq; Bassæ hic cecidêre, duo captivati. Octavus Zieraskierus hastâ bis perfossus, & aliquot vicibus vulneratus, erupit Budam; Fugientium per pontem pauci evasêre; è nostro exercitu vix quinq; desiderabantur.

Post hæc substitit Exercitus tribus septimanis sub Parkano, Strygonium oppugnando, quod nullatenus aliter subdi voluit, nisi in Nomen S. R. Mtis. Aliàs extrema tentaturi.

Interea in Exercitu Germanico plurimi morbis, & fame absumpti, equorum etiam in excursionibus, & famulorum magna facta jactura, partim per Præsidiarios novarũ arcium, partim per Rebelles Ungaros.

Instantibus interim hibernis S. R. Mtas, omnes suas cogitationes intendebat in locationem Exercitûs, & pacificationem Tekielii.

Occupato Strygonio ultimis diebus Octobris, dum Generales Germanici hyberna nobis alia dare noluerunt, nisi in Bonis Tekieli, pro zelo boni publici cum eis transegi repræsentans exhaustos Exercitus nostros, oram longinquam, tempus hybernum, trajectus, recentesq; Exercitus Tekieli, nondum attritos, ipsumq; necdum pacificatum, qui utiq; locationem hanc in suis bonis impediet, cogetq; in continua statione esse vigiles ne incauti opprimamur, mens præsaga fata omnia hæc præsagiit.

Jam ergo impatientes jacturæ temporis sub Strygonio non morati sumus, sed S. R. Mtas cum Exercitu movit sub Szecyn civitatem, ubi Præsidium Turcicum fuit, ut hoc faciliorem communicationem Strygonio relinqueret, & eo ipso communicationẽ hostilem præscinderet, & stringeret à Buda ad novas arces.

Quò dum pergeremus, S. R. Mtas, exercendo ad fortia augustam indolem Principis Jacobi, præmisit eundem, cum pluribus, quàm denis Vexillis, & Kątski Palatino Kijoviensi Generali Artileriæ Regni, pro recognitione hujus fortalitij.

Obiit hanc functionem Seren: Princeps tam industriè, ut verè de eo dixeris: quidquid benè actum velis, huic manda. Accessit postea exercitus noster ad expugnandum. Hostis dum tormentorum explosione non modicè restitit; triste videre erat spectaculum, dum Lanschoronski Capitaneo Stobnicensi, audacter procedenti ad oppugnandum ictus

A.C. 1683 ctus glandis pedem graviter læserat. Viso tamen exercitu sub vallis, hostis se una cum civitate dedidit.

Reddito Sziecyn Cæsarianis, accessimus ad Koszyce, sed arduum fuit appropinquare ob emissos nobis è civitate obviàm ignes tormentarios. Nec aliter sub Proszow salutati, ubi Modrzewski, Colonellus S. R. Mtis, corde & audacia cuilibet in exercitu notus, globo tormentario exanimatus, impugnare verò fortalitium nec possibile, nec tutum erat in talibus cum tempore & exercitu conjuncturis. Szybin tamen visa tormentorum nostrorum ad oppugnandum inductione, statim se subdidit, cui imposita Regimina sex Pedestria nostra, & duo Vexilla Tartarica. Ortæ hic fuerant deprædationes magnæ, latrocinia hominum Christianorum, & Catholicorum illius terræ, spoliationes Ecclesiarum, similesq; excessus, sed statim obviàm itum, aliis igni traditis, alijs capite plexis, nonnullis globo, aut suspendio sublatis.

Dum ergo locus locationi exercitûs deesset, nec aliter quàm hostes exciperemur, placuit reliquum exercitum, meliori fortunæ Reipub: servare, & in Poloniæ fines traducere, sicut meruit cruor effusus in arvis, vulneraq; & mortes, hyemesque sub alpibus actæ. Igitur ad fines sub Sławce 10. Decembris Senatûs consilium habitum de locatione Exercitûs, conclusumque 3000 Unguarum mittenda, pro conservatione valetudinis, & fortunarum Comitis du Humeray, ad enixum ejus ad S. R. Mtem postulatum. Reliquum autem exercitum, scilicet Peditatum pro securitate civitatũ Scipuciorũ designandũ, Equitatũ in confinio locandum.

Ordinavi ergo 24. Vexilla Cosatica Unguarum, septem Regimina Pedestria, Cosacorum mille sub dicto Duce Buthya.

Mortui in tam magna, & longinqua expeditione viri æternâ memoriâ digni Sieniawski Palatinus Volhyniæ Dux Campestris Regni, cui statim sub Vienna, & consilio, & precibus suasimus, ut curandæ valetudinis gratiâ reverteretur. Wielohurski Castellanus Volhyniensis cũ filio suo primogenito, Dominic⁹ Potocki Thesaurarius minor Regni, Wilczkowski Capitaneus Zvinigrodensis Præfectus Vexilli Cataphracti Præfecti Stabuli Regni. Sigismũd⁹ Załuski sub Vienã læs⁹, sub Strigonio occis⁹

DEo auspice Leopolim pro Commissione 27. Decembris reversus sum, ubi Distributores exercitûs, paratas in integro pecunias hybernales non invenerunt. Hæc verò ipsa Commissio, donec distributio in illa exercitui finita, & intervenientes in Decretis difficultates facilitatæ, ad magna ferè febris initia procrastinata.

Postea quæ fuit durum pati, inveni hic læta & prospera, dum Potocki Castellanus Cracoviensis Dux modernus Campestris Regni dexteritate, audaciâ, & consummatâ suâ prudentiâ in bellicis facinoribus recepit Podoliam, Valachiam, Terram Jassy, & militibus S. R. Mtis munivit, præsidiarios Camenecenses, & alium exercitum Tartaricum fugavit, profligavit, & tam multos notabiles mancipavit.

Urgebam hæc optimè cœpta, ordinatis hinc jam quamvis emunctis Vexillis, dum favit felicitas. Itidem Kunicki Dux Exercitus Zaporoviensis S. R. Mtis, & Reipub: magnos & notabiles progressus faciebat cum Vexillis nostris, ibidem in Valachia existentibus. Non otiabantur ibi ergo Vexilla prædicta, quia & Lucam Hospodarum, viriliter sat accepêre, pro quo Hospodaro postea in Valachiam duo Vexilla, loricatum Castellanidis Camenecensis, & Valachicum Ducis Campestris Regni missi, & adducere jussi.

Brevi

Brevi postea mediis Martij Szybin subdi debuit, dum illud Exercitus Tekieli potenter circum circa strinxêre, & in incolis ad intra magna perfidia, & infidelitas erga nostros apparuit. Unguarũ etiam militibus nostris munitum, sustinuit fortia, sed absumpsit multos homines, præsertim de plebe Cosacorum, quamvis illorum major pars conjuratione facta statim ex via reversa est, & quotidie ex loco ipso fugiebant, inter montes tamen in manus Rebellium devenerunt. Post deditionem Regimina Pedestria, & hæc prius reversa Vexilla quæ ordinatione à me habitâ non iverant Unguarum & metu pœnæ, ipsa temerè se dissolverunt; hos judicio militari subjeci. *A.C.1684*

Dum verò Exercitus nostri in Valachia cum Hospodaro Petryczayko existentes successu Tartarorum vere ipso, & orarum exhaustione, secedere debuerant ad Poloniæ confinia, & velox properantis nunci⁹ belli proclamavit Tartarorum adventum, cum Demitraszko Hospodaro ad Jassy; visus mihi ad tuendam terram, vel maximè, ut annona, quæ ducenda erat Camenecum, impediretur, exercitus ille, qui ex Valachia exiverat, augendus esse. Colonellum ergo his agendis adlegi, & designavi Rzewuski Thesaurarium minorem Regni, cujus in plurimis actionibus adhibita dexteritas, & probata activitas, hic adhuc magis enituit, & memoranda ad posteritatem sui reliquit argumenta, dum bis confortatus à me recentibus vexillis, & castris de sub Busk missis, notabilem die Sabbathi, scilicet 10 Julij de plebe Camenecensi, cujus quinq; millia erant, obtinuit victoriam, in captivitatem multos nec ignobiles accepit, in campo usq; ad Kadyowiec multa prostravit cadavera, dissipavit, & ductam ad Jasłowiec annonam recipere jussit. Vix unâ die respirio oblatâ postea insecutus Tartaros, qui ad desolationem Volhyniæ alia parte, magnâ spe progressi fuerant, innitendo huic exercitui profligato, quòd Thesaurario esset restiturus. Nec dubia in Tartaris futura fuisset strages nisi notitiâ acceptâ de profligatione Camenecensis præsidij citis passibus Camenecum se recepissent. Exercitui generalem confluxum, severis universalibus designaveram 20 Maji, sub Busk, convenerat lentiùs ex quo tam cito tempore gramina adhuc non fuerant. Igitur ibi sub Busk conductos equos pascebat. Stetimus ibi cum exercitu per fines Maji, Junium, & Julium, sub Busk, universales secundas, per districtus, civitates, & tractus miseram, ut vexilla, Regimina, & supplementa, quæ adhuc non convenerant, quàm diligentissimè confluerent; conscriptionem illis generalem pro 14 Augusti sub Wisniowczyk consignando. Igitur primis Augusti, ex voluntate S. R. Mtis movimus exercitum à Busk post Pľuhow tractum dirigendo sub prædictum Wisniowczyk. Ibi convenit pro nona Augusti. Conscriptionem generalem absolvimus 14 ejusdem, missis prius literis ad Thesaurarium ut ibi etiam suam exdivisionem conscriberet. Post peractam ibidem sub Wisniowczyk conscriptionem pro semi quarta liberalitate Ssmi Papæ oblatâ extradidi ad Nuntium assignationes. Jam etiam eo temporis S. R. Mtas ex Złoczow movit ad castra; exercitus Litvanicus cum Sapieha Palatino Vilnensi Duce supremo M. D. Litv. etiam ad Wisniowczyk venit armis fulgentibus & copiosâ multitudine, eo tempore à Rzewuski notabiles in Zwaniec accepti captivi cum notitia de ipso Zwaniec accepto.

21 Augusti, à Wisniowczyk exercitus movit sub Perhowce, & Babulince, ad Buczac, ibi se S. R. Mti exercitus nostri, & M. D. Litv. præsentârunt.

Tandem dum Exercitum ad aliam partem Buczać movimus, placuit

A.C. 1684 cuit Sacræ Regiæ Mti initia expeditionis ordiri, ab occupatione Jazłowiec, à parte cujus exercitui ad Istrum tractus accidebat. Ordinavimus ergo milites, tormenta cum Regiminibus iverant noctu pro comparandis propugnaculis, & conficiendis necessariis, ad oppugnationem, vigiliæ etiam laterales ad securitatem illi oppugnationi futuræ datæ, & ordinatæ, in crastino, scilicet 25 Augusti dum tormenta aliquoties explosa, & ad mandatum Palatini Kijoviensis in vetusta murorum monumenta arcis directa & nos etiam cum Castellano Cracoviensi Duce Campestri Regni valde manè advenimus, & exercitum in campos Jasłoviecenses dereximus, citra moram subdidit se Jasłowiec, Præsidiariorum cũ plebe fuerant ibi duo millia. Certiorem de hoc fecimus S. R. Mtem, quæ dum advenit, exjit ex arce, submissus, & prostratus,(nec turpe putans, quod miseros fortuna jubet) Bey Jasłoviecensis, cum Agis suis, vitam supplex orando S.R.Mtem, & ut Camenecum darentur illi currus, & comitatus. Igitur quorum voluntas fuerarire Camenecum, clementer indulsit S. R. Mtas, alij, quia captivi fuerant multi, viis suis, quo libuit ivêre ad oras nostras retrorsum.

Hinc à Jasłowiec, ivit cum omnibus Loricatis, & Valachicis vexillis, artileria sua & mea, delectis Desultorijs Castellanus Cracoviensis Dux Campestris Regni Camenecum, qui cum Thesaurario, & illius exdivisione conjunctus, habuit S. R. Mtis informationem, si felicitas arriserit, Camenecenses in campum evocare, & præscindere à Cameneco, aut si aliter fata voluerint, ad minimum exurere, & fame conficere quidquid circa Camenecum inventum fuerit; ex exercitu M. D. Litv. ordinavit Palatinus Vilnensis etiam vexilla viginti aliquot sub directione Sapiehæ Præfecti stabuli M. D. Litv. Germani sui. Astuta gens, & suam infelicitatem præsentiens, haud procul procedebat, sed tantùm sub favore magnitudinis, & multitudinis tormentorum suorum, congrediebatur cum nostris, attamen magna dexteritate, & forti robore Castellani Cracoviensis, usq; ad ipsos muros Camenecenses, sine terrore in nostris hominibus sonantium tormentariorum ictuum, acceptus, & abactus hostis.

Jam ergo omnis ordinatus exercitus substitit sub Zvaniec ad adventũ S.R.Mtis cum Exercitibus. Principis Curlandiæ Desultoriorum venerãt huc trecenti cum omni apparatu milites, præsentarunt se S.R.Mti secunda Septembris sub Lankovicze.

S.R.Mtas sub ipso Zvaniec 3. 7bris cum exercitu nostro advenit, M.D.L. in proximo etiam constitit, Castellanus Cracoviensis Dux Campestris Regni, Præfectus stabuli M.D.L., iverant denuo sub Camenecum, sed primus eventus fecit cautiorem hostem, quia jam exire non ausi, magnam videndo hominum nostrorum resolutionem. Statim ergo ad Zvaniec prima studia intenta faciendi pontem in Istro, ad trajicienda tormenta, & exercitus in illam partem & urgendas quantocius laudabiles, & pias intentiones S.R.Mtis; structura illa, in defectu arborum pro ponte aptarum moram traxit, quia ex hac conjunctura cöegit necessitas corbes ex virgultis texere, contextos Istro immergere, lapidibus obruere, & super medium torrentem pangere palos, profuisset summopere hic facilis, & celer modus, nisi nimia aquæ inundatio sæpius his Sacræ Regiæ Majestatis votis obstitisset & ad extremum jam ferè finitum pontem, evertisset.

Ad securitatem tamen illius Littoris Istri, mandavit Sacra Regia Mtas ut Desultorij omnes trajicerent & sub Chocimo pro omni cautione vallo se includerent. Adduxit huc cum optima, & heroica indole

sua

ſua agmina militum ſuorum Præfectus ſtabuli Regni ad latus S. R. Mtis & exercitum, quem pro omnibus expeditionibus miſerat, eo temporis Dux Mohiła Exercituum S. R. Mtis, & Reipub. Zaporowienſium, cum exercitu ſuo venit, & conſtitit in illa parte Zvaniec, circa Iſtrum, ſub Małynice. Ordinavimus poſtea ad omnia vada Iſtri vexilla, ut illis attendant, ſi trajecturi eſſent Tartari, poſtea laterales vigilias à Cameneco, ſupra conſvetas diurnas, tam à fronte, quam à tergo exercitus dedimus, & propter ſecuriorem tranſitum ad caſtra & ex caſtris varijs euntibus ad Kudryniec, quo toties Lipkæ Camenecenſes in prædas & ſpolia excurrerant, miſimus aliquot vexilla. A.C. 1684

In illa parte Iſtri, admoti circa mediam noctem Tartari, an verò Karałaſe ſub armenta Deſultoriorum variorum equorum, vel maximè ex meo Regimine circa bonam cuſtodiam deſultoriorum, acceperant centum, miſi ut perſequerentur illos Tartarica vexilla, ſed aſſequi non poterant, nec inter magnitudinem tractuum, tractum quo fugerant diſcernere.

Dum circa pontem illum magna applicatione operamur. Placuit S. R. Mti in illam partem ad Deſultorios trajicere ultra decem vexilla Coſatica ſub directione Łazninski, ad meliorem ſecuritatem hominum ibi exiſtentium, & loci.

Hæc omnia apprimè cum vigilantia, & ſedulitate in omnes partes agendo, aſſiduam excurſiones noſtræ infeſtationem habebant, ab hominibus Camenecenſibus, quas varijs artibus, & comento verſatili Lipkæ indignoſcibiles, cùm illis diſcedendo, agendo, rapiebant, & occidebant.

22 7bris venit Sołtanus Gałga ſuper Iſtrum in numero decem millium, ferme ad hunc locum, ubi Coſaci locarunt ſe, ſub Małynice, quia & vadum ibi fuit ſingularius, ſignificavit mihi hoc Zawiſza Colonellus S. R. Mtis, qui proximè carraginem, & vadum vigilias egit, ad Iſtrum illorum à principio multi coacervabantur, ſed Coſaci repreſſerunt. Miſit poſtea Mohiła petendo ſuccurſum, ordinavimus ſtatim ſubſidium duodecim vexillorum, ſub directione Judicis exercitûs.

Ita DEUS proſperavit, & felicitas S. R. Mtis, audacia, & experientia bellica ejuſdem Colonelli, ut in congreſſu cum Tartaris, qui trajecerant captivus acceptus, daturus de hoſte relationem.

Ad hanc notitiam S. R. Mtas exercitum noſtrum, & M. D. L. in campum educere juſſit, inſtructa acie ſtetit, ulteriorem hoſtis ſpectando inſultum.

In craſtinum milites Brandeburgici venerunt ad noſtrum exercitum inſtructâ acie iterum prout heri exercitus conſtitit, facto greſſu ad illum locum, ubi antea tumultus Tartarici urgebant trajectum.

Sed & hoſtis receſſit à littore Iſtri in campos ulteriores, & removit ſe ſub Chocimum in illa noſtra vexilla equeſtria, & Deſultorios, qui illuc trajecerant. Igitur hæc plebs omni cautela in excubias excurrens ipſas profligaverat, & in Deſultoriorum inſidiantium, Coſacorumq; ignē invecta, aſt aliquot deni Tartarorum in illo certamine periêre.

Tribus diebus ante hoc Deſultorii Curlandiæ, trajecerant cum carragine ſua cis Iſtrum quadrante milliaris à caſtris noſtris ſine cujuſquā ſcitu; Tartari hôc visô circumdedêre illos, unde faventibus nocturnis tenebris relictâ ſuâ carragine receperunt ſe Chocimum ad Exercitum noſtrum.

Eadem die in aliam partem Zwaniec ex mandato S. R. Mtis omnis carrago trajicienda fuit.

A.C.1684 24 Septembris die Dominico duo captivi adducti qui proderent consilia & vires hostium. Exundantes etiam aquæ trium hebdomadarum opus pontis magno damno publici voti destruxerunt. Brevi postea & Han ipse venit cum Tartaris majoribus. Dum in illa parte in recentib⁹ pascuis Tartari equis commoditatem haberent, ad illos verò trajiciendi nimia Istri inundatio non permitteret, ex hac autem parte, pascua jam depasta essent, hostis verò ad nos trajicere nollet, placuit Sacræ Regiæ Mti, & Senatûs consilio trajectum tentare, jusso prius Łaziwski cum Vexillis & Desultorijs trajicere, recessit hostis ab Istro Camenecum. Movimus ergo à Zwaniec 2da Octob. Chrzanowski Præfectus Regiminis Pedestris Capitanei Szczurovicensis sub Grodek, ut quantocius ibi pontem Istro insterneret, adjuncti illi auxiliares ex Regimine Palatini Podoliæ, qui iverat ex Krzywiec, duo vexilla etiam ad securitatem meliorē, ordinata ad illum. Nos verò postridie in via nostra superavimus Smotrycz sub Vscieczek. Euntibus à latere Cameneci densitas fumi ab explosione tormentorum causata, cœlum ipsum obnubilaverat, fertilitas camporum Camenecensium locationi castrorum opportuna est visa, excursionem fecerant Præsidiarij Camenecenses sub tuitione tormentorū suorum, Tartari quoq; appropinquabant exercitui, insultum facturi in subsequentes, sed legio mea cum occurrentibus vexillis, nec non copijs Præfecti stabuli M. D. Litv. Francisci Sapieha obstitêre, nec modica clade accepta hostes campo cedere coacti sunt.

Incursiones repressas putabamus, sed modico respirio & intervallo interposito eodem clangore, & passu veloci in nostràm denuò aciem impetum fecerunt, attamen à nobis sclopetis perciti confusissimè retro cessêre. Hoc & tertia vice tentantibus non successit. Post graves æstus nactus hostis favens crepusculum, campo cessit, nostri ad trajectum se recepêre. Profundâ jam nocte S. R. Mtas cum Exercitibus ad Castra venit, sub Dunovo, & tantis data laboribus quies.

Die insequenti summo manè, aliquot trajectibus carrago feliciter transportata. Exercitus quoq; Regni suo ordine descenderat ad trajectum, Magni Ducatûs Lit: ad alium. Residuis aliquot Litvanorum vexillis transitum impedire intendebat hostis sperabatq; se reliquias in turbido piscaturum, cum videret succursum mitti non posse. Igitur omni impetu in illa vexilla insiliit. Sed stetêre viri præsentiâ Ducis sui animati, tam fortiter & strenuè, ut magna strage illata hostem cedere coëgerint. Eadem die Sulimkam, ex exercitu Mohilæ, cum 300 Cosacis redeuntem cum spoliis ex Valachia, supra nominatum fluviū Zwanchyc Tartari cinctum, dum defendi non posset, nec succursus ullus dari securè, accepêre Tartari, quia & Semenos Hanenses ad expugnandum habuerunt. Diliculo facto eodem quo antea ordine perreximus sub Zbrzezie, suo astu hostem capturi aut illi alicubi obverso exercitu, & in trajectum appulso fracturi cervicem. Sed & ille præsagus infelicitatis suæ declinabat insidias. Sub Zbrzezie dum carrago media inter binos exercitus progrederetur, hostis velut instructâ acie in nos frontem intendebat, citraq; moram sat bene pro casuali opportunitate loci metati sumus Exercitum, tormenta disposuimus, virosq; ignivomos locavimus. Accinctos advertens hostis, cœpit nos in loco suo opperiri. Nobis non erat consultum medio ferè milliari patente campo citra astum hosti appropinquare, à Peditatu & tormentis Equites sejungere, cum ex utroq; latere concavi campi azylum & latibulum hosti, nobis confusionem fuissent daturi.

Morâ

Morâ modicâ interjectâ pro quiete nocturna ille campum, nos castra repetiimus. Captivus adductus tulit relationem, Sieraskierum sub Chocimo constitisse, cum exercitu, ponte sibi extructo sub Zwaniec, omnemq; plebem etiam Semenos misisse huc ad Tartaros. Nam & Plebs Camenecensis huc se receperat, ipsum Sieraskierum Camenecum abiisse ad Bassam. A.C. 1684

Undecimâ Octobris manè per Zbrucz in montem, cis trajectum carragines perrumpebant eò alacriùs, quò avidiùs optabamus ut hostis quoque trajiceret, impedituri ipsi tam strictam sui custodiam. Carrago citra impedimentum transportata, exercitus more suo succedebant, etiam ad trajectum. Quo observato hostis, magnis passibus sequebatur. Omnium vestigia legebant aliquot Regimina M. Dtûs Lit: magna dexteritate Palatini Vilnensis, ad omnem insultum, perbellè disposita, quorum aliquot impetu incursionis suæ detinuit hostis. Irruendum fuisset in hostem, sed suppetiæ ferri nequibant in monte locato per trajectum cœnosum, & vastum. Favit tamen DEus lociq; situs, ut murum se irruentibus opposuerint, clade non modica illata hostem campo exegerint, & citra ulteriorem assultum fluvium trajecerint.

Attribuendum id erat, Præfecto Stabuli Magni Dtûs L. Coclitem hîc egit omnium oculis obversans, primus irruens, alios traxit in sui sequelam.

Profuit tamen illis non modice crebra nimis ex tormentis cis trajectum à nobis facta explosio. Tartari quoq; jam tentârant transitũ, sed ordinavimus supra decem vexilla, sub præfectura Chełmski Subdapiferi Sandomiriensis, ut hostem abigeret, qui videns nostros prosilire, fugâ sibi consuluit. Statuit ergo S. R. Mtas carraginem magnam, prius Kolendzinum expediendam, cum exercitibus parvam detinendam & postea instructâ acie lento passu nocte progrediendum intentumq; in hostem habendum oculum, siq; trajecturus esset, meditandum de magnis illius supplicijs, sed præsagus malorum, maluit condemnari contumaciæ, quàm reatûs. Igitur jam liberiores ab illa assidua infestatione, perreximus cum Exercitu Kolendzinum, & constitimus ad fluvium Nucylawa, nec tanta in cassum virtus cecidit resolutionis nostræ, quia hoc præconcepto, procedere amplius hostis non ausus. In crastino sub ipso Kolendzino, inde sub Zalesie noctatum. Intentum erat jam rectà ad Bilcz & Istrum tendere, sed de Tartaris oppugnantibus Koczubieniecki, & Kopczyński carraginem, aliosq; eodem tractu ivisse in excursionem, accepimus notitiam. Ad Czortkow ergo circumflexa carrago & ibi in monte noctavimus. Literæ à Poradowski de Cosacis, & Kałmucis, quod iverint, acceptæ. Cosacus valde industrius recenter à Tartaris elapsus retulit, excursiones magnas factas in Volhyniam, Han in campis Husiatinsibus, & cohortes remansisse. Placuit ergo apprimè S. R. Mti, cum per Zbrucz trajicere nollent, uti arte & fortunâ, Hanum, & cohortes profligare, & dispergere, & redeuntibus excursionibus arma opponere.

Summo ergo manè 17 Octob. posita sub Czortkow in loco commodo carragine, pedestribus delectis, tormentis levibus, & Desultorijs acceptis, ivimus viritim intenta executuri.

Innotuit postea ex captivis, & exploratoribus, Hanum secessisse in campos Camenecenses, excursiones valde raras, & has in propinqua tantùm ob alimoniam factas. Attamen sine præda furentum DEus nos, & felicitas S. R. Mtis non reduxit, quia illæ redeuntes excursiones bene onustæ prædam nobis cum abactis non nullis à Trembowola homi-

A.C.1684 nibus ceſſerunt, facti & ipſi nonnulli Tartari præda & captivi. Profuit id nobis, ſiquidem intentum hoſtium erat hiſce vicinis inſultibus, ulterioribus viam ſternere, ſed dum ſors aliter cecidit, metuerunt perniciem ſuam excurſionibus accerſere. Reditum igitur ad caſtra, per Jagelnikam & Bazar radendo litus Iſtri, uſq; Ckonielowā. Huc advenit Chrząnowski Colonellus, referens non ſecus ſub Uść ubi fluvius Czervonogrodenſis in Iſtrum influit, extructionem pontis ob defectum operariorum impeditam, ac nuper ſub Grodek ob inſultus Tartarorum.

Proinde aliò conſilia verſa. Sub Chmielowa diebus aliquot conſumptis uſq; dum innoteſceret, hoſtem metuere in partes noſtras excurſionem facere viribus ac viris exhauſtum equiſq; orbatum, Jaſſy jam ſuperaſſe, & attigiſſe Budziak, movimus & nos ſub Jazłowiec, ubi conſtitimus 2da Novemb. S. R. Mtas ex hoc loco poſt tot exantlatos labores, & poſt tot demiſſa ferè Mte incommoda, hic ſe à nobis ſeparavit. Generali ergo exercitûs facto circulo, juxta voluntatem Senatûs conſilij, quod hic lectum, exercitum in conſiſtentias diſpoſuimus, & aſſignationes extraditæ. Siquidem verò anno proximè elapſo, eò quòd tantum ipſum tectum permiſi in aſſignationibus, licentiâ uſus exercitus, emunxit quæ voluit, breves modo condo leges, adjiciens, quòd quiſquis menſuram taxæ & ſortis [illegible] exceſſerit, non modò ad refuſionem damni obligabitur, ſed pœnis [illegible] iam ſubjacebit, ut convulſor meæ ordinationis.

Poſt hæc pro commiſſione hybernali Leopolim 7mâ 9bris reverſus ſum; in diſtributione hybernali acceſſit inde auctio, accepimus conſcriptionis regeſtrum in expeditione anni præſentis, & ſcrupuloſè examinavimus, an omnia vexilla completa fuerint, cuilibet Deputato, juxta prius edictum meum in caſtris latum danda erat ratio non completi; cuiq; ceſſerint hæ pecuniæ, quia ita caveram, in præteriti anni hybernalibus aſſignationibus, quod qui completum non haberet pro expeditione, reddere hoc ad fiſcum hybernorum deberet.

Reddi ergo hoc à Præfectis in parata pecunia inſtantaneè debuit, & factus acceſſus ex feria liquidatione ſummæ 56000 quæ adjunctæ ad liquidationem hybernæ. Hos verò qui eam acceperunt, & in obſequio non fuerunt, propalare juſſi per clangorem buccinæ, non tantùm velut deſertores Caſtrorum, ſed etiam velut damnificatores publici ærarij Reipub. De hiſce S. R. Mtas & Status Regni ferent judicium, ne *ſceleri* tanto nomen ſit virtus.

Intempeſtivè, pro hac expeditione, nonnulla etiam venerant vexilla, & Regimina, alia prorſus abfuerunt. Jam aliqua ſeverum ſuſtinuerunt judicium, aliis verò terminus Varſaviam, & judicij, & pœnæ repoſitus, & preſſè deſignatus.

Ex oris Ruſſiæ pro Comitiis præſentibus adventando, gubernationem Exercitûs locati in confinio, ad ſecuritatem climatis, & tuitionem illius à locis propinquis hoſtis, ſcilicet Bar, Międzyboz & aliorum à vicinio, detuli Łazninski Theſaurario Halicienſi, redditis illi 32. vexillis Equeſtribus, Deſultoriorum, & Peditatûs Regiminibus aliquot, legionibus adhoc Coſaticis ſub Barabaſza, Buligbaſza, commendavi omnem circumſpectionē, & conferentias crebras, cū Dimidecki Regimentario etiam relicto in confinio à Valachia, & cum Mohiła Duce Exercituum S. R. Mtis, & Reipub: Zaporovienſium, cujus reſpectu me præſente invicem reſidentes ad ſe prædicti ordinârunt. Huc verò ad me poſta ad velociorem nuntium diſpoſita; ſcilicet à prædictis Leopolim, & hic jam mea, uſq; Varſaviam. Ad ordinationem meam, dedi eidem Lazninski

infor-

informationem, in Casus subsecuturos, quomodo rebus, & tempore utendum. A. C.1684

In altero verò confinio à Valachia, reliqui Regimen, penes Dimidecki Colonellũ S. R. Mtis, traditis illi etiam 16. vexillis equestribus, & ordinatis hominibus ad omnem tuitionem occasionis, si quæ immineret ex aliis Regiminibus. Informationem ad hoc sufficientem, & commendatam magnâ observatione. Vicissim conferentiam cum Lazninski, & D. Mohila, etiam cum Colonello Hryszka, qui cum mille militibus subsistit in Salanow, Zienkow, & Piaseczno.

Et hæc est vera in omni fidelitate, & candore relatio, biennalium gestorum, laborum, fatigationum, & dispendiorum exercitûs.

COPIA LITERARUM PRIMATIS REGNI WYDZGA Ad EPISCOPUM CRACOVIENSEM MALACHOWSKI Lovicio 1. Jan.

Quòd veteris observantiæ meæ memor esse volueris, uti ex gratulatione festorum agnosco; gratias tibi ago. Retorqueo venerabundus in te easdem apprecationes, optando sub auspicia novi anni ejusmodi ad multos felicitatem, qualem tibi ipsi precaris. Ad Reverendum Potworowski non scribo; quia jam excessit Leopoli: literas autem non libenter perdo, ut fiant (sicut Pòëta dixit) croci piperisq; cuculli. Tarifam mutare meum non est: pro ut inveni, sic vivendum est, secundum illius Monachi doctrinam, quam Juniorem docuit. Succedent tibi omnia in cœnobio, tantùm primò de Priore non loquaris: secundò officium tuum fac taliter qualiter: tertiò sine res ire prout eunt. Servavi id semper, quem mihi Priorem dedit, veneratus sum, feci quæ debebam secundùm posse, mundum non reformavi. Interfui, quando piæ memoriæ Primas Olszowski congregatis Episcopis constituit taxam, quæ modò Tarifa vocatur: communi consensu ea statuta est, & ita eam inveni. Siquid autem me absente & luctante per mortem irrepsit; non esset charitatis: hæc enim inter nos lex sancita fuit, ut alter alterum defenderet, & verè supremum malorum esset: si unus alteri lupus foret. Hæc gratiosis literis tuis cum antiqua veneratione repono apprecatus toties quoties faustissima quæq;.

LITERÆ COMMISSARIORUM AD REGEM KADZY 5. Jan.

Peccaremus contra instructionem formalissimè nobis injungentem; ut vestram Majestatem de omnibus & singulis intentis, dolisq; Moschorum si quos intelligeremus, edoceamus: & multò amplius contra debitam Majestati Vestræ & Reipub. fidẽ delinqueremus: si non informaremus tum Vram Majestatem, tum Senatum ad latus existentem: quantum cœlum ex negotiatione nostra Vestræ Majestati parabat gloriam, dilectæ autem Patriæ fortunam. Labentur sæcula nec similes concurrent conjuncturæ; quales nunc dimittimus, quæ ut meliùs Mstati V. pateant; lator præsentium deferet, vel oretenus vel in charta manu nostrâ subscripta, pro-

A.C. 1684 *ut Majestati placuerit; quem ut paterno Mstas Vra suscipiat affectu, nosq; clementißime resolvere dignetur, humillimè precamur.*

PUNCTA
Deferenda Regi à Commissariis pro tractatu cum Moschis Domino Reuta commissa.

IMprimis deferet felicibus Regiæ Majestatis successibus ad Viennam & in Hungaria Moschorum intenta in tantum fuisse confusa, ut ex nunc Exercitus suos quos sat numerosos in limitib⁹ Litvaniæ collocaverant (sperantes forsan adversi aliquid Regi eventurum) retrò abduxerint. Postmodùm multum ab illis apprehensũ est, nobis passim ex certissimis cautelis & præcautionibus aliorum innotuisse, qualiter parati fuerint favorabilibus valde in rem Reipub. conditionibus conjunctionem facere, & perennem cum restitutione magnarum Provinciarum concludere pacem. Cujus argumentum grande est: nam Cari prodière mandata ad legiones Cosacorum; ut hac hyeme parati sint ad bellandum contra Crimum, prorsusq; delendum: de quo Samuleowicz Filius Ducis Zaporowiensium significavit horum confiniorum inquilinis per literas, quas ego & alij tres ex Collegio nostro legimus, & id ipsum confirmavit relatio Dni Okrassa, cui Gallıczynus ostendit fratrem suum cum exercitibus ad tollendam Tartariam Crimensem destinatum. Quibus combinatis non poteramus nisi felices negotiationi nostræ ominari successus, & consequenter egregiam coronidem Commissioni. Verùm stitit secundum rerum cursum partim defectus requisitorum ad negotiationem nostram, quam hactenus negatam jam octavâ hebdomadâ hic in loco otiosi præstolamur; partim negotiatio Dni Okrassa Moscuæ, ex qua forsan arripuerunt occasionem transferendi tractatum à Commissione ad legationem (cùm hoc potissimum intendant, ut in æstatem differatur tractatus, ex successibus Vræ Mstatis sua regulaturi intenta, quos nos felicissimos precamur ex corde, Moschi autem econtra vovent.) Hic notandum hoc: hebdomadas aliquot ante Principem, aut ut ipsi vocant Kniazum cum suis collegis exantlato jam medio itinere Kadzynum versus, Moscuam iterùm (uti relatum nobis) revocatum: forsan ibi ex formato consilio jam mutata instructio est; cum qua comparebunt. His delatis Majestati Vræ humiliter petimus, ut nos resolvere dignetur; qualiter in hoc tractatu nobis ultra sit procedendum? deficit enim modus evadendi illum congressum sine magna suspicione apud suspiciosissimã gentem: præsertim cum ipsorum Commissarij pleno numero jam se ostentent.

Opponemus equidem in locum plenipotentiæ constitutionem, nec deerunt rationes, quibus contentari debebunt: verùm spes admodùm exigua vel nulla affulget, id nobis successurum: præsertim quòd promissum teneant legationis, uti Dnus Okrassa nos informavit.

vit. Præterea exempla habemus, quàm ſcrupuloſus Moſchus ſit circa plenipotentiam. Singulare eſt primum in ultimo tractatu Moſcuæ habito in articulo decimo; nec alterum minus in Commiſſione præterita, in qua de duobus verbis quæ Vræ Majeſtati in plenipotentia non placuerant, quinque hebdomadas diſputatum. Si igitur V. Mtas finem tractatûs deſiderat, plenipotentiam quantociùs petim9, extradi mandet cum inſtructione Grodnẽſi; cui innititur ſupplemẽtum Varſavienſe. Expediret Galliczyno intimari ne Legationem ſperent ob magnitudinem negotij; dum de perenni pace agitur Provincijsq; de quibus per legationem agi nequit: ſiquidem per pacta Andruſzewenſia ad Commiſſionem ea ſuſpenſa ſunt, Repub. ſic ordinante. Si de ſola conjunctione tractandum foret, poſſet ſufficere legatio; verũ illã nullo modo admittunt Moſchi ſine perenni pace. &c. A.C. 1684

COPIA LITERARUM PRINCIPIS MOLDAVIÆ STEPHANI PETRI AD CASTELLANũ CRACOVIENSEM Jaſſis 7. Jan.

DUabus abhinc hebdomadis ſanus & incolumis ſine notabili ab hoſtibus præpeditione & impetitione conſtiti: exiſtimo hoſtem non eſſe auſum aggredi, quòd adſcititijs Valachorum & copioſis Coſacorum viribus ſtipatus eſſem: tum etiam quod Dux Zaporowienſium hoſtium ingreſſus fines notabilem feliciter retuliſſet victoriam, & ſpolia cepiſſet. Nunc verò adverſa eundem involvit fortuna: hebdomadâ enim abhinc, præteritâ feriâ ſextâ Tubaci prope Danubium in Filium Gani cum decem millibus Tartarorum aliquotq; centenis Turcis hoſpitantem impegit, fortiterque reſiſtens curribus utcunq; protectus Trojanum cum ſuis Sabbato advenit: ibi diem Dominicũ ſine ullo prælio quietus agens, feriâ ſecundâ Equitatum per Prutum infra Falczynum trajecit peditatu cum curribus in valli ſpeciem junctis ad flumen relicto. Dilapſi igitur non alia ex cauſa; niſi quòd hoſtis greges armentorum in nos immiſit, & ex tormentis, quorum ſeptem habebat, gravior noſtris incubuit: contra quæ impoſſibile noſtris agere erat. Coſacorum enim exercitus pulvere prorſus deſtitutus erat, unde ſuccumbere debuit & diſſipari. Hodie primùm vexillum Regiæ Majeſtatis Duci Kunicki cum clava conceſſum, poſt multos errores nocte huc delatũ eſt: ipſe etiam cum parte exercitûs Jaſſiæ appropinquat, cum quo conferemus conſulemusque tam conſervationi reliquiarum, quam nobiſmet ipſis. Verùm ut video res noſtræ deſperatæ erunt: nam veram nobis relationem ab adventu ſuo Jaſſos Coſaci Kuniciati fecerunt, nonniſi quinque millia totius exercitûs fuiſſe; cùm tamen toties nos literis ſuis aſſecuraverit, quadraginta millia & ampliùs ſibi exercitus eſſe. Detexit prælium cum Tartaris hanc paucitatem quinque millium qui nunc in diverſas partes ita diſperſi ſunt; ut nobis non ſuppetat ratio & modus hoſti impoſterùm reſiſtendi. Szocaviam neceſſariò eundum

pis gravius infestam exercitui esse; nocte clancularium inter se iniꝛ A.C. 1684
êre consilium, quod manè explerent; uti defacto executi sunt: nam
4 Januarij ipso natali Dni stylo veteri, videntes hostem nobis infeꝛ
stis imminere armis, violatâ juratâ fide, Zaporowiensi exercitu deꝛ
cepto cum suis copijs fugâ sibi consuluerunt & Prutum trajecerunt: unde Zaporovienses mei tantâ Valachorum fraude in metum conjecti & ipsi relictis curribus diffugerunt, quantumvis illos retinere conarer. Coactus & ipse sum illos sequi per Prutum & Jassos evadere. Non mea igitur culpa est, dissipatum exercitum; sed Procerum Valachorum, qui dolosè & græcâ fide cum Zaporowiensibus processerunt: utinam nunquam se mecum conjunxissent! quibus nunquã imposterùm credendum erit. Verùm quamvis ita meæ copiæ dispersæ fuerint; jam tamen iterum per gratiam DEi coadunatæ sunt, paucosque comperio ex illis periisse. Tendo cum illis rectà in Vcraniam dispositurus eas ibi, ad Tyram à Jahorklo usque Camenecũ Podoliæ, ut ibi respiret. A te verò consilium peto, uti & pecunias tàm pro his, quàm Neo-authoratis copiis. Certus esto ubi pecuniam viderint, trans-Borysthenitas indubiè recessuros, quibus auctus aliter DEo dante cum hoste bella geram: sed Valachos nunquam in socios admittam, quia merè ex mendacio compositi sunt, qui si non fuissent, confusio etiam tanta ab hoste nobis non obtigisset: nunc autem illorum fuga nos prodidit, totumque exercitum ad similia tentanda impulit. At non id æstimandum est: Vezyrus majore exercitu instructus & victoriam & copias amisit; Zaporowienses autẽ adhuc in integro DEi gratiâ sunt, parati etiamnum hostem aggredi, si modo pecuniæ compareant, quas Niemiroviam mittere velis; ut illos contentem, uti & eos qui accessuri sunt. Assecuro te duplo majorem mihi pro vere futurum exercitum, si modò solutio illis exhibeatur. Hoc unicum submisè peto à te Benefactore meo, ut me & exercitum Zaporoviensem tua intercessione apud Regem & Rempub. sustentare digneris; certus quòd etsi hiberno tempore tentantes de hoste victoriam eam amiserimus: Vernâ nihilominus tempestate prosperante DEo nomini nostro non simus defuturi. Corrigemus illatam ignominiam, satagemusque ut Regi & Reipub. sincerum & fidele probemus obsequium. Circa quod iteratò submissè sanum peto à te consilium, velis pro tuo in me affectu literis tuis edocere, qualiter mihi imposterùm procedendum sit, quas Niemiroviam destinabis, quò ego hic & nunc post labores festino. His intimatis maneo.

COPIA LITERARUM D. KOZMINSKI 10. Januarij.

PAucis tibi significo, quid hic nobiscum Vngvari agatur: nec nocte nec die nobis per hostem quiescere licet, qui nos circum circa cinxit, jam nec in residuis casis, quas necdum plenè hostilis

A.C, 1684 stilis absumpsit ignis, subsistere possumus: unde ad arcem nobis confugiendum fuit, nam hac nocte, id est nonâ Januarij nondum maturâ nocte totam exeruit potentiam Tekeli, & inter tenebras Martem experiri coacti sumus, cadentibus tam hinc quàm illinc non paucis. Nos jam antè amissis reculis nostris, tam dum curribus nos cinxeramus, quàm sub tempus existentiæ Vnguari, nonnisi vitam servavimus: exspectamus verò ulteriorem clementiam tuam jam undique obsidione cincti. Nam penitùs jam arce nobis egredi non licet; ex indicibus autem habemus Tekelium omnibus viribus conniti, & tormenta deducere, ut fortalitium occupet. Non pauci in præsenti occasione periêrunnt, sed & præterea non pauci sclopo trajecti sunt; uti D. Radlinski Subcenturio, Patrio Idiomate Porucznik Dni Thesaurarij curiæ, ejusdemque officij, Labęcki alijque complures Polonici authoramenti, uti etiam Germanici Capitaneus à Greben Legionis Domini Dobczycz, Cosacique inter quos Sierko periit. His intimatis exspectamus gratiam tuam & clementiam maneoq; &c.

P. S. Jam clausimus nos in fortalitio, eò certò deveniemus, ut etiã supremum amittamus equum; exspecto gratiam ulteriorem eamque imploro: ij adhuc residui sumus; ut aliquando Reipub. & tibi utiles esse possimus. Movearis misericordiâ, tuam authoritatem apud Regem interpone, consule nobis; ut saltẽ animas nostras jam omnibus amissis salvemus.

COPIA LITERARũ DOMINI DOBCZYCZ COMMENDANTIS UNGUARI AD PALATINUM RUSSIÆ sub eadem data.

EXistimo Capitaneum Knipel retulisse totam transactionem nostram & quanta damna ab exitu Plawcystam in mobilib⁹ quàm in hominibus pertulerimus: tantas nihilominùs per tribulationes satisfaciendo regio mandato ad designatum terminũ perreximᵘ. Nunc significo nonâ præsentis duo millia Siculorum sive Curicorú, legionemque Dragonum, quibus inviti Commilitones esse coacti sunt subditi Humenniani, tribus aggressionibus nobis in Collegio infestos fuisse, & quamvis non is defendentium numerus fuerit; qui par tanto hosti esse posset; egregiè tamen retroactos recessisse non sine damno in peditatu & officialibus militaribus. Pauci supersunt Pedites; sed nec ij tractamentũ Unguariense sustinebunt: nam quamvis vellet D. Humenny providere nobis; id facere nequit, circum circa Curicis in ejus pagis susistentibus, nec permittentibus, ut ad civitatem sive currus, sive commeatus aliqui introducantur. Ipse verò D. Humenny belli imperitus & præterea in rebus suis inordinatus est. Cepimus indicem in oppugnatione, qui in quæstione confessus, Petrocio à Tekelio mandatum, in quantum Curucis cum Polonis aggressio non succederet, ut ex civitatibus rebelles omnes Petencatum, Feldmagerum & Germanicum Peditatum contraheret, quatenùs arcem

arcem Vnguarienſem faciliùs oppugnare & in ſuam poteſtatem re- *A.C.* 1684
digere poſſet. Tentaturi dicuntur his diebus fortunam hoſtes, tormenta & pyrobolos ſecum ducunt. Velis igitur conſultum nobis, educ nos de hac ſervitute, deſunt milites, gratis ſervimus; fruſtraneum fuerit nos in indice collocâſſe. Certè profutura occaſione & expeditione completus numerus noſtrorum non erit, Dominus Domaracki, qui Legionem ſuam & valetudinem, quod maximum, amiſit, petit, ut ſi poſſibile fuerit, hinc ſibi liceat proficiſci valetudinis recuperandæ gratiâ: nam tam in via Vnguarũ, quàm Vnguari ne hora quidẽ ab impetitione Curucorum immunis eſt. Quidquid intervenerit ultra, ſignificare non omittam; quanquam ea ipſa Curſoria periculoſa admodum eſt. Nunc finio & ſcribo me &c.

COPIA LITERARUM PRINCIPIS PETRICZEYKO AD CASTELLANUM CRACOVIENSEM. Jaſſis 10 Januarij

IN quibus terminis & periculis poſt diſſipatum exercitum exiſtam, quamvis tibi in proximè præteritis literis expoſuerim: præſentibus nihilominùs etiam id ipſum communicare viſum eſt. Dux exercituum Zaporovienſium huc delatus Jaſſis cum equitatu tantiſper ſubſtitit, hodie in Vcrainiam Niemiroviam movit, & me hominibus deſtitutum penitùs deſeruit. Conſilium mihi non ſuppetit, qualiter mihi procedendum ſit: quò me vertere debeam, neſcio? præſertim quòd audiam graſſari hoſtem, reliquiaſque perſequi, & impedimentis curribusque Hujatium imminere. Inſolens admodùm, velut à grandi victoria hoſtis nec minimo parcit, & de Portæ mandato ac Hani, omnes gladio ſubjicit. Quare per DEUM te obſecro occurre malo ſi poſſibile eſt, quantociùs: ne & Chriſtianus ſangvis ab Ethnicis tam abundanter fundatur impoſterùm, & per tarditatem ipſa Polonia & Chriſtianitas patiatur detrimentum. Non exaggero calamitatem; gratiæ me tuæ commendo Stephanus Petriczayko Palatinus & Princeps terrarum Moldaviæ.

COPIA LITERARUM Dni DOBCZYCZ AD EUNDEM. Unguaro 18. Januarij.

PLurimùm anxius ſum, me ad ternas literas nullum à te reſponſum habuiſſe: certum ergò expedivi; ut quantociùs obtineam conſilium, quid faciendum in tanta calamitate, deficientibus hominibus per Legiones, nec ceſſantibus interim hoſtibus à frequentiſſima infeſtatione? Scripſeram quidem 10. Januarij ad te, ſed non ſatis benè informatus; quòd Nuntius ex vulneribus agonizans ſatis nos informare non potuit de hoſte. Jam poſt ſcriptas literas nuperas inſignis Nuntius de Corucis nobis adductus eſt, qui retulit in aggreſſione noſtri 9. Januarij Koſzycis & Preſzoviâ quinq; millia cum Peditatu Germanico & Dragonibus fuiſſe, periiſſeq; ex illis Curucorum 314. trajectos ſclopo 62. Cum divina gratia apud nos tantum damnum non fuit, aliquot enim Officiales tantùm, gregarij milites duodecim aliiq; ſeptem vulnerati occubuerunt, ut ex Polonis & Coſacis nonniſi 24. mortui ſint, 12. autem ſclopis vulnerati. Fuſiùs referet præſentium lator tam de noſtro tractamento, quàm hoſte de quo ſingulis propemodum horis notitiam habemus. Nunc etiam Tekieli duos ablegavit ad D. Humenni invitando illum, ut

A.C. 1684 ut aut præsidium illius recipiat, vel ut sit Neutralista. Exspecto præterea declarationem quo ad hoc punctum, habeo complures Officiales, qui ne unum quidem militem in Legionibus habent, petuntq; ut abire illis liceat, tam pro authorando milite, quàm etiam, quod huic obsequio valedicere intendant: cùm tamen ego in illis majorem spem reponam, quàm in militibus. Iteratò significo de D. Domaracki infirmo: nã lapidib⁹ appetitus generosè nihilominus stetit, pluresq; suorum militum amisit. Concedendam illi dimissionem existimo, sed sine scitu tuo id facere non præsumo. Habeo & ego magnas legalitates tam in Tribunali, quàm ratione Legionis prorsùs ad incitas redactæ; sine me autem restaurari non potest, nec suppleri: quare licentiam peto, relinquã interim peritum vices mei gerentem, qui pusillo huic gregi regendo aliisq; functionibus æquè sufficiet, ac ego: nôsti utiq; sine hominibus me militare non posse. Promisisti mihi Cursoriam in limitibus futuram, cujus defectus multum mihi incommodum affert. Ad præsentes literas responsum peto, consignari famulo vice Colonelli Domaracki: devehet is ad D. Bala in confiniis manentem, qui correspondet cum D. Humenni declaravitq; se literas Unguarum destinatas eò missurum. Multâ enim cautelâ opus est: nam Curuci vias insederunt præstolantes, si quomodo literas nostras intercipiant, & de rebus nostris informentur. His insinuatis supplico tibi, ne nos jam perditos supremum perire sinas, sed pro posse consulas &c.

LITERÆ KOZMINSKI AD EUNDEM PALATINUM
sub eadem data.

JAM quartâ vice literis meis te turbo intimando, quid hic nobiscum actum Unguari fuerit: verùm quæ infelicitas mea est, nullum hactenus obtinui responsum. Quare Dm̃ Chlopicki exoravi, ut tibi fusiùs oretenus eorum relationem faciat, quæ hic nobiscum geruntur, & gesta sunt ad hunc usq; diem. Edisseret autem ille omnia ea, de quibus illum informare necesse non fuit: ipse enim omnium spectator & actor transactionibus omnibus interfuit. Rogabit præterea ut patrocinium nostrî in te recipias: ex tuæ enim voluntatis arbitrio hic remansimus, & ad quem confugiamus, cum tam parva manu militum non videmus, te præter: tu nostræ consule securitati, quâ hactenus caremus, ne pereamus universi. Vel recentem submitte & substitue nobis defessis militem, vel si quod aliud sanum consilium occurrit precor, exequere. In nupera nocturna occasione periêrunt utrinque non pauci, nullo tamen hostis solatio: præterquam enim quod cladem retulit, pedem etiam referre coactus est.

INSTRUCTIO DOMINO CHLOPICKI VICE COLONELLO AD REGEM ET PALATINUM RUSSIÆ DATA
Vnguaro sub eadem data.

1. REferet Regi transactionem primam in qua nobis currus adempti.

2. Secundam transactionem idem oretetus referet, quando Tekeli alterâ noctis horâ totis nos invasit viribus, quantumq; damnum utraque pars in hominibus pertulerit.

3. Quæ securitas nostra sit, cùm fortalitium nullum extet in civitate, quæ funditus exusta aliquot ultra decem domibus duntaxat residuis,

duis; quibus propugnaculo gratiâ DEI nixis paucis inter continuas vigilias utendum fuit. A.C. 1684

4. Quantum turbatum sit Zaporoviensibus excitatâ rebellione insolenter recedentibus, Authore Colonello Worola, quem detinere visum ad ulteriorem Regis decisionem: nam postea idem concussum Ducem suum in ignem projecit. Expectamus Regis declarationem de eo, quia & me non semel cum gravi ignominia tractavit.

5. Habemus & hanc notitiam Tekelium propinquum esse Vnguaro cum omni apparatu obsidioni necessario, nec nisi tribus milliaribus distare; unde in tanto defectu virium etiam relictis equis ad arcem confugiendum erit.

6. Id etiam deferet, Duk Paszam in limitibus stantem nolle ad nós accedere, prætendereque mandata Regia quibus id illi imperetur.

7. Consternatus Comes, quia circum circa ab hoste cinctus omni destitutus auxilio viribusq; defendendo impar, ultimam reponit spem in assecurata gratia & protectione Regis.

8. Defert idem Comes, se si recentis militis tria advenirent millia, facilem inventurum modum illum contentandi: nam jam pro certo habetur complures Magnates cum non parva suorum manu discessum parare à Tekelio protectionemque Regis suscepturos declarâsse.

9. Quandoquidem vires nostræ in dies quà incursionibus & vulneribus, quà immissis à DEO morbis minuuntur; id ipsum submissè Regi deferimus. Constantinus Kozminski, Vilhelmus Dobczycz, Maximilianus Buykia.

NOVELLÆ. CRACOVIâ 1. Februarij.

SI quando de divina bonitate dicere licuit, antiqua illam brachij sui in nobis renovasse miracula; nunc profectò id asserendum est; dum diebus aliquot ab hinc digna consideratione recepimus nova, qualiter in Valachia ad Trosanum post triduanum prælium Cosaci campũ, victoriam & gemina occupârunt tormenta, Turcis & Tartaris, quà cæsis, quà in fugam actis: qualiter ex altera parte civitatis Dnus Dymidecki prodromam Principi Duka aulam sustulit, deinde ipsummet aggressus Tartaros & Valachos ipsi assistentes cecidit, Dukam ipsum & Proceres captivos abduxit. Qualiter ad Vnguarum insigni clade tam à nostro præsidio, quàm Vngaris Tekeliani affecti sunt: qualiter Belgradi ipso Natali Dni Vezyrum suffocârint & capite plexerint; qualiter certa & constans Cairi & Alepi rebellio contra Turcam consurrexit, altera itẽ in Babylonia & Mesopotamia uti & in Peloponeso & Albania tum apud superiores sclopetarios in Dalmatia Murlacos dictos centum quinquaginta familiæ arripuère arma junxeruntq; se tam Venetis, quàm Cæsareis in confinijs manentibus sclopetarijs. Qualiter in Moschovia grandis in resolutionibus mutatio facta: jam enim mandata edita sunt, contra Crimum ut se miles paret, ipsiq; Moschovitici Commissarij cum his declarationibus venerunt Kadzynum intimando; velle se nobiscum pacisci, colligationemq; suscipere: qualiter demùm Veneta Respub. mari potens Turcisq; metuenda, etiam terris Dalmatis & Albanis rebellibus adjuncta Tabellarium misit cum literis significando Regi; se non defuturam præclaræ occasioni & secundaturam Regem cortra inimicum Crucis, adeoque se resolvisse ad acceptandum colligationem: quamvis viginti annorum bello in Candia multum sangvinis auri & opum impendisset. Expectat igitur responsum & resolutionem Principis nostri. Quis-

A. C. 1684 quis ergo status Veneti gnarus est, & incomparabilis cautelæ Senatûs illius; ut ea Respub. nonnisi securis passibus & summa prudentia in suis procedit negotijs; & ante rerum momenta ponderat, quàm in praxim deducat: fateatur necesse est, eam utpote habentem Constantinopoli, Smirnæ, in Ægypto, Nigroponti & per alia dominia Turcica correspondentes, assecutam esse hoc arcanum; quòd jam venerit plenitudo temporis, quo Turcica Monarchia concidat; tempus autem salutis nostræ præ foribus sit: dum ea potentia externis armis, ductu Regis concussa, internis insuper rebellionibus convellitur, negantibus subditis pro bello tributa, & Tyrannicum jugum excutientibus: unde spes certa intestinis dissidijs imperium illud in casum abiturum: dum præterea activitas & interpositio Pontificis felicia nobis auguratur, quòd æmulæ in Europa domus quamvis sibi bellum denuntiaverint, pacem nihilominùs aut saltem armistitium in gratiam tam fortunatæ conterendi Turcam occasionis decernent. De quo Parisijs & ex alijs locis passim scribitur: quamvis verò id non sequeretur; Veneta tamen colligatio tam mari potens est, afflictis præsertim Turcarum in salo viribus; ut non vanè sperare liceat non ultra Majum insignem aliquam hostis cladem prorogandam, & Constantinopolim, quam imperij Turcici sequitur moles, in favillam abituram. Unde pronum perpendere est; quid DEus cum Principe nostro & gente faciat: dum ipsi soli præ Principibus terræ hanc servavit indulsitq; gloriam de fracta tanta potentissimi hostis pertinacia; contra quam omnes hic & nunc sumunt audaciam cum summa interim veneratione Regis nostri & æstimatione Polonæ gentis. Notandum & hoc est Tartarorum & Valachorum cladem uti etiam strangulationẽ Vezyri in Natalem Christi stylo novo & veteri non sine Numine Divûm incidisse. Item Ducem Venetorum, qui armorum conjunctioni cum Cæsare & nobiscum contradixit, in æstu deliberationis extinctum aliquotq; horis ab obitu illius votivam stetisse conclusionem. Notabile & hoc est; quòd sicut Strigonienses Turcæ non alteri se subdere voluerunt; nisi soli Regi existimantes, ejus subeundum esse imperium, cujus fortitudini sustinendæ Vezyrus cum tanto exercitu non suffecisset: ita & Veneti sagacissimæ mentis homines factâ resolutione acceptandi colligationem contra Turcas id in suis expresserunt literis, se præstolari Regis resolutionem, quâ habita sacrum concluserunt propositum. Nec omittendum à Tartaris lacessitum Moschum, prout vicissim Cosaci tã Moschovitici, quàm Tanaitæ Tartaros & Turcas lacessiverunt. Neque hoc silendum à Moschis in Cõmissione tres Legiones præsentatas purpurâ vestitas, ex quibus potuisset scena tripudij parari ob tot triumphos Regis nostri, & feliciter conclusos tractatus. Denique orbis Christian⁹ volens, inimicus etiam nolens parat viam Dno rectasque facit semitas Principi nostro ad triumphos. Veneti autem tam promptis animis colligationem acceptârunt; ut intra quatriduum illorum hic cum literis constiterit Ablegatus.

NB. Typis hæc quidem nova impressa fuêre, verùm uti adulatione, ita mendacijs scatent.

INSTRU-

INSTRUCTIO

CHRYSOSTOMO GNINSKI, REFERENDARIO REGNI VAGROCENSI, STANISLAO MIASKOWSKI OBRENSI, JOANNI COSTECKI ANDREIOVIENSI, ANTONIO KRZESIMOWSKI COPRIUNICENSI, ABBATIBUS ex Capitulo Landæ celebrato ad S. R. Mtem, Deputatis Ablegatis non obſtante unius vel alterius abſentiâ. 10. Februarij.

I. SUbmiſſioni ſi aliqua adjungenda erunt pro meliori Provinciæ cõmodo Præfatorum Ablegatorum relinquimus arbitrio, uti in literis ad Seren: nos ſubmiſimus, ſi aliqua media faciliora adinveniri poterunt, pro rato Nos habituros declaramus.

II. Ad majus robur ſubmiſſionis noſtræ exponent Sereniſſimo pernecеſſariam eſſe Sedis Apoſtolicæ, tum Capituli Generalis approbationem, quæ per Agentes Regios Romæ, & in Capitulo interpoſitione Chriſtianiſſimi Regis facile obtineri poteſt.

III. Quoniam in omnibus ſe Provincia noſtra gratiis, & voluntati Sereniſſimi ſubmittit, ideo inſtabunt ſedulò nomine Provinciæ, ut pro ſua clementia per Legatum appromiſſa Abbatibus noviter proviſis conſulere dignetur, ſervando jus illorum, nam per præſentem ſubmiſſionem proviſis, non prætendimus ipſorum juri quidquam derogare.

IV. Laudabilis conſvetudo in Regnis, & Provinciis viget, ut Monaſteria, quæ ſunt primæ fundationis, Titulari gaudeant Abbate, proventus ſuos pro ſtudiis Religioſæ juventutis partiendo. Supplicat igitur pro Monaſterio Andreovienſi veluti primo in Polonia, ut Auguſti Nominis S. R. Mtis gratioſa perennet memoria.

V. Tum etiam ad effectum eò faciliùs obtinendæ canonizationis B. Vincentij, quondam Epiſcopi Cracovienſis, ſupplicat pro præfato Monaſterio, ut poſt tot revolutiones ſerenari queat gratiâ S. R. Mtis.

VI. Monaſteria nonnulla per abuſum ſummopere gravantur laboribus, & angariis, à Capitaneis Forenſibus, pro quibus ſupplicabunt, ut intermediâ ſuâ authoritate S. R. Mtas protegere, & circa antiquas libertates dignetur conſervare.

VI. Epiſcopatum Livonienſem, quoniam à prima ſui inſtitutione Ordinis Noſtri Perſonæ tenuerunt, primuſq; Livoniæ Apoſtolus S. Chriſtianus, Primus Culmenſis Epiſcopus, Monachus Olivenſis extiterat; Supplicat, quatenus Ordinem noſtrum hoc titulo ex ſua clementia inſignire dignetur.

Fr JOANNES Zapolski Abbas Landenſis, Electus Vicarius Generalis Secretarius S. R. Majeſtatis.

PROVINCIA SACRI ORDINIS CISTERTIENSIS IN REGNO POLONIARUM CONSTITUTA CAPITULARITER LANDÆ CONGREGATA S. R. MTIS DNO SUO CLEMENTISSIMO 11 Februarij

SUb cujus protectionis ſcuto non ſolùm orbis Chriſtiani effloreſcit integritas, verùm etiam Ordo noſter humili voto ſuo æternam auſpicatur conſervationem, cum omni debitæ venerationis cultu quàm humillimè præſenti ſe ſubmittit ſcripto, prout in anterioribus Capitulis idipſum conſtanter declaravit, attentis, & benè expenſis motivis, quæ ad ea omnia noſtram Provinciam inducunt, idque præ-

A.C. 1684 *præsertim moderno statu calamitoso Patriæ nostræ, quæ cùm continuis bellorum fluctibus exagitata, summam pristino statui bonorū Ecclesiasticorum attulit oppressionem, tum maximè salubri acceptato remedio, quòd Seren: noster feliciter Regnans providendo Statui Ordinis nostri, proponendum esse censuit ex suo speciali favore, quatenus obviando collisionibus jurium Majestatis, talis fieret Abbatiarum dispositio, nimirum, ut quinq; Abbatiæ expressè Ordinem professis è gremio canonicè eligendis cedant. Ex quibus quinq; supra memoratis unius certa provisio pro Seminario Provinciæ Nostræ ad mentem Brevis ALEXANDRI VII. instituatur, & ordinetur, quatenus commodiori modo subsistere Seminarium possit. Igitur Provincia supplicat, ut Andreiouiensis Abbatiæ, uti primarij Monasterij Ordinis, pro Regia clementia respectus habeatur, quod fusiùs exponetur, precariò per nostros Ablegatos, ad S. R. Mtem. Quinq; aliæ Personis Spiritualibus de S. R. Mte, & de Repub: bene meritis in titulum conferantur, quæ Personæ Religiosum habitum omninò assumere, & Professionem emittere tenebuntur, nullis exemptionibus, & prærogativis sese tutando. Quinq; demum Abbatiæ Episcopis tenuioris fortunæ, vel Officialibus Regni Prælatis Spiritualibus in commendam salvis oneribus Abbatiarum ex antiquo jure supportandis, idq; præcipuè quartæ partis, prout constitutiones disponunt Apostolicæ. Quæ omnia prout in anteriori scripto & submissione exarata fusiùs continentur, Provincia nostra in omnibus secuturā se præsenti submittit scripto. Submittit se insuper Provincia nostra, providendo tranquillitati, & paci internæ, ne inposterum privato conatu quopiam præsumat provisiones procurare. In cujus rei robur propriam manuum nostrarum apponimus subscriptionem, scriptumq; sigillo Capituli nostri communiri jussimus.*

Fr Joannes Zapolski Abbas Landensis Com: & Vicar: Generalis.
Chrysostomus Gninski Referendarius Regni Abbas Vagrocensis.
Fr Michaël Antonius Hacki Abbas Olivensis.
Fr Justinianus Bernardus Abbas Suleos.
Fr Stanislaus Miaskowski Abbas Obrensis S. R. Mtis Secretarius
Fr Nicolaus Romiszawski Abbas Coriceos S. R. Mtis Secretarius
Fr Ludovicus Alexander Los Abbas Pelplinensis.
Fr Nicolaus Zegotek Zegocki Abbas Præmetensis, Sacræ Regiæ Majestatis Secretarius.

LITERÆ D. KOZMINSKI AD SUPREMUM DUCEM EXERCITUUM REGNI. Unguarô 10. Februarij.

POST tam graves paroxismos frustra hactenus tuas Ducis mei præstolatus in favorem mei declarationes proposui imposito arci Unguariensi de legionibus præsidio, ipse Equitatu assumpto me ad confinia Poloniæ conferre. Movebo feriâ quartâ cinerum tot exantlatis periculis & tam atroci obsidione toties exercitus, jamq; dum ad pauci-

paucitatem redacti sumus, aliis quà per hostem, quà per morbos amissis, inposterum sustinendis tam vehementibus hostium insultibus prorsùs insufficiens, præsertim quòd succursum negari mihi videam, etsi illum toties expeditis de industria literis significando, quid nobiscum rerum agatur imploraverim. De Cosacis te certiorem reddo, me dubitare plurimum, utrum quispiam illorum post abitum meum istic remansurus sit? quòd illos tædium jam subierit incolatûs diuturni in terra aliena. Sub hæc me commendo.

P. S. Tekelius forsan per discretionem suam aliquantisper ab infestatione nostra supersedit, copias nihilominus suas & partem Tartarorum per circuitum duobus milliaribus collocavit, nec ipse procul abest: tribus enim duntaxat remotus milliaribus ad Cissam residet.

COPIA LITERARŨ PALATINI POSNANIENSIS, AD CANCELLARIUM REGNI. Kadzynô 16. Februarij.

Gravibus quamvis podagræ doloribus affligerer: jussi me tamen deferri Andruszowum pro conferentia. Mitto relationem tibi de successu illius. Eramus hujus opinionis, non nihil remissuros de ferocia, quam præ se tulerant Moschi in præterita conferentia ante discessum hinc Capitanei Koscianensis: verùm falsi sumus; triplicârunt arrogantiam, palamq; nobis sine omni circumlocutione declarârunt bellum. Inter cætera per occasionem Palatino Trocensi dicenti, habemus vobiscum fœdera in ævum, literis utriusq; partis Principum confirmata, & juratâ fide roborata; respondit Czadajer: jã dissoluta, repetiitque id ipsum saltem quinquies, & alij cum illo præsertim Buturli, & Romadanowski; qui in ea sessione alijs videbatur esse ferocior, quamvis in prioribus se mitiorem ostendisset: idemque aliquoties declaravit nomine omnium, frustra à nobis aliam sperari declarationem, præter eam quam jam denuntiâssent. Demùm enumeratis pluribus valdè frivolis læsionibus articuli secundi Andruszoviensis de titulis, ridente ad hæc Palatino Trocensi, unus illorum dixit; non esse ridendum, nos enim pro honore Carorum nostrorum vitam profundere parati sumus. Odojowski autem, ne existimetis Domini hos dishonores tam facilè sepeliendos oblivione. Alios discursus describere per dolorem graviùs me infestantem non licet: rogavi Dñ Zarnowski, ut relationem hesternæ sessionis, quæ Regi mitti posset, conciperet, quam sine dilatione transmittimus: videtur enim illa magnam nobis mereri reflexionem. Id solùm insinuo circa finem sessionis ferventer illos ursisse declarationem diei pro congressu, valedictione, discessu, & scriptis; ad quæ cum nos paratos ostendissemus, innuendo nihilominùs Legatos Cæsareos jam in itinere esse, actuq; Varsaviæ fuisse: tanto magis urgebant. Verùm distulimus declarationem ad internuntiationem; non enim id audere possumus, sine resolutione Regis. Mihi interim videtur non festinandum, sed differendum congressum prætextu morbi Czadajevi, ostentandum nos paratos esse pro itinere, detrahenda parietibus peristromata, omniaq; velut ad iter componenda, exspectando nihilominùs inter hæc Regis resolutionem, quæ nos determinet: qualiter ab illis discedendum sit. Sciendum enim, quòd altos spiritus gerant, nec tantùm prorogationem fœderum nolint, sed etiam palàm profiteantur; ne ad ea quidem tenenda quæ jã statuta essent, obligari, quòd jurata non sint. Unde verò eã ferociã assumpserint, difficile scitu est; non temerè tamen suspicamur, suggestiones

A.C. 1684 non deesse, forsanq; strictiora fœdera cum Porta inivisse, forsan tributum illis indultum: palàm enim dixerunt, se nullum Haracz sive tributum Turcis pendere, nec pensuros: adjecerunt à Sultano Turcico Caris datum titulum, Fratres nostri: ostentantq; palàm magni eum ab illis æstimari. Plura scribenda essent: occurrunt enim non vanæ considerationes; verùm ea materia ad literas non pertinet. Si DEus incolumi reditum indulserit, divertam ad Regem & oretenùs informabo: nunc pro fide Regi debita præcaveo; ne has partes negligat, sed paret vires opponendas Moscho: nam (utinam sim falsus Vates) spondere possem, quòd primo vere erumpet hostilitas. Dolendum non fuisse inchoatum tractatum in Novembri aut saltem primis Decembris: consternati enim erant tum Regis successibus, verùm defectus requisitorum nostram inhibuit activitatem: nunc nescio unde erexerint cristam.

P. S. Coram famulis nostris illorum Aulici dixerunt palàm; literis Careis illis reditum imperatum. Hinc tantò certiùs concludo, cum Turcis eos conclusisse pacta, & per velocem discessum nostrum illorum ab ipsis confirmationem intendi. Plures circa hoc non desunt considerationes.

LITERÆ PALATINI VALACHIÆ AD SUPREMUM EXERCITUUM DUCEM REGNI Soczaviä 28 Februarij

JAm ad te destinaveram literas meas per Czaki; cùm in me immissi fuêre Tartari, quos præsidium meum Jassense sexaginta duntaxat equitibus constans quinq; milliaribus Jassis ad Prutum delevit. Fortuna evenit; ut quamvis trecenti essent, coram nostris tamen sibi fugà consulerent, & per Prutum ob minores per campos nives præcipites irent, cùm inciderunt in glaciem infirmiorem, quàm ut sustinendis tot virorum par oneribus esset, quare alij undis absorpti sunt, alij cæsi, duodecim ex illis vivi in potestatem nostram venerunt, ex quibus tibi duos pro indicibus transmitto. De Palatini sive Principis Valachiæ Electione hæc mihi innotuerunt. Nobiles (Bojari dicti) qui partes Dukæ, dum hic esset, tutati sunt in Moldavia existentes suffragia sua in Cantimirum contulerunt, eumq; de medio suî elegernut petentes à Duce exercitûs Turcici sive Sieraskiero confirmationem illius; Vezyrus econtra Demetrium aliàs Dimitraszco uti jam tibi id ipsum intimavi, jussit esse Palatinum: hinc inter illos excitata dissensio, per quam factum est, ut ablegaverint quosdam de gremio suo ad Imperatorem Turcarum petitum, ut illis Cantimirum confirmatum vellet, Demetrium autem de gradu dejiceret. Docebit tempus uter illorum vincet, potiorque honore habebitur. Non deero occasioni, quin tibi sine omni dilatione de eventu significem. Scripsi ad Primores alterius partis, ut ab ulterioribus desistant rebellionibus, minasque intentavi pollicitus: nisi quietiores imposterum fuerint, indubiè bona me illis recepturum & in faventiores Regi distributurum. Hodie primùm pars copiarum cum tormentis circa meridiem advenit; alia autem vexilla nondum ad Dnum Brucki advenerunt: quare adhuc Strojencis tantisper subsistere cogor ad Prutum; ubi omnes congregati fuerint, existimo à te illis ejusmodi transmittenda mandata; quibus obligentur ad incutiendum terrorem Cameneco, de quo satis superque scripsi. Ordinatum esse præsidium ad Zwanecense & Chocimense fortalitium intellexi à Castellano Cracoviensi: res ea omninò pernecessaria est; quia & Cameneco adimetur illa commoditas, quâ nunc gaudent

dent securè hostes, incolisque providebitur; ut tuto residere possint. Currus meos & impedimenta de quibus ex literis meis intellexisti, quotidie Budziacenses Tartari infestant, sed quæ felicitas mea est, semper penes nostros victoria manet, tantumq; sibi virium existimant nostri esse; ut usque ad ver sibi videantur sustinere posse hostilem impetum. Petiêrunt verò declarationem utrum succursum à nobis expectare debeant? an vero deinceps sibi fugâ consulere? assecuravi illos in tempore suppetias non defuturas. Rogo igitur te ut pro posse illis auxilium suppedites. Optarem ad Dnum Kunicki scribendum; ut de suis submittatur; ipse verò versus Budziacos moveat, ob rationem quam per Dnum Czaki insinuavi. Quo ad hæc quàm citissimam declarationem exspectans tuæ me fraternæ gratiæ & constanti amicitiæ commendo &c. A.C. 1684

LITERÆ DOMINI CZAKI LEOPOLI 16 Februarij

BAcchantes ferias felici absolvi omine; verùm mox alter successus rerum hæc gaudia tristibus interpolavit: uti ex copijs intelliges, ex quibus cognosces, quis status inpræsentiarum sit, quisq; impossterum futurus. Uti scripsi, quòd largitio Dno Gròbenio declarata mille florenorum in thesauro tuo existit, apud me autem in fœcundo votorum thesauro id perennat quod sim &c.

NOVA. Leopoli de eadem data.

Ex Valachia scribitur hostem congregari contra impedimenta & curr⁹ in sylva Kigiestk sepulta. lignisq; vallata, in quibus omnia pignora Valachorum latent. Quare ad instantiam Principis (vulgò Hospodari) petentis subsidium mandatum Duci Zaporowiensi Kunicki; ut deleturus ignominiam ex accepta clade, eò pergat, succurratq; dicto Principi. Vexilla nostra Valachici authoramenti hinc expedita ad defendendum Principem prætactum, ob nimias nives necdum eo delata sunt: caret autem & prorsus destitutus milite est; quia quotquot ibi militabant, prædâ ditiores facti, dum Dukas caperetur, Valachiâ excesserunt. Dukas hic jam subsistere Stanislawiæ fertur, mox Leopolim transferendus. Tartaros Budziacenses jam hic grassantes videremus; nisi ut indices referunt, nimjis nivibus ab excursionibus prohiberentur.

Unguaro heri advenit vice Colonellus Legionis Pedestris Palatini Lublinensis necdum plenè recuperatâ valetudine à lapidatione, quæ illi sub tempus obsidionis inter excurrendum obtigerat: is relationem fecit, qualiter Unguaro abscesserit hostis, quòd difficilis ea arx sit expugnatu hiberno tempore, & qualiter Humenni pretio centum aureorum duos ad exercitum Tekelianum expedierit, exploratum: qui reduces retulerint, ipsis præsentibus Tres Baszas cum tribus millibus & Uterinum Hani Fratrem cum viginti millibus Tartarorum venisse junctosq; Tekelio Szachmararum ivisse cum intentione occupandi tam civitatem, quã arcem, & si quoad arcis occupationem non succederet, quòd illa utcunq; munita sit, & præsidio Cæsareo satis firmo teneatur, civitatem saltem exurendi.

Quorsum deinde conversuri arma sint, resciri non potuit; fortis nihilominùs apprehensio est, in Litvanos totâ vi hostem iturum, qui aliquot decadibus quà Tartarorum, quà Turcarum cæsis circa Berdiowam, felicitate loci illius allecti ibi sibi stativa elegerunt, verùm pauci sunt numero, ijq; satis defessi & exhausti. Alij affirmant, (quod metuendum est) hostem

A.C. 1684 hoſtem meditari in ſubmontana irrumpere (admonuerunt de hoc Ungari amici) idq; hic & nunc quidem primam in experimentum veluti præmittere excurſionem, deinde ubi ineunte vere terra virorem induerit, totâ incumbere potentiâ & tam Curucos, quàm ruſticam plebem injurijs belli fatigatam, ut ex alienis ditionibus coactâ recreetur prædâ immittere.

Tekeli ad Regem ſcripſit orando, ut ſe in protectionem ſuam reciperet: ijdem verò exploratores aſſeruerunt ipſis præſentibus in tres partes dimiſſos fuiſſe ſive Curſores ſive Ablegatos, ad Regem noſtrum, ad Imperatorem Chriſtianitatis, & ad Imperatorem Turcarum; & quidem ad ultimum deſtinatum fuiſſe eum, qui Unguarum oppugnavit. Conſilium vero Tekelij eſſe; ut curis his & ſolicitudine Chriſtianitatem decipiat, uti illum hoc prætextu, ne dolos illius quiſpiam ſuſpicione aſſequatur, adeòq; ut hac ejus ſubmiſſione falſi per incautelam ab ipſo occupētur. Non ſucceſſerunt hæ in diverſas partes Ablegationes: nam interceptæ fuêre literæ, quas ad Imperatorem Chriſtianitatis deſtinaverat, unde non jam cum ea confidentia Turcæ cum illo agunt, & quia ſuſpectum habent; nunquam ab illo oculum remittunt, in tantum: ut etiam communi cum illo utantur menſâ, in eodem conclavi velut cuſtodes corporis dormiant. Hinc metus & terror; ne ille, quò ſibi confidentiam iteratò reſtauret, noſtris ſubmontanis terris ſibi Turcas demereatur, noſtriſq; damnis ſua damna ſolvat, fidemq; mercetur. Præſertim quòd ſubmontana noſtra in proximo ſint, & tam ſecurè ibi homines agant; ac ſi hoſtis longè ab illis diſtaret: imò qui ibi miles ſubſiſtit reſiſtendo impar, utpote defeſſus, reſpirium non laborem expetat, ibiq; ita verſetur ac ſi non eſſet. Dnus Kozminski impar ſuſtinendo hoſti Unguaro etiam non habito Ducis exercituum mandato & licentiâ excedit cum Equitatu; qui in duodecim vexilla diviſus nōniſi quinquaginta equos habet, uti aſſerit Domaracki, quod videntes Coſaci, & ipſi parant ſe accinguntq; ad iter, ſecuturi Equitatum noſtrum; ſuperſunt illorum nonniſi ſeptuaginta. Dnus Dobczyc remanet ibidem, nonniſi ex novem Regiminibus ſive Legionibus ſuperſtites habens manipulos undecim & aliquot ſupra. Miſit ad Comitem Humennij Tekeli Germanam ſororem ejus Viduam, perſvadendo; ut idem ſecum ſentiat, inſinuando gratiam illi à ſe factam per receſſum ab oppugnatione; ideòq; merè interſtitium iſtud illi indultum; ut ſe recolligeret: ſecùs ſi perſeveraret, igni & ferro omnia vaſtaturum. Miſeranda conditio Comitis eſt, deſtitutus hominibus, deſertuſq; ab omnibus; ita ut nullus propè apud eum remanſerit: unde fortaſſis inevitabilis eum docebit neceſſitas, parere tempori, quod ſi factum fuerit; nobis certa imminet calamitas, bibendus erit calix quem hoſtis propinabit. Abſumpſit Ungvarum complures Vicecolonellos, alioſq; Officiales peregrini authoramenti; quos inter Dnus Radlinski bonus militiæ & victoriæ ſocius. Inde licet deſumere omnia, faxit Deus! fruſtranea, quæ fortuna & fata Rempub. noſtram maneant? ſi Tartari Budzacenſes verſus Camenecum moverint, Hungari autem cum ſuo exercitu ſocijſque hoſtibus noſtris in ſubmontana irruperint: quomodo conſtabit fides impreſſis nuper novellis? quæ mentiri auſæ ſunt aſſerendo Conſtantinopolim, menſe Majo colligatorum ignibus in cinerem abituram. Quiſq; arbitrari poteſt, plus dignitatis quàm fidei his inanibus rumuſculis ineſſe, hocq; duntaxat in illis verum inveniri, quod ingenium & prælum laboraverit. Craſtinâ luce D. Domaracki cum alijs literis ab Ungvarenſi præſidio ad Regem ibit facturus relationem Regi: Domino verò Kozminski ſeverè reditus Ungvarum imperatus.

ZYWERT

A.C. 1684

ZYWERT MAGISTER POSTÆ ANDREÆ ZALUSKI EPISCOPO KIJOVIENSI REGINÆ CANCELLANO 10 Martij

NUlla nostra colloquia sunt, quæ non tui memoria condiat: alitur nostra tuo affectu propensio, tantoq; magis crescit, quantò plura exhibes argumenta constantis confidentiæ. Quidquid novorum ex Valachia & Moschovia hic habemus transmitto, pleniorem notitiam daturus per proximam sequentem Cursoriam; ubi nobis ex indicibus, qui huc deducuntur de rebus externorum constiterit. Speramus Vexilliferum Regni proximè adfuturum; forsan cum aula veniet; quæ abhinc hebdomadâ feriâ quartâ Cracoviâ movisse fertur. Circa Vnguarum cessavit obsidio; verùm Tartari vias insederunt: undè Capitaneus Rossen qui recenter illinc advenit, viginti milliaria adjicere itineri suo coactus est, magis insomnis, quàm pervigil circumeundo; ne in hostium man⁹ incideret. In Majori Polonia, dolendum! illustres viri obijsse audiuntur, quos inter Palatinus Kijoviensis. Palatini Volhiniæ pro 20 Martij designata, dilata sunt in secundam hebdomadam post Pascha celebranda parentalia.

JAZLOWCO 9 Martij

A Castellano Lubaczoviensi significatur quòd non obstantibus difficultatibus, quas Samuelowicz & Popianka objiciunt, Cosaci in dies ad nos plures accedant, & quidem ut apparet magno numero; siquidem eques Melitensis viginti millia bombardarum mitti pro illis petit, eò, quòd inermes veniant. A Kunicio venerunt etiam Ablegati promptitudinem suam declarantes. Castellanus Cracoviensis obviàm Regi ibit cum captivo Duka, à quo multum illuminari poterimus de præsentibus & futuris Turcarum rebus.

ZYWERT MAGISTER POSTÆ, ANDREÆ ZALUSKI EPISCOPO KIJOVIENSI REGINÆ CANCELLARIO.

Leopoli 17. Martij.

NUllam intermitto Cursoriam; per quam te non venerer, & de rebus edoceam; quæ hic geruntur. Vexillifer Regni adhuc hic ad curiam suis insistit votis. Verùm minùs illi aula favere videtur, magis autem inclinare in Castellanum Miedzyrycensem. A Moschovia & confiniis submontanis gravia imminent pericula, quæ ex adjunctis fusiùs scriptis intelliges. *Raphäel Leszczenski Rozrazewski*

Ut saltem Nuntius ex obsidione Unguarensi in Patriam redeat, mandavit Rex reliquis ibi; ut illud fortalitium deserant. Szybinum verò prævalente Tekelianorum multitudine Generali Petroci cessit. Quinq; diebus incessanter tormentis Preszoviâ & Koszycis adductis actum est; ut tandem hoc fortalitium cederet. Hostis spe seu potiùs præsumptione victoriæ insolens, ægrè per conventionem Generalem de Nemarck cum trecentis Præsidiariis dimisit: tot enim remanserant, quingentis per obsidionem & aggressionem hostilem absumptis, qui omnes deducti sunt Lubomlium, ne à Tartaris, quorum 6000 Szaroszij ad impediendum succursum substiterant, in captivitatem abriperentur. Hostilis deinde exercitus cum Tartaris in Moraviam movit, igni & ferro illatam in priore expeditione cladem ubiq; vindicans; unde metuunt sibi consternati nostri Submontani, utpote nonnisi duobus milliaribus ab hoste distantes, qui Comitis Humenny præcipuè bona populatur, jamq; ultra

A. C. 1684 ultra centum pagos dicto Magnati Hungariæ Tartareus ignis absumpsit. Et hæc protectionis nostræ funesta coronis est: fortunam Humennij assecuratâ spe frustravimus, & nostrum militem amisimus. Præmonuit Tekeli Submontanos; ut suæ securitati consulerent, quòd Tartari ejus imperio obnoxij non essent.

Ex Valachia Palatinus Petriczayko implorat nostrum auxiliũ contra novum æmulum Demetrium; qui copias colligit Valachosq; universalibus suis & amnistiâ Commissorum ad se allicit: unde sibi noster metuit; ne idem illi contingat, quod Dukæ factum est. Mille Valachos duntaxat habet, & eos infidos, (uti scribit) nisi supplementum pecuniæ, quod petit in tempore pro illis, suppeditatum fuerit. Si dictus Petrus expilatis Valachis adverso suo periculo fugerit; nihil certius fuerit: ac quòd hostem post sua terga trahet, & indubiè in Poloniam inducet. Verendum verò ipsi; ne, quemadmodum incautus est, à suismet Valachis prodatur, & in manus Turcarum consignetur; nostri autem qui pauci admodum sunt, alienâ calamitate involvantur, hostiliq; ferro cadant, aut perfidiâ amicorum; qui ad ejusmodi nefas non difficiles futuri sunt, quò Portam Othomanicam sibi propitiam reddant. Nostro malo hactenus factum est; quòd eam Provinciam servatam voluerimus, nec exercitui ibi subsistenti in direptionem & prædam concesserimus: nam ubi primùm Tartari comparuerint, eodem planè momento ex amicis fient nobis inimici, uti jã magna apparentia est: siquidẽ desciscunt à Petriczayko. Tartarorum 10000 Bialogrodo & Moldaviæ appropinquant, Petriczayko autem Poloniæ. Peditatus Litvanicus, qui Camenecum ire & Zwancum debuerat, in Litvaniam per rebellionem rediit Officialibus propemodũ occisis: unde Podolia nuda omninò est, sine omni præsidio; nam ea vexilla, quæ sparsim steterant Zwaniecium abiêrunt, ad reparandas supplendasq; legiones; quòd in aliquibus vexillis ne nomen quidem usurpari possit vexilli ob defectum militum, proque insigniori habeatur illud signum; sub quo triginta reperiuntur. Imperavit Rex disignari consistentias & ex pecunia Pontificia distribui in Peditem florenos 11. in Dragonem 12. florenos & asses 20 pro amictu: hócne subsistere potest, ut tam exiguo peculio tanta parentur! Indices referunt parari bellum Turcicum longè magis, quàm unquam aliàs. Turcarum Imperator congestos ab Antecessoribus suis thesauros promere dicitur, pagis insuper imponuntur tributa, non jam ut solent, sed sacculi imperantur pecuniarum; ut iis novus authoretur miles, præter alios stipendiarios. Apud nos verò altè dormitur, in charta exercitus multus, in re nullus; quo reparentur copiæ deest: aliis tanta bona non sunt, imò ne quidem apparatus; ut imposterùm servire possint: hæreditario duntaxat & veteri apparatu suo usi ad obsequium fuerant, quo amisso in *Hieronymus Lubomirski* Hungaria nihil reliquum habent. Militem Equitis Melitensis Cæsari militantem Hungari prorsus sustulerunt, & Camini ubi Cæsarei erant, ceciderunt omnes, ut nec cladis Nuntius remanserit.

IDEM EIDEM 2 Aprilis

Quidquid per præteritam Cursoriam mittendum fuit; totum id Custos noster Posnaniensis reddendum in suam recepit fidem: nunc sedulitatis meæ argumentum habe, quo etiam præteritam, quòd eam intelligam, quamvis maturè expedita fuerat; remoram alicubi passam, Cursoriam compenso. Mille sonant pericula per terras illas; nam & Palatinus Valachiæ jam Sniatynum versus fugam promovet, &

D.

D. Kobjelski in prodromis primiſque Jaſſis exiſtens vigilijs, viciniâ Tartarorum & exercitûs Turcici jam contiguâ territus Botakanum receſſit. Petuntur ab illis ſubſidia: verùm quis illa dederit? movendus totus exercitus eſſet, quanquam & ſic exiguæ vires forent: jam univerſalia ad territoria & terras, ubi conſiſtentiæ ſunt, prodiêrunt: ut in procinctu copiæ ſint inſtantibus malis. Moſchovia magna ſigna hoſtilitatis oſtendit, ſive illa Coſacos à noſtro belli opere avocando, ſive funeſta nobis meditando indixit pecunias Boroſzno dictas, nervum belli futuras: cauſa hujus vera neſcitur. Lubaczevienſis Caſtellanus cenſet poſtponendas has partes & auxilia Coſacorum metu ulteriorum rebellionum, aut etiam illiciis longiori tractu devinciendas: quòd etiamnum etſi ad libitum ſuum Coſaci ſibi Ducem elegerint, ſciſſiones & diſcordiæ inter illos graves vigeant. Miſſa igitur per hunc reſpectum ad illos ſunt mille trecenta integra fruſta panni, in quindecim millia virorum diſtribuenda; quæ hujus partitio futura ſit, facilè divinare poſſumus; exiſtimavero eum pannum nonniſi ſcapularibus parandis ſuffecturum, pecunias verò in ſympoſium ceſſuras. Expedita ea heſternâ die jam ſunt additaq; octo vexilla ſecuritatis causâ; ut itinera à Tartaris tutiora ſint, néve hæc gens licentioſa ipſa ſibi tranſmiſſum partiatur ſtipendium. Diſceſſit in eo Comitatu Theatinus deſtinatus à Nuntio ad arbitrandum exercitũ; cui dum privatim dicerem, caveret pericula; aliam apud eos homines eſſe rerum faciem, nec vias ipſas ſecuras eſſe, bono reſpondit animo, ſe non metuere, quòd equum Tartaricum haberet. Avertat Deus caſum ab hoc Italo, qui tantam reponit ſpem in equo deſerturus pecunias, diſcrimine appropinquante: ad fugam enim ſe reſolvit his formalibus adjectis; ego ſtatim fugiam. A.C. 1684

Vnguaro ſilent nova: fortaſſis Dobczyc cum reliquis ſuis pedeſtribus interibit. Audire potuiſti, qualiter cædibus & igni ultionem de Hũmenno ſibi paravit Tekeli poſthabitâ noſtrâ protectione. Inclinat plurimùm Generalatus in Caſtellanum Miedzyricenſem, cujus curas jã poſtpoſuimus noſtris, meditantes; qualiter nobis ipſis ſuffragemur. Nam ſuum favorem uti & Regiæ Mtis de hinc Regina dicto Caſtellano ejuſque colligatis auffert amicitiæq; ejus renuntiat. Unde quid ſperandum ſit, in propatulo eſt: ſigna hæc ſunt morientis libertatis, dum tanta contemnuntur nomina. Habuit apud illam audientiam, dum eſſemus Javorowiæ: verùm nulla ibi pacis audita verba, contumelijs duntaxat actum eſt, quas tamen vicit modeſtiâ ſuâ & reſpectu concurrentiæ Caſtellanus. Video autem, quòd ea ſubmiſſo graviùs aulam affecerit, novus induendus habitus fuerat; poſtponenduſque reſpectus omnis. Nec enim quiſquam ad mala bonis compenſanda obligatur. Nihil præterea mihi ſuppetit ſcribendum niſi forſan hoc monitum, ſimultatibus iſtis publicum perimendum, reduntaturis in nos incommodis, inde maneo &c.

LITERÆ TEKELII Ad INNOCENTIUM PAPAM XI.
Caſſoviâ 12. Aprilis.

VEnerabundus provolvor coram purpura Sanctitatis Veſtræ in ipſo Sanctiſſimi limine deprecans; juſtitiam cauſæ, quam contra Sacratiſſimum Imperatorem, à tot annis defendimus; libertates per vim potritas, quarum redintegrationem inhianti ſtudio anhelamus; ut Sanctitas V. profundè cognoſcat. Ideo ejuſdem

Pa-

A.C. 1684 Paternas piissimasq; pro salute Christiani orbis curas interrumpo præsenti epistolâ. Nihil in me defuit per totum tempus civilis in Ungaria belli, quo Sacram Cæsaream Regiamq; Mtem, mihi totiq; Regno reddere propitiam non anniterer. Super quo vel ipsa S. R. Mtas Poloniæ mihi benignum dabit testimonium. Paratus eram anno præterito proposita mihi à Sacratissimo Imperatore per D. Baronem Saponaram puncta cum veneratione suscipere, unicum tantùm rogabam; ut securitas tentionis sanctissimorum, per mediationem Serenissimi Regis Poloniæ (qui tanquam Princeps magnanimus rem serio cum fervore egerat) mihi daretur. Verùm ad justam hanc propositionem Cæsarea M. descendere noluit, æstate præteritâ spe & fiducia sopiendæ controversiæ animatus, Turcis Viennam potenter obsidentibus ita me meo cum Exercitu gessi; ut ne minimum quidem nocumentum militiæ Christianæ dederim: suspirabamus complanationem rerum ipso etiam Othomano in tractatum pacis consentiente; sed frustranea vota erant, labor inutilis, victoria ad Viennam difflavit omnia, nobis inter malleum & incudem positis, cùm ab una parte rerum omnium, & ipsius vitæ immineret periculum, ab altera nihil securitatis agnosceretur; unicam quæ superest protectionem leviter deserere ratio status minimè concessit, scio bene plurimos esse obtrectatores, qui criminandi licentia tumidi, læsæ Christianitatis coram Sanctitate V. me arguunt, & nescio quibus denigrant contumeliis; ut Sanctitatis V. clementissimam erga me propensionem avertant. Unde erumpere tandem in defensam meam debui, suadente hoc ipsum notâ per orbem Christianum Sanctitatis V. benignitate; communis enim Christianorum Pater meas quoq; admittet rationes & justam excusationem. Arma pro communi libertate gerimus non contra Religionem, neq; contra interesse Christianitatis: bellum extrema nobis imposuit necessitas, destituti omni ope Christianorum Principum & cum nulla spes appareret mihi mitigandi onerosi & præpotentis Domini, eam acceptavimus protectionem, quæ nobis propior erat & contra quam Sacratissimus Imperator à tot annorum reuolutiouibus nos defendere noluit. Rebelles nos indigno nominant vocabulo; requiratur in scriniis Consistorij: S. Sedis diploma Andreæ 2di Regis cognomento Hierosolymitani, & luce clarius fundamentum nostræ libertatis & amor justitiæ apparebit. Nihil peccaveram in S. Cæsaream Regiamq; Mstem, imò neq; peccandi capax eram in ætate tenerrima constitutus; quando vi cum tot millibus Ungarorum clarissimi stematis ex dulcissima Patria extorris factus, bonis omnibus confiscatis & direptis in exilium cogebar migrare: pòst cùm deesset & omnimodo præscinderetur post omnem humiliationem indulgentia; cogitandum nobis erat de naturali & legitima defensione, quâ nosmetipsos Patriamq; ab extremo exitio vindicaremus: proinde Sanctitati Vestræ demissè supplico, dignetur excusationes nostras paternè admittere &

pro

pro altissimo judicio suo paulò profundiùs res nostras pensitare. Nibil A.C. 1684 *enim ex temeritate susceptum est, nihil agitur, nisi quod jus naturæ, jus publicum rectaq; nobis suasit ratio; pridem poterant tempestates istæ placidioribus componi remediis; cupiditas libero populo absolutè dominandi occasiones omnes præcludit. Querulabantur in aula Sacratissimi Imperatoris à multis annis Ungari læsas cum diplomate Regni libertates, protrita privilegia, murmura in Regno, mox, nisi moderamen aliquod in Regno malo opponatur, bellum provocatura, sed invalidæ erant preces, lamentationesq; & surdis fabula narrabatur neq; conqueri ampliùs neq; congemiscere licuit: his inducti malis Proceres Regni præcipuè Veselinus Palatinus Ungariæ, Comes Nadasti Judex Curiæ, Serinius Bannus Croatiæ & Frangipanis, alijq; quàm plurimi consilia inceperant: cùm Imperatoris mandato rapti, deinde in judicium neq; citati neq; debito modo exauditi, ex norma duntaxat pertumidæ potestatis à Judicibus Partialibus convicti fatali & ferali gladio subjiciebantur, solo Palatino naturali morte defuncto & Archiepiscopo Strigoniensi Georgio Lippas, qui ingenti asserendi libertates flagrabat zelo. Hi omnes Beatissime Pater erant Heroes, ideo rebelles, adeoq; morte digni, quòd libertatem oppugnabant tot privilegijs Antecessorum Cæsareæ Mtis stabilitam, & quam modernus quoq; Sacratissimus Imperator corporali juramento antequam fuisset coronatus Possonij 1653 confirmaverat. Trucidatis Regni Proceribus & missâ in exilium proscriptâq; Nobilitatis parte, vis illata Ecclesijs Evangelicis extrema, & desperationē auxit; quæ persecutio eo tantum fine instituta fuit, ut prætextu belli contra hæreticos palliaretur injuria libertati facta, velumq; & larva vi obduceretur flagitio Dominationis; ut eò citiùs Regnum Ungariæ ex statu libero in hæreditarium præcipitaretur, publicato in totum orbem classico, contra justitiam causæ nostræ, quam DEO & orbe profitemur & ad extremam guttulam sanguinis defendemus. Quibus ita declaratis ad benignitatem Sanctitatis Vestræ recurro fiducialiter, submississimè rogans, ut de moribus nostris benignè judicet, ijsq; paternè patrocinetur. Testor enim Christianâ & simplicissimâ fide, quòd in præjudicium Religionis Catholicæ nihil unquam neq; susceperim neq; egerim, sed neq; intentionem ullam habemus eam labefactandi, firmata quoq; est per leges publicas Evangelica libertas. Hoc tantùm requirimus, hoc ex dictamine justitiæ prætendimus, quod jus publicum legesq; Regni nobis concesserunt, & in quo contra Regum diploma nullam unquam obtinere potuimus satisfactionem; quod superest Sti V. à DEo omnipotenti longævam vitā & felix Ecclesiæ Christianæ Regimen devotè ex corde desidero, ejusdē sacratos pedes humillimè exosculor.*

ANDREÆ ZALUSKI EIPSCOPO KIJOVIENSI AMICUS CONFIDENS. LEOPOLI 21. Aprilis.

IN dies tristibus Valachiæ lætiora aliunde præsertim Cracoviâ succedunt nova. Redeunt planè Saturnia Regna; si veredis nostris creden-

A.C. 1684 dum est. In Turcia enim Primores Regni populusque ferox suo supplicare feruntur Imperatori; imò declaratione propemodum funestæ cædis adigere: ne Poloniam tentet: tantum ibi Numen & nomen Principis nostri valet. Memphi sive Cairi, item in Anatolia rebelliones augeri scribuntur; per quas fiet ut tam parati Turcæ esse nequeant pro imminente expeditione, quàm vellent. Verùm ludimur istis; ac si gaudia curis intermisceri non possent, nisi mendax fama in occasionem assumatur. At confundit lætitiam certior rumor de Palatino Valachiæ, qui jam Dorojum cum exercitu fugere coactus est, Iassis à Tartaro occupatis, Semenis ejusdem & aliquot centenis Cosacis, qui sub D. Stanecki Colonello militaverant, novi à Turcis instituti Palatini Demetrij auspicia adorantibus. Proditores ij dictum Colonellum Stanecki vinctum Demetrianis tradiderunt. Pro ijs Semenis hebdomadâ abhinc ad semestrem Petri Palatini instantiam missa fuerunt triginta millia florenorum, quibus dictum militem deliniret, & in suo contineret obsequio: verùm serò id subsidium venit. Nam desperatio exspectati promissi jam eos hostes fecerat, cujus mali sibi ipsi author Palatinus noster fuit: nam pecunias in imperialibus transmissas sibi vendicâsse fertur, Semenis autem viliore monetâ, quam emptis per Valachiam solidis sivè obolis cum Regis CASIMIRI imagine & Litvani Equitis ad aliquot milliones præsente anno signatam cuderat, solvisse & contentâsse. Septem Bassæ Tartaricis prorsùs insistunt vestigiis, Demetrius cum suis copiis comitatur, Valachi omnes etiam quos tutatus fuerat noster Petriczayko apertè in inimicos ob ingentes rapinas dicti Palatini degenerârunt. Primo illi impetu 15000 boum & arietum abegerunt, tum alia 20000 diversi armēti in cāpos Sniatinenses ejusdem expulsa, indices referunt. Severa emanârunt mandata à Turca, ut utcunq; refectis equis commeatum Cameneco inferant, eoq; proviso in viscera Regni cædibus & igne suas ulturi clades irrumpant. Unde universalia eduntur, ut ex consistentiis suis exercitus Sczyrzecum moveat, centurionesq; & alij Officiales ibidem circa 20 Maji sub honesti nominis amissione conveniant, gravior autem Equitatus sub pœna capitis. Fuit his diebus consilium bellicum Javoroviæ, ad quod meus Dominus non erat invitatus: certè nulla illius executio sequetur, siquidem authoritas Ducalis tam pensi habetur, ac si incapax esset. At perpensis rebus, si quem militem interrogemus, quis in priore expeditione, quis ad Viennam & deinde Sabbato vicerit? quis feriâ quintâ victoriam amiserit? respondebitur: omnis magna potestas impatiens consortis erit. Pecuniæ illæ supplendo exercitui destinatæ novellis publicatæ à Pontifice missæ pro Dragonibus & Peditatu in ruinam Reipubl: à thesauro detentæ sunt, sub prætextu compensationis datarum à Rege pecuniarum pro ejusmodi supplemento; quæ ex trimestribus exolvi debuerant stipendiis: verùm eas Rex exspectare noluit, quia desideratæ rei tædiosa exspectatio.

P. S. Jam obsignaturo defertur à subcenturione cataphracti vexilli Litvanici Trembowlo, Tartaros circa Jaslowcum & Kopyczyncum captivos abducere, milites sustulisse in fortalitiis illis, alios ultra Trembowlum diffugisse.

DESIDERIA EX CAPITULO GENERALI LANDEN. ORDINIS CISTERCIENSIS Javoroviæ 16 Maji

NOs infrascripti ad Sacram Regiam Mtem Dominum Nostrum Clementissimum, à provincia Regni Poloniæ Sacri Ordinis Cisterciensis Ablegati, inhærendo submissioni Nostræ, nuper in Capitulo por-

provinciali Landæ celebrato die 11 Februarij anno 1686 Sereniſſimo Regi JOANNI III Dno Nro Clementiſſimo per manus noſtras porrectæ, ad majus robur præſentem aſſecurationem (à qua nullo modo, & titulo Provinciæ licebit recedere) damus ex vi Plenipotentiæ Generalis nobis ab eadem Provincia datæ, prout in inſtructione ejuſdem Provinciæ continetur. Habita itaque ratione integræ pacificationis ſacri Ordinis noſtri, obviando ſimiliter plurimis incommodis, quæ inde in Comitijs toti Regno, Regniq; negotijs plerumque inferuntur, inferrique poſſunt, inſiſtendo ſimul ſolitæ noſtræ erga Regiam Mtem venerationi, ab eadẽ Mte humiliter petiimus, quatenus media juxta ſubmiſſionem noſtam infra poſitam benigniſſimè approbare dignaretur; prout quidem Regio ſuo diplomate clementiſſimè ſe approbaturam appromittit; nimirum ut Abbatiæ quinq; ſcilicet Landa, Wągrowiec, Czyrzyc, Obra, Pelplin liberam in poſterum Electionem habeant perſonæ ex Provincia ſecundũ Statuta Regni & Ordinis eligendæ, actu profeſſæ, & Sacræ Regiæ Mti Dno Nro Clementiſſimo præſentandæ, quam Sereniſſimus Rex beneficentiſſimè approbabit, niſi perſona præſentetur Sacræ Regiæ Mti ſuæ inidonea, in quo caſu Provincia aliud ſubjectum per novam Electionem à Conventu illo ſubſtituet. Cujus tamen Electionis modus, & diſpoſitio ipſimet Provinciæ relinquitur. Hæ autem perſonæ eligendæ intelliguntur, debere eſſe non ſolùm moribus graves, ſed genere etiam Nobiles Poloni. Decem autem ad diſpoſitionem Sereniſſimi Regis pertinebunt hac partitione, ut quinq; Abbatiæ Epiſcopis tenuioris fortunæ, vel Officialibus Regni Spiritualibus, vel etiam alicui Prælato, de Eccleſia, Repub. & Sacra Mte bene merito, cui id præſtare placitum Sereniſſimo fuerit, cedant. Quinque aliæ profeſſandis à Sacra Regia Mte, itidem præſentandis perſonis ſpiritualibus in titulum conferantur, quæ aſſumptionem habitûs, & emiſſionem profeſſionis nullo prætextu ſubterfugere tenebuntur, ad quas etiam Abbatias, perſonæ tam profeſſæ, de Sacra Regia Mte, & de Republica bene meritæ, ſi Sacræ Mti placuerit, præſentari poterunt. In his autem decem ille ordo tenendus erit (ſalvis modernis Poſſeſſoribus, atque à ſua Mte præſentatis) ut alternæ abhinc vacantium Abbatiarum promotiones, nunc in Prælatorum nunc in profeſſandorum fiant favorem, ita, ut ſi ultima cujuſcunq; Abbatiæ promotio in perſonam cujuſpiam Prælatorum ceſſerit, noviſſimè ſubſequens, cuicunq; id obtigerit, Monaſterio, fiat in perſona hominis ſpiritualis profeſſandi, proviſos modernos ſcilicet Reverendiſſimum Joannem Koſtecki ad Andrejovienſem, Reverendiſſimum Krzeſymowski ad Copriunicenſem, Reverendiſſimum Caſimirum Białobłocki ad Bledzovienſem, Abbatias, non ſolùm ob filialem reverentiam Sedis Apoſtolicæ, ſed etiam extraordinarium obſequium erga feliciter. Regnantem Ss. Dnum Nrum INNOCENTIUM XI, qui tot modis paternam benevolentiam Mti ſuæ, Regnoque beneficentiam teſtatus eſt, ob merita Nobilium familiarum, è quibus prædicti proviſi ſunt oriundi; ob recom̃endationem demum Capituli Provincialis, Regio reſpectu recipit, & conſervat. Qui ita ſe gerere, tantâq; Abbatiarum portione contenti eſſe tenebuntur, de quanta inter Mtem ſuam, vel ejus Commiſſarios, atque inter nos conventum fuerit, pacificum in reliquo uſum, iiſdem, qui à ſua Mte præſentati ſunt, relinquendo, atque ſucceſſionem in integrum eorundem proviſorum in dictis Abbatiis clementiæ, & arbitrio Sacræ Regiæ Mtis, & ulterioribus eorum meritis committendo. Ita tamen, ut dictæ Abbatiæ ad præſens exdiviſæ, videlicet Andrejovienſis, Copriunicenſis, Bledzovi- A.C. 1684

 dzovi-

A.C. 1694 dzoviensis, & Suleoviensis, atque omnes aliæ nunquam inposterum in duas partes dividantur. Sed unius solùm Abbatis, vel Administratoris possessioni post ascensum, vel mortem utriusque cedant. Quia verò unus ex provisis videlicet Reverendissimus Białobłocki ad Bledzoviensē ob absentiam à Regno, huic præsens non adest concordiæ; nos plenipotentiarii Provinciæ Mti suæ sponsionem damus; dictum Reverendissimū ita se habiturum, ut eâ portione contentandum fore, quæ à nobis (ad instar concordiæ Suleoviensis) hic acceptabitur, & ad quam ab eo acceptandam seorsivo scripto nostro nos assecuramus. Cujus quidem portionis exdivisio à Reverendissimo Provinciæ Commissario, & Vicino Abbate proximè facienda est, illis bonis, quæ spectabunt ad modernum, ad eandem Abbatiam præsentatum, à sua Mte scilicet Illustrissimum Joannem Kurdwanowski supremum thesauri Regni Notarium, in manibus ejus Administratoris, qui hactenus bona dictæ Abbatiæ Bledzoviensis vacantis tenebat, eo usque securè manentibus, quousque dicto præsentato expeditio Romana advenerit. Tota itidem Provincia omnimodè impedituram se appromittit, ne quovis modo dictus Reverendissimus provisus hanc tam communem Ordinis, quàm particularem Abbatiæ, Bledzoviensis concordiam interturbare possit. Quandoquidem autem ex provisionibus, multa incommoda emerserunt, præcavemus in posterū, insistendo speciali in actis Capituli Provincialis decreto, ne quispiam ex Religiosis Ordinis procuret, aut procurari faciat directè vel indirectè provisiones, ipso facto secundùm definitiones Ordinis incapax Abbatiæ reddendus. Omnes verò hactenus causas, controversias, lites, in quocunque foro, & curia motas cassare, annihilare, & ab illis recedere Provincia promittit. Insuper eadem provincia omnino procurabit, ut quicunque Romæ ex sacro Ordine degentes negotium hoc interturbare vellent, inde revocentur, néve alij in locum eorum succedere possint. Quæ omnia puncta supradicta brevioribus terminis comprehensa beneplacito Sanctitatis suæ submittenda Romam mitti curavimus. In quorum fidē manu nostrâ subscripta sigillis firmavimus.

Chrysostomus Benedictus Gninski, Supremus Regni Referendarius Abbas Vangrocensis.
Fr Joannes Kostecki Abbas Andrejoviensis.
Fr Stanislaus Miaskowski Abbas Obrensis S.R. Mtis Secretarius.
Fr Antonius Krzesinowski Abbas Potriunicensis.

LEOPOLI 26 Maji.

ITeratò edita universalia sunt; ut Bu?scum ob proxima pericula exercitus conveniat, quibus altera successerunt magno rigore stimulantia; ut quantociùs accelerent copiæ, quòd hostis jam præ foribus sit. Certum est Zbarazum & Wisniowcum excisum, circa Jampolum & Zachorum homines abductos partim, partim neci datos, Krasilowum exustum, Przygrodkum vi captum, incolas peremptos, paucos nonnisi fugâ in arcem se salvâsse. Item Lesniowum non procul Brodis expilatum, in Pokucia Zaporozum similiter hominibus abactis direptum, & exustum; in bonis Dni mei Administratores, Notarios, & complures inquilinos incautos, uti & in circumferentia Nobiles plurimos in servitutem raptos. Uno verbo magna terræ hujus depopulatio dolorem & lachrymas ciet; præsertim quòd tanta soli Camenecenses & rustici Podo-

lienses juncti duobus millibus Tartarorum excurrendo faciant. Exercitus verò noster qui Principi Valachiæ concessus fuerat, nunc autem Thesaurario Curiæ Regni paret, quia exiguus valdè, etsi quadraginta quinque vexilla præter Cosacos & duas Legiones numerentur, retro in dies versus nostras partes regreditur, distatque nonnisi tribus milliaribus Tysmienicâ ob metum potentiæ Tartaricæ, quam auctiorem advenire fertur. Mohyla Dux Zaporoviensium Niemiroviâ egressus est, de cujus copijs nonnisi speciosa mendacia sparsa fuerunt: nam exiguæ sunt. Castellanus enim Lubaczowiēsis 50000 currentis monetæ in illas partitus est, in qua distributione tres imperiales solidæ monetæ simplici Cosaco, Officiali minori quatuor, Centurioni quinque & sic consequenter pro gradu majoris officij plures obtigerunt: ex quo inferre licet paucos nonnisi Cosacos esse. Nos feriâ tertiâ Buskum movebimus ibi moraturi, dum plura vexilla conveniant. Capitanei Leopoliensis ingressus in Capitaneatum feriâ 2dâ celebrabitur. Metuimus ne Mohyla in hostium inclinet partem. Dimitraszko enim à Turcis constitutus in Valachia Princeps ad illum pergit, cum aliquot millibus Tartarorum, pecunijs & vestibus vel vincire illum pretio vel vincere intendens. Veremur inde, ne præsertim Rustici, quorum multos sub signis habet, donis alliciantur & in Turcarum partes transeant. A.C. 1684

Leopoli 9. Junij.

SEptimâ Junij innotuit nobis, Trembowli Thesaurarium cum copiis suis jam constitisse; sed eas tam exhaustas esse; ut viribus illarū fidere nequeat, etiamsi aliquid attentare vellet. Significatum item tantum Commeatûs invectum Cameneco, quantùm biennio sufficere possit, & die abhinc quinto petras salis sexaginta per opportunitatem temporis & alia ad commoditatem illata fuisse. Thesaurarius habitâ de hoste notitiâ, quem comperit ab impetu suo & incursione Ceremoszæ fluminis, Tyræ instar & Pruti ultra ripas exundatione retardari Trembowlo movet, tentaturus fortunam, si se opportuna occasio obtulerit. Cosaci Gens perfida (quemadmodum gnari istorum hominum semper augurabantur) mutuis diffidiis in se versi, tam Equites quàm Pedites suorum aliquot occisis dissipati sunt, & promissis Carorum qui illis 30. florenos in equum, & pannum pro veste polliciti sunt Moslinum per Zaporoviam abiêrunt, similiter Pedites Ducem aliquoties occidere conati, quem graviter percussum tormento accatenârunt, in diversa castra & mellificiorum loca dispersi sunt; dubiumque est, an congregari volent, iteratò; ubi quispiam seriò se applicuerit ad eos congregandos. Ex Senatûs consilio præteritâ hebdomadâ finito, edita ad exercitum tertiò universalia sunt, ut conveniat Buscum. Propositum & de sigillo Litvaniæ, an illud in instanti reddendum sit? Sensus omnium fuit reddendū esse, & jam declaratum est Palatino Trocensi. Rex tamen ad aliquot dierum deliberationem illud suspendit decretum; ne ad Buscum moretur exercitus, sed promoveat gradum & ad Thesaurarium accedat ob instantia pericula & Tartaros, quorum pars jam Tyram trajecit altera ad Ceremoszam subsistit.

LITERÆ FIDI AMICI. Leopoli 23. Junij.

IN dies apud nos res in pejus & deterius vergunt. Turcæ Tartaris mixti Cameneco exploratum egressi ad Kolendziarios ex divisione Thesaurarij plures quingentis exploratum missos sustulerunt; ut

A.C.1684 vix cladis Nuntius remanserit. Facilè id negotium Turcis fuit; duo enim prope millia erant; nostri autem ne quidem numerum tertiæ partis illorum æquabant. Inter insequendum reliquos exusserunt Pulkopicyniec oppidum, & homines captivos duxerunt. Residens noster Proski Sakizo scribit Sulim Bassam triginta millibus Turcarum stipatũ ad nos pergere, requisiturum Hassi Agam, qui hîc Leopoli captivus detinetur. Tartarorum pars trajecit Tyram ad depopulandum terras nostras. Non est, quo obviàm eatur: paucos Thesaurarius milites habet, & ii diminuti sunt amissis tot exploratoriis cohortibus. In castris ad Buscum vix 15 vexilla sunt. Cæsaris Legatum graviter affligit adventus Marchionis de Bethun propeq; desperat aliquid in commodum Principalis sui obtinendum. Non mirandum in castris paucos milites esse, quia mandatis suis privatis Regia vexilla Succamerarius Regni ex ipsis castris à latere Ducis revocat, recténe id faciat? perpendat quisq;. Nos Sokalam discedimus pro consequenda indulgentia, illinc rectà ad castra ituri in quibus die Dominica nos constituros confidimus.

LITERÆ FIDI AMICI EX CASTRIS AD BUSCUM 30 Junij

UTI dixi prioribus exiguæ copiæ nostrorum sunt; Regia enim vexilla mandatis Succamerarij Regni avulsa, Sczercum ordinata sunt. Legionibus etiam ad Regis custodiam deputatis imperatum; ut aliquot milliaribus à castris subsistant, quo fine, quâ utilitate? divinare non possum. Apprehendo tamen denudari castra & parvum numerũ lubrico exponi. Divulgant ibi homines compositionem quandam & deprecationem factam, cujus tibi seriem describo. Venimus Javoroviam cõpulsi multâ requisitione pro valedictione ante discessum ad castra, & pro definitione; qualiter præsens expeditio absolvenda. Inter illa colloquia & hæc privatè sopita offensa est; veritatem Dux locutus, edixit causam offensæ suæ. Adjecit deinde, aliquot verba; quæ videbantur bonum sapere, sicq; ab invicem discessum est. Verùm ad complanationem non deventum; præsentiâ enim opus fuisset Vexilliferi Regni, illiq; satisfaciendum pro tantis sago & togâ in publicum studijs, damna infectæ complanationis agnoscimus in nostra ibidem præsentia, Commeatus magni Cameneco invecti sunt sine impedimento. Sequenti forsan hebdomadâ Cosaci omnes, qui adhuc in castris sunt, Thesaurario Regni adiungentur, *intuitu* Cameneci tentandi. Saracki & Calmuk præteritâ hebdomadâ deducti Constantinopolim: homines verò cum illis capti, uti etiam ex circumferentia Trembowlensi abducti jussu Baszæ omnes cæsi sunt, decem exceptis quos sibi elegit. Ungvarum mandatum missum per Dapiferum Sanocensem Vskrzycki, ut præsidium illinc cedat, Ablegatusq; ad Tekelium: quod Legatum Cæsareum gravius habet, id nunc sub adventum Marchionis factum esse, rebusq; suis diffidit, quod ipsum & nobis perniciem accersere potest, uti ipse nôsti.

INSTRUCTIO à REGE Ad COMITIOLA ANTE COMITIALIA TERRÆ WIELUNENSIS IN PALATINATU SIERADIENSI EX CANCELLARIA MISSA 30. Novembris.

DIvina omnium dominatrix Omnipotentia, quæ semper meliora protegit, an cui efficaciùs aliquando adstiterit ac S. R. Mti, facilè quisq; arbitrabitur; siquidem illa, quemadmodum à primis Regni sui auspiciis semper omnes actiones, studia, & conatus suos pro Repub.

pub. merè in providentia Divina fundavit: ita successivè inventis, in omnibus consiliis, difficultatibus, & operationibus, facilibus ad vota viis, compertoq; cunctas solicitudines suas fortunatis coronatas eventibus: unicè id dexteræ Domini adscribit. Agnovit sapientissima antiquitas cælo dignum spectaculum esse, ejusq; quodammodo ad intuendum illicium virum fortem cum adversa fortuna luctantem: in ejusmodi theatrum & spectaculum producta fuit Heroica Regiæ Mtis fortitudo & activitas præterito anno, conjuratá in exitium Christianitatis totius Orientis potentiâ non tantùm vicinum jam jam fatiscentem fatali ictu parietem premente, sed etiam Patriæ nostræ per contiguas vices certâ spe devorante possessionem. A.C. 1684

Alebat hanc præsumptionem ingens ex toto Oriente exercituum coactum robur, immensus belli apparatus, assuetusq; victorijs miles: ex altera parte autem noster præparamentorum defectus, exigua virium quantitas, nostræ item Patriæ longiori periculo & confictâ amicitiâ velut in somnum resolutæ imaginata securitas insolentes animos extollebat, barbarique arrogantiam exaggerabat: quin re ipsa partim per defectum thesauri, partim ex quadam assuetudine quo ad neglectas contributiones, domestica nostra calamitas cum factis videbatur conspirare: contribuebat etiam à partibus Ungariæ suspecta vicinia non contemnendam periculorum molem: cùm Rex concreditam sibi habens salutem publicam heroico animo, quo semper adversùs pondera surgit exemplo in ævum memorabili, consilio incomparabili, infractâ fortunâ & fortitudine suâ non tantùm potentissimi hostis armatam pertinaciam & odia feliciter repressit, à vicinis perniciem avertit, Christiani orbis integritatem asseruit, nomen suum & subjectarum sibi Gentium per famam latè divulgavit; sed etiam Patriam ab imminenti de prope salvavit ruina. Intendit oculum in hoc Jove dignum spectaculum, luctamq; Regis cum adversantibus fatis ipsum cœlum, & saluberrimos pro bono communi conatus benedictione suâ in felicem deduxit effectum. Vidit orbis Christianus & recognovit, gentilitium Scutum Regiæ Mtis certiùs, quàm olim Latium ancile non tantùm concreditis illi nationibus; sed toti etiam universo Christiano in dulce decus & præsidium cœlitùs submissum fuisse.

Manifestum hujus documentum quisq; ex præteriti anni expeditione desumere potest; in qua innumeram Tartarorum potentiam Turcicâ ampliatam assistentiâ suo labore & fortitudine sustinuit, impulsam in vastationem Patriæ avertit, impetum illius & obstinata odia fregit, & in pudendam còegit fugam; ut dilectæ Patriæ per dispendia sanitatis & fortunarum suarum optatam conciliaret securitatem: quã ut tanto stabiliore in omnes casus subsistere videat basi, siquidem illæsam ab omni parte reddidit, sistit eam iteratò publico populorum consilio, cuilibet ad oculum exhibens: quod quemadmodum Rex integrè, quia paternè, aureæ libertatis depositum inter tot periculorum syrtes conservavit; ita imposterùm inconstanti conservabit affectu; Regio interim confisus animo, Rempubl: solida assumpturam consilia salutis publicæ & securitatis suæ.

Et quia prospicit Rex, non nisi à consilijs benè fundatis & ordinatis pendere rerum momenta; dum in tempore & loco commodè quævis res prævidetur illiq; providetur; videt etiam ex Regiæ providentiæ specula violentas rationes, ob quas in dissitis longè Regionibus præsẽti rerum statu nullatenùs salvâ securitate publicâ comitia haberi possunt.

Im-

A. C. 1684 Imprimis, non est congruum sive Regi, sive Ducibus exercituum; ut in tanta distantia ad comitia ab exercitu proficiscantur; quia ita celeriter nec Rex consilijs, nec Duces operâ & personis suis laboranti parti succurrere possent: præsertim quò res sit cum præcipite & singulis circumstantijs invigilante hoste, qui ut è vicinia res nostras observet, cum tota sua potentia se se in Walachia locavit; nec ab illo procul cum exercitu Turcico Sieraskier sive Dux Turcarum hibernam stationem sortitus est.

Altera ratio: quòd ipse Imperator Turcarum appropinquet & Philippopoli hibernet, expedito ante se Vezyro Belgardum. Jam verò ob infelicitatem modernæ expeditionis, quòd Buda exercituum Cæsaris Christiani insultus sustinuerit. facilè quisq; divinabit; quantum hostis assumet superbiæ, & ùt quævis momenta nocendi observabit. Insuper quid colligati Principes, quid totus orbis dicet? si eo deveniatur; ut in alienam Provinciam secedendum: ibiq;, consultandum sit: unde nec consilium in tempore, nec communicatio cum Colligatis opportuna haberi possent. Ex his igitur & alijs compluribus rationibus admodùm videtur Regi necessarium; ut pro hac vice in loco consveto Varsaviæ comitia absolvantur, quò ex eo loco æqualiter propè ab omnibus finibus Regni distante, ubi sors & occasio tulerit, commodè ex usu rerum & occasionum consilia subministrentur & facilior cum Colligatis consiliorum communicatio reddatur. In quem finem Rex de consilio Senatorum utriusq; gentis ad suum latus existentium condescendendo, servatâ in suo vigore commodiori tempori lege, de comitijs Grodnensibus; ex sola necessitate publica Varsaviam comitia transferre dignatur, cui ne Palatinatus rerum & necessitatis salutisq; publicæ convenientiâ propositâ, quæ lex suprema esse debet, dissentiat, paternè desiderat. Ne verò magnus Ducatus Litvaniæ præjudicium aliquod prætendat, optat Sua Mtas: ut in futuris DEo dante Comitijs ante omnia vigor juris de Comitijs Grodnensibus reassumatur.

Jam autem, quia segnes medicos præsentia non requirunt tempora: nam sera consilia tristes plerumq; sequuntur eventus; commendat Rex & reflexioni committit: ut futura comitia communi totius Reipub. assensu ad quàm brevissimum tempus restringi possint; siquidem circumstantia protractæ expeditionis celeriorem eorum designationem distulit, & propinquitas interim vigilantis in nostra mala hostis temporis jacturam inhibet, cùm ex eo momenta omnia pendeant, quis quem præoccupabit? Spectat igitur ad vos, ut ordinatis tempestivè consilijs, sancita, DEo dante, comitialia in executionem maturè deduci possint, tempusq; liberum sit operationibus bellicis, conaminibus hostilibus præoccupandis; quòd Camenecum ultra octo milliaria, per circuitum quà divisionibus, quà ipsiusmet Regis infestatione desolatâ terrâ ad eam famem redactum sit; ut ipsa propemodum duntaxat mœnia in rupe remanserint: unde nihil certius, hoc propugnaculum in solitudine terrisque habitatore vacuis derelictum per gratiam DEi in manus nostras deventurum; si priores in campum processerimus, antequam succursum & commeatus barbari accelerent; quos nonnisi à Danubio habere possunt. Sicut ergò matura exercitûs expeditio in punctuali executione comitiorum, executio à celeri fine, finis ab abbreviatione temporis dependet comitiorum; ita quisque non tantùm ex amore in Patriam, sed etiam ex cõscientia obligatus est: ut se impendat & auxilietur, si modò DEO, Patriæ, Ecclesiæ, totiq; Christianitati bene velit.

Agnoscit

Agnoscit sua Mtas exercitum Reipub: heroo animo, sinceraque applicatione cuncta belli incomoda & pericula exantlâsse, indoletque ob negatas contributiones præteritis comitijs sancitas, illi in demeritis stipendijs nondum satisfactum esse. Unde pro principali comitiorum objecto vult haberi effectualem exolutionem exercitûs: quare per amorem Dei & communis Patriæ, conservationemque & salutem cujusque obtestatur; ut Respub. tam periculoso & arduo suscepto bello militi de punctuali, certo, & non dilato provideat salario, eoque arripiat contribuendi media; ut & retenta ex integro exolvi possint, & futura in tempore deinceps exolvantur stipendia: quatenùs emeritus miles ad subeunda pericula & avertenda, tantò promptior & aptior reddatur. Et quia competit in tantum hostem quàm numerosissimas esse copias; ad quas Ucraina, Zaporowienses, Tanaitæ, & Calmuci multum contribuere possunt: dummodo qualecunque à Repub: illorum promptitudo habeat nervum; ut in effectu patuit: quando ad solum nomen Regis & literariam per nuncium vocationem notabilis illorum pars, & si serò ad obsequia se obtulit Reipub: dignatur Rex intimiori trutinæ Ordinum commendare, opportunum dictorum hominum obsequium. Felix quondam agrarij peditatûs ordinaria, nunc planè annihilata, si quando tum modò exactiorem sui pro sacro bello exigit usum; unde ordinanda foret ea res; quatenùs in omni primitivæ Reip. voluntati satis fiat. Ad eundem ordinem pertinere Rex existimat; ut de modo extradendi justa ex bonis Regalibus hiberna cogitetur.

Quia in repartitione vexillorum in Palatinatus, forsan ex causa sancitorum per comitiola contrariorum declarationibus generalibus Comitiorum plurimi sese ostenderunt defectus; ob quos non pauca vexilla & Legiones suis sunt frustratæ per exclusionem à repartitione stipendijs; quæ nihilominùs etsi sine salario actualiter adhuc in obsequio Reipub. perseverant, sustinentque pondus diei & æstus: optat Rex, ut intuitu facilioris in futuris comitijs calculationis & pacificationis, Nuntij Palatinatuum & terrarum secum rationes & regestra exolutionum, quibus vexillis & Legionibus eas fecerint, ferant. Commendat præterea speciali Statuum Reipub. reflexioni diminutionem exercitûs, quam per biennium in castris, quà à cruda intemperie, quà ab incommodis belli passus est. Et cùm tam tenui seroque stipendio reparari nequeat, ut medium contentationis & gratitudinis illi debitæ Respub. adinvenire velit.

Revocat etiam in memoriam Rex revisionem thesauri Regni Ordinibus Reipub. ut ea, Deo dante, ex Comitijs designetur. Siquidem Thesaurarius Morsztyn in Gallias proficiscens cimelia Reipub. noscitur, in quo statu reliquit, & quia notabilis diminutio in proventibus teloniorum indies erumpit cum ingenti thesauri Regni damno, ex hac maximè ratione: quòd diversi appretiati variorum captando protectiones, & falsa juramenta deponendo, sub illis exolutionem teloniorum in cameris thesauri effugiunt: unde dignatur Rex commendare; ut Ordines Reipub. perpensis sedulè detrimentis provideant; qualiter huic inconvenienti efficaciter occurri possit. Eget etiam Artileria Regni notabilis & velocissimi supplementi, præsertim, quòd non tantùm campestribus, sed etiam obsidionalibus necessum sit agere præparamentis: cùm non tantum Reipub. munimentis & propugnaculis omni apparatu prospiciendum sit, sed etiam privatorum arcibus & oppidis: cùm illa non tantùm pedites & dragones in computo Reipub. existentes pulvere nitrato globis & fomite; sed etiam Electorales & Ducis Curlandiæ milites armare

debeat

A.C. 1684 debeat; insuper cùm exercitui Zaporoviensi non tantùm pro campo, sed etiam pro fortalitijs de ejusdem præparatorijs communicare necesse habeat, quibus omnibus præsentes sumptus nullatenùs sufficere possunt.

Pluribus & ulterioribus materijs non videntur Regi moderna obruenda Comitia; in quibus nonnisi unica meditatio promovendi & ducendi belli cum tam potente hoste esse debet pro objecto. Quamobrem Rex exoptat, ut id duntaxat; quod nos maximè premit, uti est exolutio infallibilis exercituum, & ulteriores pro bello sumptus agitentur, & per consilia ad id directa de illis provideatur. Fortunatum sub hæc consiliorum cursum Regia Mtas paternè precatur, gratiamq; suam Regalem in universum omnibus & in particulari singulis civium benevolè offert &c.

LITERÆ REGIS AD CARDINALEM ALTIERI.

INter bellicos armorum strepitus, & Regij capitis nostri, contra Christiani nominis hostes discrimina, non postremâ nos id curâ exercet, jura Patronatus nostri, in curia Romana, insolenti aliquot Monachorum, & indignissimo ausu accedente Dataria Apostolicæ, erga eosdem Monachos studio funditus convelli. Mirari profectò, & dolere satis non possumus, quod hactenus pacificum & nunquam in dubium vocatum jus Patronatus Regum Poloniæ, nunc primum moderno Pontificatu infringatur, Abbates titulati, sine nominatione & præsentatione nostra intrudantur, nostri pro more, & jure antiquissimo, ad Abbatias nominati, diversis modis, litigijs, sumptibus, cum summa indignitate & præjudicio nostro vexentur, & beneficijs à nobis collatis excludantur, nostraq; authoritas & commendationes Regiæ frustra habeantur. Declaramus itaq; firmam, & constantem mentem nostram, nos minime unquam passuros, jura patronatus nostri nobis de manibus extorqueri neq; permissuros, ut quisquam Abbatijs in Regno Poloniæ, sine nominatione nostra Regia præficiatur. Accepimus simul cum sceptro eam à DEo auctoritatem, ut exemplis Regum Poloniæ antecessorum nostrorum (accedente etiam capitulatione, cum Ordinibus Regni, post evectionem nostram ad thronum regium solenni juramento nostro firmata) ad manutenenda jura Patronatus nostri, contra quoscunq; convulsores obstringamur. Condignum profectò esset, Monachorum ambitum in urbe non foveri, sed potiùs reprimi, illisq; insana molientibus silentium imperari, minimè dubitamus Illustritatem Vestram sensus nostros Suæ Sanctitati repræsentaturam ac opportuno remedio consulturam, ut præjudiciis nostris, exindeq; secutis, & secuturis inconvenientijs obvietur. De reliquo Illustritatem bene valere cupimus.

EJUSDEM AD ABBATEM DöNHOFF.

VEnerabilis &c: ex literis Fidelitatis Tuæ Româ datis intelleximus, quòd tandem cum tædio expectatas nostras receperit, quas omni septimana exactè scribi curamus, ut sit plenè informa-

formareq; aulam, in qua nunc est sub incude de Abbatijs in Commendatorios, & Abbates dividendis nunquam acceptassemus, nisi à Fid: Tua, quòd aliter fieri nequeat, certiores redditi fuissemus. Per quotidianam non sine ingenti animi angore scimus experientiam, & ex antecedenti infallibilem formamus consequentiam, quòd major quotidie per ambitionem uti malum jam familiare, quòd nunc non modò non vitatur, sed etiam colitur in Religiosis crescendi cupiditas, minor verecundia esset, & decisio hæc, non ita nobis prodesset, ut non lædere possit. Struerent enim continuò veterum institutorum & pressioris disciplinæ totaliter obliti ex pravo jam usu quæsitis coloribus adumbratas prætensiones Monachi, quererentur ubi queri non esset necesse, ut læsi, ideo ut magis lædant, ac proinde dū studemus fugere fumum, incideremus in flammam. Plurimæ erant, suntq; rationes, quæ nos, Senatumq; nostrum movebant, ut projectum hoc totaliter mutandum peteremus supplicabundi Sanctitati Suæ, ut à conspectu tantæ ambitionis, quam nostra non sine scandalo videt ætas, Nos, nostrumq; Regnum, non tantùm curativâ, verùm etiam præservativâ liberet gratiâ; sed cùm ultimum hunc gradum, nec mutari valentem à Fid: Tua proponi nobis crederemus; ventum, quia rectus non erat, captandum obliquum, & in suppositione eadem admittenda quædam mala minora, ut propellantur majora, judicavimus. Cùm verò ex matura deliberatione perpensis omnibus quæ bono Ecclesiæ proficua reperiantur, alia media, quæ & conscientiæ judicij emolumento, & correctioni Religiosorum, honori nostro, utilitati Ecclesiæ, Regni decori magis consona sunt, proponenda ea per Fid: T. censemus, nihil tā necessariū quā cognoscere quid non necessarium. Abbates Claustrales nihil profuturos Ecclesiæ per constitutionē eorundē, ambitioni tantùm, quæ vetabitur semper, & semper retinebitur, locum luxui consueto, occasionem discordiarū notarū inter ambientes fomitem fore nullus dubitat. Cur ergo priores tantùm, qui regere melius sine sumptu nimio, sine luxu, scandalo poterunt, sub Commendatariis ad regimen non declarandi? Hoc tantum præcavendo, ut ijdem de triennio in triennium, in præsidentia Commendatarij, vel ejus Commissarij per libera Religiosorum vota, nec à Vicario generali Religionis coacta, pretioq; plerumq; conquisita, meliores, sanctiores & disciplinæ Religiosæ amantiores eligantur. Per quod revocaretur, qui nunc totaliter exulat, spiritus Ecclesiasticus, rediret fervor in colendo DEo ex integro dissipatus, cessaret irradicata planè animis Religiosorum ambitio. Scimus videmusq; Sanctitatem Suam nullam actionem incipere, & perficere, quæ non ad immortalem cedat gloriam, non minor aliis hæc, & certè æterna foret, si ea, quæ magis malo exemplo, quàm concesso jure memoria ipsius Sanctitatis Suæ quam reverenter compellamus, per ambitionem quorundam post votum paupertatis solenni juramento firmatū A.C.1684

A.C. 1684 matum incepta, & cum tanto jurium nostrorum, & Regni præjudicio pertinaciter disputata, in orbitam ad perpetuam erubescendæ rei oblivionem ex Paterno suo in Ecclesiam Polonam zelo reduxerit. Quod ut Fid. Tua ex innata sua, quam mirari satis laudareque non possumus, activitate velociori in fine motu diligentissimè fieri procuret, seriò requirimus. Declarantes omnino id nobis placere modo, placiturũq; semper, quod Fid: Tua optimum pro re nostra, Regniq; nostri judicaverit, id quippe nobis habere videtur rationem, quod habet justitiam. Dum miserabilem rerum nostrarum statum, in quo prævalent jam fata Consiliis, exarare, uti est Fid: Tuæ ad referendum volumus, prorumpunt lacrymæ antequam verba. Post rupta per summam malitiam (Judex sit DEus, & vindex) Comitia quanquam res adversæ consilium adimant, initis Grodnæ rationibus ne pereamus in finem, in itinere Varsaviam infausta accepimus nova, de summa post parvam tranquillitatem tempestate, hoc est de irruptione Tartarorum in optimam, quæ jam unica tantùm illis in partibus erat Russiæ Provinciæ Regionem, cujus infelicis excursionis genuinam Fidelitatis Tuæ in separato adjungi mandavimus relationem. Crebra hæc nec modica damna animum nostrum non perfunctoriè perstringunt. Dum alij quieti hyeme vacant, nos continuò sub papilionibus, sub frigido cœlo, sub coopertis nive terris excubare tenemur. Cùm enim quid pertransiverit, sciamus, quid futurum sit, prævidemus, facient quippe eadem sagittis suis velociores Tartari, dum se fecisse impunè videbunt. Nos quidem ex persona nostra profitemur esse, quod sumus, sed quamvis infractâ fortunâ integrum animum conservamus, justum tamen præsidium, adæquatam defensionem quærimus magis, quàm invenimns. Relictus à nobis in Brzezany pro defensione illarum Regionum Illustris Palatinus Cracoviensis Campiductor Generalis nomen magis exercitus, quàm robur secum esse scribit, cùm in desertis locis hyeme totâ constitutus miles, cui ferocior domi egestas, quàm alibi hostis, subsistere non potuisset, priùs enim commeatûs penuriã quàm inimicũ depellere necesse erat, nullo modo retineri potuit, sed multi ex defectu & necessitate signa relinquere, domosq; intra Poloniam redire coacti sunt. Hinc est, quod dicto Palatino facultatem aggrediendi hostem, non voluntatem deesse videmus. Quod tamen fieri potuit, velis utendum cùm deficit aura rati, expedivimus pro diversione facienda avidos famæ, & priscæ Polonæ gloriæ memores Capitaneum Casimiriensem Lubomirski, & Venatorem Regni Potocki, credimusq; usque in Budziak cum gratia DEi perventuros. Velle amplissimum nobis concessum, nisi posse limitibus arctis definiretur, sine pennis quippe volare difficile est. Quidquid opes gazaq; Regia potest, promptâ beneficentiâ impendimus obliti etiam antiqui moniti, da egenti, sed ut ipse non egeas, minus super privatas necessitudines minimè super

ſuper particulare Domus noſtræ Regiæ intenti ſumus patrimonium, *A.C.* 1684
ſed & his, quis ſufficere ampliùs poterit? Arma ſine ſtipendiis eſſe, ſtipendia ſine tributis ſolvi, tributa in tanta populorum nobis ſubjectorum egeſtate colligi vix, ac ne vix quidem poſſunt. Labentibus ergo unde quæremus ſubſidia rebus, niſi ad gratiam adjuvantem Sanctitatis Suæ confidenter, & neceſſariò recurſum faciamus. Optimè novit optimus Pater tempus, quo cuiq; debeat ſuccurrere.

Habuimus quoq; (undiq; mala, intus bella, foris terrores) ex Moſchovia à Reſidente noſtro plenam conferentiæ cum Miniſtris ejus Regni relationem, quam annectere Fidelitati Tuæ juſſimus, ex qua dolenda pro nobis, erubeſcenda pro Moſchis leget, & aperta hoſtilitatis indicia, quæſitos offenſionum prætextus, concluſam omninò ab ejus Secretario cum Tartaris pacem facilè intelliget, & quæ moliantur concludet.

MEMORIALE PATRIS KOSTECII DATUM ROMÆ IN CAUSA ABBATIARUM.

Licet Provinciæ Polonæ Monaſteria Ordinis Ciſtertienſium liberâ gaudeant Abbatum de Ordinis gremio electione, non minùs à prima ipſorum fundatione, quàm ex diſpoſitione ſacrorum Canonum ſacri Conc. Tridentini, particularium privilegiorum per ſummos Pontifices ijſdem conceſſorum, & à Sereniſſimis etiam Poloniarum Regibus pluries confirmatorum, exindeque non niſi qui eundem Ordinem profeſſi ſint, Abbatias eorundem jure valeant obtinere, nihilominùs quia aliquando vel temporum neceſſitate, vel etiam aliquâ aliâ causâ juſtâ, nonnulla ex ijſdem Monaſteriis ad tempus in commendas conceſſa fuerunt, invaluit tractu temporis, eaſdem, deſiderium nonnullorum Abbatias obtinendi, unde motus & turbationes in toto ordine exorti, Religioſa tranquillitas, & pax interturbata fuerunt, imò indies excreſcentibus motibus hujuſmodi, ex Abbatiarum vacantium occaſione perſonæ regulares pro ſuorum jurium defenſione diſtractæ: congruâ non valent uti quiete Religioſi, paſſimq; multa emergunt incommoda, ſumma cum ruina bonorum &c. Monaſteriorum; quibus ex ſuperiorum, & Monarchorum reclamantium notitia cognitis, per modernum Sereniſſimum Regem, cujus pietas, & ſingularis benevolentia Ordini benignè ſemper aſſiſtit, conſiderans proinde NN. Monaſteriorum miſerabilem ſtatum ſeſe promptum exhibuit, motibus, propoſitis mediis, ociùs remedium, & finem imponere, prout nuper eidem Religioni certa media propoſuerat ad obviandum ejus incommodis. Verùm quia Beatiſſime Pater in hoc rerum præcipiti ſtatu, niſi S. Sedis Apoſtolicæ authoritas, & Sanctitatis Vræ pietas ſingularis, ſummaq; prudentia interveniat, impoſſibile videtur congruum, & opportunum remedium reperire: ſupplicat proinde humiliter Sanctitati Vræ Provincia Polona Ordinis Ciſtertienſis mediantibus literis ſupplicibus, quæ originaliter dantur, quatenus Sanctitas Vra dignetur de aliquo opportuno remedio in tanta neceſſitate ejus providere, ut æquæ, & piæ intentioni Sereniſſimi Regis pro tollendis prænarratis incommodis ſatisfiat; libertaſq; Electionis, unde Religioſa obſervantia ſuum indies ſumat incrementum, reſtituatur, in quo

A.C.1684 ejuſdem Provinciæ Monachi ſeſe in omnibus Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, & Sanctitatis Vræ beneplacito ſubmittentes, deſideratâ pace, & Religiosâ tranquillitate, pro ferventiori Divino cultu beari queant.

SUBMISSIO RELIGIOSORUM ORDINIS CISTERCIEN.

NOS infra ſcripti Abbates, Priores Conventuum, Vocales definitores S. Ordinis Ciſtercien. legitimè à Reverendiſſimo Cōmiſſario noſtro Generali Provinciæ Polonæ præmiſſis ex more & uſu in talibus præmittendis ad locū conventus Andreovienſis Diœceſis Cracovienſis, capitulariter, ac legitimè congregati Chriſti nomine invocato, Regimini & bono Scri Ordinis Noſtri tam interno, quàm externo undiq; proſpicere volentes ad id vel maximè unanimi votorum aſſenſu mentem & oculos injicimus. Quatenus S. Religionem noſtram ab antiquis ſæculis in hoc inclyto Regno ſemper floreſcentem in eo ſtatu, & termino ſtabiliamus, quo & DEI major cultus, & S. Ordinis noſtri multiplicis decoris augmentum poſſit ampliari. Obviando itaq; ingruenti periculo, ne per continuos fluctus, & procellas, quibus hoc inclytum Regnum extremè jam exagitatur, minimæ Religionis noſtræ (quæ ſemper intra cancellos debitæ modeſtiæ continetur) exigua puppis aliquales motus in futurum excitare, conſiliaque publica ad conſervandam Rempub. periclitantem impedire, aut inquietare præſumatur, ad ſopiendas, & componendas inter S. Mtis Polonæ, & totius Reipub. minimumque Ordinem noſtrum intervenientes differentias hoc unicum ſalubre remedium pro ornamento, bonoque pacis in Religione noſtra augendo Sereniſſimus nunc feliciter Regnans proponendum cenſuit ex ſuo ſpeciali in Ordinem noſtrum favore; nimirum, ut pro utroque jure moderando, firmando, retinendo, talis Abbatiarum ſit diſpoſitio, per quam & jura Mtis illæſa maneant, & ſacer Ordo noſter ſalubriori interno Regimine conſervetur. Succurrere igitur Epiſcopatibus tenuioribus, & in hoſtico exiſtentibus volens S. Rex, tum etiam aliis Prælatis Sæcularib9 quacunque dignitate inſignitis, ad condignam ſtatus ſui ſuſtentationem intendit, ut nonnullæ Abbatiæ Ordinis noſtri in Provincia noſtra exiſtentes in Cōmendam ſeu titulum adminiſtrationis perpetuæ, ſalvis certis oneribus Abbatiarum, ex antiquo jure ſupportandis conferantur, Abbas verò Abbatiæ ejuſdem Ordinis Perſonis ſpiritualibus, & idoneis, ac de regula benè meritis in titulum conferantur. Quæ perſonæ *religioſū* habitum omnino, & tunc aſſumere, & profeſſionem votorum juxta ſtatuta Ordinis noſtri tenebuntur, nullis ſe prærogativis, ſeu exemptionib9 ad id exequendum tuendo, vel etiam conferentur perſonis idoneis ad Religionem ante profeſſionem, aliàs Abbatiæ illæ ob ejuſmodi tergiverſationes emittendæ Profeſſionis pro vacantibus declari debebunt. In reliquis verò Abbatiis de medio ſeu gremio congregationis ſuæ, Religioſas perſonas, genere, & virtute nobiles, liberè & canonicè in Abbates S. Regi præſentandos eligent, ad normam juris per Vicarium Generalem, ſicut & alios quoſcunque inſtituendos, & inſtallandos. Nos maturâ ſupra hæc deliberatione facta ſummam Sereniſſimæ Majeſtatis erga Ordinem noſtrum ſubmiſſè venerando clementiam cum de rebus Eccleſiæ, tum Ordinis ſine aſſenſu Sedis Apoſtolicæ quidquam decernere non valeamus; Omnia hæc ſupra ſpecificata in bonum Provinciæ noſtræ cernentes, quæ optatam nobis adferre videntur tranquillitatem, ſupremæ authoritati ſubmittimus, ea omnia ſupra contenta nos velle exequi

qui declaramus, obligamus, ſtante ſupra hæc beneplacito Sedis Apoſtolicæ, nullum unquam Juribus Majeſtatis per nos, aliosq; inferre aut ſubordinare volentes impedimentum, ſed eâ, quâ devincti ſumus humili ſubmiſſione parere prompti. Supplicamus inſuper Sereniſſimæ Majeſtati, quatenus cum illa Jurium noſtrorum integritate, cum qua in hoc Regnum adoptati, & ſuſcepti ſumus, alijsque Seren: Anteceſſorum ſuorum gratiis, & Privilegiis ſub tutiſſimo Majeſtatis Suæ ſcuto conſervari, atq; amplioribus favoribus condecorari valeamus. A.C.1684

Fr Joannes Zapolski Abbas Landenſis, Commiſſarius & Vicarius Generalis.
Fr Bernardus Zaruski Abbas Suleiovienſis.
Fr Georgius Naromowski Abbas Coronovienſis.
Fr Joannes Koſtecki Secretarius Provinciæ.
Fr Hyacinthus Garwowski Prior Andrejovienſis.
Fr Albericus Liſiecki Prior Wagrovecenſis.
Fr Gregorius Gaudzinski Prior Wąchocenſis.
Fr Sebaſtianus Gielczewski Prior Mogilenſis.
Fr Albericus Sokoł Prior Paradiſienſis.
Fr Laurentius Wąſzkowski Prior Bledzovienſis.
Fr Joannes Pawlowski Præmetenſis.
Fr Nicolaus Remiſzowski Profeſſus Ciricenſis.
Fr Stephanus Gabryelowicz Confeſſarius Ołobacenſis.
Fr Sebaſtianus Dachowski Confeſſarius Laiſcenſis.

SUBMISSIO 2da ORDINIS CISTERCIENSIS.

NOS infra ſcripti Ablegati inhærendo ſubmiſſioni noſtræ nuper in Capitulo Provinciali Landæ celebrato die 11mâ Februarij anno Dni 1686 S. R. Mti JOANNI III Dno Nro Clementiſſimo porrectæ, nec non inſtructioni & plenipotentiæ Generali nobis ab eadem Provincia datæ puncta infra-ſcripta beneplacito Sanctæ Sedis Apoſtolicæ ſubmittenda, quæ perpetuò Mtis ſuæ erga nos beneficentiam contentare, noſtramq; ſimul Provinciam pacatam reddere poſſint; ſtabilivimus Sacrâ Mte eadem puncta benigniſſimè confirmante; nimirum, ut Abbatiæ quinq;, ſcilicet Landa, Pelplin, Czyrzyc, Obra, Wagroviec, liberam in poſterum, & Canonicam Electionem ſecundùm ſtatuta Ordinis habeant, profeſſæ perſonæ idoneæ, Nobili Polono genere natæ. Decem autem reliquæ Abbatiæ diſpoſitioni Sereniſſimi Regis ſubjacebunt, hac partitione, ut ad quinq; Abbatias, ſi Mtas ſua aliquem ex Epiſcopis tenuioris fortunæ, vel Officialibus Regni ſpiritualibus, vel etiam cui Prælato, de Eccleſia, Republica, & Mte ſua benè merito præſtare id placitum fuerit, ſuæ Sanctitati præſentaverit; Provincia non ſolùm nullum obicem poſitura, ſed etiam poſt expeditionem Romanam Adminiſtratori datam, eundem libenter receptura eſt. Quinq; aliæ profeſſandis à Sacra Regia Mte itidem præſentandis perſonis ſpiritualibus in titulum conferantur, quæ aſſumptionem habitûs, & emiſſionem profeſſionis nullo prætextu ſubterfugere tenebuntur. Ad quas etiam Abbatias perſonæ profeſſæ, idoneæ, de S. R. Mte, & Republica bene meritæ, ſi ſuæ Mti placuerit, præſentari poterunt. Hac decem Abbatiarum diſpoſitione in po-

A. C. 1684 sterum intellectâ, salvis nunc modernis Possessoribus, atque à Mte sua jam præsentatis. Ordo autem harum 10 Abbatiarnm ille tenendus erit, ut alternæ abhinc vacantium Abbatiarum promotiones, nunc in Prælatorum, nunc in Professandorum fiant favorem, cuicunque id Monasterio alternâ sorte obtigerit. Provisos verò modernos à Sede Apostolica, scilicet Reverendissimum Joannem Kostecki ad Andrejoviensem, Reveren. Antonium Krzesymowski, ad Copriunicensem, Reveren. Casimirum Białobłocki ad Bledzoviensem, Abbatias, non solùm ob filialem reverentiam Sacræ Apostolicæ Sedis, sed etiam extraordinarium obsequium, erga feliciter Regnantem Ss. Dnum Nrum INNOCENTIUM XI, qui tot modis Paternam benevolentiam Mti suæ, Regnoque beneficentiam testatus est, atque ob recommendationem Capituli Provincialis Regio respectu Mtas sua recipit, & conservat. Quos Abbatijs Claustralibus, atque eâ bonorum portione contentandos fore, quæ ad normam concordiæ Suleoviensis, annis proximè elapsis, Romanâ authoritate stabilita est, proportionem habeat, nomine Provinciæ appromittimus. Bonis (exdivisâ parte, quæ claustralem Abbatem concernit) in manibus eorum Administratorum, qui proximè vacantium earundem Abbatiarum reditus tenuerunt, eousqne manentibus, quousque ex beneplacito Sanctæ Sedis expeditiones Romanæ ad easdem Abbatias à sua Mte præsentatis Illustrissimo & Excellentissimo Dno Georgio Dönhoff Episcopo Camenecensi, & Illustrissimo Joanni Kurdwanowski supremo thesauri Regni Notario Româ advenerint. Quæ tamen nunc exdivisæ Abbatiæ, quàm primùm in unum corpus coalescere, neque tam hæ, quàm aliæ omnes exdividi in posterum debebunt. Quæ omnia, & singula puncta Sanctæ Sedis Apostolicæ beneplacito submittimus, ad quod obtinendum Provincia omni conatu procurabit, quo posito à dicta Provincia ea omnia ex integro conservanda fore promittimus. In quorum fidem præsentes manibus nostris subscriptas, sigillo munitas damus. Javoroviæ 16 Maji anno ut supra.

Chrysostomus Benedictus Gninski supremus Regni Referendarius Abbas Vagrovecensis.
Fr. Joannes Kostecki Abbas Andrejoviensis.
Fr. Stanislaus Miaskowski Abbas Obrensis S. R. Mtis Secretarius.
Fr. Andreas Krzesimowski Abbas Copriunicensis.

XLIII.

ANDREAS C. ZAŁUSKI EPISC: KIJOVIENSIS & CZERN: AD DEPUTATOS SÆCULARES TRIBUNALIS REGNI.

NUnquam timere poteram; ut in hoc Justitiæ Sacrario, in quo toties meum probavi obsequium, ea mihi impingeretur calumnia; ac si contra legem quidpiam agerem & inducerem. Ivi ad leges per defensionem legum; quia me DEus jam in ea statione collocavit, in qua scire & interpretari solent leges. Appello ad Judices, ut ferant sententiam: obtrudendáne fuerit mihi à Mareschalco vestro aliqua objectio? potissimumque scire vellem, an in ejusmodi literas quales ad me scripsit, universalis fuerit omnium vestrûm consensus? à quibus gratiùs mihi fuisset eas suscipere, quàm à proprio motu an commotione Mareschalci, cùm nunquam tales meruerim. Ritè & secundùm leges electum Reverendissimum Cantorem meum expedivi ad Tribunal, instrumentum Electionis reliqui in manibus Decani tanquam primi Prælati: non enim existimavi necessarium esse, ut illud secum Deputatus deferret, de me sumpto argumento: quia nec ego, nec ullus Collegarum meorum

orum, dum in illo subsellio haberem activitatem, secum ferebat ejusmodi instrumentum. Insuper Deputati Camenecenses, quos honoris causa nomino, quamvis plus illorum terræ ab hoste sit occupatum: nam ego per Woliniam & Polesiam quadraginta Parochias sub mea jurisdictione habeo, non onerantur unquam ad exhibendum instrumentum. Ut verò realitatem meam ostendam & claudam ora aliter interpretantium: defert secum Cantor meus suam Electionem. Unde nescio quid amplius impedire possit ei locum standi. Confido, quòd altissimis judicijs vestris re trutinatâ & compertâ planâ, ut est, ac usitatâ, pro me decidere voletis, qui ut universim, ita in particulari cujusq; honori & nomini me impensurum declaro &c. *A.C.* 1684

XLIV.

COPIA LITERARUM EJUSDEM AD SPIRITUALES DEPUTATOS TRIBUNALIS.

NEC ego, nec alij perpensâ infelicitate statûs nostri Spiritualis satis mirari possumus; scissuras esse in nobis: qui unum velle, unumq; sentire deberemus, contra nos mutuò insurgendo & jura nostra, campum hominibus damus; ut habeant quod mirentur in nobis. Non doctas fabulas (cum Capite Ecclesiæ Petro dicam) secutus, sed probè examinatis Juribus & consuetudinibus Capituli Kijoviensis, quibus oblivio Antecessorum meorum præjudicare non potuit, (quia Christus & Fiscus nunquam præscribit) Electum capitulariter Cantorem meum expedivi ad Tribunal; cùm, qui fraternè à Confratribus excipi debuerat, incidit in dubia, quæ movistis dedistisq; occasionem; ut contrarij Ecclesiæ illud usurpare possint: in se ipsam divisa est, quomodo stabit? & tamen satis de hac re cum aliis Episcopis Confratribus meis contuli in antecessum, & non tantùm universalem recepi consensum, sed plures etiam id expetiêrunt. Dolendum! à Domo DEi hanc cœpisse confusionem. Rogo vos non tam in mei gratiam (nullum enim mihi indè lucrum est, nec ullam sive meam, sive Amici mei causam habeo, aut habiturus sum) sed merè intuitu Ecclesiæ & statûs nostri; simus unum, sicut unus Pater noster est. Rem gloriosam nomini vestro feceritis; si qui defendere debetis, non oppugnabitis bonum Ecclesiæ. Hoc spero & supplico &c.

XLV

ANDREAS C. ZALUSKI EPISCOPUS KIJOVIENSIS ET CZERNIECHOVIENSIS AD MARESCHALCUM TRIBUNALIS REGNI

EUntem pro funere Palatini Wolhiniæ hic adhuc Leopoli Regia occupavit quæstio de eo negotio; ratione cujus tantò iniquiùs me coram Principe incusâsti; quantò ampliores affectûs contestationes ore duntaxat forsan, non corde Cracoviæ mihi exhibuisti. Detulisti Mti controversiam, quæ intervenit sub tempus absentiæ tuæ Reverendissimo Præsidente Deputatum Kijoviensis Ecclesiæ summo manè in Collegium Tribunalitium introducente. Existimo diffidentiam aliquã te inter & Præsidentem mediam esse: at num tibi aliud accusationis genus deesse poterat? adinvenire utiq; alterum ab hoc modum licebat, quo culpam, si quæ illa est, vindicares: certum nonne est, me tecum de eâ materia contulisse, meq; habuisse à te spem & promissum tantò facilioris admissionis Prælati mei, quantò ille vicinior tibi sangvine, quem ad id officii destinabam. Sunt mihi præ manibus literæ Subjudicis, quæ tui

A. C. 1684 tui consensûs mentionem faciunt. Non potes igitur allegare ignorantiam: quoad tempus verò, quòd ais, summo manè introductum: nescio, cur id factum fuerit? ex certa enim mihi notitia constat, te etiam in illo loco in tantum tuam authoritatem non ampliare; ut contra generalem consensum & collegarum tuorum favorem mihi in fundamento æquitatis contestatum quidpiam attentare velis. Si verò aliquis tibi scrupulus injectus est ratione Electionis Capitularis; habet Prælatus meus sua argumenta, quibus probet se ritè electum esse, quantum interest. Dices te, motum inde in Repub. aliquem exsurrecturum augurari; utique & ego in illa sum, & quidem per gratiam Mtis in eo gradu constitutus, in quo par sim tibi respondendo. Ejus opinionis sum: arbitrabitur Respub. saniore oculo, decernetq; à me nihil novi attentari; verùm ego tecum certamen rationum inire nolo: non enim ista sunt hujus tẽporis. Si forsan indè offensus mihi es, pro ut te ipsum prodidisti corã diversis; quòd tibi impedimento fuerim ad munus Mareschalci: non erat unde offendereris, dixi tibi ipsi, liberum esse, cuiq; promovere pro libitu suo eum, quem aut ipse optat, aut digniorem censet. Non Magistratus virum, sed vir Magistratum ornat. Libens videbo, experiarque quantum authoritatis in Patria hoc inpræsentiarum officium tibi causaturum sit, cui te casus, sive potiùs defectus aliorum subjectorum ob rupta comitiola, tum etiam reliquorum modestia & spontanea cessio inauguravit. Scribo ad totum Collegium Deputatorum expostulans, num ex consensu illorum hæ literæ scriptæ sint, nam videtur mihi in tantum Mareschalcali in literis publico nomine subscriptioni fidem dandam, tantiq; eas valere, quanti universorum concordiam æstimamus. Exspecto responsum à Deputatis, quo habito conferam cum sapientioribus, quàm tu es, quorum conceptus hæ literæ sunt, quid facto opus sit? ut & honorem meum vindicare, & accusationi tuæ pari respondere possim. Potuisti de facto alio prætextu tuam explicare mutationem, me in pace relicto; qui fui & sum tuus tamdiu, quamdiu volueris &c.

STANISLAI WITWICKI EPISCOPI LUCEORIENSIS AD D. KASZOWSKI DEPUTATUM LUCEORIENSEM, ratione Deputati ab Ecclesia Kijoviensi ad Tribunal admittendi.

QUOD nostram negligentiam Episcopi Kijoviensis compensaverit diligentia, introducendo in Collegium Vestrum Deputatum Ecclesiæ suæ; quod nec ego, nec Rndmus Ujeyski fecimus; res nova quibusdam videbitur, cùm nonnisi una illarum sit, de quibus dictum: antiqua sunt, sed recenter fiunt; aliam tibi resolutionem præter hanc dare nequeo: nimirùm, quòd non videam, cur Ecclesia Camenecensis, quamvis ab Ethnicis occupata sit, & ordine posterior, felicior esse Ecclesiâ Kijoviensi debeat; quæ defacto nondum ita Moschis reddita, ut Camenecum Turcis est, pluribusq; possessionibus Episcopus Kijoviensis realiter in Polonia gaudeat, quam Camenecensis. Insuper Palatinatus Kijoviensis habet sæcularem Deputatum, Episcopus in Senatu Camenecensem antecedit: cur non habeat etiam locum in Vestro Collegio Deputatus ejusdem Ecclesiæ. Libenter in contrarium edoceri vellem. Sunt præ manibus testimonia ab aliquot Rndmis Præsidentibus, quòd in prima Sessione mentio facta fuerit Deputati Kijoviensis. Probè Jura novi, Ecclesiam contra Ecclesiam intra quadraginta annos præscribere, contra sæculares verò intra centum.

centum. Ignoro igitur, cur hic novâ constitutione opus sit? nam neq; nobilitatio, neq; indigenatus expetitur ab Episcopatu Kijoviensi. Non obfuit sæcularibus, etiamsi uno & altero tertióve anno, sive Palatinatus, sive Terra Deputatis caruit: cur obsit Ecclesiasticis? Prorsùs non video, quid opponi possit, sive ex lege, sive ex ratione? video autē paritatem Episcopi Kijoviensis cum alijs, & quoad characterem, & quoad Senatorium ordinem. Video imparitatem conditionis respectivè in Cameneco ad Kijoviam: cur igitur non liceat alteri, quod licet uni? Soli DEo tanquam supremo Domino dicere competit: Jacob dilexi, Esau autem odio habuit. Illi grandiorem natu humiliare, minorem autem exaltare licet. Apud nos autem æqualitati studendum est: unde hæc ratio non subsistit; quod aliquot ultra decadem annis vel pluribus intermissum sit: perniciosa enim & præjudiciosa foret Palatinatibus sequela, si omissio privatione puniri deberet. Jam autem Privatio est pœna simillima degradationi, nec nisi criminalia insequitur. Affirmativa igitur mihi videtur tenenda. Habent altiora Capitula duos Deputatos sine invidia: hæc minora saltem unum habeant. Utique paupertas vitium non est. Satis dives est, qui proprijs contentus bonis sine subsidijs Abbatialibus & pensionibus inservit Ecclesiæ, præsertim cùm sciam, sæpenumerò conqueri concives de non pleno numero; quò fit, ut vacet justitia. Optarem igitur ut charitativè procedatur, nam pusillus grex sumus. Non patiamur ut Ecclesia ab Ecclesia vexetur; meminerimus dictorum Christi: Omne Regnum in se divisum desolabitur. Sub hæc fraternè peto; ne Domino Wierzba sortem bonorum Episcopatûs Luceoriensis concedas Dum in causa Reipub: abessem Cracoviæ, parendo Principi, obsequendo Patriæ, obtinuit ipse condemnationis decreta in tergum meum: de quibus ego (teste conscientiâ dico) non scivi. Referet fusiùs id ipsum D. Tenutarius bonorum prædictorum Frater meus: tu autem pro statione tua & bono Ecclesiæ, rogo, velis firmiter stare. A.C. 1684

XLVI.

ANDREÆ C. ZALUSKI EPISCOPI KIJOVIENSIS AD CASTELLANUM RADOMENSEM BOREK

IN MATERIA EPISCOPATUM KIIOUIENSEM CONCERNENTE.

SCio constare tibi, qualiter suscepto onere Episcopatûs Kijoviensis ad me spectaverit lapsum & bellis sepultum Ecclesiæ meæ honorē vindicare, & reassumere; qui per aliquot ultra decadem annos solo intuitu exiguæ sortis deciderat. Ritè & juxta leges juribus innixus, quæ in melius ire nunquam vetant, studui: ut Deputatum ex capitulo meo in gremium aliorum in Tribunali Regni inducerem, & commissa mox bona voluntate omissionem Prædecessorum meorum compensarē: nam quemadmodum his per proprium velle non fiebat injuria; ita beneplacito meo, quod ad propria venit, præjudicare non potest. Suffragabantur mihi ad id complures fundamentales rationes, & imprimis: si Patria Palatinatûs Kijoviensis honorem & prærogativas omnes possidet, & respectivè ad illum locum sæculares in Senatu patitur, in tantùm, ut tria subsellia retineat, nec animum ita despondet; ut in æternum ab eo se alienare velit: quomodò existimem eandem, quæ verè pro Ecclesia zelat, oblivione sepelire velle memoriam ejus? intendi etiam oculum in Camenecum, quod etsi dispari ratione, pari tamen sorte, quia bello occupatum & ad alienam jurisdictionem dislimitatum; & nihilomi-

A.C. 1684 minus non excluditur: foretque hoc dividere regnum in se divisum, nec minùs perniciosa in omnia alia Capitula Ecclesiastica imò & Palatinatus sequela & præjudicatum; si omissio deberet privatione puniri. Insuper remanserunt adhuc 40 Parochiæ liberæ à rapina hostium; quæ pertinent ad Episcopatum meum. Unde & jure possessionis gaudere possum. Utiq; paupertas vitium non est; præsertim in eo, qui ad obsequia Reipub. prono contendit animo. Prorsùs igitur antè rationes inij, & non comperi oppositionem ullam sive ex lege, sive ex ratione. Ad quæ accessit & illud non postremum; quòd ob absentiam Deputatorum Ecclesiasticorum (quod non infrequens est) sæpe numerò judicium compositum differri necessum sit. Deputatus autem Capituli mei semper præsens complet & adauget numerum. Existimo & te consummato judicio & perfectâ cognitione non tantùm in eam deventurum sententiam; sed etiam approbaturum. Et quamvis non timeam; ut cuipiam mea æquitas displiceat: quia nihilominùs propè novi multos affectu regi, & plerumq; apud quosdam rationem & justitiam pro voluntate esse: si quispiam inventus fuerit ex concivibus minùs mihi favens, qui in publico comitiolorum consilio hanc materiam exagitare & aliquem formare articulum vellet, contrarium Ecclesiæ meæ credenti resurrectionem aliquando Palatinatûs Kijoviensis futuram, qui novæ constitutionis de nobilitatione & indigenatu non indiget, meoq; honori atq; justitiæ adversum quid moliretur: te mihi eligo & assumo fraternisq; invoco precibus in vindicem & defensorem. Novi hactenùs & expertus sum te mihi faventem, nec imposterùm dubitare mihi licet de fraterna tua in me benevolentia; cujus tam multis documentis specimen recepi. Id tamen simul tibi intimandum duxi, quod etiam à te peto, ut si nulla hujus rei à quopiam mentio facta fuerit, tu etiam illius meminisse nolis: cur enim vocetur in dubium deturq; materia disquisitioni? tum nisi protege & comprime; ubi quispiam in campum processerit. Vicissim ad benè de te merendum multis nominibus me scribo paratum &c.

COPIA LITERARUM A SERENISSIMO POLONIÆ REGE AD SANCTISSIMUM.

POST oscula &c. Postquam Sanctitatem Vestram de initijs bellicarum mearum operationum, atque expugnato fortalitio Jazlovecensi certiorem reddidi, juvat eidem finem operis mei, quæq; gesta fuerint, filiali referre veneratione. Constare minimè dubito Sti V, quàm tardo gradu complures Legiones, & Cohortes exercitûs mei castra subintrâssent. Exemplo licet præsto adfui, Regiamq; Personam, ac primogenitum meum in castra, circa medios Augusti producens, unicè contenderam universum quantocius congregare militem, quoq; magis allicerem, belliq; tuba clariùs insonaret, velut primam offam victricium armorum, memoratum fortalitium Jazlovecense, limitibus meis, Othomanicâ ereptum possessione restitui. Mox ad Thyram usq; qua jacet Chocimensis & Zwanecensis arx, progressus, id unicum egi, quomodo collectis, necdum benè resumptis Regni, post Viennensem expeditionem viribus, fortia plus ultra contra hæreditarium S. Crucis hostem proferrent. Eam enim exercitibus & copiis meis præteritum in Germania & Hungaria bellum, per labo-

labores, morbos, adversiq; cœli injurias impresserat calamitatem, ut non modò in castris, sed ne dum in reditu meo certas legiones, & cohortes offendere valuerim, causavit non minùs eandem tarditatem Palatinatuum, & Districtuum in solvendis contributionibus sequior præteritorum Comitiorum interpretatio, quasi verò laudatæ essent, non pro duobus annis, sed duntaxat pro semi quatuor quartualibus; defectus tamen iste militiæ desideratæ, nequaquã mihi obstitit, quominus præmeditata ad suum reducere finẽ, & ultra diversis locis, distinctoq; tempore curâ, & solicitudine omni possibili pontem super Thyram tentarem, sed pluviæ, tempestatis, aquarumq; inde exuberantior vis, ac insueta inundatio posuêre obicem tamdiu, donec Hanus Crimensis cum universis Tartarorum copijs, & mox Suliman Bassa Sieraskierus vulgò Generalissimus cum octo alijs Bassis ex altera parte terræ prope Hotymum constitissent; igitur ubi acies solo divisæ flumine conspicerentur, hostemque satis per copias meas ex ea parte Thyræ ad Chocimum locatas lacessitũ, nequaquam in hanc ripam evocare, ipse verò præ aquarum inundatione, nullatenus ad illam transire potuerim, statueram arte aliquâ provocandum, noveram benè Tartaris tam facilem esse Thyram trajectui, quàm exercitui meo, vel levem rivulum, aut exiguam paludem, noveram id quoq;, quòd si cognoverint me Camenecum versus processurum, necessariò adstringendos fore, ad dandas suppetias, transeundumq; memoratum fluvium. Itaq; deserto ponte, necdum ob aquarnm inundationem perfecto, alio verò superiùs instruendo demandato, ad rupem usq; & muros Camenecenses, similis expugnaturo processi, quo viso Tartari soliti, ac sveti nandi, dum miles meus proxima quæq; Cameneco, pagos, fruges, imò prata ipsa calcat, & radicitus extirpat, superveniunt mox & memoratus Sieraskierus sese adjunxit, fultiq; Præsidiarijs Camenecensibꝰ ubi quatuor Bassæ, & 12000 militum feruntur fuisse, tormentisq; inde acceptis prodeunt in apricũ. Tũ demũ ego partim, quò magis adjacentẽ Regionẽ pessumdarem, partim quò in apertiores campos educerẽ hostem, aliò, quo venerã tractu, versus secundariò per institutũ super Thyrã pontem iter feci, & quidem videbatur instare hostis, ad quemvis fluvij, vel uliginis transitum per velitationes adoriebatur, semper tamen damno suo rejectus statariam nunquam dare pugnam, imò ne quidem ex memoratis tormentis, metu ne eadem amitteret, vel unicâ vice explodere ausus, id unicum moliebatur, quomodo naturali suo, & originali bellandi more, scilicet desultorijs prælijs, siue velitationibus, subitaneoq; impetu Exercitum meum, ad ultimum illud, semperq; infelicibus olim Reipub: uicibus contra similes impetus practicatum remedium, nempe sui circumuallationem necessitaret, quò faciliùs sic circumuentos, seclusoq; comeatu annonæ, prout id ex captiuis conjicere licuit, ad conditiones pacis, quæ liberalissimè propinata est, stringeret, seq; manu

missum

A.C. 1684 missum ad ferendum ociùs Budæ subsidium redderet, sed, postquam aperto Marte in liberrimos campos progrediendum cognoverit, non plus ultra 4. leucas à muris Camenecensibus excessit, mihiq; ad destinatam secundarij pontis locum inoffenso pertingere licuit pede, verùm postquam nec ibi, nec tertio loco structi, molitiq; successêre pontes, relictis omnibus impedimentis, curribus, ac fesso peditatu moveram rursus ultrò, quæsiturus, offensurusq; hostem, sed cum hic ad Nuntium motûs mei ad ipsas ferè rupes, & muros Camenecenses se se recepisset, per quinq; dies sine igne & fumo contiguos penetravi campos, levibusq; duntaxat Tartarorum copijs, quas in partem Volhyniæ excurrisse fama erat obvijs, dispersis, & profligatis, præcipuisq; eorum in captivitatem abductis ad castra redij. Interea Turcæ & Tartari priùs in Moldavia ad Lecoram constiterunt, antequam mihi fuisse eos compertum esset, utpote superato Thyrâ veloci cursu intra duos dies, & noctes memoratum attigerunt locum, quo ipsorum progressu Camenecenses Præsidiarij adeo conturbati sunt, ut supplicem libellum contra Sieraskierum, & Hanum per suos Legatos ad Portam expedire non dubitarent, querulabundi, quòd non solùm statariam pugnam mihi detrectâssent, verùm etiam mutatione castrorum suorum ad muros fortalitij, plurimam inediæ, & caristiæ attulissent causam, succedente tamen præmaturè autumno, rigidioriq; cœlo, & frigoribus insperatis, fataliq; quâdam morborum subintrante lue, ac deniq; solenni per legem Comitiorum supereminente termino subsistere viresq; resumere necessum fuit, neq; tamen dimisi, ut solitum erat, in viscera Regni pro hybernis militiam, sed hic in finibus in hostico, imò post Thyram in Moldavia, quantum per inexplicabilem illius terræ solitudinem licuit, per totum tractum, ac Districtum Czernielicensem disposui, quâ locatione militum fortalitia quoq; Barensia, Miedzybozensia adeo stringentur, ut facilè primo vere succubitura illa nemini sit dubium, ubi recentissimè versus Bar Calmucenses, & Cosacci Dunenses, quos magnâ solicitudine conduxeram tardius ad me uenientes, obvios sibi Tartaros habuerunt, atq; egregiâ fortitudine numerosiorem hostem fuderunt, ulteriusq; persecuti sunt. Quia uerò angustiæ locorum, ac ingens solitudo Exercitum capere non potuit, proprijs bonis meis hæreditariis ultra morem & consuetudinem Patriam, non peperci, quietem in ijs hybernandi militibus, indulgendo, atq; artileriam Regni, ac totam rem æneam cum omnibus impedimentis in arce mea hæreditaria Zlogouiensi collocando, quo exemplo Proceres etiam nonnullos, ad eundem charitatis erga Patriam morem traxi, ne pœniteret militi ad confinia excubanti in hæreditarijs bonis concedere focum, cùm aliàs non nisi ad Regalia onus hoc statiuorum pertineret. Eodem motiuo prospiciendorum, propulsandorumq; de propinquo periculorum, tum pro faciliùs continuanda cum Palatino Vallachiæ Cateculano mihi, ac rebus Christianis addictissimo correspondentia, qui DEI gratia hucusquè apud Barba-

Barbaras suspiciones dexterrimè effugit, in hisce Russiæ partibus non modo ipsemet subsistere, verùm etiam ventura Comitia quibus per legem Grodnæ in Litvania locus destinatus est, Leopoli incidere, studium, consilium, atq; operam, converteram, sed ubi Proceres M. D. Lit: legis pro sua Gente tenacissimi, nequaquam id sibi persuadere permittant, nescio, an præsentes rerum conjuncturæ medium saltem inter Leopolim, & Grodnam locum scilicet Varsauiæ impetraturæ sint. Pertinaciorem tamen sensum hunc M. Dtûs L. de celebrandis Grodnæ Comitijs elicit vel maximè recentissimum à Moschis periculum, qui notabilem tractum post fluvium Soz nuperrimè limitibus Lituaniæ vi ademerunt, contra pacta tot juramentis ab utrinq; firmata, licet ipsis nulla ex parte Reipub: data sit occasio, sed totum id DEo adjuvante, ac omni meliori modo abolendi, ac componendi, hocce tempore hyemali operam meam interponam, quò faciliùs progressibus sacri belli insistere valeam. De nouissimo quoq; acerbiori illorum facto Sanctitati V. communicandum. Hic proinde insperatus, quem Superi auertant, hostilitatis casus de confinio hocce consilium, ac Personam meam retrahendi, remouendi, imponere uidetur necessitatem. Cæterum ubiq; DEo auspice memorata Comitia incidere conclusum fuerit tempestiuè, paternis erga Regnum meum Stis V. gratijs, ac solicitudini, maturam futuri veris prouidentiam humillime commendo. Pericula nulli majora, quàm mihi, Regnoq; meo imminent; res enim mihi est, non cum solis Turcis, prout meis sacri belli consocijs, sed cum Tartaris etiam multitudine, & ferociâ grauibus, ad vincendum difficilibus, si enim fugiant, ventum per aëra sectari est, si insequantur, velut tempestatem, & grandinem de cœlis irruere. Et profectò Sacratissimus Imperator hæreditarijs totius Imperij, ac Electoralibus fulcitur viribus, Illma Respub: Veneta, conterminis maritimis insistit Provincijs, mihi duntaxat propriis exhausti Regni armis, tot, tantosq; exercitus sustinere, ac retundere, quomodo par erit? Quodque maximum non modò par erit gerendum bellum inter solitudines locaq; habitatore vacua, sed etiam ad bella per deserta eundum, Podoliæ integer tractus desertus, Moldavia potior solitudinum Patria, si uspiam aliquid Incolarum inveniatur, aut offensi, aut infidi in ipsa Podolia nobilissima parte Regni mei. Videre nuper fuit non sine horrore septuagenarios rusticos, Mahometanam ultro & benevolè amplexos sectam, circumcisos, majorisq; constantiæ fœminas repertas, quæ maritis suis contactum Mahometismi aut dissuasêre, aut rursus ab eo retraxêre. Quare omnem illam plebem, ne aut Mahometanâ sensim universi imbuerentur, inficerenturq; sectâ, aut magis Turcis, quàm nostratibus favendo, alimenta Cameneco subministrarent, proditionemq; aliquam molirentur in viscera Regni ex partibus illis secedere curavi. Illic itaq; gesturis bellum nisi præter solita militibus stipendia adsit annona, omnis- A.C. 1684

umq;

A.C. 1684 *umq; necessariornm provisio, tum curruum cum victualibus continua suppeditatio, impossibilis ferè subsistendi modus ob prætactam in ijs partibus vix credibilem, & imaginabilem solitudinem. His verò omnibus, an rationes Reipub: sufficiant, optimè Stas V. novit, ac facilè colligere potest. Quod nisi singularioribus suis gratijs, beneficentia, ac liberalitate erga Regnum hoc assistere contendat, plurima ac evidentissima pericula perhorrescenda sint. Quod, dum Sti V. filiali devotione, & sinceritate expono, atq; ex zelo felicis Christianarum rerum successus impensiùs promoveo, minimè dubito eandem rebus meis, imò potiùs universæ Christianitati tantùm affuturam, quantùm necessitas, pericula, commoda Christiana, gloria Crucis, S. Ecclesiæ, ac fidei poscunt incrementa. Cæterùm à Sanctiate V. paternas exoro benedictiones. Sti verò Vestræ à DEO T. O. M. longævam valetudinem, cum felici, ac diuturno regimine ex amore precor. Dabantur ex Arce nostra hæreditaria Zloczoviensi die 13. mensis Novembris. Anno Regni nostri XImo.*

UNGVARO.

DE Ungvaro Dominus Chlopiecki vice-Colonellus huc delatus hanc nobis fecit relationem, nostros assiduè inquietari & infestari à Siculis, & noctu diuq; infensum sentire hostem. Euntes Unguarum nostros adhuc ante Humiennum illi aggressi sunt, invaserunt que impedimenta & ex curribus in castrorum speciem dispositis munimentum; quibus etsi nostris se opponerent: prævalente nihilominus illorum multitudine saluti suæ consulere debuerunt locoq; cedere. At nec sic felices fuerunt; viæ enim ubique hostibus insessæ liberum negabant transitum; unde divertendum nostris & ultra aliquot milliaria securiora quærenda fuerunt itinera, quo Regiam viam evitarent. Nec tamen etiam sic evaserunt: nam in montes delatis adempta impedimenta & currus, quibus se propugnaverant, ipsi ægrè integrâ effugerunt vitâ. Jã etiam Collegium Soc: JESU Unguari, in quo se nostri clauserunt, hi Cruci sive Siculi oppugnare cœperunt, in qua aggressione aliquot decades nostrorum, hostium verò 418 periêrunt. Index captus retulit imperatum esse, ut peditatus Koszycis & Przeszoviâ huc adduceretur, quatenus nostri omninò expugnentur. Quare supplicant ut illos liberemus, quia ob ingentes copias insessasq; vias non datur exitus: & forsan jam his dieb9 interiêrunt, quia infirmi multi multiq; vulnerati.

In Hungaria quid non passus miles noster post abitum nostrum? quot periêrunt? quot jam hic existentes mortui sunt? & adhuc sub signis moriuntur? Exercitus diminutus, & ad incitas redactus, inops & exhaustus, equi amissi, captivati & cæsi famuli; reliqui fame periêrunt.

Kunicki qui se triginta millia exercitus habere asserebat, cùm nonnisi quinq; millia haberet, visâ exiguâ manu Tartarorum fugit & Brutum ad Tobacum in Valachia trajecit, quo adverso timens sibi exercit9 etiam diffugere cœpit. Impedimentis igitur relictis in tutiora se receperunt. Cum autem aliquot centeni Tartari pedites invasissent; illi se de sub curribus & impedimentis utcunque defenderunt, jamque salvi Kunicium qui Niemiroviam in Vcrainiam abiêrat, perosi alium Ducem sibi ele-

bi elegerunt. Timendum, ne Turcis adhæreant, trahunt enim illos in suas partes multaq; promittunt. *A.C.* 1684

Stephanus Petriczayko Princeps Valachiæ à nobis institutus Jassis residet, Dukas autem Princeps à Dno Dimidecki captus & in manus Dni Wilczynski centurionis Soczawiæ sub custodia est vir magnus & dives opum, pro quo huc deducendo expedita sunt aliquot vexilla Leopoli. Capti cum illo insperatè Minoroska, Costenus Mareschalcus & alij complures Dignitarij. In Valachiam pro subsidio Principi missi viginti septem vexilla & tormenta. Cosacorum reliquiæ Vnguaro reduces, quorum quingenti in Podoliam ordinati sunt, immixtiq; nostris, qui Camenecum cinxerunt. Karabczejowum Bogussius expeditus cum aliquot vexillis & centum Cosacis ad obsidendam viam versùs Camenecum. Hiberna admodum exigua sunt, longeque minora, quàm præterito anno: nam cataphracto nonnisi centum floreni in equum dantur; cùm tamen prorsus in nihilum redacti sint. Unde, ubi ver campũ aperuerit, timendum; ne obsequium detrectent per inopiam, nobisque ipsis arripienda arma sint; ut quisque Patriam defendat præsertim aucto hoste & huc ex Ungaria se conferente.

Antiquvs Vezyrus de quo spargebatur, jussum ab Imperatore Turcarum strangulari, vivit redijtque Belgradum sex millibus Tartarorum selectorum stipatûs. Jam autem Belgradum Unguaro triginta milliaribus distat; Unguarum verò à nostris finibus nonnisi octodecim dissitum est. Unde, si nostrum ibi præsidium periêrit, metuendum: ne brevi hos hospites circa Præmisliam habeamus. Hanus Tartarorum trajecto Danubio versus Bialogrodum intendit iter; unde iteratò metus: ne exiguâ manu nostrorum Jassis occupatâ Poloniæ immineat.

XLVII.

SERMO IN FUNERE NICOLAI SIENIAWSKI PALATINI WOŁHYNIÆ CAMPIDUCIS EXERCITUS AB ANDREA C. ZALUSKI EPISCOPO KIJOVIENSI ET CZERNIECHOVIENSI BRZEZANIIS DICTUS.

Et sepelierunt eum in sepulchro Patrum suorum, & fleverunt omnis populus planctu magno quasi unigenitum, & dixerunt: quomodo cecidit potens 1. Machab: c. 9.

ÆStimandam perseverantis fortunæ raritatem non venditate: satis volubilem felicitatis rotam amplius non jactate, etiam fortunatissimi. AUDITORES. Architecta cœlorum terrarumq; manus, negotioso illi unius septimanæ prodigio, vix sese ultimam imposuerat: mox in toto orbis simulacro, veluti in primo Appellis rudimento, lugubrib⁹ amœna; caliginosis illustria confudit coloribus: ut hac arte, velut in theatro exhiberet fati rerumq; vices: alternam cum serenitate tempestatem, cum felicitate calamitatem, umbram cum fulgore. Hinc terris avita metamorphosis: perennis liliorum cum lolijs, solatij cum mœrore, valetudinis cum ægritudine vicissitudo. In paradiso supremæ voluptatis patria, ante vestibulum, æstuant ignibus ad vigilias; ferro ad præcludendum exulibus reditum, armatæ excubiæ. Grati quondam obtutus altâ cæcutientis Tobiæ demersi caligine, non sine felle enatant. Suave dulcioris mannæ epulum, cum acerbiori virga, primævum apponit sacerdotium. Nec pretiosa aurei Gangis exundatio, nec odora Sabæi thuris ubertas, sine amarore myrrhæ Arabum, à Regali doctaque orientis munificentia

A. C.1684 dedicatur. Consentaneum demum est omnipotentis Providentiæ mun⁹: sub fatorum adversitate felicitatem, sub luctu solatia recondere: nec portenta sunt: acerbitas suavitate, venena nectare, reptilia floribus herbisq; occultata. Ubi quæso delibatum sine intimo fastidio nectar? dulcis tantùm gutta stillantis edulij: *Gustans gustavi* fami Jonatha propinata; plenis amarore terminatur bellarijs. *Morte morieris.* Thaumaturga, prodigioso fœtu, parens natura, Pæstanos rosarum flores millenis sepijt dumetis: Erythræos uniones, altis sepelivit gurgitibus: æmulas tandem astrorum gemmas, umbrosis montium extinxit fastigijs: ne in exitiales illecebras avaram orexim, & audacem in discrimina avaritiam, & irrevocabili damnaret fato, & clade æterna interimeret. Hæc ipsa extrema orbis casuri fulcra, tragico magis oraculo, & tristiori silentio, quàm Tullij facundiâ, communem nobis mortalibus necessitatem explicant. Quidquid terræ subjiciunt astris, huic legi sine discrimine subditum est ac tributarium. Reges in acie Codri, eodem plectuntur fato, quo pauperes Codri in tugurijs. *Æqua lege necessitas sortitur insignes & imos.* Gigantæa, Cræsi divitiarum, moles hic decrescit: mausolei saxis, velut Fortunatarum scopulis, naufraga alliditur felicitas: in his Floridis, ætas nostra marcescit: hæc arena, fluctuantis spei anchoram, perenni sistit obice. Unusquisq; hîc valetudinis, virium, ætatisq; miseram agnoscet sortem; dum superbas cedros, cum humilibus sylvarum truncis: recentes cum maturioribus spicis aristas, & cum surgentibus novellisq; floribus, decrepitas ruentesq; herbas, ferali messe, in acervum fatorum, advertet congregata. Æquent Gigantes corpore, stellata astrorum Pergama: corripiat avaro animo, premat victrici manu limites orbis Alexander: magno celebriq; nomine, terrarum admirationem superet: tales tamen ac tantos vulgari tumulo, communis non discernet Libitina. *Cui non sufficit orbis, sarcophago contentus erit* In exilibus funerum bustis, si quispiam Græcorum Romanorumq;, confusa vulgaribus favillis cadavera; inter calamitatum gemitus, ingeminaret illud. *Huc illi decrevêre Gigantes.* Ego quoq;, dum non marcescentibus oculis, luctuosum intueor spectaculum, recoloq;, quo animo, qua alacritate, sese expediêrit ad illud prælium, Divorum aris militaturum: cum admirabundis Machabæorum Heroibus exclamabo: *Quomodo cecidit potens?* Itane cecidisti magne castrorum Poloniæ Imperator! extorsisti lacrymas orthodoxi exercitus! animos Patriæ sauciasti. Arescentes forsan tenebo oculos, communium votorum spectantes cladem, advertentesq;, quòd primarum dignitatum manubias, magnorum Proavorum reliquias, insolens superbiensque triumphis inimica Mors, *agit præ se captiva mortu spolia.* Hæc felicitatis Olympia, hanc fortunæ vicissitudinem, interrumpit mortalium: eodem casu altissima Domûs decora, spesque omnium solo allidit coæquatque. Anhelantium, post abitum junioris Tobiæ, parentum suspirijs, nunquam coercendis luctibus; Præficarumque singultibus, te hodie compellabo, nunquam satis deplorande exercituum Imperator: *Omnia simul in te uno habentes, te non debuimus dimittere à nobis.* Abijsti cum ingenti ausu, cum magna gloriæ siti, cum majore Poloniæ orthodoxæque religionis propugnandæ zelo. *Et ecce ablatus es à nobis, & ultra te videre non possumus.* Pollicebamur vovebam⁹q; nobis, lunam tuam pleniorem ad nos redituram, stemmatisq; tui Hesperum modò in Oriente conspicuum, suam Patriæ redditurum Cynthiam: ecce proh dolor! confuso rerum ordine, perennaturo extinctum occasu, dimittimus. Audimus jam *non æra auxiliaria Deæ*, sed gemitus dolentis Patriæ, quæ funebri pullata caligine, avitam Illustrissimorum Sieniawskich

skich Cynthiã, optaret *ad pristinũ revocare decorẽ. Et fleverunt eum omnis populus planctu magno quasi unigenitum.* Vos intueor tristes, Illustrissimæ stirpis reliquiæ, Illustrissima Palatina Volhyniæ, Illustrissime Capitanee Leopoliensis, Illustrissimæ Palatinides teneriores Præficæ, infantum vagitibus, quàm maturiori luctui aptiores, quarum *nondum apta doloribus ætas.* Præluditis omnium dolori, planctui & animorum angustijs, & vix in luctuosum cum Niobe non torpetis marmor: Sed cohibet jam luctum vestrum, magni Herois Patrisq; vestri umbra. *Projice tela manu sangvis meus,* Comprimite (inquit ille) singultus & molles supra virum lacrymas cohibete. Reliquerunt vos fata cõmunis luctûs, nunquã im̃emores testes; ut exhaustis luctu palpebris, occasum hunc toleritis; cujus totum planè orbem sacer genius invitat spectatorem. Occidit quidem Illustrissima prosapiæ vestræ Cynthia, non tamen in humilibus est quærenda favillis. Ferali umbra extincti sideris, totos si fulgores vellem accendere, orbiq; exhibere, priùs certè ipse mihi evanescerem. Illis impar; tentabo ista. Deficientem solem, & in occasu quasi emorientem, irretortis patimur obtutibus. *Sol spectatorem nisi cum deficit, non habet, & lunam nemo observat, nisi laborantem.* Observabo lunam hanc; omnesq; simul advertemus; quòd dolorum Athleta Job adverterat: *Lunam incedentem clarè.* Quodsi rerum magnitudo, oratoris tenuitatem opprimet: minus expeditæ orationi favor ignoscet Auditorum. A.C. 1684

Prima supremaq; omnium sapientia, ab incunabulis statim nati orbis, humilem mortalium explicatura sortem: interrogat fratricidam Cain: *Ubi est frater tuus?* Bene noverat (cui & capilli nostri certo syllabo recensentur) ubi latebat reconditum perempti Abelis cadaver; sed ut nobis exilem conditionem nostram exprobaret, quasi admirandus quærit: *Ubi est? quasi non esset, de utero translatus ad tumulum* Ubi est Abel? quasi, cum esset ille; esse illum dubitaret. Uno licèt fato premamur; non eodem tamen perimimur. Vocalis celebrium nominum fama, quæ est genuina virtutis progenies, & decoræ matris elegantior filia: segregat nobiliores animas, à plebe mortalium, & majorem melioremq; illorum partem dum à fato vindicat, immortalitate consecrat. Homo præsentis ævi mancipium, posthumam contemnit gloriam, negligitq; *quid de illo loquentur olim literæ, si modò loquentur ullæ;* omnia termino vitæ concludit; exanime cadaver, & oblivione sepelienda facinora, sub eodem sepulchrali recondit saxo. Dives verò virtutibus probitas, cujus *memoria in benedictionibus*, cujus mors pretiosa & exoptata. *Moriatur anima mea morte justorum.* Molliori saxo tumulati Pharaonis inscribitur: *induratum est cor Pharaonis;* mortuo verò amato viro, sancto Regi David, Divino imprimitur stylo: *Vir secundum cor DEi.* Tolluntur aliquot decades annorum Saulis, criminibus dedicati; annum tantùm ante inaugurationem, duosque imperantis, probitati consecratos Divinior commemorat pagina: *Unius anni filius erat Saul, cum regnare cœpisset: duobus autem annis regnavit super Israel.* Augentur adolescentum probitatis tempora multa, licèt in brevi consummatæ. Moritur corporum infirmitas, vel virtutum egestas. *Perijt memoria ejus cum sonitu.* Sicut evanidi viventium halitus, *qui cum esse incipiunt, desinunt.* Sicut fumantia ardentis Vesuvij suspiria, volucri cum ventis, atomos sequuntur vestigio. Sicut æstu solis decoctæ liquescunt pruinæ; quorum mortalium, non citius apparet quàm disparet spuma; omnisque eorum recordatio, in tumulis velut in Mareoticis torpescit paludibus. Sed animæ heroum, quorum virtuti celebribusq; factis, cum terrarum ævo, fama est perenniter vectigalis, abs-

A.C. 1684 que insigni memoria ad immortalitatem non abscedunt. *Altè virtus animosa cadit.* nam præter animum, qui aquilarum passu ad immortalitatem contendit: effusa confœderati luctus tempestas, ex heroum erumpit mausoleis quæ non tantùm hominum præcordia suis obruit procellis, sed etiam, totum in planctus diffundit universum. Etsi verò copioso luctu, hæc dispendia velle compensare; & intra Oceani vortices heroum gemmas, in lacrymis velut in Erythræa concha scrutari; illusa vanaque communi mortalium genio, spes videatur; siquidem *lacryma vile damni pretium est*, maximè ubi supra extinctam communis animi pupillam, *Curæ ingentes non loquuntur, sed stupent.* attamen nec magnanimo Achilli; nec robustissimo Scipioni, nec terrarum domitori Alexandro quidquam contigit ab obitu illustrius augustiusq; quàm dum emergens ex luctuum Oceano dolor, maximum illorum pretium, examinavit tristiori orbis trutinâ. Occumbit ad mœnia Ilij Asiæ Princeps, Heroum caput Hector, sauciatur cor & pupilla, infelicium cum Priamo obsidum; immaniter volutantur magnæ, majoris animi exuviæ: attamen Heroicos illius Manes, juxta elusam antiquitatem in campis Elysijs occupatos, nihil magis solatur, quàm quòd supra illius cladem, plùs quàm supra fumantia urbis rudera, *publicus Trojæ ingemuit dolor.* Succũbit fato primus cum viveret; ultimus cum moreretur Thebanorum Epaminondas: urbs ergo 100 portis celeberrima, mille ostia, communis planctus aperit: ut quasi hiante vultu ingemisceret. *Thebanis Epaminondas in lacrymis.* Saxea Lacedæmonum pectora, fatales Leonidæ in lacrymas emolliunt Thermopylæ, emersitq; velut ex alto luctuum, dolentis Græciæ supremus in defunctum amor. Romæ inter triumphatorũ laureas, civicas, obsidionales, castrenses, navalesq;, inter victoriarum trophæa, dulces emanabant lacrymæ. Quid aliud denotabat illud *publicum justitium indicere*; nisi gratum illud multisq; negatum *Flebant Germanicum* testari. Hoc erat amoris supremi argumentum, hoc majoris æstimationis pretium: dum Roma exhausti littora Tyberis, cõmunibus exæquabat luctibus. Hic jam lugentis rostra Tullij, ad illustre Ducis nostri bustum, invitant funera; à quo lugubri prodigio, & Rhodope barbara, & saxa durioris Caucasi, in lacrymas coguntur emollescere; dum extra Patriam in affini limite, post orthodoxò orbi dicatos sudores, occubuit; nec vicino Calabris ponto, sed luctuoso doloris Oceano enavigans, *in magna urna cineris;* ad gratam reversus est Patriam: quæ certè *violenta luctu, & nescia tolerandi, sine remedio ingemiscit:* hoc sidus maximum, mœstis extinctum nubibus, hanc cedrum solo æquatam Libitinæ ferro, tam floribus quàm aristis, tam herbis (*quæ egrediuntur de pariete*) quàm cedris Libani metuendo. *Magnus & parvus ibi sunt.* Tuum primo vulnere sauciatur pectus Illma Palatina Volhyniæ: cum dimidium animæ tuæ amittis; imò non amittis, sed concessum hoc tibi mun⁹, divino restituis sinui. Vulnera tua, Divinæ manus saniore deleant cicatrice, erumpẽtes sistant lacrymas: oculos luctu exhaustos, apertum dolorepect⁹, impleant milleno nectare, mœrorẽ tuũ millenis temperent solatijs. Nõ potes inter singult⁹ tuos, sine doloris socio illud ingeminare, an ingemiscere. *Non est qui consoletur.* Ignoti etiam, magno conjugi, inter suprema officia planctum suum consecrabunt; singultiens Patria, nomen illius repetet: superabit posthumas ætates recordatio *lunæ incedentis clarè.* Effuso igitur tuo, tuæq; Illmæ propaginis, in vectigales luctus amori, & inter procellas doloris fluctuanti animo, amicorum Patriæq; confœderatus dolor, planctûs dimidium temperabit. Amariores Oceani flu-

ni fluctus in nectar degenerant; dũ ex altis ponti vorticibus, in flumina dispensantur: Tristiores nebulæ, mœstæq; nubes in roris guttas eliquatæ: dum svavẽ in terras exsudant tempestatẽ,(*redit agmine dulci*) serenũ dimittunt cælum: Non solus Tigris, Xerxis correptus industriâ: sed etiam maximi torrentes in plures derivati amnes, exhaustis hiant vorticibus. *Flumina in rivos divisa, siccavere alveum.* Hoc ipsum leniat calamitatẽ vestrã tempestuosam serenet frontem, naufragas luctu palpebras, ad lætius deducat littus; quod iste sævientis libitinæ furor, vestros totiusq; Patriæ animos, uno communiq; vulnere sauciaverit. *Multis ille bonis flebilis occidit. Communis tristitia ubi communis causa.* Mœrores ergo vestri, Divinis temperentur solatijs. *Fiat misericordia sua ut consoletur vos*, ut in hoc doloris profluvio, repetitam lunæ imaginem observemus; ut in hoc tempestatem parturiente cœlo, intueamur millenis coloribus depictam iridis effigiem. Fastuosa erat illa, Regiæ Alexandri epigraphe. *Ortus, & occasus, Boreas, mihi servit, & Auster.* Si ego diligentiùs vellem indagare hujus ortum Cynthiæ, avitorum stẽmatum dignitatem, *decora alta parentum*, quàm *multam gloriam fecit Dominus*, illustrissimæ huic propagini: *magnificentiâ suâ in seculum*; si antiquitatem sideris hujus, quòd posthumi veneramur Poloni; conarer venditare; non cum Arcadibus, cunabula sua ante lunam jactantibus: *Arcades ante lunam*: non cum Ægypti Flaminibus, (teste Herodoto) ab 11 millibus & trecentis annis, suorum Regum imperia repetentibus; non cum Chinensibus à 40 millibus annorum originem trahentibus: sed cum certioribus Polonorum fastis, assererem quod annos *sibi luna dedit*: quod cum primordijs Patriæ nostræ, exordia illustrissimæ hujus prosapiæ, merita & primi illius honores incœperint. Revocarem huc Spicimerum: qui à Rheno hospes, Vladislao I. imperante, oppidum sui nominis erectum Gneshensi dedicavit Ecclesiæ. Filius illius Castellanus erat Cracoviensis, nepos verò Comes in Tarnow, Melsztyn & Relsztyn Princeps Podoliæ, Silesiæque Gubernator, ab illo derivati Granowscij, à quibus postmodum propter heredum discrimina, oriundi Sieniawscij & Pileccij. Repetenda hic essent coæva huic Domui, nunquam obliteranda Granowskich nomina quorum alij Castellani Cracovienses, alij Duces Regni, alij Scipiones, illis omnes fere Senatus Poloni fasces, hereditarius præferebat honor. Illustrissima hæc propago, etiam *cognatos venit ad usq; Deos*: Sophia enim Pilecka, primo Hymenæo consecrata fuerat Granowski, 3tio Hymenæo Vladislao Jagellonidæ. Quoniam verò non tam proavorum, quàm Ducis nostri, sunt mihi recitandi fasti: facundiore tantùm silentio veneror Raphäelem: qui primus à Granowskich nomine, nomen derivavit Sieniawskich. Nicolaum filium Raphäelis, multoties Scytharum sub isto climate domitorẽ; Belzensem primo, deinde Russiæ Palatinum, ac tandem Ducem regni. Alexandrum Succamerarium Haliciensem, Heroem tantum, ut in fastis, murus & antemurale Russiæ nuncupari meruerit. Procopium Scipionem regni: Hieronymum Palatinum Russiæ, Stephano imperante: Nicolaum Castellanum Camenecensem, Ducem Exercituum regni: qui celebrem illum Valachorum Ducem, vulgò Podkowa dictum, hostem catenis domuerat. Joannem Castellanum Leopoliensem: Adamũ Subdapiferum regni; qui totus Patriæ, integer Regis fuerat; qui Catharinam Kostka Palatini Sandomiriensis filiam, conjugem duxerat; Nicolaum etiam Succamerarium regni, metuendum barbaris Heroem: Procopium Aquiliferum regni: qui Alexandri Chotkiewicz Palatini Trocensis filiam, nuptialibus sibi tædis devoverat: cujus filius A.C. 1684

 Nota-

A.C. 1684 Notarius Exercituum regni, seculis notissimæ Potocianæ propaginis Illustrissima progenies: hunc fato suo superstitem reliquerat filium: quem non tam tumulo, quàm lugentis Patriæ animo recondimus. *Fleverunt eum fletu magno quasi unigenitum.* Recolo hic in Illustrissima Sieniawsciorũ prosapia, seculis multo ordine istud arcanum observatum; quòd tam alti sangvinis celsitudo, etsi magnitudine nominis emineat: sæpe tamen in uno capite, quasi certans cum cœlo pyramis desinit in puncto. An hic, velut inter fragrantes arborum frutices, Arabica sibi & mater & filia phœnix, unicam se parturit? an hîc velut in gemmea Heroum concha, non latent nisi unici, ideoq; pretiosissimi Patriæ, prosapiæq; uniones? an juxta gentilitium Leliwa, unicus tantùm post Hesperum orbi allucere, & Serenissimæ Solis Majestati debet præire Phosphorus? an ad magnas cruenti Martis, & Reipub: curas, ita strenui ordinantur genij: ut ad cujuslibet sphæræ cœlestis regimen una tantum intelligentia sufficiat? posset hic Stoa transcendentiam altæ dignitatis trutinando, concludere: esse hîc bona communia: verum, bonum, quia unum. Sed ego arcanum hic Divinæ providentiæ munus suspicio; unicam illa eligit pupillam: ut in illa unitam virtutem accuratiùs, quasi oculi pupillam custodiat: nam & Sponsus cœlestis, occultâ quadam cicatrice, in uno oculorum à sponsa queritur se vulneratum. Reliquerat fato suo superstitem, Hieronym⁹ Notarius regni unicum hunc, quem diximus, magnæ spei filium Nicolaum. Quis non timeret à parentis obitu, adolescentis liberi, nullique disciplinæ subjecti, multorum more, pronam in dedecus ætatem, in crimina effrenandam, sed prodromam secutus ad patris matrisq; vota, gentilitiam stellam, huc appulit, quo magnæ spei onerariæ collimabant. Præduce matris imperio, orbem ingressus alienum; ibi probitatem à scelere edoctus est discernere; ut illam sequeretur; hoc fugeret. Redit inde, inciditq; in patriam civilibus odijs laborantem: statim proprij æris stipendio obligat, sacramentoq; militari consecrat obsequijs nutibusque Regis Casimiri cohortem loricatam, Valachicam, pedites Ungaricos, & gregarios. Ad præsidia suppetiasque bellorum, tota belli Moschovitici tempestate in Szkłow, Mysz & Miedzybosz alijsq; sui juris oppidis, cohortes suas aluerat, post compositum civile bellum, ipse duxerat cohortem suam, ad vicinam Głuchow aciem: Postmodum verò dum Casimirus Rex inde redierat; Marsq; Polonus impio fœdere sese in discrimen Patriæ collegerat: continuit suos milites, prohibuitq; ne illuc contenderent; unde pernicies fatumq; Patriæ ingruebat. Supremæ virtutis hoc est primum maximumq; officium; ut sui immemor, non suo sed cõmuni bono studeat; etsi illam absterreat illa dissentiens opinio: *Tarda esse quæ in publicum expectantur.* Immemor sui nunquam satis dolendus Exercituum Imperator, statim ab exordio militaris Sacramenti, oblitus æris proprij in Patriæ profusi obsequium: ita se totum Patriæ impendebat: acsi nunquam sui recordaretur. Quod æqua lance trutinans justus meritorum illius æstimator, Rex Casimirus, animum illius ad grandiora invitans facinora, advertens nunquam desidem, sed omnibus Patriæ suisq; nutibus prævolantem: illudque Domini exercituum recolens: *Beati servi illi, quos, cum venerit Dominus, invenerit vigilantes*; Excubias castrorum regni, illius subjecit imperio. *Et ego custodem capitis mei ponam te.* Quo ille accensus officio, ad ardorem mentis, velut ad perennes Vestalium focos insomnes Patriæ quieti, securitatique consecrabat excubias. Post Brahilovienscm cladem, Scythicum furorem à nostris excludebat limitibus. Dum postea castra, ad vicinas Skwarab moverent arenas; ille tunc

le tunc futuro Ducis præludens muneri, conduxit suis gazis Hussarorum cohortem, olim immortalis memoriæ, proavo suo, Palatino Cracoviensi, Duciq; regni militantem. Revocate vobis æmula Heroum, prodiga vitæ pectora, bellaces Poloni Martis animæ, revocate inquam, illa fervente Podhaiecensi bello ad Brzezany, Slaranczugi, Jezupole, & Czerlenica, cæsa Scytharum agmina, fusas Cosacorum phalanges. Clare id eventus belli exhibuit; dum hostium ferocia, cicurato furore, clementiam exorare, pacemq; emendicare cogebatur. Æquius huic lunæ quam Philippi III Regis Hispaniarum Cynthiæ inscribet epigraphen: *Dum vixi crevi*, quisquis adverterit ab illius animo, robore, & amore in Patriam, tanta illi accrevisse incrementa: ut non annis, sed magnis facinoribus, ætatem suam computare cogeretur: jungitur tandem felicibus tædis Radivilianæ prosapiæ, seculis celeberrimæ, quod conjugij fœdus *ad majora nitenti decus & robur fuit.* A.C. 1684

Canticorum secundo, illud jactabundæ sponsæ oraculum *Ordinavit in me charitatem*. Hebræi commentum idiomatis ita explicat. *Vexillum ejus super me charitas.* Occupat, post imperantem currentibus seculis, JOANNEM III, munus Aquiliferi regni, fidissimus illius Achates, etiam per totam honoris Appiam, ejusdem passus succedaneo premebat vestigio. Destinat⁹ cum exercitu ad viciniam Braclaw; Scythas primò abegit, oppidô ad radices montis, flammis damnatô: Scythas iterum insecutus, iterumq; fudit: dum verò Rex nostræ ætatis invictissimus, reducem ducebat exercitum: ille ad Miedzybosz viciniam, cum dimidio profectus exercitu, redeuntes cum præda Scythas cecidit, spolijsq; barbaros prædones spoliavit. Miedzybosz bellis ereptum, Patriæ restituit. Turcas præsidiarios servituti addixit, Cameneco erumpentes fregit suppetias: à vicinia Cameneci vagabundum exterminavit hostem: ad Chotimum in prælio illo, triumphalibus classicis, JOANNEM III & Polonos, omnibus narrante seculis: ut Dux imperavit; pugnavit nt miles: posthac toti Præfectus exercitui in Valachiam processerat. Post auspicatam JOANNIS III. inaugurationem, in Ukraina, velut in theatro gloriæ illius exhibita præclara facinora, vel spectatores vel auditores, posthuma recentiq; tenemus memoria. Utique si *lunam clarè incedentem* celebrarem; nota dicerem scientibus. Ludovicus Mascarettus effingebat adamantinum Scipionem, innumeris scintillantem oculis, & multiplici vix non loquentem ore, cum hac epigraphe: *Vocem dispensat & veritatem monstrat.* In fortunatissima inauguratione sua, Rex noster invictissimus, cui alteri, feliciore auspicio, committeret, regimen Senatûs consulti quàm illi, quem gratia Joannis III ad honorum fastigia destinabat. Quanto conatu, quanta solicitudine (*non requies non somnus erat*) illud exæquebatur munus, testes nunc sumus; qui olim spectatores fuimus, *lunæ incedentis clarè.* Antequam Rex Regum, Moysen populo suo Ducem promulgasset: thaumaturgum illi donavit Scipionem: qui probis in fulcrum, reprobis in colubrum degenerabat ad pœnam. Prensat Scipionem Curiæ regni, prodromum Ducali clavæ: hic ille Herculis clavam, sidere lunæ insignitam recolens: lunæ quoq; suæ clavam à gratia Joannis III quovis in fato præsentissima promittebat: quam utiq; primo auspicio acceperat, posthac illi ut præiret invictissimo Regi ad prælia, demandatum. Quanto illuc contendebat animo: *luna incedebat clarè*, comites & spectatores olim, nunc testes sunt, quanto ardore, exercitûs alam ipse regebat: quomodo se totum huic bello devovebat, eventus infelix, satis demonstravit. Dies me deficeret, si omnia illius in sago facinora, in toga merita recenserem.

Re-

A. C. 1684 Redux ab alieno orbe, usque ad comitia inaugurationis Regiæ, munus legati exercebat, *luna incedebat clarè*. Si hæc inquam vellem in compendium colligere: pusionem illum Augustino prodigiosum exprimerem: qui immensum æquor, angustijs unius foveæ coarctare nitebatur. Si verò pietatis illius officia, nobis sunt exhibenda: omnia naturæ dona, fortunæ munera, alijs concessa, oculos animosque mortalium implentia, divites supernaturalibus donis, gratiæ liberalis gazas (quibus æternitatem beatorum emimus) cœlum in illius effudit munificentiam. Fateatur ingemiscatq; religiosa egestas, à se amissum Patrem, qui tacito largientis nomine, pauperem illum Ordinis Minorum Patrem maximum Franciscum, cæterorumq; inopiam suis ditabat opibus. Memor ille fuerat illius *prodesse, mortalibus dono fortunam, alijs dare*. Profusa in omnes munificentia celebre nomen, supremum amorem, vocalem apud posteros sibi comparabat famam, amœno vultu, non parco sinu. Magnus virtutis, magnanimitatis, sapientiæ, munificentiæq; cum esset æstimator: cuilibet suæ liberalitatis indigo, domus illius fuerat *civitas refugij*. Ecclesiæ, Exercitui, plebi, egestati, omnique calamitati illius auxiliatricem imploranti dexteram, suam clementiam, suam munificentiam exhibebat: sine cujus diminutione, magno; sine obscuritate, illustri; sine cujus depressione, supremo æstuabant ardore, illius præcordia: quæ hodie solenni funerum igne circumstant accensæ pyræ. Nunquam amplissimæ illius manus coarctabantur. *Manus ejus tornatiles*. Versatiles erant, subsidia sine mora petentibus: facies illius nunquam contrahebatur ad querulosas egestatis preces. Sicut olim Patriarchæ Jacob, ex illis saxis, quæ è terris Mesopotamiæ redux, in Patriam tulerat; aramq; DEO composuerat: *Tulit de lapidibus*, ad cœlorum fastigium, erectus erat aditus: *Et vidit scalam*. Ita huic munificentissimæ animæ, in sacratiores Divorum aras, in egenorum calamitatem effusæ, Regiam composuit ad superos viam, pia liberalitas. In illo Ecclesia Numam: Exercitus, Trajanum: populus Nervam: egestas orbitasq; bis misera, se ipsâ infelicior, jam & alterum amisit Patrem.

Apparat solennes mensas, celeberrimus in Evangelio paterfamilias: hospites cujusvis ordinis liberali, convocat officio: sed fallentium promissis convivarum, elusus barbarie: imperat ephebo: *Exi cito in vicos & plateas*. Congrega forum plateasque ad lautum patrisfamilias epulum: invita huc non invitos hospites. Si epulum hoc exprimit symbolicè cœlestes mensas: qui sunt quæso isti quos ex plateis vagabunda famulorum solicitudo convocat. Sunt inquit D. Gregorius clementes, humani, urbanique. *Vocat Dominus de vicis & plateis populum illum, qui tenere legis urbanam conversationem noverunt, non agrestes & barbaros*. Barbaros gravesq; miserorum calamitati, à mensis, cœlestis Paterfamilias excludit: non censentur digni, *cum eo introire ad nuptias*, quorum lampades extinguuntur sine oleo charitatis. Ille, ille amor, piam im̃ortali huic viro, Angelorum epuli, irritavit orexim, dum ante vicinam sibi aram, sacris intentum Sacerdotem orabat: ut illum ad æternitatis iter, cœlitum corroboraret annonâ. Nec dubito alimentis famenti inopiæ propinatis, ab illo comparatas cœlestes mensas: post spontanea corporis sui tormenta, Divorum frui delicijs: patrem illum cujusque calamitatis, jam irretorto obtutu Patrem luminum intueri. Pater ille à quo omnis paternitas, super montem Thabor, filium suum, quasi repetendo compellat filium; cur non in horto Solymæ, ubi amarorem calicis, pro orbis salute sibi ipsi pro-

propinabat filius: cur non in monte illo, theatro patientis Dei hominis: ubi illum anguſtiæ mortis exanimabant? ubi ad noſtros amplexus vibratas porrigebat manus: ubi apertum ferro pectus, è vivo amoris fonte, cor ipſum orbi effundebat: ubi demum inter tenebras laborantis cœli, alto ſopore correptos oculos, non interrumpendus concludebat ſomnus. Ingenioſus Idiota dictorum explicat argumentum. *In Thabor viſus eſt lætari mortis ſermonibus, quos alacriter inter ſplendores gloriæ admittebat, loquebatur de exceſſu: ſed in horto ex carnis debilitate adeo formidavit mortem, ut fuerit expediens, quod Angelus è cœlo elapſus, eum confortavit.* Deinde in monte illo, Solymæi furoris theatro, viſus eſt DEus-Homo inter luctam mortis, quaſi contra oblitum ſui queri cœlum. *Ut quid dereliquiſti me.* Viſus eſt inter tormenta tædio laborare: & in acerbiore mortis poculo quendam delibare amarorem. In monte verò Thabor dum alacrem in tormenta, audacem in horrorem mortis, amœnum in fati mœrorem exhibuit animum: ſtatim illum & nominat & agnoſcit ſuum filium. *Hic eſt filius meus dilectus.* Sed jam coanguſtatum tempus, protractas in longum moras, ſecum corripit. Non prius recurrit nobis, nunquam ſatis dolendus Exercituum Imperator, quàm illius magnanimitas, ardorque illuſtriſſimæ ejuſdem animæ. Quis ergo ambigat hunc placuiſſe illi Patri; qui tum filium ſuum placita repetitione compellat, dum mortis horrore videt eſſe imperterritum.

A.C. 1684

Poſt Amalecitarum cladem, revertitur triumphator David ad domûs ſuæ cognatos. *Venit David de Siceleg, proximis ſuis dicens: Accipite benedictionem.* Tobiam quoq; valere jubens Raphaël, inquit. *Tempus eſt ut revertar, vos autem benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia ejus. Et ablatus eſt à conſpectu illorum, & ultra eum videre non potuerunt.* Vidimus quantum inculta potuit exhibere oratio, illo fortè arguenda effato: *Longum Agamemnona feciſti: magnum facere debueras.* Vidimus inquam illud, quod videre deſijmus. *Lunam ſcilicet incedentem clarè.* Concludite Auditores lunam hanc latere, non minui. Quidquid rei ſit: jam tum illud non eſt luna hæc; quidquid fuerat: nec à terris irrito luctu deplorabitur. *Cælo datur quod demitur orbi. Eclipſis eſt interpoſitio terræ inter globum ſolarem & lunarem.* Si quod adhuc terrenum piaculum, ſeſe inter lunam hanc, & ſolem beatæ æternitatis interponit: tollant illud, non ſolùm à munifica orbatæ Conjugis pietate, redemptæ Diviniores Inferiæ: non ſolùm pia multorum ſuſpiria: ſed etiam confœderati amicorum luctus aboleant. Si adhuc in aliqua pœnarum Bethulia, hanc animam, obſidione cingit auſteritas Divini judicij; concluſas reſeremus portas, ſolvamus obſidionem, aperiamus vulnera DEi-Hominis *In foraminibus petræ.* Me quoq; ab extinctis jam favillis *ad vivos ora referre juvat.* Licet jam in fatali urna prematur funebri ſaxo: licet in exili cinerum buſto coarctetur, ab implacabilis fati neceſſitate: conceſſum Inviктiſſimi Ducis noſtri, Magnæ Animæ domicilium: ingens tamē & immortalis illius animus, ut non ſine animorum delicijs comparebat: ita nec ſine gratijs abeat: diſertus ille etiam in ſilentio; facundus eſt etiam ſine lingva: ad noviſſimum vale novum quia orbis alterius indutus Oratorem; à magni genij exuvijs *etiam in minima favilla mille gratiarum oracula ſpirat.*

Primæ Ducis gratiæ, cum gratijs Orthodoxi Orbis, ad Te collimant JOANNES III. Rex Invictissime. Vale dicit Orthodoxo Atlanti Alcides hic, in cujus bellaces humeros, partem negotij bellici depoſueras, non prius ille ſe tanto ſubtraxit ponderi: quàm poſt extinctum Orientem, ſe ipſum in triumphalem tibi accendit pyram. Reſtituit JOANNI

III.

A. C. 1684 III. gratias, pro innumeris munificentissimæ Majestatis gratijs: pro bonorum fascibus: pro justa suorum æstimatione meritorum: reddidit jam Ducalem clavam, licèt brevi, satis tamen æstimando, quia *signaculo mortis* insignitam. Invictissimo pectori tuo, magnæ fiduciæ suæ domicilio, cum non possit pares; æternitatem consecrat gratiarum: quod velut acus magnetica, gentilitiam illius respiciens Cynosuram; innumeras attrahebat gratias: testabaturq; hoc sidus, in obsequium Regiæ Majestatis, stellam polarem fuisse. Hoc verò avitum sidus, licet fatali terris extinctum occasu: Orientem æternaturæ accendat diei: magno tum Orientis Gentiumq; triumphatori, etiam ultimâ inter umbras tumuli scintillâ, fatetur se ex eo fortunatissimum; quod non prius cruento sit extinctum Patriæ officio; quàm Orthodoxus Orbis, exprobraverit barbaro Orienti: *Quomodo cecidisti Lucifer, qui manè oriebaris.* Quod dum ita extingvitur, cum spe occidit, nunquam in Serenissimo pectore, cum suorum æstimatione amoreq; meritorum, extinguendâ.

Supremum vale, secundas post JOANNIS III, agit gratias Serenissimæ REGINÆ, quæ Invictissimi Regis triumpho, Regiâ collaborat pietate. Pro perenni Regiæ Mtis gratia, æternitatem gratitudinis restituit: supremoq; anhelitu hæc spirat vota: *Filij tui sicut novellæ olivarum.*

Eodem voto, supremum vale spirat, Serenissimo Principi JACOBO, qui magno cum Triumphatore Parente suo; dimidio triumphabat plausu, totius Asiæ ad Viennam Domitor: testisq; erat fracto licet per infirmitatem Ducis Invictissimi corpore, integrum mansisse illius animum: nec prius illum cecidisse quàm Orbis barbarus corruisset: illud quoque roboris prodigium, Samsonem, implacabilis fati necessitas, unà cum triumphis enervavit obruitq;. Quæcunque adhuc ulteriora, in opere belli triumphorum decora, coacervabunt secula: Serenissimis illa dedicat Principibus: hoc ad extremum vale apprecando: ut laureis triumphorum, fascibusq; honorum continuatis; quasi serta componendo; posthumis ætatibus, Triumphatorem Patrem exhibeat Progenies Augustissima.

Nec instaurat id dolorem, nec irritat luctum; dum tibi Illma Palatina Volhiniæ, supremum me Oratore denuntiat vale, ille, cujus divisus à magno pectore spiritus; à tuo animo non avellitur. Communis tibi dolendi necessitas: plorat tecum confœderato luctu, viduata cum universo Patria: cujus amor cum te magno tuo conjuge orbaverit, enervata dolore præcordia muniat, addicta tibi solicitudo Numinis: cujus nomini gloriæq;, Manes suos ad Aras Ecclesiæ, ad focos Patriæ consecravit: soletur & remedia doloris inveniat, emortui Ducis Orator animus. Ego (inquit ille) licet mortis sopore premar: O meæ dimidium animæ: DEus tamen vigili semper obtutu, super te excubabit. Supremum ergo tibi ingeminans vale: Divinæ te solicitudini reddo, commendoq;. Accipe immortales gratias, pro amoris mutui argumentis; in pretiosum æternaturæ memoriæ pignus, carissimam mihi tibiq; relinquo progeniem. Scio equidem oculos tuos velut columbæ, supra fluctus Hesebon, nunquam sistendis diffluere lacrymis: Spero tamen in universi theatro, meritis facinoribusque suis à filio meo, me patrem, tibi orbiq; exhibendum ac exprimendum.

Cum tanta spe, tibi quoq; Illme Capitanee Leopoliensis, bene & vale dicit Parens tuus, fons vitæ tuæ, dum ad fontem vitæ immortalis revertitur. *Mortuus pater tuus, & quasi non est mortuus, similem enim reliquit post se*: Persarum Reges, aureum fortunæ simulacrum successoribus relinquebant, cum anathemate insignium in Patriam meritorum. Philippus

pus item Macedo, inter hæc solatia cum fato luctabatur. *Non morior ego: quia Alexandrum, in quo vivo, relinquo.* Coarctavit altissimum Numinis effatum, augustissimo Patris tui genio, ad facinora Heroum Olympia; ut tibi gloriæ theatra dilataret. *Magna paravit ad titulos exempla.* Destinavit te Celsissima Illmaq; Patris & Matris propago unicum heredem. *Testem stemmate materno, felicem virtute paterna.* Condidit imortalem animum, in tuo unico pectore, magnus Pater; ut non dissipatis spiritibus, magis in dies animeris. Exhausto spiritu, plenus spei, de magna tua indole, etsi te inter sua dimittat oscula; non tamen à te avellitur, manendo *totus in filio pater*, exoptatq; tuis quàm diutissimis annis, compendia ætatis gloriæq; suæ compensare. Ex luctuum Oceano, ad lætiores Floridas enavigat oratio. Sublata arbore, plantam servare jussa tellus. *Verumtamen germen radicum ejus, in terra sinite.* In te unicum deposuit hoc officium supremus Agricola; ut aureos Hesperidum fructus, cum hac planta cœli æmula, pari solicitudine foveas, conservesq;. A.C. 1684

Vos quoq; supremum vale, Patris vestri carissimæ audite filiæ. Vos ille velut ex rore primo, in concha natos uniones, in matris recondit pectore: abitq; cum hac fiducia; quòd prima post supremam DEi Providentiam solicitudo matris, cujus spiritu vivitis, vestrum pretium integritatemq; conservabit.

Illmi Avunculi, prima orbis Poloni lumina, Invictissimum magni Nepotis vestri animum, valedicturum vobis, singultibus lacrymisq; expugnat dolor: cum vester illi fidissimus recurrit amor. Ducem expectabat clava. Uni tuo postulato sicut & hodie illam non negasset Rex Serenissimus, *sed gaudebas magno* Illme Castellane Cracoviensis *cessisse Nepoti.* Omnes illius curas, laboresq; circa bellorum negotia, & ipsam fractæ valetudinis infirmitatem, intimâ temperabas in illum propensione: pro qua tibi me Oratore, mille rependit gratias: etsi à seipso sit divisus; fœdus tamen perennantis amicitiæ non interrumpit: quod in argumentum obligatæ gratitudinis, & in pignus imortalis memoriæ, *gemma cordis sui consignat.*

Etiam te valere jubet, primæ clavæ Exercituum Regni *primum movens* Illme Palatine Russiæ: Supreme Exercituum Regni Imperator, in bellorum officio imperioq; intime Collega. Supremas me Oratore agit gratias pro intimo affectu, fidissimoq; mutui Consilij Oraculo. Quia verò victorias triumphosq;, de Oriente barbaro tecum continuare prohibetur; devolvit in prudentem ac Heroicam solicitudinem tuam, ulteriores ausus, bellorumq; eventus, tibiq; succrescentes relinquit laureas. Ubi demum in Patriæ obsequio cadens, ferales in trophæum erexit cupressos: ibi ut tuo Nomini, tuæq; imortali gloriæ assurgant, onustæ barbarorum manubijs palmæ, exoptat precaturq;.

Disertissimus è suis cineribus assurgit Orator hic, in tuum vale Perillust: Capitanee Zytomiriensis: intimo pectore, receptum illius Oraculum: totum tibi, ut loquatur, pectus aperit: dimittit grato animo illam fidissimæ amicitiæ magneticam virtutem tuam, qua nuper *anima Jonathæ conglutinata fuit David.* Sejunctus à Duce, Ducis animus: immortali jam vitâ beatior, tuis jungitur præcordijs. *Vox audita est lamentationis, luctus & fletus Rachel plorantis filios suos, & nolentis consolari, super eis quia non sunt.* Audio publicos singultus, lego comunem lugentis Patriæ dolorem, ubi Patriæ Patri hodie parentatur; ubi æquissimo Duci, justa solvuntur; ubi communis boni, sangvine vitâq; adhuc à teneris æstimati jactura, cum Duce nostro tumulatur: Intuetur mœstis obtutibus, recolitq;

A. C. 1684 litq; dolente animo hæc dolenda mortis spolia, orbitas Patriæ: *Nolens consolari, quia non est*. Cogeretur illa respondere sciscitantibus: *Cur fera vice magna non senescunt?* Quod fatum illius enervat fulcra? quod magnæ spei solo æquat asylum! si ignoraret, æquora longius dilatari, quàm amplissimas etiam paludes: sylvas magis nutare sub ventorum imperiis, quàm humilia arbusta. *Nunquam data festa longa summis*. Citò satis Patria amisit illum; quem nunquam amisisse volebat. DEus tamen *auctor totius consolationis* quam afflixerat solatur. Altissima DEi consilia adoret, edictaq; orbis approbet universus. Ergo carissima Patria *serves illum gloriæ, cum non potes naturæ* Nunquam Illmum illius nomen, in posthumis Polonorum mentibus extingvatur. Illmi Delphi Senatûs Poloniæ, quos aureæ libertatis incolebat hoc Oraculum, dum aureum consiliorum tripodem concluserunt: hoc solatio temperent suum luctum; quo Senator Illustrissimus, quo Dux Invictissimus, vale dicit, vovetq;; ut ille per quem Reges regnant: æternæ sapientiæ gazis, thesaurum consiliorum impleat conservetq;.

Accurrite ad Ducis tumulum, cujus nuper sequebamini nutum: audite hodie illius vale; cum quo nuper classica inter pugnas, pæana inter triumphos audivistis: lectissima bello pectora, invicti Poloniæ Heroes, quorum hodie triumphales currus, catenatus Oriens comitatur, orbisq; Orthodoxus adorat Capitolium. Non esset quidem pæan, funerum confundendus nænijs: nec liceret inter applausus, trophæa laureasque spectare. *in cuncta signa versos fasces, omnia funerum solennia* in castris Poloniæ celebrari: nec expedit ut dies *niveo signandus lapillo, aut per silentium vastus, aut plorantibus inquies*, sicut olim post obitum Germanici, publicum dolorem patiatur, sepulchraliq; deleatur marmore. Tenere tamen luctus haud poteritis etiam ferrea *ære decemplici* pectora: triumphorumque haud patiemini celeusmata: ubi stante victoria, vobis ille intimus Dux cecidit: cujus anima ibi magis erat; ubi celebres orbi ausus, & toleratos pro Deo labores amabat, quàm ubi animabat. Cum tanta æstimatione facinorum meritorumq; vestrorum, vobis supremum reddit vale. castra Poloni Martis; quæ, non servili ferro, sed aureus vestræ Patriæ amor, uno libertatis obligata vinculo, ad præclara facinora, Heroumque ausus excitat. Solvit vobis gratiarum stipendia, pro omni inter bellorum negotia promptitudine: faturq; tantos evasisse Polonos, quorum triumphus toto orbe purpuratus incedit; sangvine barbarorum, decoloratis fluctibus Danubij: quorum sangvine stetit, ut unusquisque vestrûm, cum Sicinio dentato Heroum prodigio audiat: centies vigesies in aciem descendens, semper victor: omnemq; triumphatorum gloriam exhauriat. *Actus unus omnia decora tollat*. Speratq;(lustravitq; viros dixitque novissima verba) vestris ausibus orbi notissimis: Rempublicã servandam immortalem.

Cæteris, quos huc pietatis vocavit officium, Orator Ducis emortui, nolo valedicere; cum ille ipse tunc vobis valedixerit, cum terras dimittebat. Nos verò Catholici, dum inter pietatis negotia, animæ huic valedicimus, mortem in perennibus altè imprimamus mentibus. *Alienam mortem defleamus ita; ut meminerimus nostræ*. Hic labor sideris, hoc fatum laborantis lunæ, cineresq; mortalium corporum, doceant quemlibet, quod, *vermis sit & non homo*. Vermis inquam è terra egressus, ad terram rediturus: *Terræ addictus es factus, es terra; ut ipsa tibi sit patria, quæ fuit materia*. Si verò hæc est cinerum virtus, ut nullis absumantur ignibus: cogitate

gitate mortales corporum vestrorum cineres; & averni ignes in vos non desævient: nec mortalium hostis qui maximè insidiatur calcaneo, id est mortalis vitæ termino, nos expugnabit. Felices ergo, ut ad Fortunatas æternitatis appellamus, more diligentis nautæ, ad ultimum, non tantùm ad primum littus, navem suam observantis; intueamur portum naufragantis vitæ mortalium. Si post tempestuosum mortalium Euripum, illuc fortunati optamus appellere; ubi mare tranquillâ compositum malaciâ, ubi nunquam infelix felicitas; *ubi factus est in pace locus.* A.C. 1684.

INFORMATIO A SACRA REGIA MAJESTATE DOMINO CLEMENTISSIMO DATA MAGNIFICO ROZRAZEWSKI CASTELLANO MEDIRECENSI

POstquam S. R. Mtas ex literis Domini Comitis Rabbata intellexisset, eum instantissimè desiderasse assistentiam Litvanici Equitatus, contra Turcas, & Thekelianos, versùs Ponenocum collimantes, non difficilem se præbuit, quamvis rigore fœderis ad id minimè tenebatur, mediâ etiam hyeme prædictam militiam concedere, hoc adjuncto consilio, quod bellica dictabat experientia, non debere Dnum Comitem eò movere, ubi hostis si potentior esset, in discrimen Germanam, & Litvanam adduceret militiam, si debilior, in promptu vicina haberet fortalitia. Unde nostrates sine copia pugnæ, rigido sub cœlo ubique carperentur, & impeterentur. Potiùs ergo censuit Regia Mtas ut Unguarum versùs iret Dnus Comes, militem cum suis copijs Litvanicis jungens, obsessis per Thekelianos Hungariæ Magnatibus Catholicis simul ad fidelitatem Cæsareæ Mtis per suam Regiam Mtem reductis, & pro ea pereclitantibus opem laturus; tum Zatmaro alijsque fortalitijs si quo egerent suffragaturus, rem cum solis Thekelianis habiturus: Turcico destitutis subsidio jam adultâ hyeme.

Vix sua Mtas Regia hócce de negotio ad Cæsarem, & ad Comitē Rabbata expediverat, cū supervenit Lincio 5tâ Januarij inde expeditus D. Comes Scherffenberg, instantissimè nomine Cæsareo à Sacra Regia Mte desiderans, ut Litvanicus concederetur Equitatus, quatenus is cum Cæsareo conjunctus victu, & pabulo provisus per stativa excubaret pro ijs, qui Epperiensium, & Bardejoviam expugnaturi erant, annuit Sacra Regia Mtas, & huic desiderio, quamvis vix practicabile propter rigidā cœli intemperiem censeret postulata. Nimirum hâc ratione, etiam Unguaro remedio diversionis consultum iri. Stetit indilatè tractatus, interveniente, & assecurante de indilato Cæsarianorum Reverendissimo Nuntio Apostolico, nomine Principalis sui; movit Mtas sua Litvanas copias, sub rigoribus cœli minimè tepescente in rem Christianam zelo venit Bardejoviam usque militia Litvanica & ultra duas septimanas cum hoste aliquoties feliciter represso cum frigoribus, & nivibus, cum inedia, & defectu pabuli incessanter luctata, ex hac parte, dum ex alia Polonus miles per devia, ac invia per intermedias Thekelianorum acies, & assultus præsidij causa, Unguarum omnibus curribus, ac impedimentis amissis perrumpens tot Thekelianorum sustineret impetus, obsidionem, & rigidissima ejus incōmoda, ob rerum sum̄am penuriam invicto toleraret animo, interim nulla de Comite Rabbata, Cæsareoque militum exercitu, qui tam ardenter desideratos tractatus exequi debuerat, audita est notitia, imò literæ Dni Rabbatæ in Februario scriptæ supervenêre, quibus nulla mandati ad movendum, & jungendum se cum Litvanico exercitu facit mentionem. Superveniunt deinde à Cæsare li-

A.C. 1684 literæ die 7ma Januarij ſcriptæ, quæ ſupponunt Comitem Rabbata dictamina Regia jam executioni mandaſſe. His aliæ ſuperveniunt de data 30 Januarij nullam tam tractatûs, quàm executionum ferentes mentionem. Interim Polonus miles Unguari, Litvanus Bardejoviæ extrema incommoda pati coactus, illum DEus, & fortitudo innata hoſti ſuperiorem fecit, liberavit hunc frigida cœli temperies millenis incomodis ſtipata, afflixit, extenuavit, exinanivit, tot diſcriminibus objecit, & vix non confecit. Et hæc omnia ideo, quòd ad hanc usq; diem S. R. Mtas datam deſideret fidem; videatq; Magnates illos, unà cum Epiſcopo Nitriæ ferociæ Thekelianæ expoſitos, qui tamen majoris curæ eſſe debebant, utpote ij, quos ſolicitudo Regia ad Cæſareas reduxit partes, & niſi ſua Mtas partem militiæ Polonæ ſubmiſiſſet Unguarum totq; egregios milites, ac ſtrenuos eorundem Præfectos, quot ibi ſunt occiſi, ſaluti eorum litaſſet, perijſſent tanti viri bonam ſecuti fidem.

Requiret proinde Illuſtris Legatus nomine Sacræ Regiæ Mtis, ut Cæſarea militia Unguarum, & Sbynum inducatur loca Polonâ fortitudine defenſa, & tanta noſtrorum jactura manutenta, ut enim Sacra Regia Mtas binis jam literis hoc Sereniſſimo Imperatori fraternè detulit, ita & nunc id ipſum iteratis vicibus deſiderat. Quo facto nulla ſiniſtra ſuſpicio Mti ſuæ Cæſareæ rectas intentiones, in ſequiores trahere ſenſus. ampliùs valebit.

Interim Regiæ Mtis ſuæ militia indè omnino revocari debet propter aliquod reſpirium reparationi ſuæ vacatura priùs, quàm ver immineat, quod eo loci propter continuos labores, prælia, & diſcrimina fieri nequit. Ad pacatiora itaque, & tutiora Sacra Regia Mtas conſtituit ea loca poſt exanthlatos præteritâ æſtate, autumno, & hyeme labores, eo noſtris graviores, quòd videant eos, quorum cauſa agitur ſecuris, & comodis perfrui ſtativis, prout ijſdem, & alij colligati hucuſque gaudent loco eorum, quæ juxta aſſecurationem Comitis Scherffenbergi fieri debebant, & quorum in gratiam Polonus, Litvanusq; miles tot diſcrimina, & jacturas ſubiit, Mtas ſua inter continuata ductorum, Senatorum, Præfectorum, Equitum, & gregariorum funera, inter ſæpius repetitas in Camera ſua familiarium mortes Cracoviæ ſubſiſtit, rebus gerendis ut omninò putârat de propè affutura.

Poſt hæc Sacra Regia Mtas animadvertit eos Hungaros, qui ad obſequium Cæſaris operâ Cæſareæ Mtis ſunt reducti, deſperationi proximos, eò quòd nulla eorum conſervandorum habeatur cura, imò nec plenam à Majeſtate Sua Cæſarea ſecuritatis, honoris, & fortunarum ſuarum rationem haberi videant, neque majorem Sua Majeſtas Regia in ulterius promovendis ijsdem Ungaris conatum impendere ſatagit, maximè dum poſt impenſa ſtudia, labores, & diſpendia, tam ſangvinis, quàm fortunarum ſentiat, tandem gravem eſſe illam ſocietatē, in qua pars una omnia, altera nulla præſtat.

Apprimè percepit eadem Sacra Regia Mtas tam ea, quæ in literis Cæſareis, quàm ea, quæ in reſponſo ex Cancellaria Magnifico Curiæ Regni Mareſchalco dato continentur, unde non ſine admiratione contigit audire Senatui S. R. Mti aſſidenti, quomodo Sereniſſimi Imperatoris Cancellaria perſuadere allaborat eximii Cæſareæ Mtis fraterni affectus eſſe in documentum, quòd Proceres Hungariæ præcipuè Comitem Czobor beneficio amneſtiæ, & reſtitutionis in integrum beare decrevit, eò, quòd id Sua Mtas ardenter deſideraverit, quaſi palàm non eſſet id optaſſe Suam Mtem ſed Chriſtianitatis, non ex proprio & ipſius Sereniſſi-

renissimi Imperatoris commodo, cum evidens sit quanta Seren: Imperatori, hæreditarijsq; ipsius Dominijs ex eo fonte contigerint discrimina Poloniæ, vestro aut nulla, aut remota, ideoq; ipsi Cæsareæ Mti ex tam salutifero consilio constare potest, quo Regia Mtas in Regnum proprium feratur affectu, cum ad iteratam toties per literas Cæsareæ Mtis instantiam Sacra Regia Mtas id apud Tekelium authoritate suâ effecerit, ut Moravia à flamma ferroq; quod imminebat vastata non fuerit, & Vezyrius quamvis vehementer desiderabat Tekelium auxiliatorem, non habuit tamen seu Viennensi seu Strigoniensi prælio nonnisi cladis suæ de longe Auditorem. Eadem Serenissimi Imperatoris Cancellaria, parum aptâ digressione non intermorituræ gloriæ, dum pondus thesauro publico vult adjicere, minimè se reflexit ad ea, quæ tenore pactorum sacri fœderis continentur, & post præstitam à Sacra Regia Mte à Seren: Imperatore præstanda desideratur, cumq; Austria & tanta pars Hungariæ sacri fœderis jam teneat fructus, nescitur quæ in herba emolumenta eadem Cancellaria indigitat, ijsq; contentam esse velit Poloniam. A.C. 1684

Cæterum quo ad machinas bellicas, quorum exdivisio inter Cæsaream Majestatem, & Regiam debet fieri, non solùm quia statim post victoriam per magnificum olim, Palatinum Pomeraniæ, per Generosum Regni Culinæ Præfectum nomine Cæsareo, tum per Cæsareos Generales facta fuerat requisitio, & promissum stetit, sed quia Sacra Regia Majestas prima per pedestrem militiam suam manus apposuit, hinc manubiæ veræ, tum quia illa tormenta, quæ hostis secum adduxerat, & insequente Equitatu Polono projecerat, quæ Majestas Sua militibus proprijs, & equis fractâ fide Cæsarei promissi Viennam revehi, quasi in depositum curavit, quomodo Serenis: Confœderatorum super ijsdem tormentis formabitur prætensio, cùm Saxonicus Exercitus illico recesserit, Bavaricus cæteriq; nonnisi postea subsecuti in tantum, ut ipso silentio Sermi Colligati fassi sint non posse se prætendere res, quas nec hosti eripere contigit, nec in acie alligare. Rationes verò per Cancellariam Cæsaream ablegatæ, quòd tormenta illa vehi vix possent, quòd multa illorum transfundi primo debeant extra quæstionem esse hac in quæstione, quòd sangvine, & sudore partæ manubiæ non intermorituræ gloriæ sint monumenta. Ideoq; non à metallo æstimantur, sed pretium illis accedit à bellica gloria, nefas est recedere ab ijs, si solidiores manubiæ ut Cancellaria fatetur, debentur illi, qui principaliter bellum gerit, ergo debentur Mti Regiæ, quæ victoriæ præcipuæ & principalis causa exstitit hostemq; ex Provincijs jam possessis, quasi è derelicto fundo objectu capitis proprij, & tot Senatorum, Ducum, & strenuorum militum, qui pro fructu belli necem reportârunt impendio pepulit.

Tandem ex alio fonte, eadem Cancellaria vindicat tormenta ad compensandum in parte auxiliarium copiarum ex transitu detrimentum, quasi æquum justumque esset, ut qui Colligato succurrit transitus incomoda persolvat, cur anteriori tempore Regnum Poloniæ millionibus auxilia tunc Cæsariana æstimare debuit, prout Solinæ testantur præter incolarum innumera damna, cur hanc regulam ignoravit, & solutionem non expeti, quod verò relicta tormenta Thorunij in Borussia asserat eadem Cancellaria, cur de rehabendis pro illo tempore nihil in hucusq; actum.

Tandem eadem Cancellaria asserit nemini prædarum emolumentum velle invidere Seren: Imperatorem, ausus calami, vix ferendus fa-

C. A.1684 cro justoq; bello, quod vilia prædarum, & prædonum excludit vocabula, gloriosa sunt ex hoste spolia justæq; manubiæ, quæ jure gentium, fortitudini victorum cedunt, pleni sunt Exercitus spolijs, & manubijs, præsertim verò illi, quibus vacabat recensere, & excutere hostium derelicta, non verò illis, qui bellico abrepti ardore profugum sequebantur hostem. Nemini S. Regia Mtas invidet justas manubias, & libenter vidisset priorē tēpore, ut potiorē agnosceret jure ad eas detrahendas, à quo affectu Regia magnanimitas, ut Cæsareā, ita Regiā Mtes im̄unes facit.

In reliquo è re sacri fœderis, & ex dignitate Majestatum est, ne in posterum tali stylo ea repleant instrumenta, quæ inter colligatos intercedunt Principes, satius enim foret illis inposterum carere, quàm asperis, & inurbanùm sonantibus verbis replere.

His ita se habentibus S. Regia Mtas dum cerneret nullam promissorum, & initi cum Scherffenbergio Comite fieri Tractatus executionē, & interea militis sui tum ad Bardejoviam frigido sub Jove agentis, tum & Unguarini extrema quæq; tolerantis compassione moveretur; scripsit D. Comiti Czaki genuinam exquirens rationē cur ad realem Comes Rabbata non festinaret Exercitus sui cum Litvanis conjunctionem, cur Epperiessimi obsidioni non instaret, cur mandato Cæsareo quod supponebatur, & conventioni per Scherffenbergium factæ moras injiceret, sineretq; militem S. Regiæ Mtis consumi rigiditate brumæ, & multis incom̄odis ad nihilum redigi.

Supervenit itaq; responsum à Dno Czaki, & notitia certa, continens literas Comitis Rabbatæ longè diversa; quàm expostulata conventumq; erat, sonantes: Nam datæ 30 Januarij sub Arce Muranij continent, qualiter Comes Rabbata auditô, quòd Tekelius Turcicis auctus copijs, Cassoviam versùs moverit indeque acceptis machinis bellicis, Cæsareanos aggressurus sit, universum Exercitum suum moverit contra Tekelium, cùm deindè diversas haberet informationes, & vanè sparsum fuisse de Tekelio, tum & de Tartaris sub Agria degentibus, rumorem comperisset, redijt in stativa Szendorovia comeatu provisa, interea rogat Comitem Czaki ut sit in promptu, quando illi significaverit opportunum tempus ad jungendum se cum Litvanis, & Brandeburgicis copijs, & significat eidem se habere mandatum celeriter eundi Posonium, ad Commissionem.

Jam verò in literis 26. Januarij scriptis idem comes Rabbata *dicit* se habere in promptu octingentos milites, vulgò Raytaros, & quingentos ubi de motione Litvanicarū & Brandeburgicarum copiarū intellexit.

Demum 27ma Januarij. Scribit quomodo non valeat succurrere comiti Homenay, ex quo è literis ipsius 10 Januarij scriptis intellexit non fore tempestivum succursum, & quod Thekielius inde recesserit. Dicit se mittere literas ad Generalissimum Exercitus Litvanici persvadendo, ut Exercitum suum collocet inter Levociam, & Szozaunicum, ut ita promptiùs uterque conjungi valeant.

Item die 3tiâ Febr. scripsit ut comes Czaki præcustodiat Generalissimum Litvaniæ, quatenus sit attentus in omnem hostis conatum, siquidem Turcæ, & Tartari trans Tybiscum conversi ibidem adunantur.

Deinde quartâ Februarij nuntiat se habere à comite Scherffenbergio puncta per eundem in Aula suæ Majestatis Regiæ tractata & conclusa, rogat ut comes Czaki disponat Litvanos ad operandum, se promptum esse declarat admittendo mille Equites vulgò Raytaros, & trecentos Dragonos, pedites verò & machinas bellicas propter

pter nivium copiam, & rigiditatem brumæ nequaquam se posse move- *A.C.*1684
re excusat, cui respondet illicò comes Czaki cum tam exiguo milite nequaquam posse quidquam tentari.

Superveniunt à Marchione Dona literæ, quibus asserit habuisse se quidem mandatum, & promptum fuisse, cum mille Equitibus pergere ad succurrendum comiti Homanaijo, sed cum rescivisset se ibidem in vanum iturum, atque laborem ipsius minus gratè susceptum iri, redijsse ad stativa, militemq; suum in illis locasse.

Econverso literæ Ductoris Litvanici plurimæ de 8va Januarij, tum & ipsius locum tenentis de 20 Januarij, & aliæ ad comitem Czaki datæ, quibus promptos, paratosq; se esse ad omnem belli operationem testantur.

Ex his itaq; clarè, & notoriè constat nullam omninò intentionem, ne dum mandatum habuisse Cæsareani Exercitus Ductores, oppugnandi Epperienssimi, nec quidquam aliud brumâ rigente operandi. Ad quid igitur literæ Cæsareæ Mtis? cur Tractatus à Scherffenbergio tantâ solicitudine cum authoritate Nuntij Apostolici expetitus? Litvanici Exercit⁹ ursere motionem nullâ alienorum incom̃odorum ratione.

Quæ omnia Magnificus Ablegatus in memoriale redacta suæ Mti Cæsareæ explanabit, postulabitq;, ut meliori deinceps fide, modo, & ordine in subsequentibus, quæ tranctanda, & agenda venient, procedatur.

MANIFESTATIO CONTRA THORUNENSES ILLUSTRISSIMI EPISCOPI CULMENSIS.

IN com̃uni læsæ non tantùm Divinæ Mtis, sed & Præsulei Senatorii honoris, Nobilitarisque prærogativæ causa, ac gravi injuria, non coram unius districtûs, terræ, Palatinatûs, aut Regni actis, sed coram universis statibus, ac Regnorum Principibus, contra protervos cives Thorunenses manifestandum mihi est; ut insolens solenneq; facinus eorum contra jura gentium, & Regni hujus Patria, contra DEUM, unctosque ejus patratum, merito totius etiam orbis censuræ, imò vindictæ subjiciatur. Patuit jam fortè, non tantùm Polono, sed etiam externarum nationum orbi, quomodo, quamvis sub Rege, & in Regno Poloniarum Catholico, (ubi tanquam in Repub. libera bellatrice, non tantùm Religionis sacræ, sed prærogativarum, Senatoriæ, Nobilitarisque dignitatis zelum acerrimum propugnandum esse expediret) malè consulta plebs Thorunensis pessimo Magistratûs sui consilio, ac tumultuariæ seditionis antesignani Hebneri, Præsidentis sui stimulo, anno proximè præterito octogesimo octavo decimâ Junii pridie festi Sanctissimi Corporis Christi, nullâ justâ tanti tumultûs præhabitâ causâ, ac ratione; sed veriùs odio, solennissimè pridie in sum̃a Senatorum, ac Nobilium frequentia peractæ processionis, complanationibus Reverendissimorum Antecessorum, ac Regum diplomatibus, totque annorum pacificâ praxi, & consvetudine firmatæ, ad arma omnigena impetu feroci proruperit, ad sonitumque tympanorum brevi in turbas, & turmas coalita, vi & violenter in lapideam, in qua tanquam Senator Regni, Præsul ejusdem civitatis, Nobilis Avitæ meæ domûs securitate fretus, hospes morabar cũ stridore armorum, & clamorosis conviciis, calumnijs, & obtrectationibus, irruit, invasitque, taliterq; circumdatum, obsessum, & incarceratum noctu, crudelissimis aggressionibus, densissimis jaculis, immanissimis improperiis afficiebat: Hæc omnia flagitia in personam pastoris sui, plus-

 quam

A.C. 1684 quam tyrannicè vibrata, uti volupem insolentiæ suæ scenam, non alio nisi tristi noctis epilogo terminandam fore proponens, gestiensq;, nec alium planè eventum aut illorum rabies optare, aut conclamata mea salus sperare poterat, dum ad ipsum concitati tumultûs exordium Prælatis, Canonicis, totique clero violentas inferunt manus, vim furoris sui priùs in clero explorantes, audentiùs, ferociusque innocentiæ illorum vindicem, testemque Antistitem trucidâssent. Et procul dubio effecissent, nisi ope Divinâ adiutus, meque signo Crucis muniens in medium seditiosæ, & tumultuantis turbæ inter armorum, mortisque instantaneæ discrimen resignatione processissem, servilesque animos, libertatis, & resolutionis exercitio confudissem, planeque stupentes prostrâssem, quam quærens, contemnensque evasi, expectans procul dubio invenissem mortem. Ab hac igitur clade, tyrannide, & morte, Divinâ planè providentiâ servatus, postquam ex carcere, & detentione Hæretica, liber missus; me, meosque Prælatos, Sacerdotes, Nobiles convulneratos & crudelissimè sauciatos, ad proximius castrum, actaque castrensia pro more gentis stiti, vulnera obduxi, recentiq; magis cruore, quàm atramento eam effrænatorum, & rabiosorum super me meosque exercitam tyrannidem protestatus sum, Regem postmodum, Senatumq; Regni adij, ad justas promptasque injuriæ DEI, libertatis, & legum Patriarum vindicias exhortabar, utpote causam criminis læsæ Majestatis Divinæ, quàm primùm judicari, decidique postulavi. Cunctatione aliqui, nonnulli dissimulatione, cuncti demum protelatione justitiæ laborabant, & ad annum usque & alterum jam imminentem, tam arduum, tantâque consideratione dignum negotium protraxerunt. Tandem magis importunitate mei instantis, quàm zelo proprio permotum supremum regale Tribunal, partes ad tractandam coram se, ejusmodi magnarum importantiarum, & considerationum causam, vocat, admittit, auditque vocatas, admissas, & auditas pro rei veritate, suiq; informatione indaganda Commissariis à se destinatis ad educendum scrutinium, & inquisitionem in locum delicti Thorunium remittit. Quo scrutinio per spatium duarum septimanarum peracto, & jam finito, tandem partes ad concordiam S. R. Mtis suis literis allicit, & persvadet, acceptat civitas Thorunensis arridens, favensque suo dilecto medium, ac eousque in protelandis complanationis mediis variat, & diffugia trahit, donec reponendi *scrutinii* coram eadem S. R. Mte Tribunali terminus translaberetur, sicq; *justitia* sancta suam patiatur moram, quæ, ubi elapsa est, concordiam rumpit, deseritq;. Constet itaq; palàm, quibusvis præsentes lecturis, quanta facilitas mea fuerit, ad ipsius S. R. Mtis persvasionem, ob bonum pacis, Provinciæ tranquillitatem, non jam ad debitam pro tanto scelere, sumendam vindictam, sed magis statuendam complanationem, contra verò, quanta protervia, præsumptio, malitia Thorunensium, quorum tam atroci, & planè inhumano progressu (quem etiam alienæ, quamvis à Religione diffidentes civitates stupent, & abominantur) Divinum, humanúque jus, fas & æquum violavit, status, & Ordines, & conditiones à suprema ad infimam omnes in Regno hoc libero sacris immunitatibus gaudentes, nimirum Episcopalem, & Sacerdotalem dignitatem, & immunitatem violentâ aggressione, Regiâ authoritatẽ, & potestatẽ rebelli turpiq; seditione, Senatoriam prærogativam contemptu, Nobilitarem libertatem servili carcere, vulgi quoque promiscui securitatem publicã, inhumanâ, imò tyrannica, in personas & bona illius sævitie oppresserunt, & prorsus conculcârunt. Hanc igitur tam funestam, & tragicam scenã

scenam in pientissima Catholicorum præcordia, in compassionem un- *A.C.* 1685
ctorum DEI, ejusdem characteris, in trutinam quorumvis, judicium, & trutinam tenentium, in ipsam pietatem civium pro libertate, & legibus Patriis zelantium depono, & ne tanta in oppressionem Senatoriæ dignitatis, ac prærogativæ Nobilitaris præjudicia, & discrimina fiant, media, & modos quæro, depono insuper hujus causæ processum in ipsorum inimicorum meorum corda, cum iisdem in districto DEI judicio compariturus, quique ex vi officiorum suorum huic causæ succurrere deberent, ipsum Triumphatorem DEum compello, non pro persona mea, sed DEI causa, si non pro Senatoria, saltem Episcopali, tanquam uncti DEI dignitate, & Nobilitari securitate loquor, ago, & manifestor, ne id subsequatur, quod sacra innuit pagina, ut percusso Pastore dispergantur oves. Proinde non ex dilectione personæ meæ, sed ex vi juramenti, justitiam DEI, rigorem judiciorum ejus, legesque Patriæ meæ invoco, ac imploro.

MANIFESTATIO COMMISSIONIS LEOPOLIENSIS CONTRA EPISCOPUM CHELMENSEM.

NOS Comissarij ad recipienda & exsolvenda hibernâ constitutione comitiorum proximè præteritorum anni 1680 designati, acceptâ plenâ & perfecta informatione tam ex relatione quorundam Dominorum Collegarum nostrorum, qui proximè præterito Varsaviensi senatûs Consilio præsentes interfuerunt, quàm etiam ex famoso scripto per typum vulgato: qualiter Reverendissimus Episcopus Chelmensis in prænominato senatûs consilio ultra sphæram senatoriæ & spiritualis modestiæ progressus, temerariâ voce contra totum subsellium Commissionis nostræ insurrexit, & in illo primarium caput Palatinum Russiæ supremum Ducem Exercituum Regni Mareschalcum nostrum, senatorem omni exceptione majorem, tum Comissionem totam publici peculatûs insimulavit; nec dixisse contentus, eandem malignitatē, quò popularior foret, adhibito prælo in vulgus edidit: non potuimus non indolere medullitus huic imposturæ ab ea potissimum Persona irrogatæ; cujus vita tot nævis per diversa subsellia notata continuo nocendi usu eo devenit; ut proprij honoris amisso gustu, alieno nigredinem suam deterere conetur, & quæ facit, ab alijs fieri putet. Conscia igitur comissio nostra teneritudinis, quam scrupuloso calculo tam præteriti, quàm præsentis anni proventus juratis liquidationibus manifestaverit, & in massam collectos in distributionem quo ad conflagrationes & prægravationes juxta mentem scripti ad archivum dati, tantâ religione partita sit: ut tā de capitali hibernorū quā etiā de decessibus nihil privata delibaverit manus, insuper ut ostenderet, quemvis hic non spe lucri ductū avarâ sed honesti ambitu obsequij subselliū occupare, salaria Comissariorū annis præteritis usitata sustulerit, & ea attingere noluerit: consequenter Palatinus Russiæ Mareschalcus noster magnorum heros meritorum, contra cujus plena reputationis acta hactenus nec fama mentiri ausa, probavit se in his duabus distributionibus justitiæ cultorē rigidiq; servatorē honesti: nā non tantùm publicus census prætactorum hibernorū nullū cum privatis fortunis præfati Mareschalci habuit comerciū; sed imò sole clarius constat, qualiter tot ab annis non parvo sumptu in hoc subsistendo gubernio, propriæ portionis Ducalis largitione emeritum militem contentat, publiciq; ærarij supplet tenuitatē, captivos proprio ære de servitute redimit, in libertatemq; vindicat, & ad reassumenda militaria obsequia inducit, manu

A. C. 1685 manu liberali sustentat & adjuvat: pro quibus tam gloriosis factis quis stylo infami dignũ judicet? & non potius laureato calamo inter exempla ad posteros transmittendũ? quandoquidẽ Respub. adæquatæ non sufficit meritorũ gratitudini. Non minorẽ merentur compassionem emeriti exercitûs Officiales tot stipendiorũ veterani, qui gloriosis vestigijs Ducis sui insistentes proprijs contenti salarijs, uti puras & intactas participatione alieni in utraq; comissione servârunt manus; ita à grata Patria aliud longè quàm quod propinat invidia, præstolantur solatiũ. Quod ipsum ut liquidius pateat utramq; nostrã distributionem ceu nullo dignum honore opus, in acta publica referendam demandavimus; ut quivis videat & agnoscat nos non nobis sed publicæ laborâsse fortunæ. Quò ad dolorem verò qui intima honestatis nostræ acerbùm penetravit; quãvis memorati scripti abortivum partum non alia luce nisi flamã infami dignum ad Vulcani officinam, ex qua prodijt, damnare competeret: nihilominùs nos Comissarij vindictam hanc alteri loco ceu rogo reservantes, hic & nunc verba duntaxat calumniis reponimus, manifestantes nos in hoc publico totius Commissionis theatro, quòd quemadmodum ad hoc publicum obsequium purâ & innocuâ mente accessimus; ita manibus intaminatis abimus. Obligamus nos sub hæc fide & honore equestri, quòd hanc nostram offensæ innocentiæ querimoniam universis & singulis fratribus nostris imprimis in Comitiolis pro debito honoris sensu deferemus, postmodùm verò etiam in facie universæ Reipub. tantæ vindicias calumniæ urgere non intermittemus,

COPIA LITERARUM JOANNIS III. Ad CARDINALEM BARBERINI.

Cum ad primam de approximante jamq; sub Stepanowce loco inter Camenecum, & Jassi ad fluvium Hyras sito, degente hoste notitiam, non attentâ parùm firmâ protunc valetudine nostrâ, nec momenti dispendium passi Zolkiewiâ Zloczewiam moverimus, ibiq; revocatorias jam nobis delatæ notitiæ repererimus, hærendum nonnihil erat, quid faciendum esset; vicit tandem amor boni publici, dum sumptâ unâ sanitati nræ perquàm necessariâ medicinâ duorum tantùm dierum interposito spatio ad Buczacz perreximus, ubi convocatis, exercitûs nostri gentis utriusq; Polonæ, & Litvanæ, jam congregati primariis Generalibus, Consilium inivimus, de ulteriori belli prosecutione, in quo quantumvis potior Senatûs nostri satis protunc numerosi pars senserit, titulo circumvallationis, vulgò Blocadæ Cameneti, exercitum distribuendum, ut maturè provisiones pro hyeme necessarias provideant. Nos tamen ex innato rerum nostrarum, cum gloria Christiani nominis fervore concludendum rati sumus; exstruendum quantocius sub Wazylow in finibus Moldaviæ Hyra fluvio pontem, ut si hostis hanc in partem (uti fama fert) inclinaret, commodiùs illi occurrere, illumq; in illa Hyræ parte aggredi possemus, antequam cum Camenecensi præsidio jungeretur. Interea verò antequam pons construatur; ne frustra dies effluant, Camenecum igne missili infestare destinavimus

mus, eoq; nomine re tormentariâ ex peculiari peculio nostro provisâ, A.C.1685
& instructâ, filium nostrum primogenitum expediuimus, cui ut belligeranti propria consilia insinuare possemus, hic Jazloweci in Podolia tantùm octo leucis Cameneco subsistimus. Et cum hesternâ die pro his quæ nobis Viennâ, & Venetijs, supervenerũt, felicibus in rem Christianam rei novis, Dno Exercituum gratias reddiderimus, inexpectatus à Moschis Nuntius, vix non oblivisci aliena, obtentu propriorum cogit, dum non tantùm totam Tartarorum potentiam, sed & Cosacorum arma indies nos aggressura non ex vano vereamur, literarum harum à nostro Residente in castra Moschovitica vigore pactorum misso, hic tenor est: quòd scilicet die 27. Junij ad Samariam usq; fluvium Generalis Moschoviticus Gallicinius, cum toto exercitu composito, uti ipsimet nobis significabant, ex trecentis millibus hominum Moschis, & Cosacis, milleq; trecenta magna tormenta (quod fidem superat) secum portante, non viso planè hoste, nec unquam consertâ cum eodem manu, redierit: videbatur quidem versùs Perecopum ire, sed vix aliquatenus à Borysthene moverat, statim iterum pedem, cum summo, si honor in pretio, pudore, nostrarumq; rerum præjudicio retulit, cùm eò tempore Crimæam invadere promiserit, idq; è re sua facere debebat, quando nos Budziakienses Tartaros aggrederemur, sed versa est in luctum cythara nostra, dum hanc æquè infaustam, quam inexpectatam accipimus de regressu eorum notitiam. Consideret Illustritas Vra genium gentis hujus, dum literas, magnifica verbis continentes, per extraordinarios Ablegatos suos nobis de bellicis suis operationibus scribunt, hoc ipso tempore deserunt stationem, nullo vel minimo dato Nuntio, imò nec noster Residens ad castra pervenisset unquam, obstaculis interpositis, cum Generalem Gallicinium adire, & videre, non nisi in reditu potuerit. Etsi exercitus noster versùs Budziaki movisset, nihil certius, quòd tota illa colluvies Tartarorum omnino ex illa parte libera, nihil sperantes, & securos diversionẽ aggressa fuisset. Sed quod majus est, Generalem Cosacorum Samuytowicz (de cujus mala fide Legatis illorum hic præsentibus, per authentica documenta probaueramus) quòd ille per suos milites levis armaturæ in antecessum missos, herbas omnes exurere, obstacula ulteriori prosecutioni ponere, continuas, & secretas cum Hano Tartarorum correspondentias habere ausus fuisset, sub custodiam acceperunt, ferro pedes, manusq; onerârunt, alio, in locum, ejusdem farinæ, & nobis parùm amico Maseppa nomine, substituto, quod gens Cosacorũ ægrè minùs ferens, primò murmurare, pòst rebellionem instituere præseferat, cujus non leve argumentum est jam defacto, cùm aliquot principales Officiales occiderint, aliqua propria fortalitia per tumultum vastauerint, obsessa, motus magnos, & breui ingentem flammam minantes excitârint, qui utinam aliò divertant, ne scilicet cum Tar-

A.C. 1685 *Tartaris, uti jam aliàs fecerant, cum magno Regni nostri damno componant. Nobis enim, uti huic expositis offa, non leue instat periculum, cùm tot hostes, & tam potentes contra nos habeamus; expostulavit Residens noster cum Gallicinio, quòd datum à nobis è re Colligatorum non sequatur consilium, ut nempe in hac parte Borysthenis Oczakowiam, & quædam à Tartaris exstructa fortalitia expugnent, cùm nos Thehiniam, & Bialogrodum aggrediemur, quo per mutuam inter nos communicationem, trium enim dierum distãtia esset, Tartari omnino dividerentur, nec congregari in perpetuum possent, cùm nunc bis tantùm vera de illis audiverimus, per nostros proprios, nam illi nunquam nobis de progreßibus suis significabant; Addidit insuper quòd contra fas, fidemq; datam obliti nostri redeant. Ad quod respondit supradictus Gallicinius relinquere se in finibus potentem manum ad retinendos Tartaros, si Poloniam invadere cogitarent, sed apertè patet gentem hanc tam facilè promittere, quàm fallere fidem, gnaram, omninò falsa pro veris nobis ostendere, cum Nuradyn Soltanus Tartarorum Generalis Primarius in hanc partem Borysthenis transiverit, quod non fecisset, si aliquid præsentâsset impedimentum, imò nihil certius, quòd dum de vicino exercitu nostro penes Camenecum inaudiverint, more suo advolabunt, & fortè citiùs id, quod optabamus, ut eos propiùs attrahere poßimus, habebimus, sed non in eo uti putabamus numero. Omnis enim illa multitudo, quam Moschi occupare debebant, accurret, & nisi potens nobis manus Domini opituletur, non extra evidens periculum erimus.*

Detulimus hoc Ministris Sereniſsimi Imperatoris, & Reipubl. Venetæ ad referendum Principalibus suis, tanta scilicet, dum alij fructus colligunt, non tantùm nos perferre damna, sed imminentia nõ ex vano subuereri pericula. Rogatam etiam Illustritatem Vestram volumus, ut Sanctitati Suæ Nomine nostro id deferat, pro cujus gloria Filio Nro primogenito non parcimus, & ipsi, si occasio & cõjunctura voluerit, sinè ullo sanitatis parùm firmæ respectu Personam Nostram rei Christianæ oppositur i.

INSTRUCTIO AD SELIN GEREJUM HANUM CRIMENSEM

PER Neszteym Murza Sobsa nuncupatum Legatum ad Rempubl: pro solitis muneribus missum sufficienter, & clarè expositum, demandatumq; fuerat cum scitu moderni Legati Oliasa dicti, præcipuè protunc Consocij, idq; in casum mortis, si alterutrum eorum contigerit, quatenus Addziegerejo protunc Hano Crimensi nomine Sacræ Majestatis hæc infra scripta referrent, exponerentq; puncta, scilicet in familia Gierejorum penitiùs sese reflectere velit, quòd cùm illis intendat moliaturq; Porta, prout jam id profundiùs subintraverat, in animum olim Islam, & Mechmet Gierejorum Hanorum Crimensium, licet, si necdum inciderant in ea tempora, atq; rerum mutationes, quas nunc

nunc præsentes Hani Crimenses quotidie deteriores perferunt, ac patiuntur. Cùm jam non modò hos, modò illos instituant detrudantq; Hanos sine quavis legitima causa sumpto sibi quovis levi obtentu, aut quæsitâ aliquâ ad Statum Crimensem displicentiâ. Prout id recentissimè in hisce tribus annis successive ex Principatu detrusis satis practicatum est, Selim Gierejum Hanum deposuerat ex sede ipsemet Imperator tot nominibus fidelitatis, & meritorum erga Portam conspicuum; Nullus enim Hanorum ante ipsum, aut meliùs, aut fideliùs sua Imperatoribus Turcicis præstitit obsequia, mox secundum Hanum mutat, Gierejum detrusit Vezirius anno proximè elapso, virum itidem & ex Persona propria, & ex familia præcipua satis clarum. Tertium tandem Adziegierejũ Hanũ Crimæâ ipsâ subditi ejus possesso exuerunt Principatu. A.C. 1685

Considerandum proinde, quàm arduum, atq; difficilè sit inter tot inconstantis dominationis ludibria subsistere, atq; placere multis. Hinc est, quòd nullus ibi certus sit sui Principatûs, non modò ad annos aliquot, sed ne quidem ad menses, imò nec ad septimanas, aut dies vel momenta constantem sibi certò polliceri potest fortunam. Quodque præcipuum, nisi anno præterito Christianum bellum implicâsset Turcas, jam profectò Tartaris potiorem partem terræ, & ditionis eorum eripuissent. Prout id Bassa de Kaffa moliri cœperat circa veterem Crimæam, cum summa injuria illic degentium incolarum.

Loco gratitudinis, quam perennem Hanis & Tartaris, pro tot eorum obsequiis, & meritis deberent, quoties ex possessione eorum Białogrodum, & Budziaki repetebant, rehabebantq;. Jam autem Tartari Crimenses, quas non patiuntur servitutes, prædam, & captivos belli, si quos habent, capita ipsorum redimunt, seu potiùs contributionem pendunt. Nihil etiam à trajectu super Borysthene solvere coguntur loco debitæ mercedis, & recompensæ pro laboribus, adeoq; liberrima illa toto orbe Taurica Gens solismet Turcis mancipatam se ultro reddidit.

Gaudet nihilominus S. R. Mtas, tanquam vetus amicorum Selim Giereji Hani, quòd ipsum bonitas Divina in avito ejus ex Avis, Atavisq; Principatu rursus collocaverit; existimat enim provisum illi esse nutu DEi, ut non modò sui Principatûs libertatem afferat, sed etiam Gentem suam liberrimam de jugo servitutis aliquando vindicet. Quod nemo faciliùs illo assequi potuit, nec ullus succedaneorum ipsius poterit, cum præcipuis apud Gentem suam, fortitudinis, judicij, & amoris fulgeat talentis. Habet utiq; ante oculos tot exempla aliorum Monarcharum, ejusdem Mahometanæ Sectæ, habet domesticum etiam Padischiorum Buchariensium. Unde clarissima stirps Gierejorum suam traxit originem, quod similitudo Religionis nihil debeat præjudicare libertati. Nam & Padischij Bucharenses, & Persiæ, ac Indiarum Reges, imò nonnulli Emirij Arabiæ licet sint Mahometani, tamen sunt suæ libertatis, nec patiuntur contractum dominationis, aut capi in obsides, pignora, vel genus suum ad Rhodos & Jambol. & cur etiam Selini Gierej Hanus, parem se prædictis Monarchis non posset exhibere, relinquereq; hanc posteris memoriã, ac perennaturam nomini suo gloriam, hoc vel maximè sæculo, DEus T. O. M. palàm demonstret; Non esse voluntatem ipsius, sed unumquemq; liberè, & suaviter genti suæ præesse.

Nec requiritur, exigiturq; hoc, ut Hanus Crimensis bellum contra Turcas efferat; Nam huic adstipulante DEi gratiâ ipsimet Christiani sunt suffecturi; Sed unicum desideratur, quatenus gens Polona cum gente Tartarorum à profusione ulterioris abstineant sangvinis, cùm sint ab immemorabili ævo sibi bonis, amicitijs, & contiguitate junctæ.

Si

A. C. 1685 Si id Hano contrariam reflexionem incutere videatur, ne postmodum Turcæ de ipso pœnas sumant ultionis, si illos adjutorio, & obsequio suo destituisset, his salvandis facilis porrigitur modus, quòd nempe & Imperator Christianorum, & Rex Poloniæ, & Respublica Veneta, ac universi, quicunq; fœdere hujus belli Turcici obstricti, præstituri sunt juramentum, se communibus Hanum defensuros viribus, nec priùs cũ Turcis pacturos, donec ille cum universo Crimensi populo, atque ditionibus ad eum antiquitus spectantibus promulgetur, & declaretur liber, & absolutus Dominus. Perpendat intimiùs Hanus, quid Tartari ad Polonos prætendere possent, aut etiam ad alios Christianos, quid econverso Poloni aut Christiani ad Tartaros? Tartari aliena non concupiscunt, neq; volunt universale orbis usurpare imperium; nam hoc nec DEUS concedit, qui sibimet generale dominium, & arbitriũ reservavit mundi, Christiani itidem nec Poloni prætendunt Crimæam, nec ullam rem quæ pertinet ad Hanum, & Tartaros, ut quid ergo inania cienda, trahendaque bella?

Si itaq; Hanus Crimensis proposita hæc à S. R. Mte, & Republica grato animo acceptaverit, offert imprimis S. R. Mtas nomine suo, totius Regni, & Reipub. æternum cum Hano, & Crymæa fœdus: Quod etiam jure-iurando confirmaturã se pollicetur. Insuper promittit duplicare munera illa, quæ solebat dare Respub. sigillatim verò notabilem sũmam pro persona Hani, quo faciliùs sibi quàm plurimos comparare valeat amicos. Scit enim S. R. Mtas, quòd etiam Crymenses non omnes unum sentiant, dum Hanus cum una Domo contrahit affinitatem, & singularem illi exhibet affectum, tum aliæ familiæ torvo ferunt oculo, atque hinc mutationem, & vicissitudines desiderant. Pollicetur ad extremum nomine aliorum Monarcharum, amicorum suorum, atque eorũ omnium, quicunq; indissolubili nexu amicitiæ, & fœderis copulati sunt, quòd Hanum ejusque commoda nunquam deserturi sint, imò tamdiu bellaturi, donec ipse in suo proprio, atque hæreditario liber constituatur, stabiliaturq; Principatu, ita, ut nequaquam persona, Domus, & sera posteritas ipsius labefactari, nec quopiam modo circa liberam sui Dominationem infringi valeat. Ad quem finem omnib⁹ viribus, ope, adjutorio, consiliis, imò thesauris providendum sibi sciat Hanus.

Ad hæc itaq; puncta daturus est Hanus quantociùs declarationem, sive per eundem Legatum, sive per quempiam alium familiarem, & confidentem suum, ut adhuc pro Comitiis Regni proximè auspicandis supervenire possit, in quibus totum hoc statuetur, quàm arcanissimo secreto, ita ut nemini hoc reveletur, ad quod religione juramenti fides obstringitur.

Cum hisce punctis S. R. Mtas Generosos Karzewski, & Sołtyk expediverat, super ripam Tyram, antequam eum fluvium Hanus tranässet, sed quia de manè non poterant habere copiam (prout conventum erat) neque Carnamet, & Murzæ, neque Alisz Agæ. Tartari interea opportunitate nebularum usi trajecto fluvio, adoriri cœperant, atque sic amicum impediverunt colloquium, imò vix ipsimet prædicti Ablegati periculum effugerant.

Porrò, quantum attinet tractatum cum Turcis, cum his S. R. Mtas, sine sociis, & confœderatis suis, nequaquam pacisci potest. Adest præterea, quòd Residentem Regiæ Mtis, hominem innocuum hucusq; retineant, durissimo, & squallidissimo carcere Budæ, contra jus gentium eundem affixerunt. Acceperat illum tandem Sieraskierus secum usque ad ripas

ripas Danubij, unde supervenerant literæ ab eodem Residente, in quibus optabat pacisci cum Turcis, datum est responsum exprimens omnes injurias, quas Respub. à Turcis indebitè, ac sine causa perpessa est. A.C 1686

Adjunctum fuerat, quatenus aut ipse veniret ad nos, aut saltem referret nobis Sieraskierii sensum, quo scilicet modo has omnes injurias, violentias, & injustitias componere, & resarcire intendat. Unde possemus penetrare, utrum verè, & sincerè Porta nobiscum, & cum Colligatis nostris pacem cupiat, sed ad hæc omnia ne jota repositum est, licet plures, quàm quinque aut sex effluxerint menses.

Perpendat itaque inde Hanus, utrum sincerè nobiscum agant Turcæ, utique etiam ad Zorawnam appromiserat Hanus, quòd authoritate suâ plurimùm vellet pro parte nostra efficere, ipsi verò non modo quidquam ad interpositionem Hani nobis præstare, aut tribuere voluerunt, verùm etiam hoc, quod ad Zorawnam spoponderant, atque pactis subscripserant, infregerunt, ac violârunt. Quomodo itaque Dno DEO, qui justissimus est, hæ, & his similes injustitiæ, violationes Religionis, & verbi, pactorumque nulla securitas placere poterunt? hic justissim⁹ vindex non permittet Regiæ Mti, ejusque Colligatis in justa fatiscere causa, imò benedictionem & victorias cumulabit, in ejus sinum, dum S. R. M. omnes injurias suas, & Reipub. atque tot damna reponit, certus est desuper vindiciarum, & triumphorum.

Hano verò, atque universo populo Crimensi opportunissima porrigitur occasio sese reflectendi, ac ad genuinam, quam etiam animalia, & miseræ appetunt aves, aspirandi libertatem, eandemq; captandi, & obtinendi. Non ampliùs liberrimæ genti Tartarorum dominetur natio, sine nomine, & familia. Nec patiantur strenui Tartarorum viri, Magnis, & clarissimis Giereis viles Imbrahimos, Insupios, Solimanos, Murates imperitare, servilemque dominationem ad præclaros Syrinos, Sysuitas, Marsurulos, Arginos, aliaq; complurima familiarū nomina non permittant extendere mancipiis, ex quibus Turcæ plerumque seligunt, nominaque sua tribuunt, ut à sæculis liberæ, bellicosæ, ac ipsâ vetustate celeberrimæ genti servile incutiant jugum. Minimus etiam virorū Crymensium, & Nohayscensium novit suum Dominium, habet sua arma, seu lingvam eorum, Tamga. jam autem apud Turcas ne maxim⁹ quidem Dominus novit suum genus, aut originem, vel deniq; Tamgan. Sine ortu, sine familia, solo quod sortitur nomine dives. Horret anim⁹ etiam meminisse, cur servi imperent illis Tartarorum viris, quos dominari oportuerat. Præ manibus nunc habet Crymensis Hanus has vices servitutis in usum prosperæ convertere libertatis.

RELATIO CONFERENTIÆ CUM MOSCHIS PRO INFORMATIONE REGIS ET SENATUS AD MANUS CANCELLARII REGNI MISSA. 12 Februarij

ABsoluto trigesimâ nonâ Januarij congressu, intellectoq; ex illo exiguam spem boni publici superesse; quòd tota ea sessio per inane certamen abijsset: visum nobis est, non festinandum esse, ad designandum terminum sequentis conventûs, sed exspectandum, dum à Proceribus Moschoviticis invitaremur. Evenit, uti constitueramus: nam videntes nos supersedere à mittendo; expediêrunt Inter pretem 4tâ Februarij, quærendo, cur ad illos non mitteremus in negotio utriusq; partis celerem finem exigente? cur segnes essemus, nec congressum per denūtiationem designaremus: respondimus, perinde esse, sive cum illis tra-

A.C. 1686 ctaremus, vel non tractaremus: quandoquidem illi opus hoc, à quo felicitas & nomen utriusque penderet Monarchæ, auspicari; ea quæ Commissionibus præteritis & conscientijs Monarcharum nostrorum firmata essent, servare; & quæ plenipotentiæ facienda imperarent, implere & exequi nollent: nobis illos violata aut temerata obijcere pacta nec interim probare. Quodq; maximum gloriosi Regis nostri Nomini, qui Turcicam frameam à Christianitatis cervice non semel avertit, propriæque vitæ periculo integritatem ejus toties in acie sui incurius tutatus est, summe esse injurios; dum venditant jam Tartaros, jā Turcas à Rege contra Moschum inductos & documenta quædam jactant, nec interim ea ostendere volunt: quæ tamen in proximo congressu scirent à nobis requirenda. Plura adhuc adjecimus, ea nos audire quæ nunquam Gens nostra utpotè politicæ assveta & generosa aut audire aut tolerare nosset: rogatos itaque velle, ut tanquam magni viri suorum Principalium obeuntes vicem pari nos civilitate tractent, qualem à nobis experti essent. Nihil ad ea reposuit Internuntius; delaturum se tamen ea appromisit, diēque octavā Januarij à nobis designatam acceptavit. Verùm & ea dies alterâ à Proceribus Moschis instantiâ & petitione ob debiliorem Czadajewi & Zelabuscij valetudinem ad duodecimam præsentis limitanda fuit, quâ ubi comparuimus; prævijs complementis exspectavimus, dum ipsi proponerent, quod & fecerunt in hunc sensum: in præterita sessione volentes inter Monarchas nostros eorumq; dominia perpetuum sancire fœdus, ac universam Christianitatem, quæ in hoc exoptatum opus suos convertit oculos, implere lætitiâ, proposuimus vobis Fratribus nostris sat justa pacis media; quæ quia vobis non placuerunt, alia à vobis audire volumus. Responsum: media ejusmodi proposita non posse pro signis haberi pacis; nam, qui sancire pacem volunt perennem, necessaria decernant necessè est: inter necessaria autem numerantur ea, remotio impedimentorum, disgustuum & dolorum abolitio. Proposuimus & nos vobis ex parte nostra modos & media; qualia fuerunt: ut imprimis conditiones magnorū Principum fide non semel confirmatæ in pactis & conferentijs prætentis decretæ effectui darentur; conjunctio, quæ per suppetias casu, quo bellum Turcicum ingrueret, totis viribus à vobis dandas, ad nos pertinet; ne eâ frustremur, confirmaretur, Kijovia restitueretur, alijsq; punctis satisfieret; quæ ubi executioni mandata fuerint, tum priùs ad tractatum de pace in ævum accessuri sumus: novimus enim probè sine illa perfectam amicitiam & confidentiam stare non posse. Diximus non mirari; cur nobis fractos, an violatos tractatus objicerent: Cari autem per D. Zēboki, & nunc recenter per suum Ablegatum se servaturos promittunt, assecurantq;, vos destinatos esse cum expressa plenipotētia, ut eos in effectū deducatis. Respōderunt illi: quāvis pacta violata nō esset, suppetiæ tamē vobis nō debētur: quia in punctis est, unū alteri succurrere debere, si Imperator Turcarum aut contra nos aut contra vos tentaret bellum: nunc autem vos sponte illum aggressi estis, & quæsivistis in alienis ditionibus: quare quemadmodum ipsi rupistis pacem, ita vobis solis bellandum est. Responsum à nobis: duobus modis Monarchas bellum auspicari, altero per immissionem exercituum; per limitum violationem altero: quod quia Turca fecit, fines nostros sibi vendicando; clarum esse nos ab illo lacessitos, inde deventum ad conjunctionem cum Cæsare, ut in communi causa nostra vindicaremus. Alterum est, quærimus: si Cæsar succubuisset, & Vienna destituta succursu nostro in manus hostium devenisset; quibus medijs post tanta damna robustiore jam Turcâ sive Polonia,

nia, sive vestra dominia in integro remansissent? Quidquid ergo feci- A.C 1686
mus, fecimus id intuitu totius Christianitatis, & vestri boni; ne calamitatem traheret, alterq; alterius periret exitio. Scivimus præterea de stricta vestra amicitia cum Cæsare, speravimusq;, quòd quemadmodũ Monarchæ utriusq; dominia in amicitia viverent, ita etiam communi defensione tuitura se essent; quod in tractatibus vestris cum Cæsare hoc etiam insinuetur, amicos & inimicos utriusq; communes eosdemq; futuros; in nostris autem cautum est, quòd Colligationem vestram pars utraq; procurabit: uti revera his diebus sperandi legati sunt à Cæsare, qui jam in via sunt. Ad ea non dato responso negârunt simpliciter, sibi ejusmodi pacta cum Cæsare esse; quæ quia nos sine illis condidissemus, nec eos invitâssemus ad dictos tractatus, Legati etiam non comparerent, constare inde Moschorum nos non indigere. Jactârunt deinde se voluisse initio statim belli Turcici nobis succurrere, Janowci suppetias obtulisse; sed per intestinam discordiam à nobis non acceptatas, provocatum à nobis Turcam & Camenecum amissum. Respondimus excusandæ nostræ discordiæ sunt: nam quamvis aliqui disgustus fuerint, non tamen tales; quos exitio Reipub: vindicare vellemus: quinimò insignes tum temporis modernus Rex feliciter retulit victorias. Vos quoq; similis flamma longè graviore involvit calamitate; nec enim extincta est, donec cruore magnorum virorum inundata pro dolor! sopiretur. Oblata Janowci auxilia exigebant Commissionem; quæ prævia esse non poterat: quod cum hoste occupati eramus, quisquiliæq; potiùs quàm auxilia offerebantur. Objecerunt deinde Comitia Grodnensia, & imperfectum tractatum de conjunctione armorum contra Portam; cum qua ipsi sine nobis bellum ducere debuerunt. Responsum à nobis: Factum id ex politica cautela; ne ante promulgaremus, quàm inciperemus bellum: secretè verò ea constituimus, quorum egebatis, nimirùm ut vobis succurreremus: ob quã causam expeditus ad vos fuit Castellanus Trocensis, ut Moscuæ de hoc tractaret: interim ad omnes Christianos Principes misimus postulatum auxilia tam nobis quàm vobis. Ad ea itidem nihil responsum, sed objectum ab illis iteratò est Principem Radivilium Viennæ, dum cum Cæsare de conjunctione ab ipsis tractaretur, etiam cum Monte-Cuculli res peracta esset, totum negotium discidisse: quare non tantùm nobis auxilium non dedistis, sed etiam ne alij Monarchæ darent, obstitistis. Retorsimus jocum eum iniquum & contumeliosum esse: nam quomodo impedire suppetias potuimus? quando ipsimet eas à Christianis Principibus implorabamus, & per Legatos nostros Romam, Cæsarem, Hispaniam, Galliam, Angliam, Portugalliam, Daniam, Sueciam, Venetias & alia Regna solicitabamus. Non est igitur ita prout objicitis, non sine novo vulnere cordis nostri; dum reputationẽ magni Regis proprio sangvine Christianitatem defendentis læditis. In præterita sessione ejusmodi objecistis, jam nunc argumenta adducite, quibus id probetis. Responsum negârunt se quidquam Regi objecisse sed soli Karbowscio. Post hæc omnia redierunt ad tractatum de pace perenni conditione propositâ, ne quidquam redderetur. Arguimus contra: nullam aliter pacem sanciri, nisi sub conditione redditionis eorum, quæ adversa fortuna cuipiam abstulisset. Ita hactenus vobiscum tractatus finiti fuêre, sic nos recentia bella & exempla docent, uti nupera inter Galliam, Hollandiam, inter Suecum & Brandeburgicum vicinum nostrum, idq; pretium & firmamentum pacis est; ut cuique reddatur, quod suum est, aliàs infida amicitia, quam renovatus de acceptis damnis

*A. C.*1686 dolor facilè deinceps corrumpit. Quia ergo stabilem optamus amicitiam & fraterna fœdera inter Principes nostros: optamus etiam insimul id, ut tantum opus eo nitatur fundamento, quod subrui imposterùm nequeat. Injecerunt deinde quæstionem; quo commodo illorum futura esset ista conjunctio? respondimus: gloriam nominis secuturam, dilatandos fines, subjugandos Tartaros; qui illis sæpè infesti essent; deniq; domesticam pacem. At frustra eæ fuêre rationes, pertinacia se vinci nõ sivit, brevì postmodum declarârunt se consulendo bono publico totius Christianitatis & sinceræ amicitiæ Principum augmento, ne ex parte sua viderentur perpetuæ pacis abrumpere vinculum, consentire in conjunctionem: nihil tamen reddere posse aut reddituros. Sub hæc manifestum superbiæ & severæ arrogantiæ exhibuerunt vultum; ac si rerum nostrarum status in illorum discretionis cardine verteretur, nec aliter integra nobis posset esse securitas, nisi Moschorum favore sustentaremur. Respondimus, videmus jam in aperto, vos vobismet ipsis nihil, nec nobis quidquam aut toti Christianitati dare & indulgere velle. Non id unius bellum duntaxat est, sed omnium Monarcharum. Alter sine altero perire nequit: profectò si benedictionem suam DEus negaverit, victoriâ amissâ ruina nostra in vestrum concidet tumulum, casu nostro vester obruetur status. Verùm misericordiæ Domini confidimus; quòd quemadmodum hactenùs gloriosam Principis nostri dexteram sustentat & roborat; ita & deinceps eidem assistentiam percutientis Angeli concedet, novas vires & vigorem suppeditabit, dabitq; fortunam, quà grande nomen & fama ejus majora sumat incrementa. Nihil ad hæc reposuerunt, sed ad alia digressi nonnihil gloriati sunt; se Turcis nullum tributum (Haracz dictum) pendere, Imperatorem Turcarum Fratrũ titulo & Cæsarum non Carorum dignari Moschos. Respondimus; non tantùm Fratres sed & Benefactores Caros vocare potest Turca; quia hic & nunc in angustiis est: verùm quid occultior vis fatorũ absconderit, quomodoq; ista amicitia aliquando vobis sit successura, quo fine terminanda, si nobis fortuna nõ faverit, facilè quisq; decidere potest. Delapsi deinde sũt ad dishonores circa titulos in pũcto secundo Andruszeviensiũ pactorũ cautos.

Primo Quod Dnus Skop Vice-Capitaneus Uswiatensis ad Smolenscensem Palatinum scribens titulos Caris ademit, & ne quidem nomen Cari posuit. Responsum ad Cancellariam pertinere, ut tituli debiti dentur: privatos verò homines ex ignorantia quandoq; peccare, non esse quod dishonori ducatur.

2do. Quod Rex in universalibus titulos pactis vetitos usurpet. Responsum liberum id illi esse in suis ditionibus, dummodo ad vos scribendo illis non utatur: replicârunt illi, ad nos: quia ad nostros Cosacos, respondimus, Cosaci non tantùm vestri sed etiam nostri sunt, quia punctum tertium reliquit illos sub potestate & manu Principis nostri.

3tio. Quòd liber typis impressus Piotrkowczyci Cracoviæ, palmes Corybutæa dictus, magnos in se continet dishonores: stemma enim Regium inter palmas emicat, sub eo autem trophæa victoriarum, tormenta, scuta, & diversa arma cum epigraphe: Moschis Scythisq; erepta. Responsum & apud vos diversa typis dantur, subditus Dno suo cõmuniter addit, non minuit laudes, imò quandoq; supra veritatem exaggerat: nec tamen quisquam Monarcharum ideò irascitur, quòd quispiam ludimagister ignarus statûs & arcanorum hæc vel illa scriptis cõmendet.

4to. Quòd circa stemma Regis Casimiri in eodem libro exhibeantur trophæa depicta, gladio desuper & epigraphe hac iñinente: hoc gladio

dio Cerastes Moschicus per dexteram Casimiri sensit se exarmatū. Resp. ut supra, adjecto etiamsi ita foret; materiam indignationis hic non esse quia tam vos de nobis, quàm nos de vobis complures gloriosas retulimus victorias. *A.C.*1686

5to. Censura Candidatorū Procancellarii, postmodùm Archiepiscopi Gnesnensis magnos dishonores in quatuordecim punctis continet: nam dum inter Candidatos Caros nominat, senectam alterius, alterius juventam pro impedimento ad Regnum ponit, & deniq; his verbis perstringit: Rex non literatus est asinus coronatus. Responsum ita quidem in re ipsa esse: provecti breve ævum esse: adolescentem verò nondum adultum prudentiâ incapacem esse Regiminis. Addiderunt & hoc, quòd nullibi illos Caros nominâsset sed tantùm Moschos. Resp. non esse cur irascatur? quia nec nos irascimur, si sic nostrum Principem vocent. Deinde librum hunc non censemus inter libros Procancellarii; semper enim inficiatus est, suumq; partum esse negavit, nec subscriptio illius est: nec litera O convincere potest ipsius esse; nam O cifra est, & apparet quòd malitia cujuspiam voluerit illum odio vestro exponere, ut de illo controverteretis. Verùm jam præterita Commissio discussit id totum, & controversias sopivit, nec erat cur istis occuparemur.

6to Quòd supra nominatus Skop ad Palatinum Smolenscensem pro Alexio posuerit Alexandrum Michàëlowicz. Resp. apud nos quod Alexander, hoc & Alexius est: verùm utcunque ea nomina se habeant, jam totum solvimus supra dicendo: privatorum hominum errores ad Reip. non pertinere culpam.

7mo. Quòd Rex Ablegato Moschovitico dederit universale cum titulis vetitis. Resp. dedit sed tantùm literas passûs ad civitates & oppida suæ jurisdictionis pro angariis sive subvectitiis currib⁹ de jure sibi concessis, non autem ultra confinia in vestras terras.

8vo. Quòd Christophorus Kowalewski Ablegatus Poloniæ anno 1672 vocavit Regem Ducem Kijoviæ, Smolensci & Czernichoviæ. Resp. oretenùs hæc dixit: quare etiam ex nunc resistendum illi erat, reprehendendusq; ipse: aut non suscipienda legatio illius, quanquam nos nihil de hoc scimus absolutè.

9no. Casimirus Marszowski & Josephowicz Mohilovienses titulum Caris ademerunt. Resp. jam id solutum esse ibi, ubi quæstio de Domino Skop fuit, dictum ibi, ignorantiam privatorum errori publico nullatenus esse imputandam.

10mo. In literis Regijs 1676 loco Alexij Michàëlowicz inversum ordinem nominis, positumq; Michàëlem Alexejowicz. Resp. titulus hic rasus est, & alienâ manu scriptus: certè non à nostro quopiam, quia à nobis ejusmodi literas minimè susciperetis: si autem à nobis scriptus non est, manifestum est alienum errorem nequaquam nobis debere imputari.

11mo. Dominus Joannes Gninski inpræsentiarum Procancellarius vester, in literis suis pro Abba datela scripsit Abladela. Resp. error hic calami vel præcipitantia scriptorum fuit, abbreviatione syllabarum usi sunt; unde cùm id de industria factum non fuerit, non videmus, quare id in controversiam vocari debeat?

12mo. Dux exercituum Pac nomini Theodori substituit nomen Georgij Alexejowicz. Resp. prædictus Dux jam fato suo defunctus est: super mortuos autem non erogantur pœnæ.

13tio. Palatinus vester Trocensis scribendo ad Comissarios præteritæ Comissionis, non nominavit Dnos nostros titulo Carorum, sed tantùm

A. C. 1685 tum Principum vulgò Kniazorum. *Resp.* respondit ad hoc punctum ipsemet Palatinus Trocensis, quantum necesse est: ipsius enim hic jocus fuerat.

Tandem enumeratis tot suis dishonoribus adjecerunt hæc formalia: hanc detractionem honoris minimè sepositum aut neglectum iri: pacem autē perpetuam nec sanciri posse nec sanciendam omninò; nisi ijs conditionibus quas jam declarâssent; id de illis sentiremus, quòd pro titulis & honore Principalium suorum parati futuri essent etiam vitæ dispendiū facere: quod ipsum repetitis vicibus iterârunt, toties quoties circumscriptionem pactorum objecerunt, planeq; minas intentârunt: explicitè enim Buturlin, quem pro futuro bello Ducem designârunt, uti re ipsâ jam insignia Ducalia in ipsius conclavi pendent, hoc dixit; pacem eam solo duntaxat pileo tutam esse: vix non prodiderunt, ipsis supplicandum esse. Deniq; declarârunt hoc nobis expresse, rogaruntq; ut conferentiam celeriùs designaremus, in qua non jam de ulla aliqua re colloquium speraremus, præterquam de literis discessûs ab invicem. *Resp.* Videt hoc universum & Deus nos districtè judicabit discernetq; ; quòd non quis alter interveniens hoc sacrum disrumpat opus, nisi vos. Verùm utcunq; id negotium se habet, nondum fortuna Reipub: nostræ adeò desperata est; ut omninò à vobis velut per sumam indigentiam fulcra mendicare necesse habeat. Intendite oculos in præterita tempora: occurrent tot bella, quæ documēto sint, nostras vires resistendo pares, imò & frangendo hosti fuisse. Probavit id præterita expeditio, in qua illi nec palmam nec gloriam concessimus, consequenter non minora nobis promittere possumus; dum tot Christianitatis regna nobis conjungere vires appetunt, quibus aucti Deo in auxilium invocato & invictâ ipsius dexterâ roborati procedemus in arenam, in qua quemlibet Monarcharum nostrorum manet laurea servatæ Christianitatis. Vobiscum autem sancita olim fœdera servare competit; vi quorum, quia sub potestate Regis nostri relictos habemus Cosacos; illorum auxilio, cùm vestras negetis suppetias; universæ succurremus Christianitati. Inter cætera voluerunt hoc totum negotium tractare in conclavi illius partis Comissarij: verùm obstitit Palatinus Posnaniensis dicendo, satius esse; ut tantæ res in oculis omnium tractentur: quò Gentes videant, quis incumbere velit in defensionem Christianitatis, & quis econtra satagat, ut objectis impedimentis salutare disturbet negotium? Sicq; factum est, ut in præsentia omnium, quotquot locus publicus capere poterat, illud tractaretur. Incitamento ad id fuit. Holova Colonellus illorum: cui dum imperâssent Moschi ex loco Comissionis discessum, graviter coram nostris in illos invectus est asserendo: nolunt illi cum Turcis bellum, cum Christianis autem illud omnino gerere volunt: verùm demessa illorum capita per auras volitabunt.

ORATIO RAPHAELIS LESZCZYNSKI PALATINI CALISSIENSIS in initio comitiorum Varsaviæ 1685.

DEcimus fortunati Regni Majestatis vestræ annus novum adinvenit genus triumphi: vincit jam non tantùm hostium arma; sed ipsam vim fatorum: quæ revolutione Dominiorū per quinquennia tam graviter humana vexare sueverunt vota; ut ludendo Regnis etiam verbis illudant: quidq; domum fertis decimò nisi dedecus anno. Non subest huic Regnorum interlunio fortitudo vestræ Mtis; quæ rem ausa apud seros Nepotes plus forsan gloriæ quàm fidei habituram. Viennensem

ſem victoriam, qualem longa retro tempora, & antiquus dies vix audivit legitq; unquam, ſiquis in comparationem illius, qui venit, vidit & vicit, adducere tentaverit; luci non addet honorem. Multum ille detraheret Monarchæ noſtro, qui Romano illi etſi glorioſiſſimo aſſimilaret Principi: habent ſua verba felices; quibus illorum de hoſte palmæ celebrentur: noſtrum triumphatorem ejuſq; triumphum vox nuntiat una, congreſſus eſt, vicit, fugavit, cepit. Stiterunt quondam curſum gloriæ potentiſſimis Ducibus ij; qui anguſtant aditum fractis anfractibus Alpes: dolabris & ferro domandæ in viam fuêre petræ, aceto emolliendæ & humanum pedem pati docendæ rupes: veſtra Mtas incomparabili ad gloriam modo, ferro per obſtinatas ultra ſaxa cervices hoſtium, ſangvineque Paganorum acredines ultra omnes acriore ad immortale ſibi & concreditis gentibus nomen aperuit iter: niſi ſangvine fuſo gaudet habere viam meritò de Mte dixero. Potiùs credidiſſet orbis, tantis exercitibus, quorum ſiti exareſcebant flumina, nec ipſa maria ſuffectura videbantur, ceſſuram palmam; quàm illos Mtis veſtræ trophæis acceſſuros: credet id tamen ſera poſteritas, nec derogabit fidei: intelliget enim eum fuiſſe Regem Poloniæ, quem caput ſibi fecerit orbis. Non interim detraho, nec detrahetur ab alijs quidquam im̃ortali Mtis nomini; dum recolent, quòd non invictam fortitudinem eſſe nefaſtus ille imò neſcio an non inter faſtos numerandus viderit dies; quem minimè erubeſcendum aut tacendum exiſtimo. Etiam gentium & orbis domina funeſtas olim Annibalis victorias computavit non indecorum rata; ſi ferales Cannas & Traſimenum fuſo ceu forent decora ſua, proſequeretur ſtylo. Majori gloriæ Mtis veſtræ locum fecit injuria, nec curſum ſtitit umbra. Receſſit Mtas Vra, ut validiorem impetum caperet; quo feliciter poſtmodum dejecti hoſtis cruore non tantùm terram ad laureas fœcundavit, ſed etiam Danubium tabi Turcici inſolitis adauxit torrentibus, & qua Chriſtiani ſangvinis laborabat perfidus merſit in amne ſitim. Videbatur ulciſci quodammodo poſt funera clades ſuas ad internecionem in arena deletus hoſtis, poſitâ eo ipſo metâ victorijs Mtis: quòd deeſſet qui vinceretur; cùm in locum illius alter ſucceſſit: Sieczynenſia valla & Strigonij mœnia ad plantas cecidêre Regis Cæſareâ pulſante manu. Moderna verò expeditio etſi de Chriſtianitate tantùm non meruit, gloriam tamen Mtis minimè exinanivit: quò difficiliora proh DEUM! vicinorum intenta ad exequendum fuerunt, eò amplius Mtis veſtræ in Chriſtianitatem meritum eſt. Suſtinuit eos, qui non prælio ſed libertate fugæ invicti ſunt, quos non tantùm remorata eſt, ſed etiam ſecundâ afflixit clade, non cedit umbra ſoli. Cujus affectum tanta decora non excitent? cui augurari vetent, ut prima ceſsêre, ſic fore univerſa: quem deniquè non alliciant, ad ulteriora de Patria conſilia? quæ tantò libentiùs Mtas Vra deſignavit, quantò feliciùs priora ſucceſſerunt. Nihil igitur reſtat, niſi, ne perdamus momenta ſæculis æſtimata, id maximi meriti apud DEUM, Chriſtianitatem, & Mtem Vram cenſentes, ne lentè tentato facinore (avertat DEUS) pereat, qui perdere poteſt. *A.C.* 1685

COPIA LITERARUM AD EPISCOPUM CULMENSEM

ET per curſoriam viam, & per Capitaneum Bratianenſem tuæ in manus meas devenerunt literæ; quas pro ſolido & ſolito benevoli in me affectûs tui habeo argumento. Acceſſit inſuper per curſoriam ſcriptum, quod mihi miſiſti. Admiratus ſum plurimum perpendendo impudentiſſimum & imprudentiſſimum projectum, à quo & ratio & conceptus

A.C. 1685 ceptus omnis abest. Distinguit affectum Regis & Reginæ in personam tuam; cujus differentiam nec tu, nec quisquam alius saniore oculo viderit. Nã quemadmodũ oratio tua læto vultu à Rege excepta fuit; ita non min⁹ pronâ aure altera, quam ad Reginã habuisti, ab eadẽ audita est. Quisquis tui honoris importunorũ zelantium detulit sermonẽ tuũ à Regina nõ intellectũ, tibi ipsi est injurius: nam quemadmodum satis luculentè erga Mtes tuus se prodidit affectus; ita non existimo per omnia correspondentiam ex parte utriusq; Mtis desideratam fuisse. Vult ut divinemus; quid Regina nostra artis sub hoc tempus exerceat aut sciat? ac si ignoraret Poloniam nostram Divinis & Auguribus carere? novit illa artem amandi Patriam, cui illam præfecit Altissimus. Eam illa tantoperè deperit; ut etiam natale solum & Domum suam obliviscatur, dum de bono publico res agitur. Conqueritur contra quandam, quam nemo hactenus expertus est arrogantiam: cùm loco illius benevolentiam ejus & propensionem in omnes memoriâ suâ & laudibus celebrare debuisset; quam in dies diversi experiuntur, certi semper sibi per Reginam ad Regem apertam fore viam, comperto in antecessum; qualiter illa sæpe numero cõplurium errores & defectus tegat & excuset, nihilq; gratius habeat eô, quòd affectum Principis cuipiam subditorum conciliare possit: unde & studiosè occasionibus invigilat, quibus beneficia conferat: at loquantur de hoc qui noverunt. Intromisit se intimiùs malignante calamo in instructionem tuam hic zelans; dum arguit te quòd ultra contenta instructionis tuæ nimiùm te humiliaveris, quasi excessus foret, reddere Cæsari, quæ sunt Cæsaris: verùm videtur mihi confusionem ille reportaturus, quando genuinam utriusq; Majestatis de affectu erga Provincias Prussiæ facies relationem: quantum enim ad personam tuam securus gratiæ Regiæ es, quòd in dies novas gratias in inclytam domum tuam ultrò congerat. Arguit te, quod rhythmis loquentem intelligere nequeat, nec divinare possit; acsi cuilibet Pöëtæ necessariò addendus foret Entheus. Tibi etiam secundùm Reginam & mihi secundùm te obtigit portio; dum jocos meos & sales censuræ suæ objicit. Verum est me triste non præferre supercilium, sed nec vultum meum ad speciem componere didici: nôsti enim (cùm aula omnia sciat nihilq; reticeat) dum in obsequiis Principis essem, nullam mihi potuisse inuri notam intuitu obligationis & vocationis Ecclesiasticæ; quam priusquam eligerem; satis expendi mecum, quid valeant humeri, quid ferre excusent. Si propensiorem ad liberam vitam in me deprehendissem phantasiam; nunquam ad eam me contulissem aulam; in qua mille oculi in cujusq; acutè intenti sunt actiones, ubi in aperto viventis tam secundæ quàm proclives in malum sese produnt inclinationes; nunc autem mox à fatis Avunculi mei nolens otio dilapidare annos meos, applicui me ad eos labores & obsequia Principis; quorum me nunquam subitura pœnitentia est, & sic vixi; ne quidquam excusandum habeam. Duxit me bonitas Regia non mei intuitu (homo enim sum non is, quali Majestates egent, egoq; desidero esse: sed pro possibili meo duntaxat obsequi paratus) sed ex respectu obsequiorum & affectuum Coronatoris sui per gradus & in hac Cathedra collocavit; ultra quam etsi non ascenderem, minimè exinde capite laborarem. Inserviam illis ex regula Nobilitaris virtutis, nec aut complex aut eorum de numero ero; quos benefica dextera Principis magis ad suam exaltat mortificationem quàm solatium. Responsum ad tuam orationem ore meo datum tibi displicere non potuit; studui enim, ut verba Reginalis Majestatis, quæ ex pronissimo in Illustrem Domum

mum tuamque personam processerunt corde, vivis quàm optimè coloribus tibi proponerem. Quòd verò hic Pasquinus, vel (ut utar tuis verbis ad me scriptis) hoc stupidum caput Episcopalem tangat concionem; infra me ista habeo: palàm locutus sum toties, & non confundebar, nec erubui unquam prædicare Evangelium, non tamen eo stylo dixi, quem hic inconsideratè allegat; quia non didici Rhetoricam in schola libertinorum. Post absolutam orationem tuam accessisti statim ad osculum manûs Regiæ; Cumque ego respondissem, in vim assecurationis de affectu Reginæ te invitari ad secundum osculum: hic enim est stylus Cancellariæ Polonæ, quo pro arrha affectûs Principis ad osculum dexteræ Domini ostendit viam. Si quid demerui hac voluntate meâ; qua singulari modo Principis tibi repetitâ vice desideravi exhibere gratiã, quisque saniori judicio, etiam hic ipse Zelator arbitretur. In fine projecti hujus mentionem centum virorum facit: multum meditatus sum super hac Apocalypsi; dum tandem recurrit mihi certum scriptum aliquot ante annos à me lectum; in quo ille locus scripturæ allegatur: da mihi centum viros, tibique adscriptus fuit. Novi me cum Reverendo Witowski de hoc, ac si ex nostra prodiisset officina incusatum fuisse: verùm non nostrum id fuit; non enim vacat nobis ejusmodi scriptis tempus prodigere: qui non habet, quod agat, similia scribat. Nobis seria ad agendum in obsequijs Principis habentibus nec voluntas nec tempus talibus scribendis suppetit. Quisquis nihilominùs scripsit ea; non videtur mihi voluisse lædere te: compertam enim habẽs generositatem tuam Author forsan sibi pollicebatur te ab accepto tam pingui Episcopatu à Mtibus præter alias Illustris domûs obligationes audentiùs iturum non tantùm contra centum viros, sed vel contra mille turmas inimicorum Regis. Non existimo igitur, hoc inconsiderato partu justã ad vindictã causã, dum tibi cessationẽ quandẽ mihi autẽ accessionem objicit datã esse. Verùm hæc injuria mea est; quã nec cholerâ dignam censeo: nam si ea me moveret, non nisi ad carnificis man⁹ & infames ignes ista dãnarem scripta ex merito, pro ut consimilibus per decisionem Magni viri, Generalis Majoris Poloniæ non pridem Posnaniæ factum est. Vel tamdiu inquirerem Authorem, donec illũ deprehenderẽ: & siquidem ille esset Ecclesiastici statûs, (quod non suppono) Canonibus dijudicaremur, qui sat gravem pœnam ejusmodi Pasquinis assignant; si sæcularis, statuto cum illo agerem, quod amputandũ nasum decernit talibus hominibus, & præterea ut sub scamno instar latrantis canis revocet, demandat. Spero Deo dante, quandocunque, ejusmodi malignos & impios, prodendos qui serpẽtum instar, viperino stylo, ut in tuis literis de hoc scripto expressisti, honorem eorum lacerant, nigrâque obsignant cerâ, quorum nomina ne quidem ut nominent, digni sunt. Si possibile meminisse tibi, quis ille fuerit vicinior lateri tuo, tempore orationis, quando Regina advenerat? dixisti tum mihi, minimè nos lætos futuros: Regina enim hunc non libenter videt: facilè assequeremur Authorẽ hæc secretiora in publicũ edentem. Non ideò hæc dico, ut vindicem honorẽ Reginalis Mtis; cui hic Pasquinus objicit ea, quæ nemo ullus ne Argus quidem vidit: nam non tantùm Regina à subditis cor suum non avertit, sed quinimò ut magni & honestatis amantes testantur viri, contrarium facit, nec justifico illud, quòd disgustum quendam habueris: nam comperi contrarium, ut antè ita & modò propensum in te & immutatum conservat affectum. Et hoc est, quod me convincit, ut contrarium sentiam ijs rumoribus, qui ad me ex diversis locis per literas deferuntur; ac si Cancellaria tua hujus abortivi scri- A.C. 1685

vi scri-

A. C. 1685 vi scripti fuisset Author: novi enim te & Episcopum & virum tam Natalibus quàm meritis in Patria nostra clarum nunquam attentâsse aut potuisse ejusmodi ausa attentare, quæ tam lege Divinâ quàm humanâ vetitâ sunt. Nequeo nihilominùs pro solita confidentia non deferre tibi, quantam injuriam tibi malevoli inferant, jam autem bonus vir suspicione etiam carere debet: consule honori tuo illiusque intuitu satage, ut Authorem deprehendas. Velis mihi mittere authenticum; seriò juvabo, & investigabo: siquidem cum literis hinc missis in manus tuas projectū hoc devenit; agnoscemus certò tam ex manu quàm papyro hunc clancularium hostem, ipsos cursores in quæstionem vocabimus; quis scit, an non illius memoriam tenebunt? Existimarem literas has meas alijs cōmunicandas, ijs saltem, quibus hoc projectum cōmunicatum fuit. Nihil hic quæro aliud, præterquam tui honoris conservationem, quem tantidem æstimo & appretio, quanti & meum. Sum tuus &c.

COPIA LITERARUM JOANNIS III. Ad PAPAM.

POST oscula beatissimorum pedum Sanctitatis Vræ, mei Regnorumq; meorum humillimam commendationem. Ex Brevi Apostolico, quod à Sanctitate Vra accepi, tum ex relatione mei Ablegati, in curia Romana nunc existentis, apprimè intellexi, operæ pretium esse Sanctitati Vræ filialem genuinamq; de rebus Ungaricis, præsertim verò de Tekelio dare informationem. Suppono non latere Sanctitatem Vram, quantis progressibus Res Turcarum, anteriori anno per Ungariam auctæ, ex eo, quòd eis Tekelius & cum illo Magnates, civitates & plebs superioris Ungariæ adhæserunt, & aliud Sanctitati Vræ, benè notum arbitror, quòd ejusdem Tekelij assistentiâ freti Turcæ, non solùm Ungariam, sed & Austriam spe totâ occuparunt, illo nimirum militaris prudentiæ experimento persuasi, cui nobilitas populusq; alicujus Regionis, favet, ille perpetuus est in campis Victor, dum tellus amica dat opem, dat vires, dat munia ad res gerendas opportuna: præmonet de periculis, præcavet anfractus, imò ipsa quandoq; suggerit consilia. Hæc ergo fuêre motiva, cur susceperim à Cæsare oblatam, pacandi Tekelij, & adhærentis eidem populi, mediationem eo tempore, quo ad Turcicum progredienti bellum, justa suadebat ratio, ut tantum Cæsareis meisq; armis accederet, quantum hosti decederet. Nec irritum fuit consiliū; nam Tekelius medio Martio, necdum comitijs nostris finitis, nondum concluso sociali fœdere, necdum instructo armis Regno meo, expugnatâ propè fines meos Danajecensi arce, quæ post apertam in viscera Poloniæ portam, poterant facessere negotia? facile Sanctitas Vra conjiciet. Attamen spe mediationis nostræ, quam ipsi denunciari feci, ab occasione rerum gerendarum, & turbando sociali fœdere, vix tum coalescente, abstinuit. Expressa demum à me tanquam mediatore, ablegatione persuasus, cum Veziro Budensi Tartarisq; sibi adjunctis, non solùm in Poloniam ad disturbanda armorum præparamenta, sed ne quidem in Silesiam & Moraviam irruptionem suscepit,

pit, quamvis severissimus Vezir magnis urgetur stimulis, pro-ut A.C.1685
id ex authenticis documentis, quæ inter Vesirij scripta reperi, luculenter percepi. Jussus postea cum filijs Turcicanorum Principis & cum Varadinen. Veziro, Bassisq; alijs Cæsareanos impetere Equitatus, seu id ad Preschburgum, seu in alio vel tertio loco fieri debebat, renuit tamen obtemperare, & aliquoties Turcas deseruit à nostratibus cædendos. Pari constantia, ad Viennam vocatus, tardavit venire. Ante Strigoniensem victoriam Turcis ordinabatur conjungendus, ceu non levis virium accessio, ubiq; maluit discrimen amicitiæ Vesirianæ, & pericula vindictæ Turcicæ subire, quàm à spe pacificationis suo cum Principe recedere. Misit ad castra nostra viros de Magnatibus primores, fisus non solum promissis meis, sed etiã cumulo meritorum, in recenti probatorum ex Commissarijs ejus, intellecto eo, quod vix milliaribus aliquot, postquam Danubium superavimus, à nostris abesset exercitibus, & armis, ut legem acciperet, qualem daremus: verùm in Ductoribus exercitus Cæsarei, eam non reperi dispositionem, quatenus tam opportunum unà mecum exequerentur consilium sed cum non placuit armis aggredi, feci quæ restabant. Suasi per literas Cæsari, imò & præsentibus Exercitus Cæsarei Ductoribus, quatenus haberetur ratio, non tã personæ Tekelianæ, quàm Christiani Regni & continuandarum victoriarum: quæ non interruptâ serie sequerentur, si in Ungaria nobis omnia amica, Turcis omnia infensa redderentur. Tandẽ si Tekelius tam invisus esset, ut cũ illo tractare nefas aliquod esset, saltem reliquis Magnatibus præteritorũ oblivio, futurorum spes, restitutio in bona, literalibus instrumentis promitteretur, illiusq; Diplomatis manutentio quod anno 1655, solenni juramento est firmatum. Præcipua difficultas erat, ex prædicto Diplomate, quod in eo, se obligaverit Rex Ungariæ militiã Germanis, & præsidia fortalitiorum indilatè evacuaturum, & solis incolis relicturum. Suscepi onus evincendi apud Ungaros, nè ea peterent, quæ impossibilitas excludit. Utq; contenti essent præsidijs Germanicis & eo, quod Cæsar & Rex, prope decem millia equitum Ungaræ nationis stipendio manuteneret, ne hominibus alias bellicosis, necessitas cujus leges duræ sunt, indecoris conditionibus ducere vitam imponatur. Videtur & aliud punctum ejusdem diplomatis gravaminosum, quod bellum gerenti contra Turcas in Ungaria, Ungariæ Regi imponitur necessitas, coemendorum pro exercitu commeatuum, & hoc punctum rationibus moderationes posse pati suadebam. Nec unquam censui Tekelio concedenda esse post victoriam nomine Cæsareo, eidem offerebat Saponara. Vis erat consilij mei in eo, ut etiam Tekelio abjecto, si merita ejus, à me jam recensita, si favor populi, quo gaudet si animus ejus ad omnia expeditus, si privatæ hominis opes, clientelæ, insessa fortalitia, si desperatio quæ etiam debiles efficit fortes, nõ sunt res dignæ reflexione maturâ, ut saltem habeatur ratio totius gentis Magnatum, quatenus spe avitæ libertatis, quam vitæ suæ anteponunt,

A.C. 1685 ponunt, & præteritorum abolitione, bonorum restitutione, abstrahantur à Tekelio, reddantur legitimo Principi. Prævidebam enim ea, quæ eventura erant, & quorum experimenta si Helvetos, & Belgas respiciamus, non obliterata tenet Cæsareum consilium, quadraginta diebus, quibus postea intra Ungariam remansi, expectavi resolutionem, quid ex ejus dilatione secutum, uterq; nostrum Cæsar, & ego experimur. Omnia mihi in Hungaria hostilia facta cũ Tekelio. Inde fames & pabuli defectus, inde montium prærupta, & saltus insessi, inde diurna nocturnaq;, à fronte, tergo & lateribus lucta, inde à stativis hybernis per clausas civitatum portas, sub rigoribus cœli exclusus Polonus, & Litvanus miles, cui Turcica prælia, ludus Ungarorum persecutio, vix non honor, ut taceam, quanta inde in Regnum meum secuta gravamina, nec diversa experitur Cæsar, quod negatis exercitibus meis mixtis ad invicem, ut in acie stabant, stativis hybernalibus, Turcarum, & Tartarorum exponuntur incursionibus, coguntur q; nostratium opem de longinquo invocare, quam alternis in contuberniis propè habere nolebãt. Nunc primum Tekelius, furtivis & carptim commissis elatus successibus, delibatam apud Turcas redintegrat fidem, Magnatibus, qui suasu meo, ab eo recesserant, per se suosq; imminet, grandi Turcis solatio, quod habeant quo victores exercitus, inter ipsos gelidæ brumæ rigores atterant. Scripsit quidem ad me denuo Tekelius, mediationis invocans beneficium. Sed ne quidem responso meo sum dignatus hominem coactæ malitiæ. Nunc demum dubium non est illis ipsis constare, qui majori ferocia, quàm consilio, promptius linguâ, quàm manu sternebant, & spernebant Tekelium: ignari interea, rem sibi non cum homine uno, sed cum tota gente cum genio locorum accessu difficillimorum esse, cum Turcis Varadinensibus, Agrensibus, cum Tartaris Transsilvanis, ad quos omnes Tekelianus casu necessitatis recursus. Prius itaq; Beatissime Pater volui consulere securitati victoriarum quàm ultioni, si meum, tùm ut dixi valuisset consilium, volui expugnare Tekelium pace, obduratum ad ferri aciem, volui illũ abstrahere à Turcis à quibus vix recesserat, illico multa cooperatus ad victorias, volui ipsum propositis conditionibus, irreconciliabile facere Turcis, ut nostri in posterum esset arbitrij: volui mea mediatione salvum esse, vel ideo, quod nostris armis facilè perire non poterat, fidem ejus ideo habui, sed fidelitatem in Cæsarem, & res Christianas curavi, quia amavi. Retulerint sanè Sti V. ea quæ probare non poterant. Ego Beatitudinem V. informo, non tam calamo, quàm rerum eventu exprimo. Faxint superi, ne ea eveniant, quæ prævideo, ne Turcæ ab iis se juvari in hoc lapsu sentiant, à quibus illorum in Ungaria tyrannidi, supremum discrimen procurare intendebam. Tandem coram Christo JESU, ejusq; in terris Vicario Ste V, est mihi fas profiteri, quòd manum de tabula pacandæ gentis Ungaricæ fero, quòd non per me, tot Ungariæ Magnates professione Catholici, ope-

operato per me à Tekelio recessu, fideles Regi suo subditi, quorum pars major cum Episcopo Nituensi in arce Unguarensi obsidetur, sint perituri: non per me stabit, quòd desperatâ Cæsaris veniâ, totalis animorum ad Tekelium fiet conversio. Et qui accessu ad nos Ungarorum, victricibus armis ejiciendos Turcas, recuperanda ibidem ablata, morali certitudine ominabar, recessu à nostratibus Ungarorum gentis, infensâ, & infestâ illâ terrâ, Christianis intentionibus, num aliquid prosperi sperare licet, imò justum est, subvereri ea, quæ dicere nolint. Non alio fine, Regio candore, & filiali corde, hoc placuit mihi Sti V. deferre, nisi ut post redditam optimarum intentionum mearum, nec tamen acceptarum rationem immunis sim coram DEo, & omnibus à sinistris non bene defæcatorum consiliorum eventibus. Cum ad hanc usq; diem, nihil, nisi dilatoria, & nihil conducentia Lintzio habeamus responsa. Cæterùm ad ea quæ ad manutenendũ sacrum hoc fœdus, recuperandaq; Regni mei per Turcas avulsa, spectant, quod ad enervandam Turcarum & Tartarorum potentiam attinet, nihil intentatum & inexpertum relinquo, assistente Sanctitatis Vestræ Pontificiâ benedictione, & paternâ liberalitate. A. C. 1685

COPIA LITERARUM EPISCOPI CHELMENSIS AD CASTELLANUM CRACOVIENSEM.

PLurimas tibi gratias reddo, quòd me cœlo beaveris manifestô illô sub tua directione ad acta publica datô: suggessisti ita mihi clarissimum argumentum, quòd me DEus nullius dignitatis & meritorum conscium ad suam prædestinaverit gloriam; siquidem nullis meritis gloriari possum: hoc solo coram divina Majestate me manifestare valeo, quòd mihi donâris cœlum. Idem & tibi animitùs opto; si tamen me indignum Episcopum audire volueris. Uti video non divinæ vocationis id opus fuit, ut hac ducali potestate in Patria emineres: nam ille, si cui secundùm suum sanctum beneplacitum aliquod contulerit officium, eidem simul opportunis providet medijs, quibus subnixus pro dignitate & non cum detrimento animæ suæ illud administret. Velis consideratione tuâ in omnes operationes bellicas respicere, conversoq; in antecessum oculo à florentibus annis ad hanc usq; ætatem acta relegere; in nullis divinam tibi favisse benedictionem usquam comperies. Insuper quisquis de militaribus sub fortunæ tuæ auspicia concessit, bellicisq; obsequiis inclarescere voluit; semper infelicem aleam jecit. Computa quot illæ animæ Christianæ in gravem paganorum servitutem abiêrint, pro quibus tua rationem est reddìtura? Non licebit coram DEo illâ excusatione uti, quòd Respubl: non solverit exercitui: responsum enim à DEo referes, non acceptandum fuisse istud officium, cui gerendo necessaria non subministrabantur: dicendum Reipubl, te in tanto disordine rerum conscientiæ tuæ vim & labem inferre non

 posse

A.C. 1685 posse; malle eo carere. En & modò edidisti assignationes, ex quibus hanc sequelam habe; quòd quidquid lacrymarum ex oculis afflicti populi emanabit, totum id in conscientiam tuam domûsq; tuæ ruinam redundabit. Dixi in senatu contra ejusmodi Personas hæreditariam esse excommunicationem; eam ego tibi transmitto. Antiquitate suâ illa firma est, à Comitiis Lencicienfibus sub CASIMIRO Regê acceptata est, observataq; usque ad tempora infelicia JOANNIS CASIMIRI, cujus inde, quæ fortuna fuerit, notorium est: cùm tot etiamnum amissas deploremus provincias. Perpende, num liber in conscientia sis tot deperditis animabus? quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Reddenda omnia sunt, quæcunq; miles tuo instructus mandato extorsit, aliàs non dimittetur peccatum. Non opto ut in Personâ tuam & super posteritatem maledictiones divinæ cadant, quibus oppressa domus tua in perpetuam fatiscat ruinam: illud solùm insinuo ut hoc officium tuæ conscientiæ tam nocivum in arbitrium resignes Reipub, quandoquidem illa in meliorem ordinem res redigere & combinare non vult: hoc candido affectu tibi defero, ne olim in die districti judicij excusationem prætendas nullam te habuisse admonitionem. Quamvis verò non sim pastor tuus; tecum tamen Senator sum, adeoq; mihi dictum existimo: alter alterius onera portate. Id declaro, quod te in meo opere, hoc est in Typographia Masovitica, quam in lucem edo, gloriosissimo describam calamo, eoq; in te agnosco summam prudentiam & modestiam, in rebus bellicis fortuna, seu potius benedictio Divina desideratur: idq; ideo, quòd Divinæ voluntatis non sit, ut hoc fungaris munere: jam autem homini omnimodè incumbit Divinum respicere velle, eiq; conformari. Commendo me sub hæc fraternæ tuæ charitati manens tuus &c.

RELATIO
GESTORUM EXERCITUS S. R. MTIS, ET REIPUBLICÆ SUB MAGNA CLAVA STANISLAI IOANNIS IN IABLONOWO IABLONOWSKI PALATINI, ET GENERALIS TERRARUM RUSSIÆ, DUCIS SUPREMI REGNI, FACTA IN COMITIIS 1685.

A Finitis Comitijs, ultimis Maji diebus accessum imprimis ad repartitionem Exercitûs secundùm computum in scripto ad Archivum expresso in Palatinatus, & terras ex declarationibus Comitialibus.

Ast quia omnibus solvendis non erant, decreto Comitiali, lege publica ex thesauro suppletum est, cumq; nec eo modo satisfieri posset, placuit Statibus Reipub. Tribunali Radomiensi committere, ut residuum suppleret..

Priusquam tamen Comitia terminarentur, ex voluntate Sacræ Regiæ Mtis inito consilio cum Castellano Cracoviensi Campi-Duce Regni Supremus Dux edidit universales ad motum Exercitûs, & in particulari ad quodlibet vexillum, & Regimen, cogendo pro primis Maji sub Leopolim congressum. Abiens Leopolim pro Comitiolis vicarium sub-

stituit

ſtituit in omnem fortuitum caſum Dnum Sierakowski nuper Succamerarium nunc Caſtellanum Bełzenſem, intimavitq; Dominis Colonellis tam in confinijs Volhinienſibus, quàm Pokutenſibus, ut congregata in certo loco vexilla ſecuritati ſuæ conſulendo, omnes hoſtium incurſiones obſervent. *A.C.* 1685

Perbrevi mora ibi interpoſita excurrit quæſiturus locum metandis caſtris opportunum invenitque inter Gliniane & Bałuczyn, præfixo termino confluendi ad caſtra decimâ Julij, eadem die unâ cum Caſtellano Cracovienſi Campi-Duce Regni in tempore advenit.

Interea ex Pokucia relatio facta à Dimidecki in cuſtodiam ſuî multum intento, 1500 Tartarorum cum aliquot centenis Lipkarum nonnulliſq; Turcarum Cameneco, eruptionem feciſſe, ignaros præſidij in illis oris locati, circa Siemakowice, & Zabłotowo, populos & jumenta abegiſſe tentaturos in vado Iſtri ſub Waſilowbrodek tranſitum, quos citis paſſibus inſecutus Dimidecki licet viribus impar reſiſtendo hoſti, probe tamen gnarus, omnium actionum vile decus, quas non erexit prævius horror, aggreſſus hoſtem in tranſvadatione diviſum, Jaſſyrum cum omnibus jumentis recepit, nonnullis hoſtium cæſis, binos Turcas unà cum aliquot Tartaris captivavit, Duciq; dono miſit.

Poſt triduum innotuit à Lazninski Colonello, vexilla in confinijs Volhinienſibus, etſi triginta aliquot numerentur, oris illis non multum præſidij allatura, eò quòd rarus in ijs miles reperiatur. Unde paucis ab hinc diebus quatuor Tartarorum millia, Turcarum & Lipkarũ aliquot centeni irruptione facta in campos Lachovicenſes ſub Holowce villas deprædati homines & pecora abegerunt, nec fuit, qui illis ſe opponeret, ad intercipiendum tamen indicem decem vexilla expedita, fugientium veſtigijs inſtiterunt, tres Tartaros adduxerunt captivos, à quibus relatum: Sieraskierum cum decem Baſſis Danubium trajeciſſe, Hanum Budzakis cum omni robore ſubſiſtere, initiumq; belli à Niemirovia ſumendum. Ergo relicto rumoribus tempore, quo ſeneſcerent, & tamen informatione hâc habitâ, ſine mora conſcriptio exercitûs in tempore abſoluta ibidem ſub Gliniany, & in craſtinum movit exercitus ad Vſcie, proxime Iſtrum ſub Gołogory. Sub Uſcie verò dum exercitus caſtra figere incipit ad vadum Iſtrium & in omnes partes ac motus hoſtiles oculus conjectus, excubitores & exploratores expediti. Domini Colonelli præcauti pontem ſupra Iſtrum pro omni caſu & neceſſitate ædificare in corbibus contexis demandarunt. Venit alterâ die à Dimidecki Colonello notitia decem millia Tartarorum & quinq; milla Turcarum ſub Szyn Baſſa deductis trecentis curribus annonæ ex Maldavia ſub Camenecum mox tumultuariè proſiliiſſe in Pokuciam, & imprimis ſubrepſiſſe ſub Horodenkam, ſed improba nunquam ſpes læta diu, ſtatim ſignificatum Dimidecio ſub Gwizdce exiſtenti de hac turba, qui unà cum vexillis ibi comorantibus diſperſos fugarunt & ceciderunt.

Hoc velut ab æthere ſigno dato, alia quoque vexilla ex ſuis ſtativis eruperunt, per agros palantem hoſtem aggreſſa eò felicius quò celerius. Verùm in exiguum militem noſtrum hoſtium ſæviebat rabies, venturæ neſcia mortis, dum auxiliante Deo, ſorte Sacræ Regiæ Mtis, & audaciâ Heroum, pars eorum capite plexi, pars manibus mutilati redierunt, & armis, pars equis orbati victima frameæ noſtræ facti non nulli ex montibus præcipites eliſis cervicibus viam egredienti animæ fecêre, occiſorum 1500 numerare erat, ſed & ruſtici in ſylvis quoſdam in ſumma arborum eniſos haſtis ſuis metam poſuerunt, alios unà cum præciſis arbo-

A. C. 1685 arboribus humi prostraverunt, centum quorum vita servata captivorum sortem induêre.

Post hæc jussu Ducis accelerans Bialocerkiâ ad exercitum cum legione sua Paleyo Colonellus, Heroicis facinoribus illustris duo vexilla Tartarorum palantium sub Lachowce aggressus, septuaginta eorum captivavit, multos cecidit, vix viginti fugâ se subduxerunt, equis omnes fermè destituti. Cosaci pariter Mohilæ Ducis inter Zinkowo & Kamien Tartarorum nonnullos prostravere, captivos septemdecim cum plurimis equis abduxere. Szczuroviensis itidem Colonellus, excubiarum præfect⁹ assignatos limites transgressus Serder Valachum cum copijs ejus, centumque Turcis profligavit. Omnes fere machinationes hostium in irritũ cecidêre pertinaciæ & audaciæ ipsorũ merces fuêre supplicia;& milites nostri gavisi sangvine fuso. Horum ergo omnium captivorum, concors fuit relatio: Hanum cum omni milite suo, & Sieraskierum cum 15 millibus tormentisq; Cecoram tendere ibi initurũ consilium, an petenda Niemirovia ad confligendum cum Mohila Duce S. R. Mtis & Reip. Zaporoviensis, sedemq; ibi figendam Sulinio Duci Turcarum; an *Sniatinũ* versus eundum aliaque propinqua loca, unde milites nostri citra edictũ & licentiam assiduis excursionibus prædas abigebant ex Valachia, super quo Hospodar & Bojari querelas Sieraskiero deposuêre.

Igitur habitâ appropinquantis hostis notitiâ cogitatum de modo instantibus malis obviandi; placuit ergo consilio bellico, cum ex Valachia innotuerit, quòd Galga Soldanus ab Hano cum viginti millibus Tartarorum iturus sit cis Danubium in Hungariam contra exercitum Cæsareum, nobis diversionem in Valachia faciendam, cum ars bellica jubeat, bella trahi & patria procul tellure teneri.

Et sic sine mora, dum interea pons Istro insterneretur, providendo securitatem confinijs à Camenecensi præsidio, tradidit Dux 20 vexilla directioni Dni Laskovij Dapiferi Kijoviensis Præfecti vexilli cataphractæ militiæ Principis Radzivilij Stabuli Magni Ducatûs Litvaniæ Præfecti, & insuper Trembowolcensis arx, & Janovia collateralis uno Regimine, Niemirovia duobus Regiminibus bonis, Sniatinum, & Horedka duobus, Czerlenica, & pons sub Vscie regimine uno munita. Executioni deinde mandatum consilium bellicum, appropinquatumq; Sniatino. Pòst transgressisBokovinã exValachia relatum,hostem divisum esse, movisseq; ex Cecora, ad cujus certitudinem inferendam expeditus Iskra *Colonellus* sub Periciam, exercitus interea locatus sub Bujany in loco vasto & trajectibus securo, citra moram Iskra reversus notificat, hostem esse in propinquo, crasq; affuturum. Fidem fecit relatis eventus, affuit nimirum postera die hostis sperans ex improviso castra nostra se obruturum. Ast falsum se advertit, cum reperiret trajectus milite desultorio munitos, stareq; ordine certo aciem. Cum tamen sub initium transitum urgeret hostis, nimbo ferreo obrutus ab hoc milite desultorio, sub cujus favore nonnulla vexilla trans fluvium hostem fugientem insecuta, cæsis 30 equis & Equitibus insignia Murzacia, aliàs Bunczukow sex accepêre, ipsumq; insigne pretiosum aulæ Soltani Galga occiso signifero Tartaro qui inanimo hoc signo alijs ad confligendum animos addebat. Dum interea Dux conglomerari Tartaros, certũq; militi cis trajectum instare discrimen advertit, reditum ad castra imperavit. Interea in edito colle velut in specula in omnem casum Dux intentus, observat ad lævam alam in vado medio milliari dissito aliquot millia Tartarorum transitum tentare, jamq; duo millia transvadârant, cùm aliquot agmina sub Martino

Chomę-

Chomętowski Castellano Zarnoviecensi, Radecki Vexillifero moderno Horodecensi, & Wilkonski tunc Præfecto vexilli Capitanei Buscensis, cumq; illis Wieloburski, & Ledochowski Castellanides Volhynenses, expedivit ut consererent cum hoste transgresso, conseruerunt, ast hic statim dare terga coactus, impulsus in trajectum, cæsusq;, quatuor Tartarorum vivi delati, nec non vexillum ipsius Sołdani Gałga, aliaque signa, vulgò Bunczuki, Murzacia adempta, adeo, ut nulla fuerit non certa manus, non lancea felix, sed sub ipso tamen Castellano equus in eo conflictu jaculo tactus. Videns hostis in fronte æquè ac in læva ala aleã Martis sibi adversam cadere, cum eo temporis Turcicus exercitus jam adventasset cum Janczaris, omne robur suum in dextram alam convertit, ubi exercitus Cosacorum è regione locatus in proximo cum carragine stetit sed ordine nõ servato imparatos soloq; loci situ munitos, quia profũdo trajectu sejunctos advertens hostis alacres per saxa delati, torrentemque ruunt, & Tartari & Janczari carraginem intercepturi, nisi in tempore Dux è specula collis sui periculum observasset, primasq; legiones in succursum ire jussisset. Dum hoc agitur, ne belli alea in illa ala sinistre caderet Josephus Słuszka Castellanus Vilnensis cum omnibus vexillis suis opportunũ tulit auxiliũ, comitabatur illũ Zaboklicki Vexillifer Braclaviensis cum agmine suo, vexilla loricata omnia legionis Ducis Campestris Regni, sub Poniatowski cataphracti S. R. Mtis, & regimina pedestria cum tribus tormentis, Skarbek Judex Haliciensis, cum vexillo cataphracto legionis suæ, & Pincerna modernus Regni, cum cataphractis etiam Serenissimi Principis Jacobi vexillis, aliaq; vexilla ex legione S. R. Mtis levioris armaturæ sub Wronowski Capitaneo Litinensi, & ex legione Ducis sub Chełmski Subdapifero Sandomiriensi, ex legione Mareschalci Minoris Regni sub Grocholski cum Regiminibus Desultoriis Ducis & Castellani Sandomiriensis accessêre propinquiùs & oppertunè valde in ipso æstu conflictus. Ibi propriè venerat sum̃a dies, gestaq; res maxima belli, in illum ab initio hostilem impetum compulsi milites, dum intuentur tot telis sua fata peti, & corpora fusa, mox robur, animosque infractos monstravêre, dum repulso iterum hoste plenis acies mox sparsa manìplis. Ceciderunt & prostrarunt multos cum antesignanis suis vexilla illa, eligendo satius mori quàm ferre pudorem. Hæc acta dexteritate ductuq; Castellani Vilnensis, patuit quantum Magno Ducatu Lit. cordi sit, salus Regni nostri. Non declinabant pericula, fatendum est, invicti, clypeoq; animosi teste Leone, Colonelli utriusque gentis, quia & Zaboklicki Vexillifer Braclaviensis bis in eodẽ certamine glande tact⁹ tanto sui stetit obside fati viriliter & audacter. Et pl⁹ dãni hosti inferri potuisset, sed trajectum transcendere ad tanta inimici agmina visum est improvisum. Manibus tamen per trajectum cum Janczaris & Turcis jaculabantur vexilla abinvicem adeò, ut ex campo depellerent. A nona hora, ad semi quartam pomeridianam duravit prælium. Hoc nostrũ damnum, quòd duodecim heroum periêre, inter quos Moczulski vexilli levioris armaturæ Capitanei Kazimiriensis Vexillifer gravi ictu ex Janczàrka tactus occubuit. Viginti ad hoc cecidêre, com̃ilitonum & famulorum, equorum verò aliquot supra denos. Evanuit ergo inimicus ex martiali campo, videns quòd furor suus omni careret effectu, imò plagis oneravit numerosa cicatrix, & nos recessimus cruenta benè framea. Ex relatione captivorum constitit, Hanum cum omni robore præsentem adesse exercitui omnesq; Soldanos, Crimi paucos remansisse. Etiam Soldanum Galga cum viginti millibus selectorum Tartarorum expeditum perendie

A.C. 1685
Martinus Chomętowski

A.C. 1685 die abitûs sui ad Danubium habitâ notitâ de exercitibus nostris, properare eos in terram Valachicam, rediisse rursus ad Han, & fuisse cum copiis suis in hoc conflictu, ipsummet dextram alam adduxisse ulciscendo, in læva ab initio certaminis insigne suum ablatum esse; præterea quatuor millia Tartarorum Abazorum ultra Czerkasos habitantium, qui in præliis nunquam hic fuerunt, vix non præcipuum inter exercitum populum, & in specialibus equis. Numerari Tartarorum in universum centum viginti millia. Sieraskierum habere octo millia, Janczarorum adesse duodecim millia. Tormenta triginta novem. Commeatû qui ire debuit cum exercitu ad Camenecum, subsistere Jassiis, ad ulteriorem dispositionem. Ad famam: exercitûs nostri parvum esse numerum, venisse eos non tam animo bellandi, quàm spe illum discerpendi. Igitur per noctem post talē cum hoste laborem fessis data corporibus quies. In crastinum verò rebus in tempore dispositis, gratijs peractis DEo pro hesterna benedictione, ulteriùs exercitus prece supplici Numen auxiliare vocat.

Ordine ergo itum ad trajectum, quia illum transire ob carraginem non videbatur consultum, omnes intenti erant in fraudes & stratagemata hostium. Sed ille in altera parte trajectûs stetit immobilis, & vix aliquot centeni in peripheriam hesterni assultûs in præludium excurrêre. Depulit illos citò nostrorum & M. Dtûs L. alacritas militum, factâ & ibi non parva jactura in hoste, quamvis & ex nostra parte Pallejus Colonellus graviter ex Janczarka læsus, & Commilito vexilli Ducis cataphracti Casimirus Zawadzki Dapifer Wielunensis, sed non tam noxiè. Indices deniq; quinq;, & in hac divulsione Prælusorum hostilium, & ex alijs structis insidiis adducti, sextum verò captivum famuli dum in secantes gramina inciderant, cœperunt. Peractâ ita die hâc integrâ, feriâ tertiâ in ordine, dum hostis intra claustra dilato Marte quievit, & nostri die inclinato ad vesperam abiêrunt ex campo Martio. Quid ultra factô opus, si ita hostis ludere voluerit: An in illam partem obviàm hosti traducenda carrago, occasioq; quærenda eum opprimendi? an etiam secedendum ad Prut, & non negandum in planos hosti descendere campos. Consilium factum vesperi, consultius esse judicatum ad Prut carraginem deducere non tantum propter pascua, sed etiam ut inimico detur aliquid spatij ad confligendum. Ergo feriâ quartâ insequenti ipsi compositi in ordine, carrago ad explosionem ex tormento à *Castris* primis cœpit commoveri, unàq; cum illa exercitus. Videre erat imprimis aliquot millia Tartarorum transvadantium in latere, quæ si exercitus recederet, carraginem invaderent, aut si ad ulteriores vires inimici, inchoaretur æstus certaminis, instructâ acie nostrâ, eandem carraginem aggrederentur, aut ipso tempore æstuantis belli tergum præriperent, & aciem confunderent, huic tamen periculo in tempore succursum, legionibus primis in vigilijs incedentibus ordinatis, & aliquot alijs regiminibus. Exercitus Zaporoviensis, & simul sub Poniatowski vexillum levioris armaturæ, Castellani Cracoviensis Ducis Campestris Regni; vexilla septem ejusdem armaturæ in tractu cursûs, cum ex monte, in quo instructa acies stetit, convenerunt, & mediis concurrêre campis, apparuit locus. Transgessa illa agmina Tartarorum trajectum, insimul Turcarum, ex omnibus partibus impugnârunt nostros. Comitatum Commilitonum expeditorum tenuit illo tempore Cinski Colonellus bello ferox, acerrimus armis ante instructam aciem spatio duorum stadiorum. Toleravit diu faciesq; truces, oculosq; minaces impetûs hostilis

hostilis, sed patiendi amplius videns impossibilitatem, & continendi militem, præcipitavit se ad ordinatam aciem, sibi innisum ducendo hostem. Ex nuperna felicitate, cum jus habuerint in hostes, stipulata tergum octo vexilla levioris armaturæ proxima, congressa strenuè satis cum illo hoste, statimq; fugârunt. Insequebantur illum ab acie sua ultra duo stadia, gladiis illi compressis; plurimisq; jaculis, unam non explent vulnera mortem; usq; in ipsos ferè insultu facto Janczaros; qui, cum & igne denso sævire cœpissent, & insultus alios Tartaricos disrumpere vexilla voluissent, datum receptui. Igitur terga vertendo & confligendo cum hoste, sine discrimine, redierunt feliciter ad castra. *A.C. 1685*

Achmet Aga Kichaia, Soldanus, Galgæ ipsius, raptus vivus in hoc experimento: viri clara facies. Vix adductum quærere incipit Dux de ulterioribus hostis machinationibus, omnes ferè turbæ illæ quatere dextram alam, quam tenuit Palatinus Kijoviensis Generalis Artileriæ Regni, semper insignis famâ, felicibus armis, voluerant, & subrepserant. Sed cum æthereo movens fumavit sulphure ferrum, & ex tormentis, & ex manualibus armis admisso propius hoste dare jussisset Dux, dissipavit statim illas nubes diffusas turmarum Tartaricarum, & vidente iniquam sortem suam, imò mortem omni in casu, migrârunt iterum agmina illa in lævam alam, quam tenuit ab hostico Castellanus Vilnensis, Dux Campestris M. D. L. cum eodem Exercitu, & Princeps Curlandiæ cum Regiminibus in eadem ala directis, & bis strenuè valde pergebant ad alam præfatam. Sed qualibet vice pro audacia sua lætales ictus reportârunt, innumeris cadaveribus campo stratis, hostem insecuta vexilla M. Dtûs L. cum Ductore suo, sæpius insiliendo represserunt, & fugârunt, nec tanti periere labores, multos enim hostium sauciârunt; sub ipsum prælij æstum, supra 10000 Tartarorum ad carraginē irrepsere, sed tempestiva illa dispositione obviatū huic hostili insultui. In tot incursionib⁹ hostiū, tres solùm è medio nostrî occubuére. *Martinus Kącki*

FeriâQuartâ ad meridiem hostis æquè ac nostræ castris se continuerunt copiæ. Sub vesperam relatum ab excubijs hostem ordine servato egredi. Dum varia super hoc fierent judicia, eventus rem propalavit, dum tormenta in propugnacula conduceret, ut castra nostra impeteret. Nullus è castris nostris factus in campum transitus, latum solummodo mandatum, ut in omni promptitudine stet circumfusa juventus, nixa hastis, pronasq; ferro accomodet aures. Quinquies ex quindecim tormentis explosum, cum interea dies in vesperam inclinavit, redijt hostis rursū cum tormentis, & nostri quieti se dedêre. Post hæc ne pernicitas, & audacia Tartarica sæpius nostris inhiaret castris, comoditas major pabuli aliæq; ad conflictum circumstantiæ considerandæ erant: opportuna valli pars visa propinqui, dati in colle in aliquibus locis reditus. Hostis in illa parte trajectûs tentorijs suis & oneribus relictis, cum solis tantùm tormentis, & ammunitionibus in hanc partem trajecerat & se sepivit. Han & Soltani omnes cum Sieraskiero ad vallum stabant, & noctabant. Tartari penè omnes convenerant pro nocte ad propugnacula, ibi autem ad tentoria, ex quo trajectus securos reddebant, aliquot millia hominum vix fuerant. Feriâ sextâ, cum Driuma festum apud hostem esset non exiverat ad campum, sed tantùm partim ad nostra propugnacula, partim ad castra altius jaculatus citra ullam jacturam aut damnū. Tormenta autem nostra in recessus illos deducta oppositaq; inimicorum propugnaculis, effulsit hîc prudens vigilantia, & exemplaris scientia Palatini Kijoviensis Generalis Artilleriæ Regni, dum ipse à diluculo adus-

que

A. C. 1685 que crepusculum tormentis præsens inspiciebat, dirigebat, magnum hosti & propugnaculis ejus damnum inferens. Dum ergo hostis solis fidebat dolis nosq; incautos vellet in insidias inducere, consilio belli decretum, aperto campo cum illo confligere, medio DEUS posuit omnia campo, interim omnibus ad conflictum instructis, adducuntur duo captivi Tartari à famulis gramen falcantibus intercepti, quorum relatio fuit: Sieraskierum amplius, aperto marte cum nostris non decertaturum idq; ex consilio Hani eò, quòd Murzæ Primores, & maximi Asseclæ tam Tartarorum, quàm Turcarum sunt cæsi, & sic formali non fidunt prælio, licet milite abundent, sicq; cæsos esse ut more gentium ad investienda corpora mortuorum, & occisorum Principaliorum non sufficiant carbasa. Quapropter & nos substitimus cum educendo Exercitu, & hæc dies cessavit Marte cruento. Non facile tamen dictu, quàm multi qualibet die in velitationibus, & varijs insidijs tam Tartarorum quàm Turcarum à nostris sint cæsi aut in captivitatem abducti. Cum verò constaret solis insidijs hostem intentum acie non dimicaturum, nec locus nobis arrideret, placuit ordine longo progredi, transireque densam sylvam Bukowinam locum struendis dolis aptum. Igitur feriâ quartâ ante auroræ ortum carrago, sub ipsum ortum exercitus è castris movit, quod advertentes Tartari, nec valentes sylvæ ingressum impedire, quamvis tormenta Turcica fuissent adducta, & sub quasdam quercus locata, inscensis hisce arboribus Tartari versus nostros explodebant sed citra effectum. Postremum agmen claudebat Castellanus Haliciensis Generalis major; hic cum Janczaris aliò vocabulo Triarijs concertando quamvis in manu graviter vulneratus, sua tamen statione non cessit, egregiè munere functus, hostiles sustinuit & repressit impetus. Tormenta illa Turcica Divinâ sic ordinãte providentiâ, quamvis in angusto loco nos repererint, nihil tamen dãni intulêre, præterquam quòd militis unius manum læsêre. Extremam aciem claudebant pedites cum 20 vexillis loricatorum, sumâ rei comissa Palatino Kijoviensi, imperatumq; ut mandato ejus essent audientes, ipse Dux cum Castellano Vilnensi omni occasioni intentus frontem exercitûs petijt, & in ipso sylvæ egressu aliquot difficiles ad trajiciendum reperit trajectus Et ecce invenit palantes omnes fermè Tartaros in montibus & sylvis carragini & primis vigilijs inhiantes paratosq; insilire quamprimum egressum ex Bukovina tentarent. Festino res egebat cõsilio, cunctando nec Fabius hic restituisset rem, celere hic facto opus erat. Redactus in ordinem excitus, frons hosti explicata, latera obfirmata, undiq; provisum, principalis de trajectu conficiendo subijt cogitatio. Huic dum intenditur, insonuêre in extrema acie tormentorum boatus, & manualium bombardarum strepitus, moxq; relatum, quinq; Triariorum millia cum octo millibus gregariorum impetum fecisse in Palatinum Kijoviensem sub Bukovina, sed exonerata cominus tormenta bolos hosti concoctu difficiles suggessisse, 60 prostrasse, reliquisque regressum persvasisse. Attamen prostrata toties lernæa hydra, à clade semper surgebat validior. Videre ibi erat Generales ignem spirare unàq; cum cæteris Officialibus vitæ & sangvinis prodigis cum hoste conferere, animosq; militum accendere. Et quamvis jam extrema quoq; acies in Bukovinã se recepisset, haud tamen cessavit hostem infestare ipseque locus stimulos addidit furori. Tormenta illi violenter appetere & hæc spes extrema illos tentare fecit, licet extrema acies ferreum eis obviam plueret imbrem ut ignem in animis ferocioribus extingveret. Cum angustiæ viarum in Bukovina tormentis difficilem facerent transitum, ob id in hoste addebat

debat ira ferox moturas in prælia voces, ast clamores & strepitus áëra *A.C.* 1685
non viros verberabant, quodq; loci situs fecerat difficile, industria & resolutio militum reddebat facile, cum armatum securibus prævium agmē in Janczaros insiliret, eosq; domaret. Sic speluncâ illa Bukovinæ superata & carrago ad spatium medij milliaris deducta, quamvis in magnis æstibus, ac si Jupiter fulmina misisset. Hostis tamen assiduô procedebat prædæ inhians. Ventum ad trajectum cis illam cavernam Bukovinæ cū tormentis ut ad vicina mænia castris, versi in illum pedites Desultorij, & illa levioris armaturæ vexilla ad hostis hujus turbas, vulnera, & mortem nihili habentis; adjecit eis Dux octo vexilla ejusdem armatura sub directione Liniewski Venatoris Belzensis Præfecti vexilli levioris armaturæ Palatini Cracoviensis, ut junctis viribus hostem aggrederentur; sub quorum adventum omnes ruere in hostes, frameis obvios petere, confundere, jugulare, ijs solùm vita servata, quos inter opacos anfractus abdidêre viæ, aut densa sylva velavit. Cesserunt hic in prædam militibus vestes, gladii, tiaræ & pecuniæ, multi enim primores antesignani agminis hostilis eo in conflictu occubuêre, occisorum hostium mille numerabantur, inter audaciores ductores, Agi Spahijque vocati. Clades hæc reliquis hostium terrorem incussit, nec à tergo nec à fronte quispiam cernebatur, omnes per occulta viarum ad tutiora se recepêre datumque tempus reliquijs carraginis nostræ & extremæ aciei jam decrescēte sole in planū per trajectū, descēdere. Prælii hujᵘ ardor nō nisi 36 peditū nostrorū cū aliquot famulis absūpsit Fatis cōcessit Berēs Colonellᵘ glande tactᵘ, subcēturio Morsztyn prope tempora globo ictus. Opus hoc erat divinæ dexteræ, quod tam minaces acresq; hostium insultus tam modicū nobis damni intulerint. Intenderat hoc die hostis (ut ex relatione captivorum constitit) gnarus trajectuum & angustarum viarum sub favore Valachorum, per Tartaros primas excubias & carraginem intercipere, per exercitum Turcicum extremam aciem impetere, & sic à tergo & à fronte contra nos agere, sed redijt in authorem pœna. Per noctis tenebras tempus quieti est indultum. Die Jovis insequente hostem nostri abijsse rati cum exoriente aurora carrago ad medium milliare à castris sub Linkowce expedita est, cum ecce ex Bukovina Tartari cum Turcis se effundere, trajectum à quo nostri ultra tria stadia recesserant, transire. Suboluit jam antea ea res sagacitati Ducis, unde nonnullos directioni Iskræ gnari militiæ, corpore validi, & bello suffecturi comisit, qui ex insidiis transeuntium terga peterent. Ubi pars hostium trajecisset, obviàm illis itum, à tergo impetiit Iskra, pars hostium cæsi, pars ex equis & trajectu in flumen præcipites dati, Agam Triariorum magnum apud Turcas Heröem & percharum Suliman Bassæ Seraskieri, qui primas tunc obtinuit, velut ex condicto cum illo congressus, occidit, & ex equo deiecit Iskra, quidq; præterea præclari ibi egerit, documento erunt sequentia. Locati erant ad hoc vallum Trajani Triarii suppetias laturi flumē transgressis, sed Cosaci nostri, & Desultorii milites missi, citra moram in eos insilientes ad tutiora se recipere persuaserunt cum non modica eorum clade. Interea hosti insidiæ structæ, jamq; vexilla loricata occasioni intendebant, sed proprio periculo cauti immoti stabant Tartari tam in fronte, quàm in insidijs, & in dextera ala, Turcæ verò in læva, sed cis Trajanum, longiorem trajectum, quasi ob metum defixi, sic feliciter semper cadente belli alea Hryszka Colonellus Cosacorum per vallum Trajanum longiùs pedester in Tartaros progressus frustra nostris reditum suadentibus cum non posset pedester tam cito fugâ se eripere,

A.C. 1685 pere, & violenter Tartari, Turcæq; instarent cum quinq; Cosacis in captivitatem abductus. Exonorata hic mandante Palatino Kijoviensi in hostem tormenta, singulis pene vicibus quaterni & plures hostium prosternebantur, quoties manipuli hostiles pugnæ prælusuri prodiêre, à nostris feliciter prostrati, ut iteratò campo totus eorum exercitus cedere fuerit coactus. Itum post hæc secundâ à meridie horâ ad carraginem sub Linkowce, feriâ sextâ in maturum diem frustra expactato hoste nec comparente, itum sub Luzany, non procul ab Horendka sub Czelenice ad Istrum. Excubiæ hinc in duas partes expeditæ, observaturæ hostem, & universales extraditæ præcautoriæ, sequentis tenoris: facilius esse quædam vincere, quàm cuncta tueri. In Volhyniam ad terram Leopoliensem, Haliciensem, & omne confinium, Łasko sub Trembowola propter excursionem Camenecensis præsidii relicto cum viginti vexillis significatum, ut vigilem in Volhyniam conjiciat oculum, congregatasq; habeat copias in casu ingruentis periculi. Expedita iteratò alia octodecim vexilla sub Tokarzewski Præfecto tunc vexilli loricati Castellani Chelm. & modo Comilitone vexilli Ducis cataphracti in subsidium Łasko, & cum illis omnes Cosaci, Dux hic cum Castellano Vilnensi Duce Campestri M. D. Lit: & Castellano Cracoviensi Duce Campestri Regni ulteriores motus hostium præstolabatur, semper in armis sciens cum doloso hoste sibi negotium esse. Redeuntes excubiæ, retulerunt hostem recessisse usq; ad Pereritam ibiq; castra fixisse. Justus hic suberat timor ne hostis aliquid inexspectatum moliretur. Unde exploratores sæpius in longinqua ab Exercitu utriusq; gentis ad observandos motus ad Istrum missi, sed læta semper referebant. Sic securi 18vâ Octobris sub Czernelica constitit exercitus noster præter excubias præfatas, expeditas in terram Valachiæ, aliæ quoq; sub Camenecum missæ unà cum exploratore, sed nihil novi relatum nisi præcedenti feriâ 3tiâ, cum triginta millibus selectorum Tartarorum Galga Soldanum, feriâ 4tâ manè excurrisse viritim in Volhyniam. Hanum verò ipsum cum Sieraskiero, aut huc ad exercitum venturum esse, aut diversurum Niemiroviam, ne ipsi quidem Tartari quidpiam determinati asserere poterant. Ad Lasko ergo, Tokarzewski, & Cosacos expeditum, ut & ipsi in omnem casum sint intenti, & oram illam, junctis viribus tueantur, velocem à Duce jubebantur sperare succursum. Et quamvis subiret cogitatio, ne Han & Sieraskierus sub adventum suum non reperiens copiosum exercitum, terræ Pokutensi, & universo exercitui facessat negotium; placuit tamen ex quolibet vexillo decem Commilitones Loricatos expedire sub Domino Cinski Colonello, cataphractorum sub Iskra eo temporis Vexillifero cataphracti vexilli Ducis, reddito omnium harum copiarum generali regimine Lubienscio Subdapifero Buscensi, Judici Generali exercitûs, magno Heroi, hoc adjecto, ut die & nocte accelerando perrumpat tractus Tartaricos intensos ad Volhyniam, & jungatur cum Łasko, ac Takarzewski, dometq; tumultus prætactos, nec non certificet de omni, quidquid scitu dignum fuerit. Addidit Castellanus Vilnensis vexilla sex M. Dtûs L, quæ non in tempore se contulerant ad castra, nec interfuerant conflictui Bokowiniano, erant eorum propè quinq; millia, sed illis inundatio Istri transitum tunc negavit. Coactus ergo Lubienscius usq; ad Pontem sub Uscie se conferre licet aliàs propinquiores essent sub Czerlenica, Łuka, aut Niznowo. Sniatynum præterea statim præsidium, & Horodenkam ordinatum sufficiens locis illis defendendis etsi hostis insultum faceret, ipse verò Dux cum residuo exercitu

xecri-

xercitûs, relictis in Pokucia ad securitatem climatis supra 10 vexilla pro hibernis divisa sub directione Dimidecki, ad pontem sub Uscie divertit Podhaycium, expectaturus quæ nova ferret Volhinia. A.C. 1685

Tandem hostis insultu facto cum Jassyro nonnullos abduxerat, quos tamen Lasko è manibus ejus eripuit, unà cum 20 Tartaris. Ut quantocius terris illis hostis cederet, nec majorem desolationem inferret, effecit obtenta notitia de adventu Tokarzewski cum 2000, Lubienscij cum quinque millibus militum. Unde quidquid in tractu erat, in spolium cessit. Solitò circumspectius Soldanus Galga rem hîc egit, decem millibus selectorum Tartarorum ne ad unum passum à se dimissis, 20000 in excursionem expeditis. Idem ubi Nuntium de universalibus Ducis accepisset; citra moram terris illis excessit frustra insequentibus Tokarzewscio & Lubienscio ad Hanum cum cæteris Tartaris & exercitu Turcico se conferens, qui tunc Niemiroviam expugnatum iverant, sed citra effectum, & arci enim præsidiarijs & artileriâ bene provisum erat, quos ibi homines abduxerant, iterum libertate donârunt.

29. Octobris Dux circulo generali sub Horozanka, peracto dissolvit exercitum, consistentias illi in confinijs, adjacentibus locis assignando, sed in ijs mere tectum, juxta constitutionem Comitiorum. In aliquibus verò locis locare illum nullatenus potuerat, timendo ne obsequium militare detrectaret, cum serò ex castris redierit: nec provisionem in fœno fecerit, aut reclinatoria exstruxerit. Ad hæc verò Bona consistentiarum, missæ universales ut secundùm repartitionem sexaginta millia florenorum, pro Commissione Leopoliensi hybernali apportarentur. Dum verò ad ipsam Commissionem ventum, declarata semi quingentorum millium florenorum summa, à Cardinali Paulucio tunc Nuntio, ad complementum plenariæ hybernæ pro exercitu, cum magna difficultate, interponente auctoritatem suam S. R. Mte, & assecuratione à Duce ac Castellano Cracoviensi data est reddita. Hisce accessêre ex liquidatione militari sub eandem Commissionem hybernalem prope centum millia, quo, pro majori portione hybernali, exercitus contentus fuit, sperans adhuc, & in Tribunali Radomiensi promissas per constitutionem Quartas duas stipendiorum cum hyberna se recepturum, sed spes aluit & fefellit. In quo Tribunali, quas injurias retulerit exercitûs in instructione pro Comitijs modernis data elucidatum.

In hac Commissione Budzacis reduces captivi retulêre, quòd Tartari plurimos in hac expeditione amiserint, quodque miretur sua quemque domus, cladesque renarret. Ex nostro verò exercitu qui aut ex morbo, aut in conflictibus occubuêre, aut in captivitatem abacti 150 numerantur. Hæc omnia fuêre opera brachij excelsi.

SERMO JOANNIS WIELOPOLSKI SUPREMI CANCELLARII REGNI AD REGEM GALLIÆ.

SI oculis cerni posset Serenissimi & Potentissimi Regis Poloniæ Dni mei clementissimi tenerioris erga Mtem Vram amicitiæ sensus, vel solo animorum motu, veluti beatis mentibus datum esse persuasum habemus, intelligi, ita demùm clarè, prout in intimo pectore latet, Mti Vræ pateret. Sed cum id conditionis humanæ imbecillitas non sinat, eâ, quæ superest ratione Mti Vra me interprete sistitur. Quo in munere dum S. R. Mtis Vræ, & Principis mei magnitudinem cogito verba, quæ utrique conveniant, non reperio. Hæc ubi desunt, res ipsæ succedant,

A.C. 1685 dant, oportet, & loquantur. Loquatur vetus inter Franciæ, & Poloniæ Regna necessitudo, quæ nobis olim Casimirum Regem è Cluniaco reddidit, cumque eo leges, ritus, mores intulit. Impressa horum species, nullis temporum, vel loci injurijs labefactata, facile etiam nunc vel leviter inspicientibus agnoscitur. Loquatur recentioris ævi memoria, quæ nobis Ludovicum Andegavensem ex Hungaria, Henricum Valesium è Gallia Regem petitum suggerit. Loquatur præsens ætas, quæ Reginam Ludovicam Mariam felicis recordationis gemmam virtutum concessit, quæ Suecorum dissidia Mtis Vræ authoritate composuit, quæ regnantē nunc Serenissimam Reginam Mariam Casimiram delicias, & ornamentum sæculi nostri tribuit. Sed quid opus est alienis, cum propria S. R. Mtis Dni mei Clementissimi loquuntur acta, cui & ante sceptra nihil antiquius cultu Mtis Vræ fuit, & inter regnandi curas hæc præcipua, benevolentiam Mtis Vræ mereri, habere, & tueri. Ita magnum nomen Mtis Vræ humanæ laudis fastigia superans, omnes in venerationem sui rapit, ut tamen arctiore quodam nexu adstringat eos, quos sibi gloriæ similitudo occultæ illius sympathiæ parens conciliavit. Retulit aliquando orbis inter prodigia duos soles, miramur & nos æquè, ac lætamur duos Principes æmulâ luce, non æmulâ mente Christianitati prælucere, & dum alter occiduas, alter orientis plagas illustrat, mutuis se amoris contingere radijs. Procul hinc ecclypses, procul nebulæ, & si quas malevolentia cujusquam sive error offudit, innata Mtum magnanimitas (affulgente benefico sydere Sanct. Pontificis) in ipso ortu dissipat, non alio enatus profectu, nisi ut lætius è nube emicans jubar niteat. Hoc est votum totius Christiani orbis, hoc Sanct. communis Patris desiderium, hoc Seren. Regis Dni mei Clementissimi studium. Adjungo tenuitatis meæ obsequia, eaque benignitati Mtis Vræ substerno. Est quòd debeam sorti meæ, quòd inter maximos orbis Principes, & sacrosanctæ eorum amicitiæ fœdera versari obtigerit. Vixi hucusque cum desiderio, quod conspectus Mtis Vræ explevit. Vivam deinceps cum eo cultu, quem splendor Mtis, qua majorem nemo vidit unquam, imprimit, nec majus aliud inquiram, vel sperabo decus, quàm quod mihi tanti Principis veneratio afferit.

DE TITULO PRIMARII SENATORIS.

HIC competit non solùm Episcopo Posnaniensi, sed & *alijs Episcopis Polonis* antequam Palatini, qui potiùs belli Duces, (& magis propriè dicuntur, quàm Palatini) id enim sonat in Polonico Woiewoda in Germanico Heerzog / utrumq; latinè belli Dux. Ante igitur hos Palatinos à principio receptæ Religionis, ut testatur Cromerus & Lubinius, fide historicâ & Episcopali, REGES Poloniæ lateri suo volebant assidere Episcopos, successu temporis assumpti etiam belli Duces ad eundem Senatum, ita tamen ut Episcopi vocarentur primi Senatores. Tandem cùm assumerentur etiam Castellani ad Senatum, dicti sunt secundi Ordinis Senatores, ad differentiam primi Ordinis. Episcopis remansit Titulus semper Primariorum Senatorum, ut idem Cromerus & Lubinius testantur. Nec obstat, quòd Archi-Episcopo debetur Titulus Primi; nam unus tantùm potest esse Primus. Primarij multi esse possunt. Et hæc est differentia inter primum & primarium, *legatur* Lubinius, cujus sunt expressa verba: Me dicturum recepi ab ea functione, quæ Episcopis in Polonia uti Primarijs Regni Senatoribus incumbit, & infra dico Episcopos Primarios vel primos potiùs Regni esse

esse Senatores. Sic Primi titulus in integro relinquitur dignitati Archi-Episcopali Gnesnensi, cùm cæteris Episcopis competat titulus Primariorum Senatorū. Imò & Palatinis is competit, ad differentiam secundarij Senatus juxta statum Regni. *A. C.* 1685

Hoc magis elucidatur ex eodem Lubinscio, Cromero, & Otichovio receptis Poloniæ Scriptoribus. Primò quia Episcopi in Polonia vocantur Principes lingvâ Polonicâ, ut Palatini vocantur Duces. Et ne credat quispiam quòd hic titulus ipsis tribuatur tanquam Principibus Ecclesiæ ex Sacra Scriptura & Sacris Canonibus illis competens. Ostenditur illos vocari Principes purpuratos in Senatu. Eodem enim vocabulo, quod designat Principem sæcularem, vocabatur Magnus Princeps Litvaniæ Jagiello, Vladislaus Varnensis, Casimirus III. Alexander I. Joannes Albertus, Sigismundus I. usq; ad Sigismundum Augustum inclusivè, qui se eodem vocabulo dicebant Principes Litvaniæ, quo utebantur semper, & utuntur Episcopi Poloniæ, & nominantur tales in literis Regijs ad hodiernam diem (qui titulus non datur reliquo Clero) & à Supremo Mareschalco Regni in Senatu. Unde Lubinius fatetur inferius: Quòd Episcopos ut Principes & Patres venerati sunt Reges, ex eorum deinceps sententia, & consilio Rempubl: se gesturos professi.

Idem Lubinius scribit in Coronatione Vladislai III. & Casimiri III. præpotentes Masoviorum Russorumq; Duces Regio sangvine ortos movisse Controversiam Episcopis jure Regalis Consangvinitatis de præcedentia. Vicisse tamen Episcopos, & retinuisse dignitatem supra Duces Regij sangvinis. Mota fuit & alia concertatio in Comitijs Petricoviensibus, ut saltem manum sinistram sæcularis Senatus haberet. Pro Episcopis stetit sententia Regis & Reipub: hoc tamen lenimento addito, ut ad dexteram Regis in Senatu duodecim sederent Episcopi, ad sinistram tantùm quatuor, ut primi Senatores sæculares propiores essent throno Regio.

Insuper Orichovius passim receptissimus Author scribens historiam Senatores primi Ordinis appellat Principes Senatûs fol: 84 incipiendo; cùm voluerit dicere: quòd gravis orta fuerat tempestas contra Nicolaum Olesnicium à Senatu hæc verba ponit: Sed cùm nimis graves à Principibus contra Olesnicium sententiæ dicerentur. Et inferiùs cùm inducit Comitem Leszczynium, Palatinum ægrè ferentem in Senatu, quod Rex ore proprio interruperit sententiam Kmitæ Palatini Cracoviensis hæc verba ponit. Jam verò Clarissimum virum ac Principem Senatûs iuterpellatum esse, hoc novum esse & non ferendum; Oblitus enim mihi videris Serenissime Rex, quibusnam hominibus imperes. Et inferiùs de Maciejocio Cracoviensi Episcopo loquens, & de Tarnovio dicit; Quòd Principes pro Rege steterunt. Unde benè notat Lubinius, in diplomatibus Regijs hanc servari formulam. Præsentibus Reverendissimis in Christo Patribus, ac Dominis. (quo titulo non nisi Principes Rex Poloniæ dignatur scilicet Episcopos) Eo enim ipso tempore vocabantur passim Episcopi & Senatores Majores Principes, quod datus est titulus Archi-Episcopo Gnesnensi Primi Principis ad differentiam cæterorum. Ut ergo primus in Principatu in Archipræsule dicit relationem ad alios Principatus, quotquot sunt post Primum, ita Primus Senator non extingvit Primarios, nec Primarij præjudicant Primo. Imò cùm pulchrum sit eminere inter Illustres viros, pulchrius est primum Principem esse inter Principes, & Primum Senatorem inter Primarios.

A.C. 1685 Sic videmus neminem Regum vocari Sereniſſimum inter Reges, ſed tantummodo inter Illuſtres Viros, inter Regni ſui Principes ſuperlativus hic ipſi competit. Reges enim ſibi pares ſunt. Ergo non eminent, niſi inter ſuos. Hinc eſt quòd ſunt tam liberales Reges in tribuendis titulis ijs; ſupra quos ipſi eminent, quia ſe exaltant, dum eos, ſupra quos eminent provehunt. Inde Reges Galliæ, Hiſpaniæ & Angliæ, videntes Imperatoriam Majeſtatem altiorem, quod Ducibus, Marchionibus, Baronibus præfulgerent, Ex Baronibus, & liberis Regni ſui Nobilibus creant tot Principes, Duces, Marchiones. Imò Rex Galliæ non dubitavit declarare Nobilem unum ſat anguſtè regnaturum Regem Iphoti, ut etiam huic emineret. Tantùm Polonia quæ Duces & Principes habet in Senatu utriusq; ſtatûs factos, non natos, continuis legibus præcavendo æqualitati, quæ eſt Mater libertatis, vetuit antiquas Ducales domus aliquid præeminentiæ ſibi uſurpare ſupra Equeſtrem Ordinem. Vetuit identidem fundare novas Ducum & Principum domus, in tantùm, ut dati aliquibus Familijs ſeu à *Pontifice* ſeu ab Imperatore tituli Principum & Ducum in Polonia *non* recognoſcantur, niſi in una Radziviliana Domo, & hoc per Decretum Regis Augusti, quia Domos & familias concernit. Cæterùm non eſt tam depreſſa Majeſtas Regis Poloniæ, ut non habeat Principes & Duces, quibus præfulgeat, non tamen de ſangvinibus natos, ſed ex meritis jure advitalitio factos.

Quod idem probatur Reſcriptis Regum Poloniæ, quibus denunciant ſe Electos liberis ſuffragiis ut Sigismundus III. Stephanus I. Vladislaus IV. ſic incipiunt. Omnibus in univerſum Regni noſtri Ducibus, Principibus, Baronibus, Spiritualibus & ſæcularibus, unde patet juxta ſenſum naturalem & Lubinſcianum per Duces & Principes tam ſpirituales, quàm ſæculares non intelligi niſi ſenatores utriusq; ſtatûs. Indubitatum itaque eſt titulos Principum & Ducum ab ævo competijſſe utriusq; ſtatus ſenatoribus, qui more Principum Externorum torquati incedebant, & incedunt prout videtur in Epiſcopis. Epiſcopi enim ab octo ſæculis thronos poſſident, & Imperatorijs veſtibus ab ipſo incipiendo Conſtantino veſtiuntur: Titulis Reverendiſſimum, qui olim Regius erat, etiam in Polonia decorabantur ipſis à Regibus. Belli Duces, quos alij vocant Palatinos, Regium quoq; nacti ſunt titulum Magnifici, *uti videre* eſt, publicis ex Inſtrumentis, qui titulus Magnifici ipſi *Regi dabatur*, à Principibus Externis & Magiſtris Crucigerorum. Dabatur etiam ipſis titulus Illuſtris, ut ex Conſtitutionibus Regni patet, quamvis modo ſoli Caſtellano Cracovienſi, & ante annos Palatino Vilnenſi datur appellativum Dnus, quod olim erat Imperatoris totus Titulus, modò in Polonia conſecratur in literis Regijs Epiſcopis, & in ſenatu pro Palatinis. Unde quòd alij Reges ad diſcriminandam Nobilitatem tribuunt certis Familijs, hoc Reges & leges Poloniæ ſublato Familiarum diſcrimine tribuunt dignitatibus, quæ advitales ſunt, Sic habet Mtas, quò præemineat, & æqualitas quo gaudeat, & merita quæ ſperent.

Tandem idem ipſe Lubinius dicit: In omnibus etiam ijs antiquiſſimis, & recentioribus Regum noſtrorum Reſcriptis, quotieſcunq; fit mentio Ducum, vel Principum, (non alios intelligere licet niſi Epiſcopos) Ego ſubjungo & ſenatores majores. Nam ex antiquiſſimis Patriæ noſtræ Inſtitutis nemo ſenator in conſilio publico, nemo cum prærogativa ferendi ſuffragij eſſe poterat, qui ex Ducum vel Principum eſſet ſangvine, ut teſtatur Lubinius.

Hoc

Hoc tamen notandum quòd plerumq; ad externos tantùm utimur titulo Primarij. Nam in Polonia tam res est certa ex statuto, ut eam tanquam solem sat per seclarum indigitare supervacaneum esset. A.C. 1685

Et hoc non omittendum in Historijs Polonico Idiomate scriptis semper vocabulum Xiądź significat Principem cui vocabulo differentia additur vel à Russia, vel à Masovia, in Rege à Litvania, in Episcopis ab Episcopatu, in Principibus sangvine Regio ortis, à bonis, quæ possidebāt, Ostrog Zaslaw, cōmunis sermo Polonus est, qui dum significare vult, consecrari quempiam in sacerdotem dicit hæc verba: Quòd talis, & talis consecratur in Principatum. Sic nomen Xiąc in Polonia, in Sclavonica lingva, in Russica, Bohemica sonat, prout etiam in Hebraica & Latina Principem vel Ducem.

Nec obstat quod ab octoginta annis sæculares Principes Diminutivum istius vocabuli assumpserunt Xiące ad differentiam cum Spiritualibus Principibus, quod Christianæ opus erat humilitatis, ut ante sæcula Dominulus pro Domino, Herulus pro hero, & in Italico Principino pro Principe.

COPIA LITERARUM REGINÆ.

Veneramur & Nos admirandam Divinæ manus curam, dum è publico, non Regni tantum Nostri, sed totius Viciniæ, imò universæ Christianitatis voto, de expugnata tandem auspiciis Mtis Vræ feliciter Buda, ab eadem in literis, secundo, ab expugnatione, die, scriptis, didicimus. Et quemadmodum singulari Mtis Vræ adscribimus fortunæ, quòd ejusdem utinam perpetuâ certè diuturnâ felicitate ad hoc ævi servatum sit, ut distractis Orientis viribus, ea loca, quæ per tot annorum seriem sub jugo Ottomanicò gemebant, Christianitati cedant, & redeant ad Dominos, ita pro particularis affectûs habemus documento, quòd nos communis istius lætitiæ reddere voluerit participes. Non aliud enim in absentia Seren. Regis Mariti Nri desideratissimi pro re Christiana in Persona sua Regia belligerantis, anxiis, & sollicitis votis præsentius solatium inveniri potest, quàm dum in arcto positam Turcicam fortunam, arma Christiana ubiq; victricia audire licet. Progrediantur victricia Mtis Vræ arma, in spem melioris indies erigantur fortunæ; augeat DEUS in animis Christianorum desiderium prosequendarum victoriarum, donec totum Ottomanicum evertatur Imperium, donec victrices manus in ultimis Asiæ finibus lauros plantent, terram sangvine Christi respersam recuperent, Christianitatem ab uberiori immanis hujus belluæ terrore liberam reddant, & inde æterna Nominis Mtis Vræ in posteros redundet memoria. Hæc sunt intima vota nostra; ut enim cœlo teste, & terrâ (quod & Mtas Vra fateri non dedignetur) omnes conatus, & studia nostra in id impenderamus, ut sanctum hoc fœdus, opus sæculorum, Mtem inter Vrā & Regnum nostrum pro communi ratione conclusum, magnis in rē Christianam beneficiis locum aperiret, ita, ut hoc in æternum duret,

A.C. 1685 *impensè, testis est DEUS, cui intimæ cogitationes notæ, curamus, curabimusq;. Vitem interim Vram, quàm diutissimè incolumem, unà cum accessu omnigenæ felicitatis pleno voto exoptamus.*

Acceptis Mtis Vræ literis de felici armorum ejusdem successu, eodem planè momento Dno Exercituum pro publica ea Christianitatis felicitate vota persolvimus. Cùm enim optimus quisq; Christianitatis causâ gaudeat, tum ad nos præcipuè summa pars lætitiæ spectat, non tantùm quòd bona malaq; ex vi tam stricti fœderis in commune pertineant, sed quòd ipsimet in persona utilitati colligationis hujus studentes, hic in campo degamus. Unde propiora consilia belligeranti Filio Nro sub Camenecum ignes missiles probatum misso, propinare possemus. Nihil certè non in desiderijs solùm, sed & omnigena applicatione deest, quominus & nos similia Mti Vræ deferamus, dum, antequam pons in Tyra fluvio construatur, per quem quærere hostem in nostris finibus eum non expectantes, per aspera quātumvis & deserta existimemus, ac in id validam manum, præliisq; paratam non intermissâ rerum cum curâ expedivimus nisi in ipso operationum nostrarum cursu fastidiosa tempestas, & ipsæ âëreæ tēpestates nondum venisse horam nostram evidenter demonstrent. Humiliamur sub potenti manu DEI, & destinata nostra sanctæ ejus resignantes voluntati, cùm non possimus, quid vellemus, agemus certè non intermissâ rerum curâ, quod è re Christianitatis poterimus. Gratulamur interim ex animo fraterno Mti Vræ eas victorias, quæ nomini suo memoriam sequentis imperant, rem Christianam augent, hostibus vires, animumq; minuunt. Dent Superi ulteriores, quarum inoffensum inter secundos successus cursum dum sincerè vovemus, & apprecamur. &c.

COPIA LITERARUM REGIS JOANNIS III AD EPISCOPUM KIJOVIENSEM

ITA forsan altissimæ numinis voluntati placitum fuit; ut in gratiam dilectæ Patriæ, illius conservandæ intuitu, proprijs vigilijs omnium vacationes redimendæ, inque continuo succedentium sibi laborum nobis etiamnum persistendum esset motu. Necdum hactenùs à ruptis Comitijs, & gravibus post Comitia consilijs, longeque adhuc gravioribus propriæ nostræ substantiæ impendio, utcunque vindicatis Reipub. necessitatibus respiravimus: adhuc hic actu per securitatis harum terrarum respectum omni modo & consilio exercemur; & jam tempus, certantiaque omnimoda ad evincendam efficaciter salutem publicam media reditum nobis imperant ad remeandum Comitialium curarum æquor: & ita non jam unius finis in alterius desinens initium, sed imò alter nondum consummatus labor, plurium aliorum jam parens laborum & difficultatum nostras attenuat vires & sanitatem. Nihilominùs præponentes salutem publicam

blicam nostræ, nolumus omittere præcipua nuper salvandæ Patriæ media Comitialium consiliorum; si ita suæ dilectioni videbitur: parati sumus ad illa post repetitas infaustas vices non parcendo valetudini nostræ accedere; dummodo dilectio tua de perspicaci tua in publicum providentia rectos explicet sensus, quomodo non tantùm nimium auctis irrito boni publici eventu præteritorum Comitiorum difficultatibus occurri; sed etiam ipsorum Comitiorum, quæ tam diuturnâ ultra juris indulta protelatione cum insupportabili omnium substantiæ & valetudinis, uti etiam & nostræ enervatione, nos & Patriam æquè ac hostis ad incitas redigunt, prospici possit prosperitati, & quomodò ex tot malis res lapsæ & perditæ erui valeant, unde erectas & restitutas universorum consvevit præstolari expectatio. De quibus dum efficaces expectamus reflexiones, bonam dilectioni tuæ à Deo precamur valetudinem Zboroviæ. A.C. 1685

COPIA ALTERA LITERARUM REGIS AD EUNDEM EPISCOPUM Zolkwia 14 Decembris.

AD quem se potissimùm omnis nostra & Serenissimæ domûs nostræ convertat felicitas tam partæ in publicum gloriæ, quàm adauctorum decorum in privatum? si non ad Illustrem inclytarum gentium Senatum, ad quem per eandem obligationem spectat utilitates Regias & decora promovere; per quam & avertendi, quidquid nocivum est, impositam sibi habet necessitatem. Inducit Divina bonitas, quæ donat videre filios filiorum, Serenissimam Domum nostram in nexum simul & Rempub. in ornamenta, in splendidissimam latequе omni eo radiantem, quidquid coronatus & Serenissimus per universam Europam collectum possidet sangvis, vetustæ Serenissimæ Domûs Neoburgicæ Electoralis colligationē. Cooperata huic operi impensè ultrò summorum Pontificum præteriti & alterius feliciter moderni applicatio: accessit Cæsaris Principalis domus hujus Colligati spontanea interpositio, expedivit viam tantò feliciús perennata in Patria nostra intercedentium olim Serenissimi Sarmatici sangvinis cum eadem domo nexuum memoria; quantò altiùs inclytus Poloniæ genius veterum vinculorum memor adjecit stimulum, quò innumera diademata, Electorales & Principum mitræ & alia jungerentur ornamenta. Quæ omnia eò secundiora sunt; quòd illa nos nostramque domum non aliter fortunabunt; quàm ut simul etiam in totam coronam & Regna nostra non modò eadem nitoris, quæ & vinculorum communicatio, sed etiam perutilis in omnes casus protectionis & auxilii tot rivis, quot fontibus potentium colligationum promanet participatio. Nolentes igitur nobis & Reipub. expetitorum inde emolumentorum, quæ ipse DEUS ultroneè suggerit dimittere occasionem, optantes autem oculis nostris ea solatia, quæ cujuslibet paternum cor inter Divinarum benedictionum docu-

A. C. 1685 documenta expectare & computare consvevit; inivimus tractatum de connubio Deo dante futuro inter Serenissimum Principem Jacobum filium nostrum dilectissimum, & Serenissimam Principem Elisabethã Neoburgicam Palatinam Rheni Imperatricis feliciter modernæ, Hispaniarum & Portugalliæ Reginarum, tum Ducissæ Parmensis sororem: tempus & locum in Residentiali nostra & Comitiali civitate Varsavia 24 Februarij determinavimus, pro eo actu, & Legatos magnos Neoburgum pro deducenda eadem Serenissima Principe designavimus: quod uti eo tempore præsenti ex nunc Senatui communicavimus, & faventem cordium unanimiter, plenumque recepimus applausum: ita & dilectioni tuæ idem deferentes certi sumus, quòd & hæc, quæ jam præteriêrunt, & ipsum actum imminentem similibus candidi & veri in nos & Serenissimam Domum nostram affectûs tui approbabis ratumque habebis argumentis, ex quibus non tantùm nos, sed etiam sera posteritas nostra veteris ab ævo Sarmaticæ in Principes suos dilectionis, grata recordatione, legere possit exempla. Hæc dum nobis à dilectione tua pro summa votorum nostrorum coronide speramus; vicissim à Deo Opt. Max. dilectioni tuæ optimam valetudinem & solatia optata precamur Zolkwiæ.

XLVIII.
RESPONSUM EPISCOPI KIJOVIENSIS
AD PRÆDICTAS LITERAS.

Quisquis non tam titulo sæpe numero inani, quàm re ipsâ (quod rarum in universo hoc est) boni & addicti Majestati Regis & Dni Clementissimi gloriatur servi: is promptus & facilis in plausus abit, hanc colligationem gratulando; quam per Regiam communicationem nescia fortunas suas à fortunis Reipub. separare Vra Mtas faventissimo insinuare dignatur Senatui: qui si ad nocivum & malum avertendum sat arcto juramento adstringitur; necessariò etiam publicis gaudere commodis, quæ non tantùm Serenissimæ domui, sed etiam universæ Reipub. robur, decus & ornamentum afferunt, gratulari Mti Vræ Regiæ toto corde & animo obligatur. Quia verò & me inter alios obligatissimum, adeoque fidelissimum servum V. Mtas invitatione aut vocatione ad nuptialem actum dignatur: non possum non exundare in vota, assurgere in apprecationes, formando interim securè futuræ felicitatis indicia; quòd V. R. Mtas posteritatis negotium agens, tot vicibus à se Gradivi operibus exercitum animum Principis Regij Jacobi, cuivis gloriæ parandæ parem, quavis fortunâ penè majorem, nunc cum ea domo jam ante Patriæ per ejusmodi vincula satis cognita conjungit; ex qua (nempe summis fœderantur maximi) tanquam ex equo Trojano maxima in universam Europam procedunt decora, grandeque negotium foret calamo tot invenire literas; quot ex illa Reipub. nostræ ornamenta, & emolumenta accedere possunt. Priusquam autem in præfixo termino mihi obsequium testari & coràm venerari V. Mtem, nostram autem coronare felicitatem contingat: prævenio ea, quæ à faventibus parantur vota, meumque affectum circumstantijs imminentium festorum natalis Dni & novi anni quàm humillimâ adjungo gratulatione

DEum

DEum indignus exorator precando: ut ex hac solita jam domui illi conjunctione hanc Vra Mtas Regia & tota Patria recipiat consolationem, ut nascatur omne sub diadema caput. Exosculor sub hæc Regiam Majestatis manum. A.C. 1686

REFLEXIO SUPER LITERARIAM MEDICINAM REGI A NUNTIO APOSTOLICO PROPOSITā. Leopoli 7. Novemb.

DUO remedia Eminentia Sua in literis proponit reficiendæ, attritæ, fessæ, ac pene absumptæ, tot curis, atq; difficili hac per tot casus rerum belli expeditione, valetudinis Regiæ, nempe legationis Moschoviticæ, atq; firmandi tractatus quamprimum expeditionem, tum Generalium Comitiorum sine mora indictionem, sive promulgationem. Sed profectò, si quis penitius vel saltem leviter cognoverit rerum pondera, remedia hæc morbo (licet si nihil carius valetudine Regiâ habeatur) graviora inveniet. Quis enim potest credere lenimen adhiberi valetudini, atq; animo S. R. Mtis, si sine ulla maturiori reflexione accedat ad firmandos religione eos tractatus, quibus ferè tertia pars, nullo commodo & solatio mutuo, avito Regno avellitur. Revera non quies indè, aut medela aliqua tenerrimæ in publicum solicitudini S. R. Mtis accessura est, sed ingens capitis, animiq; dolor, ob tam grandem membrorum Regni scissuram. Quodsi Eminentia Sua asserat, posse id adhuc cum modernis Legatis facilitari: mirum profectò quod cum omnium Gentium mores, atque multa alia perspexerit, id solùm ignorare patiatur, gentem hanc non ita facilem esse ad humaniores tractatus, ut otiosis discurrere, & ratiocinari licet. Quin potiùs, quamprimū prædictis legatis propositio hæc insinuabitur; statim importunissimâ audaciâ objicient tractatus hos juramento suorum Principum, atque nostrorum Legatorum firmatos jam esse, exindeque nullum ampliùs discursibus relictum esse locum. Sed nec ita, prout sua Eminentia optat, potest hæc expeditio haberi; Debet enim scire, licet non creditur ignorare, quod actus hic expediri non potest, sine Regni Cancellario, & sigillo, nec tantùm solito, sed Majestatico Regis. Jam verò nupera Cardinalium promotio, unum Regni Ministrum usibus Reipubl: abstraxit, alter verò jam in præcinctu itineris rationibus valetudinis, rursus Varsaviam revocatus. Quid quòd maximè ignorare videtur Sua Em̄: licet tam perspicax, & curiosa sit, quod idem actus, nec sine Magnifico Palatino Posnaniensi, utpotè primario Commissario expediri queat: Cum enim Magnificus Cancellarius M. D. L. omissorum, vel superfluorum in memorato Tractatu, nolit reddere rationem, nisi pro sua gente omninò prædictus Palatinus, tanquam Principalis Legatus ad utriusque negotij tàm Regni, quàm Litvaniæ necessarius est explicationem.

Demùm quod attinet alterum remedium, nempè indicendorum quantocius Comitiorum, etiam in hoc puncto talis reficiendis laboribus Regijs propinatur medela, qualem olim divæ memoriæ HENRICUS Rex Poloniarum perosus fugerat ex Regno, nolens enim negotiosissimâ Comitiorum expeditione, utpote quinq; aut sex milliū instrumentorum subscriptione manum, & corpus fatigare, maluit abesse Regno, quàm se scriptorem pati, asseruitq; Regem se esse velle, non scriptorem. Quid deinde incom̄odorum, aut molestiæ adferre possunt combinationes responsoriarum à Senatoribus, rationum pro & contra contendentium confrontationes, Senatus consulta, Puncta Instructionum Con-

A.C. 1686 Conventuum particularium observationes, ac mille aliæ solennitates, ille demùm ignoraverit, qui per Ironiam, has & similes materias pro augmento Regiæ sanitatis obtrudere voluerit.

Sed nec pro Incolis atq; Nobilibus Sua Emin: multùm solatij in literis suis expressit, nempe indulgendo ijs moram tantùm modò inter bella, & Comitia, jam autem non prævidet, nec providet, quòd pro Comitijs ultra usum temporis necessarij sint nummi, quibus se post tot impensas bellicas in obsequio domestico sustinere valeant, quæ omnia faciliùs, dici quàm fieri possunt.

Has itaq;, & similes medelas nemo dubitârit illi potiùs, adhibendas esse valetudini, quàm quis perditam cuperet. Regiæ autem, quam inæstimabilem, atq; duraturam omne votum expetit præsentiora Divina bonitas suppeditabit remedia, cum præsertim Regia Mtas sit contenta suis Doctoribus Polonis, absq; usu Pataviensium.

IN MATERIA NOMINATIONIS REGIÆ AD DIGNITATẼ CARDINALATUS

QUòd Regnum Poloniæ nullum habeat Cardinalem nationalem, sive indigenam, quid ad peregrinæ curiositatis curam attinet? Nec tam Poloniæ Regno agitur hodie de eo, quòd non indigenam, sed quòd cum Rege suo nullum habeat. Quousq; autem Regnum à Rege separabit, & veluti diversam causam faciet, versatilis ille & fugitivus loquendi modus, cum nunc Regis, sive coronæ solius mentionem facit, nunc Regem tantùm ad spectaculum & invidiam producit, eò quidem majori cum injuria, quò magis ad Regni honorem spectat, honoratum potiùs, quàm inhonoratum & inter alios Reges neglectum habere Regem? Tunc verò Regni seu nationis ratio haberi, nunc Cardinalem natio secundùm suas rationes habere censetur, quando ex animi sententia & ex voto, honoreque Regis sui habet. Idem enim circa eundem animus, idem votum est: eadem ignominia, & injuria, si quid præter Regis existimationem meritaque fiat, & concilium cum rationem haberi jubet nationum, non vim aut necessitatem esse vult: rationem haberi jubet, nempe ne excludantur nationes, néve unius urbis, aut gentis vel nationis veluti spolium & hæreditas, aut proprietas esset Cardinalatus: rationem inquam haberi jubet, scilicet prout rationes earum postulant, vel admittunt. Nam contra si fiat, non ratio habita dici pòtest sed aliud aliquid factum. Itaq; si id quod à Rege postulatur, revera conceditur, sique ei in hoc satis fit jam satis & sufficienter ratio nationis haberi dignoscitur Et nationis potius est æstimare in quo ratio sui habeatur, vel in quo haberi sui velit, si pro beneficio haberi debet. Si alius nationi, aut ei, qui nationi præest, quàm qui placeat obtunderetur, jam non ratio nationis haberi existimaretur prout ante quodammodo factum est circa illum Cardinalatum, qui in secundæ rationis Republica insinuatus est. Quòd si aliud intelligi à concilio dicere libet, quàm honoris, vel honorificæ contestationis rationem, nempe curam, jam ad quintam rationem, de cura quoque dictum est.

Veruntamen, dum tantopere pro natione urget Ratiocinator, & Poloniæ tanquam Cardinalatu orbæ ac vacuæ vicem deplorat cui tamen illa negotium hoc & sollicitudinem de se non commisit, dumque idem blandiendo, laudandoque satis nobilitatis, satis qualitatum eam habere prædicat, cur non etiam obstaculorum, atque impedimentorum in tota

rerum

rerum difficultate meminit, quæ ab ipſo Regni ſtatu & rationibus profi- A.C. 1686
ciſcuntur; quippe quæ non facile aut non ſemper, vel promiſcuè, quemvis Cardinalatum, nationalem ſeu domeſticum, admittere poſſe videntur, propter Archi-Epiſcopum Gneſnenſem qui Regni Primas, & Primus Princeps, dignitate etiam, ac prærogativâ tantus hodie eſt, ut ferre Cardinalem alium in Regno commodè non poſſit, commodè inquam & ordinariè, ut mox clarius patebit.

Nec omnes Archiepiſcopi ex eo loco ſpem votumque ultra efferũt, domeſtico honore, citra ambitionem per modeſtiam, aliaſq; ob cauſas contenti. Ejus rei evidentiſſimum exemplum eſt, ultimus ille candidat⁹ ArchiEpiſcopalis, qui apertum animum preceſq; ad Regem ipſe tulit, ut omiſsâ ulteriore ſui comendatione, ſibi neceſſaria, & forte aliquid moleſtiæ in Regno paritura, Mtas ſua in prioris (is erat Epiſcopus Bellovacenſis) promotione pergeret. Quam excuſationem etiam Romam ſe miſſurum profitebatur. Quo in negotio ſi plura etiam proferre licet, quãvis non inimica, & averſa ſtudia, publicè privatimque haberet Archiepiſcopus, aliunde tamen magis, & quidem validius conſilium & dexteritatem, hæc excludendi Epiſcopi profectam eſſe, non ignotum eſt, ſub honorifica nihilominus erga Regem & Archiepiſcopum ſpecie graſſatur primò quaſi ob Coronæ Regiæ impoſitionem, jure pileum etiam purpureum, magis meretur Archiepiſcopus, quàm alius nullo tali beneficio comendatus. Deinde ob connubialis etiam Regiæ benedictionis ceremoniam, quæ honoratior à purpurato, quàm à violaceo ArchiEpiſcopo ventura eſſet, & ſiquæ alia à non domeſtici ſed peregrini ingenij ſtudijq; artificio bellè prætereundi, aut dimittendi, alterius reperta, atque oblata fuerant, nec poſtea facilè dimiſſa, ut clarius hoc non dicatur. Licet verò ſummis meritis, & cum virtutibus ArchiEpiſcopi delegantur, ac præcipui etiam gratiâ, ad faſtigium illud evehatur, aliqua tamen poſtea incidere poſſunt, à priori animorum, rerumque conditione, ſtatuque diverſa, & noſtrâ quoque memoriâ factum eſt. Præterea etiamſi ArchiEpiſcopum aliquando Rex, quibuscunque ex cauſis comendaverit, non ſemper tamen Reges, legem ſibi impoſitam vellent neceſſariò promovendi ArchiEpiſcopos ſolos, neque rationibus ſuis id perpetuò idoneum, integrúmve fortaſſis eſt. Inferiores autem, vel ſuffraganeos Epiſcopos honore hoc ſupra Primatem efferre, ne Roma quidem, vel ulla benevolentia meritò ſvadere, nedum urgere poteſt. Neque verò ArchiEpiſcopo, vel Epiſcopis, Romæ licet reſidere, (quod tamen, curæ Cardinalitiæ ſinceritas, & obligatio, ſecundùm quoddam Concilium Lateranenſe Ses: 5 Can 6 requirit) non licet inquam ob magis obligatam & neceſſariam domi curam Epiſcopalem, quod non pridem teſtata eſt Roma, juſſis Epiſcopis Cardinalibus ad Epiſcopatus redire, permiſſo etiam cuidam reſignare Epiſcopatum, nè reſidere non poſſet. Si nulla curæ obligatio eſt, quid refert, quis aut ubi, Regiæ comendationis gloriam purpuramq; aliquis circumferat.

Quod ſi omiſſo ArchiEpiſcopo & Epiſcopis, Regum filios, blandioris conſilij adulatio, promovendos ad Cardinalatum omiſſo Epiſcopo inſinuat, jam antea eos, in purpura natos, & alicubi ignibus gratulatorijs lucere, aut honorare noluiſſe obiter judicatum eſſe ſufficiat. Quid? quod ipſis Regum Filijs Cardinalatu indutis, hîc vetitum eſt, aliquid ſupra ArchiEpiſcopum Gneſnenſem eſſe? Nam publicæ conſtitutionis verba hæc ſunt: nè ullam ſibi prærogativam præ Regni Primate vendicent, cum itaque Cardinalatui Romano, non liceat infra ArchiEpiſcopum Tranſmõtanum

A.C. 1686 tanum incedere, merito ignoscere potest Romana magnitudo Principi, si hæc præjudicia, vel difficultates, aut turbas cautâ, utilique solicitudine, ac veluti permutatione, seu vicissitudine vitet & declinet. Nam & hæc pars curæ Regni est, occasiones Regni sui rationibus periculosas, vel intempestivas effugere, aut avertere.

COPIA LITERARUM PRINCIPIS RADZIWILIJ Pro-Cancellarij M. D. L. amico confidenti ratione collati Cancellariatus M. D. L. dno Palatino Trocensi.

NON dubito injustam esse, quia nimis audacem Dni Palatini Trocensis ambitionem (cum gravi juris publici, & sancitorum, continuâ tot sæculorum praxi firmatorum, præjudicio & eversione) allaborantem ut omnino suas ad effectum perducat intentiones, quod tam orbi Polono, primo & nocivo ad posteritatem exemplo innotuit, quàm & Palatinatui vestro publico delatum est rumore. En ille ad custodiam legum per eversionem perveniens, contra senatorium juramentum, ad aversionem nocivorum Reipub. exemplorum obligans, contra stabilitum in sancitis de officijs utriusq; gentis ordinem, quod unus post alium gradatim succedere debebat, & continuâ praxi succedunt, Cancellariatum M. D. L., mihi ex voluntate DEI, & gratia Serenissimi Regis, & ordine, prout Pro-Cancellario, jure prout inter primos expectantes numerato debitum; non ita obtinuit. Sed injuriosâ variarum intentionum importunitate, effecit non recepit, sed de manibus distributiv butivæ justitiæ extorsit. Authorisavit etenim hunc suum successum, authoritate senatus consilij, in quo absente me pluralitatem suffragiorum facilè captare potuit, & illis serenissimo Regi Cancellariatus collationis necessitatem imponere. Sed utrum aliquot Senatores universum senatorium Ordinem, totus intermedius Ordo, universam Rempublicam repræsentare, & in materia statûs, in sua Repub. finaliter concludere valeat, & utrum tam excelsum officium, quod in facie Reipublicæ in comitijs generalibus conferri debet, in præjudicium legum, & oppressionem civis, extra comitia legitimè conferatur, trado tuo, & totius Reipub. altissimo judicio, cum meritis domûs meæ, quæ tot centenis annis, in hac Patriâ togâ sagoq; insignis. Cum moderna concurrentia æmulationem inire nolo, sufficiet mihi securâ modestiâ commemorare, quòd in omnibus belli & pacis expeditionibus, nemo aliquid altius, præ domo mea capessivit, cùm illa complures alias minoris conditionis M. D. L. domos, privatis suis fortunæ dispendijs in obsequium Reip. juverit. Sed qualiacunq; personæ meæ (absit verbo jactantia) in Patria nostra merita fuêre, hæcnè facile in oblivionem ire possunt? aut obdurato succumbere contemptui? quoniam toto hoc tempore, post receptum mortuo fratre meo Pro Cancellariatum, sub continuâ superioris mei sanitatis incapacitate, ego in hac sentinella permanere debui, sine debito adjutorij similis juvamine

mine. Testis harum sua Mtas, quæ me pro interprete suæ voluntatis electum, non tantùm per omnia publica in comitijs consilia & occasiones, benignâ regnantis dextra gestabat manu, verùm etiam ad publica Reipub: obsequia, penes latus suum proprio habituavit exemplo. Et certè ejusmodi, non meritorum meorum (quæ minora sunt) sed jurium & officij mei postpositio, nunquam S. R. Mtis cor, erga me singulari inclinatum affectu, contra me dato verbo, tetigisset, si ambitiosa Palatini Trocensis importunitas, occupatum curis publicis Dnum, molestis gravans instantijs, hanc non extorsisset declarationem: quâ tam altè per amplum satis functionis meæ gradũ, cum graviori (spes in DEo) ex eodem casu, eluctari satagebat. Hanc contra Palatini Trocensis importunitatem, nocivi ambitûs ream, dum in medio Vestri; humillimam infero instantiam, ut tam alti Palatinatûs Vestri authoritatem in publico futurorum comitiorum congressu interponere dignemini, hæcq; importuna ambitio, in æquali Reip. locum non habens, ibi in facie Reip. totius suum habeat vituperium, & scripto in futurum jure, omnia alia in hoc termino sancita reassumente, à similibus statum Reip. perturbantibus impertinẽtijs, æternam recipiat cautelam. Intensæ sollicitudini Vræ hac in parte circa bonum publicum, grata posteritas Palatinatus vestri, immortali rnspondebit famâ. Ego verò pro suscepto hoc in negotio petito meo, datis occasionibus debita mea offeram obsequia—. A.C. 1686

RELATIO ACTORUM IN CASTRIS ANNO 1686.
Sub clava Stanislai Jabłonowski Terrarum Russiæ Palatini Supremi Exercituum Ducis.

SUB exitum hyemis statim universales à Duce ad exercitum expeditæ, quibus celer motus ex stativis futurus insinuabatur animabaturq; ad procurandos equos bonos, arma necessaria, annonam semestri suffecturam, tandem collato consilio cum Castellano Cracoviensi succrescente gramine, aliæ universales successerunt, quibus exitus in campum in loca præfixa imperabatur. Unde in circuitu Leopolis, & & proximis illi bonis Regalibus, consistentibus vexillis mandatum est ire sub Rudam, remotioribus, sub Jezupol. In confinio verò Volhyniensi locatis sub Manasterzyska, & in præsidium Volhyniæ septem vexilla sub Wisniowiec, pro custodia à tractu ad Leopolim, sex vexilla sub Trembowla, duo Janoviæ ab ipso confinio, in Pokucia octo, sub Sniatyno, in fronte verò sic exdivisarum copiarum sub Monasterzyska, & Jezupol quatuor vexilla pro primis excubiis sub Jaslowiec ex Regimine Cinski Colonelli & locata, & disposita. Licet sic exdivisus esset exercitus ob rationem tutandi climatis, factum tamen id etiam, ut in minori copia eò citius equi vires resumerent ad ulteriores labores bellicos, quamvis ob ariditatem & gelu, parum adhuc viruerant.

Relatum circa vigesimam Maji à Valachis, Cōmeatum Camenecum vectum, in quadringentis curribus, sed jam eò fere temporis, dum Istro appropinquabat, unde ad hanc famam quatuor diebus tantùm Jassis eundo, cœperant brevi congregari vexilla, ast irrito conatu, rarus enim erat

A. C. 1686 erat miles, equi macilenti, prata necdum virebant, ut liceret hoſtem inſequi, nec robur erat contemnendum; cum ſesqui millibus Turcarum Baſſa novus advenerat Camenecum, in comitatu quindecim milliũ Tartarorum. Dum ergo commeat⁹ hoſti nequiret abigi, hic labor hoc opus fuit, tueri integritatem climatum, providere confiniis, equos in paſcuis cuſtodire, diligenterq; proſpicere, ne inimicus erumperet alicubi occultus ſparſos populator in agros, nec ullibi auſus erumpere ob vigilantes excubias. Commeatu Camenecum illato, citis paſſibus Arab Baſſa cum Tartaris Międzyboſcum, & Barum ſe contulit, quò difficilis ſemper fuit advectio annonæ, nec ſinebant vexilla noſtra locis illis infeſta educere præſidia. Cuniculis ergo actis arces harũ urbiũ volebant demoliri, aſt Miedzybozenſi arci modico damno illato, & Buraſcenſi ex majori parte ruinatâ citiſſimis paſſibus rediêre Camenecum, & inde eadem nocte ſtatim reverſi ad propria, congregata vexilla ſub Sniatynum, redeuntibus occurrere volebant, & cum illis confligere, ſed dum ab excubiis reſcitum hoſtem noctu properâſſe, jamq; tranſiiſſe, ob metum copiarum, inanis videbatur fore inſecutio, nec citra jacturam emaciatorum equorum. Succreſcente gramine, ſub finem Maji acceleravit Dux Leopoli ſub Uſcie ad Iſtrum caſtraq; ſub Kolince proximè Tlumacz metatus. Aſt quia S. R. Mtas, cum Principe primogenito huic expeditioni interfutura, jam Javoroviâ moverat ad Stry, inde ad Halicz & Caſtra dirigẽdo, ad inchoãda feliciter heroica facinora ſe præparãdo, in Terrã Valachicam eundum erat ex voluntate ipſius S. R. Mtis, ad eliberandum prius ab hoſte Camenecum, frumenta in circuitu tollenda, conculcanda, defalcanda, in nihilum redigenda, & ſi DEus felicitate hâc cumularet, vel Copias illius præſcindendas à fortalitio, ut ſic ſua fata peragat vel ad minimum pecora abigenda. Convocata igitur omnia vexilla loricata, & levis armaturæ pro 29 Julij ſub Jaslowiec pro certa expeditione, unà cum alimonia pro duabus ſeptimanis. Adſcitus ſimiliter exercitus Coſacorum. Congregata omnia vexilla, tradita ſunt regimini Chelmski Subdapiferi Sandomirienſis, cum informatione, tam præmiſſorum agendorum, quàm eorum quæ tempus, occaſio, conſilium bellicum, & experientia in opere belli ſuggeret. Vix dum copiæ hæ moverant Jaslowcum, jam plebs inſolens, & infida ſubditorum Podoliæ, ut poſtea patuit, per varios viarum anfract⁹ horum omniũ notitiã intulit Cameneco, unde mox ſecuritas omnis ſervata, & per exploſionẽ tormentorũ ex omni parte proviſum, ita ut adveniens Exercitus nullo ſtratagemate potuerit hoſtem ex fortalitio elicere debueritq; aliud punctũ commiſſorum exequi depopulationem nimirum frumentorum, quib⁹ nunc temporis abundè ibidem in circuitu Cameneci, fluctuarunt uberes campi, proxima ergo fortalitio noctu, remotiora interdiu conculcabantur frumenta, ſed vaſtitas agrorum aliquot hebdomadarum ſpatium huic operi perficiendo requirebat, alio autem evocabat Colonellus & conſilium bellicum, recedendumq; judicarunt à Cameneco, recedentium extremum agmen ſubdolè aggreſſi aliquot centeni Lipkarum, ventum ad arma, viriliter noſtri cum hoſte conſeruêre. Cum nemo ſecundis tradere ſe fatis velit niſi morte parata, ſuſtinuêre impetum hoſtilem dexterè ſatis, aliquot denos ex equis dejecere, nonnullis Lipkarum occiſis, Anteſignanum Sáhinovicz Lipkam, Colonellum ſupremum in præſidio Camenecenſi vivum abduxêre, quem omni conatu recuperatum volebant Lipkæ, plures Cameneco in ſubſidium ſubmiſſi ſed & vexilla ſtatim ab exercitu miſſa noſtris in auxilium venêre, hoſtemq; fugavêre, acceptus

ceptus Colonellus ille, non vultu mutatus, non verbis commotior, nihil de motibus hostilibus illo instanti narrare voluit, igitur sic confusi rediêre Lipkæ; nostro exercitui modica quies data, sub Krzywce quatuor Cameneco milliaribus dissito, ut tutissima sunt arcanorum remedia si lateant, non revelando secretum Colonellus noster movit iterum sub Camenecum, circuitu facto, & Niedoborum sesqui milliaribus à Cameneco sub Zordzie attigit horâ ante diluculum. Orto sole expediti manè à præsidio Camenecensi ad observationem tractuum Lipkæ, prope Niedoborum, sequebantur præsidiarij Camenecenses & sesqui millia curruum Cameneco quà bobus quà equis junctis, lignorum & pabulorum causâ, juncti his erant nonnulli equites, nec non aliquot centeni Lipkarum, & curribus insedentium Janczarorum, in hos signo dato ruere prius valido impetu leviora vexilla, in succursum venire alia, frameis in Lipkas, & Janczaros rusticosq; nec non Podolienses Proditores sævire, cædere, ad ipsum fermè Camenecum fugare, ad internecionem fere omnes delere, occisorum sesqui millia numerabantur, nonnulli Lipkæ & Janczari vivi abducti cum aliquot gregibus pecorum, omnibus curribus, equis ac bobus; multa hîc tulit miles vulnera, plura fecit. In reditu extremam aciem claudebant levis armaturæ vexilla Dimideckiana, in hæc iterum miles Camenecensis erumpens, cœpit illa nimis infestare, & usq; trans trajectum, pertinaciter & audacter insequi; subventum tamen brevi illis & proximiores in subsidium compulsæ cohortes, quæ dũ assilierunt, pars à vado aberrando in Smotrycz ex petra præcipitati colla fregêre, pars in trajectum impulsi cæsi, vivi denuo sex Lipkæ, & Turcæ duo Sapahæ notabiles accepti. His sic fortunatè peractis Dux congregato exercitu ad S. R. Mtem pro ulteriori informatione excurrit Halicium, quo jam primis Julij advenerat. Ibi non morando, intellectâ voluntate Regiâ, quæ interfuit futuræ rerum dispositioni, redijt ad exercitum, quàm optimè dispositurus & tutissimè metaturus castra, rediêre interea vexilla cum præda ex campis Camenecensibus, & Regi Tysmienicæ facta relatio peractorũ, hic habito consilio, relictisq; præsidijs sub directione Druszkowicz Castellani Chełmensis 19 Julij movit exercitus Sniatynum sub Chocimierz, per Bukovinam. Hinc citra moram 2da Augusti, transivit exercitus flumen, ubi ex sangvine hostium non modicè nuper effuso stabant infecta mapalia tabo. Lincowci in præsidium duo Regimina relicta, quibus additum vexillum levis armaturæ ad omne obsequium & excubias; ante ipsam etiam Bukovinam munitio altera pro majori transeuntibus securitate, & receptaculi ergo, noviter exstructa, milites in illam aliquot deni præsidiarij locati, nec non decem equi ex vexillo Linkowci relicto additi. Iterato expeditus Łasko Colonellus cũ viginti vexillis sub Camenecum, & decem vexilla M. D. Litv. sub suo Regimentario. Mittendi Łasko intentio S. R. Mtis fuit, ut imparatos, dum jam exercitus longius recesserat, Lipkas Camenecenses, aut alios præsidiarios obrueret, & si sors tulerit pecora aliqua abigeret, Legatus etiam ab Hospodaro Valachico vesperi die eadem advenerat assecurando de amicitia Hospodari Sacram Regiam Majestatem, magnificaque & suavia adjungendo; igitur Bodzwloki expedit⁹, & associatus illi Zwierschowski Jesuita ligvam Velachicam bene callens, & optimè cognitus, tẽpore ibi suæ Missionis ad Iassy in amicitia Hospodaro, qui persvaderent ut partib⁹ Sacræ Regiæ Mtis cum omnibus Boiaris accederet. Habuit præterea idem P. Zwierzchowski in commissis tertiâ die reverteretur sub Stepanowce cum declaratione ab Hospodaro, in quam partem inclinaret.

A. C. 1686

A.C. 1686 clinaret. Wilga Decurio ad præscindendum tractum, eâdem die ad Studenicam expeditus, duos Turcas equestres tendentes Jassios, ex tractu hoc, indices adduxit. Reversus etiam & die tertia Łasko à Cameneco cauto jam, post primas concertationes, Lipkâ tantùm uno adducto, & aliquot denis pecoribus acceptis. Ut etiam & hic provideretur sub Pereryta ulterior tractûs securitas in loco, quem Pruth circumfundebat, ex duabus partibus exstructa munitio fortis, & firmata tribus Regiminibus, & vexillo uno Equestri Leviori sub Goliński Decurione, exercitus verò non morando ulteriùs 6. Augusti à Pereryta movit ad Cecoram, reversus P. Zwierzchowski retulit, Hospodarum Valachicum ad Berladum in Maldaviam ivisse, quasi dirigendo ad Szorbanum Hospodarum Maldaviæ, amicum cōmodorum nostrorum, propter conjunctionem cum eodem, & hanc illius alienationem, non esse inimicitiæ argumentum, adjecitq; Nuradynum Soldanum Murzam ad Hospodarum misisse, ne metuat imò confidat: ipsi citò daturum se succursum cum Sieraskiero. Ut autem omnibus obviàm iretur periculis dignæ memoriæ Eysmunt Decurio vexilli Vallachici Castellani Cracoviensis, usq; dum, Cecoram attingeret exercitus, expeditus pro excubiis cum 18. equis ad Inkul, hic incidit in 80. Tartaros, venientes Budziakis, ab his sejuncti alij 120 Tartari tergum Exercitus petebant ad intercipiendum indicem, conseruit ergo statim cum illis 80. & triginta in Campo prostratis, 18. vivos cepit, inter quos octo lethaliter vulnerati, abjecti, decem autem ad S. R. Mtem adducti sunt. Eorum relatio fuit, Nuradynum Soldanum jam attigisse Budziakos, venisse cum illo multos Crimenses Tartaros, & Nahaienses, & Bialohorodenses Tartaros omnes ferè jam paratos ad expeditionem, sed Sieraskierum adhuc cis Danubium, colligere robur hosq; ducentos equos compellatione Hospodari Valachici ivisse in obsequium ejus. Tandem Rex post longos tractus 14. Augusti Cecoram advenit, valla piissimæ olim memoriæ Magni Ducis Zołkievij, avi sui requiescētis ibi cū suis Antenatis revisens. Missis imprimis aliquot vaxillis, & aliquot centenis Dissultoriorum ad Civitatem Jassi, unde jam moverat Hospodar, securitatis ergo, ne fæx exercitûs prædas ageret. Hinc 6 vexilla, cum Mococki Colonello S. R. Mtis, & aliquot centenis Valachorū ducente, Łazninski Colonello Hussanum ad Hospodarum Valachicum, expediri debebant, jamq; viæ se accinxerant ob intervenientes tamen rationes revocati. Litatum hic pro animabus occisorum militum, ut hac pietate in mortuos, animi vivorum accenderentur ad fortius agendum pro aris & focis. Hinc Rex cum Ducibus se contulit Jassios metropolim Valachiæ visitato in via Monasterio Duki Hospodari Cytacya nuncupato. Proximè Jassios, invenit Metropolitam illius loci provectæ virum ætatis, in comitatu plurimorum Spiritualium, & Boiarorum Valachicorum salutantium, & excipientium magno cum plausu, gratitudine, & submissione Sām R. Mtem. Imprimis itum ad templum ritûs latini, quod est contiguum Arci, in Comitatu Cleri & Bojarorum quibus se junxerat Joannes Sbąski tunc Præmisliensis Episcopus, præsens in hac expeditione, ad latus S. R. Mtis cum omni Clero Castrensi. Ubi DEo litatum, divertit Rex ad arcem, pro nocte verò ad proximum Castrum. Die altera præsidium duorū vexillorum equestriū Arci Jassensi impositū, gubernio cōmisso Magno Heroi Koszkiel Decurioni Regiminis Desultorij Castellani Sandomir: Excubitoris Regni 19 Aug: Uroczyscum alio nomine Pauszistam, ventum, hinc Modzelewski Centurio missus in excubias adduxit Inkusam, & Braham Valachicos Boiaros, quorum celebris

bris latro Dux, & prædator nostrorum, & 30 Semenos Hospodarenses, A.C. 1686
qui Srokâ Jassijs carraginem ducebant, inscij de exercitu nostro, eo tempore Desultorij illi sub Kaminski nunc Colonello Jassijs ordinati substituto Koszkiel cum vexillis equestribus ad exercitum rediêre, hic non moratus exercitus Pagulis ubi prima vice Tartarorum quingenti obruerunt excubias,& aliquot Cosacos longi9 progressos morantes abduxerũt, sed & suorũ, nostris insequentib9 cedere debuerunt in prædã. Postera die aliquot centeni equitum apparuêre in conspectu castrorum in quos dũ noster miles exiliit, & strenuè cum illis conseruit in mutuo conflictu, ex nostra parte nonnulli tacti, & transfixi, præcipuè magnæ indolis, speique Comilito vexilli Ducis cataphracti Chelmski hastâ lethaliter trajectus, ea dem die, ut Tartari propiùs ad exercitum allicerentur jussu Regis Rzewuski Thesaurarius Minor Regni quem nullus unquam terror hostium fregit, cum viginti vexillis equestrium, & decem Magni Ducatûs Litv. & Desultorijs sexcentis, nec non Cosacis omnibus eorumque carragine præcessit exercitum, mox altera die ad Pagulam obvios habuit Tartaros, insultum in eos fecerunt nostri cum Cosacis, sed ob potentiam hostium redire coacti, ubi tamen alia vexilla succurrêre, ad sonitũ tympani hostis evanuit, substitit Thesaurarius in Lopuszna ad quendam exsiccatum lacum & proximum illi Pruth, sperans exercitum per Im transiturum quem tamen loci commoditas ad Pagulam detinuit, oculos tamen intentos habentem in Im & vigilias longius dissitas, solito vehementior hac die insurrexerat ventus, pulveribus àëra obscuraverat quæ causa fuit,ut ad duo stadia excubiæ agerentur;ex monte Pagula, Rex & Duces non descenderant intenti, in Exercitum Thesaurarij, cum tamen nihil adversi occurreret, receperunt se ad castra, reficiendorum corporum gratiâ. Nihilominus à vigiliis significatur, ipseq; Rex audivit, explodi tormenta, unde suppositio crevit Thesaurarium ab hoste impugnari, ideo Exercitus ad campum ordine dispositus & unumquemque statim suum munus traxit, arma raptim sumpta viris. Quo viso Tartari citis passibus retro cessêre à Thesaurario, sed imprimis omni tumultu, & potentiâ suâ ter in eum incurrerant, omni conatu volentes infringere, & confundere, illas exiguas Exercitûs copias, irruerunt ad extremum, ut consertæ manus, & multo brachia nexu, contra morem suum & in Desultorios, quamvis cum magna suorum clade. Infracti stetêre nostri sub Taube Colonello cæterisque Officialib9, juvit in favore prælij Thesaurariũ Miączynski Thesaurari9 Minor Regni, ut semper fortis,& non virtute coacta ita & hic dedit documenta fortitudinis experientiæ suæ succollando rerum sum̃am. Grave erat tunc videre Rzewuscio Thesaurario, præ oculis suis dignæ memoriæ Godembski, Præfectũ vexilli sui loricati occidi, & filium majorem natu Stanislaum Rzewuski Capitaneum Chelmensem gubernium tunc habentem in militem Exercitûs Magni Ducatûs Litvaniæ more exoticæ militiæ servientis periculosè & vix non lethaliter in manu vulnerari. Simile infortunium accidit Stadnicki Vexillifero Latyczeviensi, qui viriliter ibidem cum vexillis suis concertans etiam glande tactus, quia, dum hostium invisum sitiunt haurire cruorem, proprio sangvini non pepercêre; aliorum vulneratorũ prope triginta numerabantur com̃ilitonũ, item aliqui & famulorum circiter viginti ibidem cecidêre. Sed & in hoste, qui flueret multo non deerat vulnere sangvis. Cecidit hujus pars magna statim in arena, pars, uti ab indicibus relatum, præcipuè Primorum vulnerata. Et sicut fortuna locorum bella gerit, servatq; Ducum fata pugnantium, ita & hic præter

 indu-

A.C. 1686 industriam & animos Heroum, locus ipse, & lacus ille juvit, quem Tartari verebantur transgredi illo certaminis æstu, ne vasta mergerentur voragine, quem tamen nostri citra periculum transierunt.

Ultimâ Augusti transito Prut itum Saraciam substititque miles è regione illius, septi labruscis, & arundinibus in pascuis. Notitia huc venerat ab excubijs nostris dissipatis in Bukovina, item Palatinum Plocensē cum mille viris jam Jassios attigisse indeq; ad exercitum venturum. Acciti hic ad Regem noti viarum faventesq; Valachi bisque quæsitis de lōginquiori ad Galac, & Seret tractu etsi secundum responsum priori non constaret, verius tamen fuisse secundum probavit eventus; difficilis enim fuisset transitus carragini per altos montes, præterea si hoc tempore toti exercitui hàc eundem esset, dum in fluvijs, undis siccatis nudentur arenæ, pluribus quàm duobus diebus foret sinè aqua. Consilium hic initum, quid facto opus? cum præter instantia pericula equitatus æquè ac Peditatus conqueri cœperit de penuria alimenti, cui cum elementis insuper lucta fuit, dum propter nimios æstus, & gramen, & aqua interdū defecerit, sinè quo utroq; Budziak invincibilis. De successu etiam Exercitus Cæsariani, quibusq; in oris versetur? an spes expugnandæ Budæ? nulla habebatur notitia. Quid si Cæsariani obsidionem à Buda solverint, posset Vezirus hic Tartaris, & Seraskiero accedere nobisque negotium facessere, nunc amicitia etiam Hospodarorum tam Valachici, quàm Maldavici, non adeo certa, hisce perpensis placuit consilio bellico redire Jassios, donec habeatur notitia de Cæsarianis, quæ si læta tulerit, facile erit divertere in Moldaviam, pridie abitus à Saracia dum Duces ascenderunt montes castris adjacentes cupidine vetera loca, & famâ celebria visendi, nec non tentoria Turcica, jam sub Falczya distenta, Tartarorum sex millia irruerunt in greges nostros sub montibus pabulantes, ut eos abigerent; sed in tempore à custodibus observati & à vigiliarum tunc Præfecto Palatino Posnaniensi qui cum legionibus suis, alijsque vexillis, more suo viriliter, & strenuè huic hosti restitit, subsidium statim tulit Poniatowski, Præfectus vexilli loricati Domini Castellani Cracoviensis, cum denis vexillis in insidiis eo fine locatus, vigiliæ etiam in alia parte stantes fortiter restitêre, Commilitones etiam ita, ut non nisi sex equos abduxerint, Tartarorum quatuor occisi. Reditum ergo tertiâ Septembris Jassios, stetit exercitus ex adverso montis Pagula. Cis fluvium Pruth advertit Rex aliquot millia Tartarorum redeuntium cum commeatu à carraginibus Valachicis aliquot locis exspoliatis, sed quia Pruth inundaverat, nec facile vadum inveniri poterat, impunes abiêre à Pagula usq; ad Mogilam magnam & altam nuncupatam Rebuia Valachicè, Tartaricè Antepes. De hac mogila duplex est traditio, prima non omnibus nota, quòd cuidam Hospodaro omnes incolæ terræ Valachicæ, in monumentum æviternum & in recognitionem, Dominii sui erigere debuerint. Altera magis certa, quòd quidam Han proficiscens ad bellum in has oras, cum filia sibi chara quæ ibi fatis cessit, pro rei memoria, & ad jactandam multitudinem in posteris Exercitus sui, illâ in hoc loco sepultâ, quivis militum unam pharetram terrâ repletam super hanc Mogilam, aliàs tumulum congerere debuit, unde in tantam altitudinem succrevit. Primò hic palàm ostensa sunt tentoria Turcica. Seraskiero conjuncto Tartaris sperabatur & anhelis votis expectabatur conflictus.

Mogila famosa scubuus aggesta

Unde movimus castra Rebuio habentes notitiam de loci angustia quem ex una parte Pruth alluens ex alia frondes & montes coarctant, nobis verò in imum ex eminenti descendendum erat inter arundinem, ideo

Rex

Rex 30 vexilla bona à tergo relinqui voluit sub gubernio Notarij Campestris Regni. Pro insidiis verò iterum ob indicem ad apta illa loca virgultorum ordinatus cum Comilitonibus Miączynski Thesaurarius modernus Minor Regni, heros semper Marte ferox, & vinci nescius armis & in proximo Iskra tunc Vexilli Ducis Loricati, modò verò Præfectus vexilli cataphracti. Casimirus Bilinski Succamerarius Regni cum aliis copiis hostibus non tergo sed forti pectore notus. His sic constitutis primæ vigiliæ motæ, & post illas carrago, tandem totus exercitus descendit ordine in illam foveam, quam intrare oportebat. Visus imprimis hostis in illo tumulo Rebuy, & tandem auctus viribus, cum postremo agmine congredi, Albertus Rosnowski Vexillifer vexilli Ducis Loricati, cœpit conserere, & dimicare fortius, ut vexilla illa debuerint lentiùs progredi, & propter illa, totus Exercitus, qui jam longinquiùs ad securitatem carraginis recesserat. Tandem dum vehementiùs cum extrema acie hostis congreditur, incidit in vexilla, quæ à via aberrarunt, parũq; absfuit, ne in præceps agerentur, attamen felix eorum error, suppetias enim tulerunt nostris cum hoste confligentibus. In hoc conflictu nostrorum duo, hostium ultra decem occubuêre. Ipsius Rosnowski equus ter, ipse bis jaculo tactus, ast non lethaliter. Repulsam licet sæpius passi Tartari, continuò tamen nostros insequebantur inter virgulta, donec inciderunt in insidias nostrorum, à quibus pars in flumen Prut præcipites acti, extincturi sitim sangvinis nostri, pars vivi in manus nostrorum devenêre. Captivi retulêre Sieraskierum plura hic habere, quàm 16000 Exercitûs. Tormenta 30 aliquot, Nuradyn Soldanum sexaginta millia, Tartaros Crimensium adesse plurimos, sed dum significabit Hano, adventuras plures copias; Hanum scripsisse ut maximè caveant Tartari prælium, & non adoriantur quidquam cognoscendo potentiam Regis. Habita hac informatione Rex, quòd medio nolit hostis concurrere bello, ast solum trajectus observare & vestigia extremi agminis legere, captanda & nostris occasio. Dziezam fluvium æstibus solis pene exsiccatum trajecimus, hic in Tartaros iterum redeunt rabiesq; furorq;, interfeceruntq; Zawitski Præfectum Vexilli Loricati Subdapiferi Buscensis Judicis exercitus, cum Commilitone Mozewicz, qui ab aliis se elongaverant, ast ultus injuriam Iskra, crimen eorum abluit alios aquis fluminis Prut, in quod præcipites dati, alios proprio sangvine fuso. Dum inter Dziezam & Prut exercitui incedendum esset 8. Septembris præmissa carrago, cũ ecce stratagemate usus hostis, sex tormenta cum aliquot centenis Janczarorum in sylva abdidit. Cumq; carrago nostra transiisset, exonerata tormenta, cujus notitiam cùm Rex accepisset, mox equitem jubet succedere bello, & Palatino Kijoviensi Generali Artileriæ comendat ut tollantur insidiæ, & carragini locus pateat. Ast carrago jam moverat, nullo damno alio accepto, nisi quod unius peditis pes læsus, bini equi & boves occisi. Acceleravit interea Palatinus Kijoviensis cum tormentis, quæ explosa hostium tria tormenta discusserunt, aliquotq; eorum Machinatores occiderunt. A: C. 1686

Non modicam hic Tartari nostris creârunt molestiam dum exsiccatas nimijs æstibus arundines incenderunt, unde fumus subortus graves fecit transitus, donec cœlum meliore phœbo has nebulas depulit. Multi Jassijs varia negotia expedienda habebant, ne inermes in hostium manus venirent, addita illis carrago & bina tormenta. Jassios citra periculum pervenerunt. Ast in reditu nimium securi, carraginem & tormenta bina amiserunt. Imparatos enim adverterant Tartari, aliquot cen-

A.C. 1686 centeni eorum assultum fecerunt, incautos dissiparunt, etsi sine magno damno, contigua enim sylva refugio fuit, alij Equites suppetias tulere, dum Tartari prædas agerent. Sub Cecora biduum transegit expectans relationem de Buda, perpendensq; quæ ulteriora consilia arripienda, dũ hostem fluvius Prut divideret, nec facilis ad eum pro conflictu daretur transitus. An à Prut Snyatinum vertendæ copiæ, cum exercitui jam modicum annonæ superesset? An super Bahluc fluvium Jassios, & inde Seretum in oram & à montibus, & à Bukowina fæcundiorem, & sic considerandum, quid hostis, qui in Cecor a ex illa parte Prut effuso laxavit tentoria campo, facturus sit ultra. Consultius duxit Rex Jassios eundum ut hostis in campum educeretur. Igitur ponte in Dzieza, quo non erat transeundum cremato, itum sub Jassios, & in planicie sub fluvio Bahluc, qui etiam in multis aut fermè in omnibus locis exaruerat stetit exercit9. Cum Tartaris hic, crebros nostri, partim sub Thesaurario minori Regni, partim sub Iskra Præfecto lusus exercebant, ex insidiis in improvisos excurrentes, insequendo illos, & sæpè indices adducendo.

Deliberatum hic, an hærendum sub Jassijs, an corroborandum præsidium arcis in defensionem Valachiæ, & securiorem nostrorum adventantium susceptionem? dissvadebant id variæ rationes, nimirum longinquus succursus, & repressalia, dum his opus foret; homines exteri, non sinceri Valachi, hostis valde proximus, & qui citò confluere potest, arx ad hoc non munita, & vix alicui asylo futura, alimentum pro milite, unde tàm citò provideri poterit, donec hinc exercitus movebitur, movendum tamen svadebat defectus pascuorum. Insolentia Cosacoru m cœperat, cum nonnullâ nostra Castrorum turba fomentari in Civitate spe, & cupidine prædæ, sed obviatum huic, & sopiti ignes illi, ne structuræ tam pulchræ, & decoræ templorum, quamvis ritûs Græci, flam̃is consecrarentur.

17ta Septembris à meridie Jassijs itum versus Seret, ubi continuæ à Tartaris infestationes. Przyiemski Castellanides Culmensis lateri Regis adequitans sagittâ Tartarica tactus est, hostium hic nonnulli ceciderunt, à velitationibus non nisi cum occidente sole cessatum. Stanislaus Sczuka Referendarius Regni Heroem se probavit, sub oculis Regis animosè decertans. 28 Septembris Luzenski Palatinus Podoliæ ab exercitu longius declinans à Tartaris circumdatus hastis & gladijs confixus obijt, non sine dolore Regis & totius exercitus. Exusta hîc erant omnia prata, id muneris obeunte Bek Murza. 19 7bris ponte lateritio superato, in montem quasi jam celsi super ardua valli exierant aquilæ. Dum hæsit Rex cum exercitu, quousq; carraginis reliquiæ ascenderent montem, pulvis testabatur adesse cohortes, conjectura fuit facilis, aciem esse hostilẽ. Amota quantocius carragine, acies ordinata; ast hostis paratos nostros ad præliandum advertens, declinavit descendere in arenam, præterquam quòd è Turcis Spahæ cum 400 nobilioribus sub Arap Bassa impetum fecerint in agmen nostrum extremum, sed repulsam passi, cum his reliqui ad tutiora rediêre. Ob aquæ & pabuli defectum ultra duo milliaria movit exercitus sub Krasnytaram. Hic à Castellano Sandomiriensi insomni in omnes occasiones missus Tartarus qui asseruit, hodie Seraskierum in arenam descensurum cum Nuradyn Soldano; dum acies ordinatur eodem ferè vestigio ab Iskra ducitur Turca onustus auro, qui asseruit non sperandum, modo Sieraskierum aperto conflicturum campo, donec exercitus ejus suppetijs propediem affuturis augeatur. Unde citra moram

cessit

cessit Rex campo, & in longius tempus gloria belli, rebusque serva- *A. C.1686*
ta suis.

Ad Helczam cum ventum est, accessit Regem Iwaszko Ruthenus interpres, à Kiemal Murza in negotio Germanæ cujusdam Comitissæ ex Austria sub Vienna captæ petens citam expeditionem asserens Murzam in sylva responsum præstolari. Huc Iskra cum suis & alijs sex vexillis expeditus, eundem Murzam cum centum Tartaris reperit, quorum decem occisi, decem capti sunt, alij in densiores sylvas se abdiderunt.

Ad Dąbrowicā (nobis Moldava & Samus) & ad Bajam defectū annonæ & pabuli passus exercitus, donec sub Łomaszany constitit, ubi copia arborum quarum fructus annonæ loco fuere. Extra castra & ordinem vagantes plurimi à Valachis occisi aut intercepti.

Kalendis Octobris Soczowam attigit exercitus, ubi scrutatores retulerunt aliquot centenos Tartaros cis fluvium sub arce reperiri, ad struendas his insidias decem vexilla in proxima sylva abdita, quæ quàm primum Rex Soczovam venit in Tartaros insilierunt quibus alij à latere Regis suppetias tulerunt, ast illi in tempore fuga se subduxerunt.

Ex tribus partibus hic insultum fecerunt Tartari in nostros gramen defalcantes, prædam acturi, ast Thesaurarius regni & Iskra in excubijs positi obstitêre, & eadem vestigia relegere coegerunt. Observatū quòd se receperint in quasdam labruscas prope fluvium delatumq; Regi, qui statim nonnullis industriis Valachis usus ad eos investigandos, utq; fidelius agerent aliquot centenos Imperiales hisce obtulit, quibus expeditis intimatum in castris ut ad buccinæ sonitum omnes stent in armis. Redierunt Valachi designantes locum, ubi somno sepulti jaceant. Designatus ad hanc functionem Rzewuski Thesaurarius minor regni & vexilla loricata, ex exercitu M. D. L. Castellanus Vilnensis designavit Vexilliferum M. D. L. Ad locum designatum ubi ventum, repertis in utramq; stertere aurem, datus clangor buccinâ, quo territi equi Tartarici compediti, confusiq; stertentes conculcare Dominos, confundere, nostri frameis ferire, prosternere, fugam eorum aliqui arripere, sed eam negare difficilis trajectus; pars ergo cæsi, pars captivati. Cecidere supra mille, quingenti captivati. Copia magna arcuum & gladiorum, equorum duo millia nostris in prædam cessêre, nonnullos sylvæ contiguæ abdiderant, sed hos postea Cosacci & Desultorii nostri interfecerunt, ex relatione captivorum constitit ad semi tria millia Tartarorum adfuisse, inter quos selectissimi ex toto exercitu, omnes quos Han ad custodiam Nuradin Soldani miserat, Præfectum Stabuli Hanensis illis præfuisse. Intentum eorum fuisse, post brevem somnum primas vigilias & carraginem adoriri, sed supposuisse se nostros adventare cum strepitus per trajectum fieret, verùm Bek Mursam qui erat cum Tartaris venturus, junctisq; viribus insultum facturus.

Qua relatione habita Iskra cum cæteris, quibus additus Judex exercitus & Wolowicz vexillifer M. D. L. sylvam quà Mursæ iter erant ingressi, obvij Tartaris facti, quà cædendo quà captivando progressi sunt, Judex septem viros accepit, Iskra sex, Wołowicz quinq; insignes Tartaros, patuitq; huic expeditioni præcipuos interfuisse; non est dubium plurimos in sylvis cecidisse Tartaros quorum tamen numerus iniri non potuit. Accurrit sub diluculum Princeps Jacobus cum selectis, statim obvios habuit aliquot centenos Tartarorum, inscios de aliorum clade, qui venerunt se conjuncturi illis, insultus in eos factus, in fugam acti, Murzacum insignē & aliquot Tartaros adduxit & obtulit S. R. Mti Princeps Jacobus, digna

tanto

diminutos non tam citò reparandos putant. Ne tamen Poloni irrumpere & attentare quidquam possint, conclusum apud illos dixit: ut Tartari irruptionibus impediant, Turcicusq; exercitus ad Camenecum Hanum secundet. Istud porrò consilium inde imutabile censet, quòd & Imperator & Vesyrus illud approbaverit; præparamentaq; omnia parata sint, Commeatus ex Transylvania & terris trans Danubium in citeriorem partem fluminis transportentur, ijdemq; ex Moldavia imperentur. Quamvis verò tantam potentiam, quantam habuerunt antè, cogere nequeant; contendent tamen, ut quàm maximis viribus instructi compareant, ultimam fortunam, sive ea adversa sive prospera ceciderit, tentaturi. &c. A.C. 1686

COPIA LITERARUM REGINÆ Ad PAPAM Samboriæ 25 Sep.

POST oscula pedum Sanctitatis Vræ, & mei, domusq; meæ humillimam recommendationem. Trigesimus instat propè dies, ex quo nullas à Rege meo habui literas. Ille non salutis sæpius fatiscentis uti per labores continuos fessæ; sed dati tantùm Sanctitati Vræ memor verbi, Me, minori familiâ, Patriâq; totâ relictis, hostes Christiani nominis in finibus Regni, dum non reperit, aliquot in sylva famosa Bukowina, & peninsula ad Pruth, dicta Peretita noviter exstructis fortalitijs, in Moldavia, non vi & ferro, sed solo nominis sui clamore, vel terrore ad obedientiam per solenne juramentum redacta, deserta, & invia, ubi nunquam in hanc usq; diem arma Polona visa sunt, transivit loca. Opponentē se non levē Tartarorū manum 24 Aug. per Thesaurariū Aulæ suæ, & loco tenentē Rzewuski fugavit, accepto de Turcis in Vicinia Danubij, Nuntio, quærendos potiùs, quàm expectandos ratus, in alteram fluvij Pruth partē, ad ulteriùs eundum festinatione exstimulante per erectum à nostris pontem transivit. Quid ulteriùs factum sit, quid nunc fiat, planè ignoro, ac proinde anxia, sollicitaq; esse debeo. Scio enim cum Tartaris nobis rem esse, qui aggredi, & fugere pariter sueti, modica quidem, sed crebra, imò continua exercitui nostro inferunt damna. Novi animum Regis mei, qui securitati minùs suæ, quàm famæ, cautiùs quandoq; consulit. Hinc metus, justaq; apprehensio, quam evidentia periculi eò magis auget, quò diutiùs sine ulla, vel minima notitia non ducere, sed trahere vitam cogor. Dabit proinde veniam filiali ad beneficum Patrem confidentiæ Sctas Vra, si & alium animi mei angorem, cum pleno, & debito sacræ Sedis ejus respectu communicavero. Prævideo magno doloris sensu Regem meum id accepturum, dum, in nupera Cardinalium promotione postpositam suam nominationem, indigniùsq; habitam audiet. Vellem libenter, ut notitia hæc ad aures ejus non veniat, ne imparatum deprehendat, nam & fortes viri subitis moventur, dum dolor ejus tot curis exercitus, ubi se reclinet, non habebit. Dignetur considerare Sanctitas Vra, cui summū judicium cæli dedêre, quomodo ille alacer exercitus, quocunq; res tulerit intrepido gradu properat, quo reverentis obsequij, non magis ad

mos

A. C. 1686 *morem, quàm ad propriam inclinationem pertinente personam Sanctitatis Vræ prosequatur. Antiquiora, quæ vetustas (quanquam rectè factorum verus fructus sit fecisse) jam fortè abduxit, transeo, Viennam non memoro, ad quam defendendam, solo desiderii Sanctitatis Vræ circa salutem Christianitatis solliciti, adductus motivo, mei, prolis, Patriæq; oblitus, eo ipso quo destinaverat, & Sanctitati Suæ promiserat, venit die. Proximum personæ suæ, & primogeniti sui ad Parkan periculum, utinam ita in potestate mea esset, oblivisci quàm tacere! Incepta feliciter in Ungaria, quæ tot ulterioribus in rē Christianam beneficijs locum aperuerunt, sat nota sunt. Totum id Magno Nomini Stis Vræ litavit, ut Pontificatum ejus supra omnes, quos antiquior, & recentior ætas vidit, redderet gloriosiorem, Pontifices. Huic verò omnes curas sine cura sui, omnes conatus etiam nunc impendit, ut Sanctitas Vra ex sacro hoc fœdere, quod nutu planè ejus incepit, & coalescit, quàm frequentissimos videre possit fructus, dum hæc, inquam fiunt, & ecce magnum non personæ tantùm, sed toti in Regibus suis Regno, Sanctitate Vra moderante terras, rebusq; Christianis præsidente fieri videbit, dolebitq; præjudicium. Ignoscat Sanctitas Vestra, si liberiùs id dico, nihil est difficilius quàm magno dolori paria reperire verba. Scio quantum Rex meus in paterno affectu conceptam non spem modò, sed ipsius spei fiduciam semper habuerit, ideoq; gravior, quò magis repentina, & ex insperato hæc eò veniet notitia, si cum his, qui digni hac fortunâ & Reverendissimus in Christo Episcopus Belluacen. qui nominatione Regiâ potior erat, gratiam Sanctitatis Vræ expertus fuisset Rex meus non delectaretur tantùm, sed gloriaretur. Innocentia dicti Episcopi post rigidum examen palàm patuit, constantes, & sine intermissione frequentiores ad Sanctitatem Vram, ore per Illmum Nuntium, & manu propriâ per literas toties expressæ erant instantiæ, quis ex causis incertis, eoq; difficilioribus remedijs sinè cura habitas, quàm ingenti animi mœrore hic ferre debebit filius qui sibi se eripit, ut nutibus Sanctitatis Vræ pareat, notius est, quàm ut ego ostendam. Deferendum nihilominus ad ipsas Sanctitatis Vræ aures, cum omni debita submissione in animum induxi, ut maturiùs considerato eo, quòd Rex meus nihil sanctius hactenus habuerit, quàm ut pro asservanda authoritate Pontificia, propugnanda Ecclesia Romana, nō curam duntaxat, & opes, sed vitam ipsam deuoueat, si quod remedium in innata Paterna Sanctitatis Vræ bonitate inveniri potest, ad sedandum hunc adversus omne solatium contumacem dolorem, adhibere, & impendere velit. Benedicet DEUS diebus, & plus ultra crescenti in dies Stis Vræ fortunæ, si belligeranti pro aris suis, sanguiniq; proprio non parcenti filio Regi, id solatij dederit, quod æstimationem ejus in orbe Christiano saluare de affectu Paterno Sanctitatis Vræ aduerso in rumore diminuto certiorem reddere, ora iniqua*

qua loquentium confundere, ad majora pro re Christiana incipienda, & agenda currenti calcar addere fauore suo, & gratiâ non dedignabitur. His reverenter insinuatis Paternam Sanctitatis Vræ imploro benedictionem. A.C. 1686

EJUSDEM AD EUNDEM 10 Octobris.

POST *oscula pedum Sanctitatis Vræ, & mei, Regiæq; domûs Nræ humillimam commẽdationem. Quo momento die* 10. *Octobris læta accepi nuntia, de profligato uno die geminatâ vice insigni Tartarorum numero, eidem Sanctitati, & rem, & ejus seriẽ defero, plena spei Sanctitati Vræ non injucundum fore, non improsperum hunc Serenmi Dni Regis mei, & Mariti contra hostes fidei successum, quem Bonitas Divina, & dextera Excelsi inter tot pericula, quibus personam indesinenter objicit, benedictionibus cælestibus non deserit. Verba Serenmi Regis Dni & Mariti charissimi ad me die Divo Francisco Seraphico sacra data eò libentiùs hic pono, quò æquiùs esse censui, ut Sanctitati Vræ ab ea manu, quæ victoriam operata est, genuinam valeat habere relationem. Et hæc sunt, quæ sequuntur: Sit DEUS benedictus in sæcula pro gratia, & beneficio die hesternâ nobis collato. Jam disparuerant Tartaricorum Exercituum nubes, quæ insessis montibus, & vicinis nobis locis, continuis in nostris assultibus per tot septimanas factis, creberrimis videbantur lassatæ cladibus, quas à nostro, semper juvante DEO, reportabant exercitu. Tandem denuò comparuêre, agmina nostra, ad instar luporum ex sylva prosilientium carpendo non tam militari, quàm fortivo modo; Plura illorum millia præstantioris armaturæ, & roboris congregati solito more, circa trajectus fluminum, & angustias locorum, insolens famulitium nostratium cum equis abducebant. Cùm autem flumen Szocavam transeundo, ejusdemq; nominis Civitatem ingressi fuissemus, Tartaricus Exercitus magis ac magis coadunari cœpit, eo consilio ut* 3. *Octobris in pervigilio Divi Francisci undequaq; aggrederentur anteriorem Exercitûs nostri partem, videntes, quòd nobis arduum erat hostem vento velociorem, qui momento paret, & disparet, insequi, aliâ eundem methodo aggredi instituimus, denuntiari fecimus omnibus Incolis, ut quicunq; illorum exploraret loca, in quibus pernoctarent Tartari, habiturus sit pro tali Nuntio Ducẽtos Imperiales. Successit consilium; horâ undecimâ ante mediam noctem, nuntiatum est: Tartaros in loco certo, uno milliari à castris, ut examen apum consedisse, non cunctanter ergo expeditas manus militum tribuimus Thesaurario Curiæ, & Venatori Regni cum alijs M. Ducatûs L. Præfectis, jussimusq; antecedere contra hostem. Nos ipsi cum exercitu statim secuti, sub auroram ergo hostis præoccupatus, in prædicto loco internecione deletus, quicunq; ibi erat, exceptis ad minimum trecentis captivis, quæ res tam rara est, apud velocissimum*

hostem

A.C. 1686 hostem, ut citiùs (expertis credendum) triginta millia ex alia Gente capi possint, quàm ex hac trecenti. Eo loco cecidit tota Aula ipsius Hani, Nuradini, Soltani Filij ejus. Hanus enim liber in Crymea ab impetitione Moschorum, quam principiô anni timuerat, selectam militiam huc transmiserat. Inter captivos sunt multi Murzæ, seu Præfecti, & nobiliores Aulici, quorum Ductor erat Affinis præteriti Hani, dictus Neszta Szoblabey, agebatq; primarium Aulæ Præfectum apud Nuradinum. His deletis circa ortum solis supervenerunt alij, ex sylvis ex condictamine antea facto, ignari eorum, quæ sociis acciderant. Hos quoq; aggressi fudimus multos, ceciderunt plurimi, sauciatos fuga cum reliquis abstulit. Est ergo pro quo Datori omnium rerum, agamus gratias; Ex Nostratibus verò vix 4tuor cecidêre. Hactenus Rex meus. Quod verò ex alijs literis didicimus, silentio nullatenus transeundum, eâ occasione credimus, quanta Primogenitus Filius Noster Patris ad exemplum dederit, & Martium ardorem spirans, imperterriti animi specimina, cùm se videret per expeditos, præviosque omissum, assumptis ijs quos alacritas stimulabat, suscepit in se munia strenui militis, sub auspicijs Paternis non contentus plurimos profligâsse, nisi propriâ manu Murzam Tartaricum prensatum, & detentum in conspectum Serenissimi deduceret. Id vel ex ea ratione Sanctitati Vræ deferendum esse duxi, ut videat, quomodo Rex & Maritus, Princepsq; Filius sinè cura sui proprium pro re Christiana etiam profundere sint parati sangvinem, & si hostis occasionem conserendarum manuum tam sedulò non evitaret, nomine DEI invocato, cui, quemadmodum Rex meus omnia tribuit, sic ab eo solo, uti intima cordis noscente, æquam remunerationem sperat, si, inquam, hostis pugnare vellet, potenti manu DEI per arma nostra procul dubio vinceretur. Ex captivis constat animatos esse Tartaros sparsis Nuntijs, de simili obsidionis Budensis fato, quale ante biennium fuerat; unde Serenissimus Rex nihil dolentius accepit, quàm quòd exitũ rerum Budensium hucusq; ignoret, rem tam magni, ut vix hac ætate dari potuerit, momenti. Ex ijsdem captivis constat & aliud, quòd Moschorum Monarcha nullam omnino diversionem nec per se, nec per Cosacos fecerit in Tauricam, quæ hoc metu soluta validiora robora contra nostros emiserat; imò constat, quòd inter Cosacos & Crymæam durant pacifica commercia. hoc adjecto, quòd Cosaci datos se à Polonis Moschorum Ducibus dedignantur, cupiantq; esse Populi liberi, non servi, dummodo Tartaricam habeant assistentiam. Certum itaq; est, totam Crymæam cum Turcis incubuisse nostris exercitibus. His reverenter insinuatis. &c. &c.

COPIA

A.C. 1686

COPIA LITERARUM S. R. M. AD ILLUSTRISSIMUM CARDINALEM PALAVICINUM NUNTIUM APOSTOLICUM 19 Octob. in Castris ad Niesvisze.

Nominatio Cardinalis

JOANNES &c. Quemadmodum nobis nihil gratius evenire potuit, eo honore, quem recentissimè in Ecclesia DEI Illustritatis Vræ meritis jam diu debitum sua Sanctitas contulit, ita nil æquè acerbius accidit, quàm dum nominationem nostram Regiam Serenissimis olim Prædecessoribus nostris semper solennem nullo demerito nostro inanem hucusque reputari patimur, nec inter aliorum Principum æqualia vota æquali sortitam gaudemus eventu. Auctas quis crederet prærogativas nostras, auctu laborum, ne dicamus meritorum pro Ecclesia DEI, ac Christianitate intimis studiis, ac per dispendia vitæ susceptorum. Et ecce imminui avita jura nostra cùm in pluribus aliis occasionibus, tum in præsenti Cardinalium promotione nemo non indoluerit. Exsiccari profectò, atque omnino arescere necessum est merita nisi gratiis irrigua suum retineant vigorem, hinc quò plus illa dilatantur, largiùs istas promanare lex quædam, & necessitas fuit. Nobis porrò contrarium evenire dolendum; veteribus, perviis, solitis, ac semper observatis privamur prærogativis, ne dum novis dignamur gratiis, licet pleno sinu sangvinem, & vitam nostram universali Christianorum merito immolare nemo nobis prior, nemo promptior fuit. Quodsi quispiam satisfactum nominationi nostræ transmissâ ultroneè ad Illustrissimum Principem Radzieiowski purpurâ, quasi in gratiam sangvinis nostri censuerit; in eo non modò nullum agnoscimus favorem, utpote quibus per pacta consangvinei ad æqualitatem avelluntur, juxta illud vulgare; Poloniæ Reges consangvineos non habere, sed etiam plurima inde in publicum non levia difficultatum proditura momenta, justo subveremur metu. Quod totum exactissimæ Illustritatis Vræ prudentiæ non alio insinuamus fine, quàm ut vel activitate ipsius tandem teneritudo nostra justum amorem, vetustissimus nominationis usus debitam observantiam, animus noster semper in commoda & obsequia Christianitatis pronus, veram sui æstimationem inveniat, referatque. De reliquo Regium appendimus votum, ut susceptum honorem solatiorū semper feracem Illustritas Vra longæva super terram possideat. Cui optimam quoque precamur valetudinem &c.

COPIA LITERARUM REGIS AD PRINCIPEM ANHALTINUM 19 Octobris.

Connubium Radzivilij

POst tot tædiosas non tantùm cum hostibus, sed & cum ipsis injurijs cæli, Elementisque luctas ad propria reversi id præcipui solatij loco habemus, quòd à Reverendissimo in Christo Patre Episcopo Kijoviensi didicimus, antiquioris Jura amicitiæ, recentis stri-

A.C.1686 ctioris nexûs vinculo cum Domo Illuſtritatis Vræ renovanda, dum quærenti Illuſtri Georgio Radziwilio Nepoti Noſtro in Domo Illuſtritatis Vræ æternum connubij fœdus, cum Paterno Illuſtritatis Vræ conſenſu firmatum, non niſi reditum ejus ab exteris expectet: Continere proinde plenam animi noſtri ſatisfactionem non poſſumus, quin Illuſtritatis Vræ palàm faciamus, nihil nobis optabilius accidere potuiſſe, quàm dum veteris noſtræ in Perſonam, ingentiaque merita propenſioris æſtimationis eò ſæpiùs teſtari poterimus, documenta, quò viciniorem, & nobiliorem oculis ſpectare licebit arrham. In reliquo dictus Epiſcopus cum Illuſtritate Vra conferet; Quam Nos de conſtanti Noſtro, nec unquam immutando affectu ſecuram reddimus, Optimam valetudinem & proſperrimum rerum curſum ex animo precantes.

COPIA LITERARUM à SACRA REGIA MAJESTATE AD ILLUSTRISSIMUM ZIEROWSKI

R्Etulit Nobis Reverendiſſimus in Chriſto Pater Epiſcopus Kijovienſis poſt tot tædioſas non cum hoſtibus ſolummodo, ſed & cum ipſis injurijs cœli, elementiſque luctas ad propria reverſis, quo affectu, Gratitudo Vra negotium Domûs Radziwilianæ promotum velit, ad quod finiendum cum noſter deſiderari videatur conſenſus, & beneplacitum, libenter illud, ſicuti antea, ita & nunc ad intentionem inceptorum jungimus; utque ulteriùs cum Gratitudine Vra hoc in negotio conferat dictus Epiſcopus, ſeriò commiſimus. Secura interim Gratitudo Vra ſit, quòd Nos affectum hunc, quem tam propinquo ſangvini noſtro hoc in negotio præſtabit, debitâ recognoſcemus gratitudine; optimam à DEO ex animo precantes valetudinem &c. &c.

COPIA LITERARUM REGIS AD SANCTISSIMUM IN ARCE STRYZENSI 27 Octob.

POſt oſcula &c. Tertiâ ab hinc ex Caſtris redux die terminatæ licet nedum integrè dimiſſis copijs præſentis meæ bellicæ expeditionis, quàm primum Sanct. Vræ, pro filiali mea reverentia, reddere ſtatui rationem. Ut enim ab ipſius Paternis benedictionibus auſpicatus ſum, ita ad eandem tanquam ad communem Chriſtianæ felicitatis fontem, actorum, geſtorumque per exercitus Chriſtianos redire neceſſum eſt, momenta. Magnificos equidem non fero triumphos, ſed geſtis fortium, egregiâ militum fortitudine, caſibus ac mille periculis, quæ non pro una duntaxat expeditione, ſed pro ſæculorum ſufficerent hiſtoria, memoranda facinora, ac diverſionem hoſtium, pro ſucceſſibus ſocialium adeo fauſtam, & opportunam, pro partibus verò meis adeo duram, & aſperam, ut plus certo ſit, me & Patriam meam alijs inſerviendo, conſumi. Poſtquam enim cum primo vere ad promulgatos armorum meorum motus, Barenſe, & Me-

dzibo-

dzibolense, præsidia per Turcas deserta refici, ac muniri demandâsſem, Paternæ Sanct. Vræ voluntatis conscius, primum me ad castra contuli, mox in interiora Moldaviæ Provinciis, post tergum ad ostia hostilis terræ, tribus recenter erectis munitionibus, relictisque ad fines Patriæ copiis, processi, vastissima deserta sine omni prorsus habitatore Jassios usque superavi. Ibi cum ambigua, & abstrusa Christianorum fide aliquantulum luctatus, relicto, quantum permisit locus ille sine ulla neglectus fortificatione, præsidio, per magis adhuc tædiosa, invia, & nunquam habitata deserta progressus sum, donec in terris Budziacensibus præ foribus domuum suarum, Scythas primùm, pòst Turcas cum Sieraskiero à Danubio supervenientes offenderim. Igitur cum ijs per septem quadraginta continuos dies, non prælia, sed quotidianas acies, & certamina impendendo generalem pugnam detrectantes, crebris, ijsque furtivis excursionibus graves, dum vincere universos non potui, audacissimi quique ac præcipui hostium cecidêre, binisque vicibus memorandâ post Calusienses meas victorias percussi sunt clade, ac aliquot insignium centena inter mancipia devenêre. Et hæc quidem homines contra homines valuimus, sed major nobis cum elementis, terrenâ non superandis potestate lucta fuit. Integrum prope Quadrimestre, quod castris insumpsi, ne unica pluviæ gutta, ne ros quidem solitus irrigavit, hinc tam grandi perusta terra siccitate non modò usus aquarum ignotos, sed etiam famosos absorpsit fluvios, utpote Dzieza, Bachluiec. Quâ aquarum penuriâ pressus exercitus meus, solismet fluvii Pruth incumbere debuit ripis, nec quo eundum erat, sed quò ille ducebat, tenebatur iter. Sive enim sinistrorsum, sive dextrorsum occasio vertendi poscebat, absque omni prorsus aqua quinque aut quatuor dies viæ insumendi erant. Rursus contrarium ignis elementum plurimùm aderat; præter enim insolitos, militique meo insvetos calores Tartari circum circa herbas exurebant, quæ tam facilè ignem concipiebant, ut vix credibile, nisi vidissem, ad cujus scintillæ contactum, tanquam stipula sicca incendebantur, atque ita succensæ sæpe sæpiùs non leve periculum castris minabantur, compluries etiam in exustis, atque carbonibus, quàm terræ similioribus locis metari debuerant. Igitur cognitô, quòd hostes compagibus, & ergastulis suis, quorsùm penetrare statueram, idem facere, quod cum herbis, decreverunt, magis arduum ratus cum elementis, quàm cum hoste bellum, tempestivã enervatæ, fessæ, laboribus attritæ, morbis afflictæ, annonæque penuriâ; non enim aderat ulla, nisi ex Polonia, quæ devehi poterat plurimùm laborantis militiæ conservandæ præhabui meditationem, tũ maximè, cum Moldavorum Vallachorumque perfidiæ erant non inobscura documenta, qui, nescitur, quibus inducti exstimulationibus, omnium promissorum, quæ spoponderant, ac Religione sese obstrinxerant, prorsus obliti, timendos se magis, quàm sociandos præ-

A.C. 1686

 buerunt,

A.C. 1686 buerunt. Populi insuper Trans-Danubiani universi & singuli viritim ad arma convocabantur, nobis opponenda. Accessit vacua rebus spes, de diversione per magnos Moschorum Duces promissa, non modò enim Crimenses ordinariâ gaudebant tranquillitate, sed adeo securi fuerunt, ut, præterquam, quòd continuò inde Tartari in Moldaviam contra exercitum meum commeârunt, recentissimè viginti millia inde, in exitu ferè meo ex Moldavia illuc venêre; velim proinde, ut Sanctitas Vra pro Paterno suo erga me, & Patriam meam affectu, seriam super his omnibus faciat reflexionem, quantas peragravi solitudines, nunquam ante hac pervias Polonis, quot casuum DEI favore superavi ictus, quas elementorum sustinui inclementias, quam Turcicam, Tauricamque in mediis hostilium terrarum visceribus potentiam eâ fortitudine adorsus, regessi, ut id solùm ad victoriam deesset, quòd se Generali semper subduxissent aciei. Potuitne quisquam majoribus periculis, damnis, prout horum omnium fuêre spectatores generosi, Cæsarianus, & Venetiarum Residentes, minore verò belligerare solatio, præter hoc unicum, quòd opportunissimam expugnationi Budensi præbuerim diversionem, nisi enim hos, quos armis meis tenui hostes maturâ prævenissem expeditione, certò certiùs laboranti adfuissent Budæ, toties à Supremo Vezirio requisiti, & vocati, sed semper suarum defensione terrarum excusati. Dum itaq; tam arduam, tamq; difficilem, successibusq; tantùm fœderatorum peropportunam, mihi verò, Regnoq; meo, nullius, ultra cõmune Christianorum, emolumenti feracem Sanctitati Vræ præsento expeditionem. Non dubito Paternæ ipsius providentiæ facilè subintraturum; quid tandem ulteriùs pro commodo proprio agendum sit, dum susceptum hoc bellum solismet Colligatorum Reipub. alit. commodis, suæ impotens utilitatis, ob eas, quas jam olim Sanctitati Vræ memoraveram difficultates, scilicet, quòd hostis mihi petendus sit, per medias solitudines longum iter, & vastissima deserta planè extra modum devehendæ annonæ, adeoque priùs necesse est vinci, antequam in conspectum veniatur; jam verò expugnationem Cameneci planè impossibilem remonstrant, tot fata, mortesq; virorum in obsidione Budensi, eo enim numero hominum, qui ad Budam deperiit, vix totus meus constat exercitus, his ergo difficultatibus státueram, communicato cum Sanct. Vra consilio curas meas exerere, matureque consulere, quomodo sit ulterius tum propriis, tum cõmunibus ex hoc bello invigilandum commodis. Sed ecce ponit his omnibus modum dolor sine modo, insperatusq; prout anterioribus meis insinuavi, animi angor, ex recenti Sanctitatis Vræ purpuratorum promotione, in qua cum mea unius prætermissa sit nominatio, omnium verò aliorum Principum commendationes etiam pro externis secum reportâssent, ex voto eventuum, gravissimus sine solatio dolor. Liceat itaq; rursus filiali devotione coram Sanctitate Vra

inge-

ingenuè fateri, mihi non sic pericula, casus rerum, ingentes curas, A.C. 1686
& solicitudines, laboresque castrenses, quibus penè succumbebam, graves fuisse, quàm hic vel in limine domus repertus rumor. Expectatione enim me mea, pro quantiscunque in Christianitatem meritis frustrari, novisque carere gratiis non pœnitet, sed priscâ existimatione erga alios Reges semper æquali, Serenissimisque olim Prædecessoribus meis illæsâ non frui, hoc demum est delicatissimi sensus vulnus. Non curarem, quid dicat hac super re universus orbis, nisi justa timeretur suspicio, quòd non sit creditura Gallia, me pro commendato meo, quà natalium, quà meritorum decoribus conspicuo, objectorum immuni, ac de innocentia sua jam securo ne tantùm quidem valuisse, quantum profuisset non adhibita mea nominatio. Hinc igitur cui impar sum, dolorem in sinum Sanctitatis Vræ iterum iterumque repono, per illibatum Regni mei decus, quod Antecessoribus servatum per gratias, quas mereri semper studui, per vitam, quam toties ad nutus Sanct. Vræ immolavi, humilibus expetens precibus, ne illum permittat ulteriùs serpere, sed potiùs eo, qui decet tantùm Patrem & me obsequentem filium, pro immortali dignissimi ejus Pontificatûs gloria laborantem, vincula tristis animi disrumpat affectu. Quem certò præstolaturus, optimam valetudinem &c. &c.

EX CASTRIS REGIJS IN MOLDAVIA AD FLUMEN PRUT SUB ARCE NOVA PERERIT 5ta Augusti

JAM præcedentibus meis literis intellexit utriusque Exercitus, Poloni scilicet ac Litvani, lustrationem, pompam, numerum, roburque formidabile. Puto me jam monuisse bina alia fortalitia à Rege nuper exstructa, S. Jacob primum, S. Annæ secundum, in ingressu, & exitu Bukovinæ sylvæ, saltusque olim Polonis in Moldaviam tendentibus fatalis, & præcipuè Regi Adalberto.

Exercitus novâ indies adventantium accessione formidabilior. Necdum Regni magnus Stabularius cum suis apparuit, & duo circiter millia adhuc expectantur. Excursio ad Camenecum nuper facta minùs successit. Capti tamen aliqui gregarij. Sed Commilito unus è nostris occisus, captusque alius. Aliquantisper hæremus ad Pruthum, ut fesso militi, equisque quies detur. Interim egregium munimentum erigitur in proximo monte, ac Isthmo, quem Pruthus ambit, & altum littus, rupes sepiunt, ad instar ferè Cameneci, amplæ urbis, capacissimus est locus, atque opportunus Coloniæ, cui novus Alexander, Magnus nempe JOANNES noster auspicia aliquando det, & nomen Joannopolis. Non procul distat Trajani fossa, quæ à Danubio ad Tanaim, & limen Europæ Imperium Romanum olim claudebat, barbaris solum hoc triumphale, messem palmarum Regi parat optimo, dabitque, spero, cùm cælum faveat, tempusque patiatur, cujus particula momentum habet maximum. Crastinâ luce, post trium dierum scilicet moram, movebuntur castra Czechoram versus, non procul à Jasso. Ab illa urbe missus nuper Ablegatus Moldaviæ Principis absentiam excusantis, clementiam implorantis. Quâ id fide, viderint alij; Remissus heri cum P. Christophoro Missionario Societatis, qui clementiam offerat, invitet ad obsequium, & cum

A.C. 1686 & cum illo universales literæ ad totam Provinciam. Exitus speratur par necessitati, quam Principi, & miseræ Provinciæ facit virium imbecillitas, Turcarum exosa tyrannis, ac validissimi Regij exercitûs potentia maximiq; Regis genius parcendo subjectis debellandisq; superbis, natus, factus. Inde in Bessarabiam ac Euxynum tendetur, utiq; dabitur argumentum triumphalis Pòëmatis, & novus Sarbievius sic ordiri poterit: Edomitum bibe penna mare, Odrysiumque cruorem, nisi tamen sors & occasio aliò cursum flecti jusserint: Lacum Ovidij lacrymis tumentem, resonantia suspirijs etiam nunc littora Tomittana, si datum fuerit attingere, litabimus, ejusdem manibus flebili elegiâ, mox meliori œstro percitos, excitabimus ad Pæana Victori Regi, ac Epicinia triumphanti canendo. Faxint Superi, temporeq; alas præpetes rescindant, ac malesuadam famem, à nostris tentorijs, quæ hactenus abundavére feliciter abigant. Cæterum Aquilæ tentorijs ferè insidentes, circumvolitantes, ac fidæ hucusque Comites, Cæsaream fortunam non ominantur solùm, sed vehunt. Melioribus sanè avibus non aliàs itum. Mirantur Galli terribilem pompam hastatorum, ferro, auroque nitentium, & vultu verè Sarmatico, validissimisq; artubus, equisq; præstantissimis ferale hostibus spectaculum objicientium, sed orbi Christiano lætissimum. Oh! si Sumus Pontifex! ôh si Reges omnes, & quicunq; de Sarmatica potentia, Regisque Optimi voluntate dubitare ausi sunt, stantem in fronte exercitûs, equoq; totâ ferè die Mtem intuerentur, faterentur sanè tunc potentissimam Poloniam, & hostibus formidabilissimam, cùm de illius potentia, ac viribus vel minimè sperabant. Faxint Superi! ut valeat semper Rex, in cujus salute salus Europæ constituta est, tempus suppetat, corda Ducum cohæreant sinceritate verè Polonâ, si hæc promiserint, Byzantio timorem incutiemus, nec vanum; Huc tendunt mea omnia vota, precesq;, & juvat optima sperare, Captivi ducuntur in dies Turcæ, Scythæque; verum Budensis infaustus assultus, nos inter spem & timorem locat.

Magni hujus Exercitûs, Turcis, Scythis, ac Vallachis omnino inexpectatus. O quantum terrorem incutit! publicâ audientiâ, solemniq; donatus nuper à S. Mte Ablegatus Supremi Cosacorum Trans-Borysthenem Ducis Moscho parentium, quibus testatur suorum contra Scythas expeditionem. Remissus illicò liberaliter donatus; utinam seriò agant Moschi! actum esset de Scythis.

Hanc etiam additiunculam patiatur, quæso, inventum à Rege Ductorem quendam exercitûs fidissimum, pro tota hac, ac tam longinqua expeditione, cujus miræ prorsus sunt hæ dotes; Hic semper præcedit exercitum, eodemq; momento temporis, ultimum agmen penè sequitur. Et quod mirabilius est, totius exercitus stipat latus, nec pretium aut mercedem petit, imò præbet munera, & dapes. Si nomen quæras, Prutus est, sive fluvius Hyras.

CARDINALIS BARBERINI REGNI PROTECTORIS AD REGEM

CUM in elapso proximè Consistorio ad summi Pontificis audientiam Mtis Vræ jussa executurus, & Ecclesiam Camenecensem, uti factum est, propositurus accessissem, ipsa sua Sanctitas pro summo suo, & pleno pietatis zelo sermonem mecum maximâ animi contentione inchoavit, de excessivis damnis, quæ Monasterium Kopriunicense per milites illic in hyberna statione collocatos, passu in bonis est: Quamobrem

obrem Sanctitas sua non capere se professa, quâ ratione Mtas Vra tot *A.C. 1686*
actionibus in defensionem Christianitatis intenta permittere potuerit, tantùm attentatum contra Ecclesiam, locumq; pium committi, iteratis vicibus, & ingenti mentis vehementiâ, jussit me ad Mtem Vram perscribere, quanto studio, animiq; dolore hæc sensa expresserit, & quidem inter hæc exaggerandum, tum ob præfatum successum, tum ob Dni Principis Lubomierski, Episcopiq; Posnaniensis resolutiones contrahendi matrimonium, priusquam examinatum fuisset, subsisteret, nec ne, professionis dicti Principis invaliditas, eousq; efferbuit, ut nullus in sacro Collegio non observaverit bonitatem suam, in his omnibus, quæ mihi dicebat insvetam amaritudinem commonstrare. Ipse quidem, quantum mihi licuit, reponebam, atque repræsentabam Mtem Vram tot, tantaq; egregiæ pietatis, & filialis erga Apostolicam Sedem reverentiæ testimonia præbuisse, ut Sanctitas sua facilè sibi persuadere posset, eandem pari semper studio ferri, atque eadem sensa inviolata conservare. Verùm cùm probè non scirem, cur, quáve de causa? aut ratione milites in dicto Monasterio hiberna sua occupâssent, hac super re fusiùs loqui non potui, &, cùm supponam, stationem hanc illis è motivo assignatam fuisse, quòd præfati Monasterii Monachi sese commendis, quas Mtas Vra expetebat, validè opposuerint; ego eâ sinceritate, & reverentiâ, quam mihi summa Mtis Vræ benignitas permittit, suggerere eidem audeo, maximè expediens esse, ut ratio quæpiam ineatur, quâ hæc demum cōponantur, sive Abbatias, ut aliàs designatum fuit, dividendo, ne Regiæ Mtis Vræ nominationes in ulla posthac obstacula impingant, & Cistertiensibus, quod ipsis assignandum esse existimabatur, relinquatur, sive alio quopiam modo contentionum occasiones amputando. Hic enim in mentem venit, id vi, & violentiâ sustineri velle, quod justitiâ obtineri nequit; uti Sanct. sua asseruit minutim discussum, atque agnitum fuisse tum cùm hic Dnus Dux Radziwil cōmoraretur, quapropter his rerum articulis, non sanè dixerim Sanctitatis suæ erga Mtem Vram amorem refrigescere; hoc enim beatitudinis suæ studium ex heroicis Mtis Vræ gestis, meritisq; conceptum altiores radices egit, quàm ut id vel suspicari audeam, fieri tamen potest, ut in applicandis bello subsidiis, non nihil intepescat. Et forsitan id causæ est, cur Dnus Nuntius Palavicinus in impendendis pecuniis illuc remissis lentiùs procedat. Dignetur itaq; Mtas Vra pro sūma sua prudentia animum reflectere, & considerare quo pacto illata Monasterio damna reparari valeant, cavēdo nimirum authoritate suâ supremâ, ne loca pia, hoc est ipsa oculorum beatitudinis suæ pupilla jacturam per milites, eorúmve Ductores patiantur.

Quod attinet ad Episcopum Posnaniensem, animadverto Sanctitatis suæ mentem tantopere ab eo alienatam esse, ne ad Archi-Episcopatum Gnesnensem admittatur, ut verear, nec absq; verisimilitudine non facilè sperari posse, illius translationem, nam non modò tantùm abest, ut Prælatum hunc Sanctitas sua æstimet, verùm etiam id mihi insinuaverit existimare se, turbido eum ingenio esse. Nunc quod spectat ad D. Principem Lubomierski, nec audietur quidem, qui gratiam ullam in illius favorem à Sanctitate sua petiêrit, nisi priùs executioni mandetur, quòd Dnus Nuntius suggerere poterit, arbitratur siquidem Sanctitas sua nullo humano intuitu permittere se debere, aut tolerare id, quod conscientia dictat faciendum non esse. Et quia circa hoc negotium Dnus Abbas Denhöff à Mte Vra in mandatis habet, ut rem perurgeat, existimo cum his proximè præteritis diebus à Sanctitate sua auditus sit, eum

de

A.C. 1686 de re tota locutum esse, & distinctam Mti Vræ relationem dedisse.

Supplico demum Mti Vræ, ut hæc eidem eâ ingenuitate exponere liceat, quâ teneor in id omne intentus esse, quod Regiis Mtis Vræ rationibus conducere potest, maximè, cùm injunctis mihi, per duas, quas Dnus Abbas præfatus, reddendas curavit epistolas, Mtis Vræ jussis obsequar, quarum epistolarum una provisionem Archi-Episcopatûs Gnesnensis, altera negotium Dni Principis Lubomierski continebat. Et Mtem Vram profundè veneror.

RESPONSORIÆ REGIS AD EASDEM JAVOROVIÆ 14 Maji.

HOC ipso tempore quo nos ad bellum sedulò præparamus, utque maturè cum exercitu nostro in campum, quamvis amicorum, & vicinorum subsidiis vacui exire possimus, omnem curam, sollicitudinemq; impendimus, veniunt literæ Illustritatis Vræ die 6ta Aprilis ad nos exaratæ, in quibus de ultimo Consistorio, propositioneque in illo Episcopatus Camenecensis, facto tum discursu, eoque cum insolita animi vehementia Sanctitatis suæ in materia Kopriunicensis Abbatiæ, Episcopi Posnaniensis & Mareschalci Curiæ Regni Lubomierski habito, informatos nos reddit.

Grande sanè in tanta mole curarum rebus nostris satis aliunde tristibus solatium, dum ab extra spes nostræ ex integro elusæ, apud omnes ferme, à quibus subsidium aliquod in augmentum exercitûs nostri sperari poterat, ad intra ob magnitudinem onerum finem aut modum eorundem plerique Regni nostri urgent Palatinatus, ad privatum peculii nostri ærarium, ex omni parte publico exhausto thesauro, nec satis providere valente recurrunt necessitates. Non leve itidem ad solita pro Christianitate agenda incitamentum, cui non usum tantùm nostri, sed mancipium planè dedimus, dum exiguo satis exercitui nec tam expedite, ex longioribus stationibus, hybernis, colligendo personam nostram fortunamque Regiam confidere intra paucos dies (alterâ ab Ascensione Dni die in campum exeuntes) destinatum habemus. Solo conscientiæ testimonio satis fulcimur, quodque si encomiis pro optimis intentionibus, non segni operâ, ingentibus ausis, digni non sumus, improperia tamen in vanis sæpiùs, quàm compertis rumoribus fundata non nos meruisse fatemur.

Si justæ, & sine studio partium ab his quorum res est, hinc relationes fierent, si elevato velo omnes causæ cognoscerentur, si, quæ vulnerata sunt, sanarentur potiùs, quàm exulcerarentur, nulla certè unquam esset occasio, in qua Sanctitas sua filialis observantiæ, inveteratiq; in eandem obsequii orbis Christianus, seriæ ad magna agenda applicationis in nobis desiderare posset partes. Non veremur enim unquam actionibus nostris censoriam animadversionem, sed cùm in id ævi, & in tam sæva, infestaque virtutibus tempora incidimus, ut omnia facta pravè æstimentur, in deterius sinistrâ interpretatione trahantur consilia optimâ (teste cœlo, & terrâ) intentione data uti suspecta, aut repellantur, aut non in tempore ad executionem deducantur; DEI voluntati, cui intimæ cogitationes nostræ notæ sunt, id permittendum, & conscientiam factorum rati esse primum silentio, post oblivione transmittendum credimus. Neque ad ea brevibus Illustritati Vræ insinuanda descenderemus, nisi literis ejusdem provocati essemus, quibus quanquam non lædamur, tangimur tamen, cùm læta omnia à Paterno Sanctitatis suæ affectu sperantes, amaritudinem animi, ex inordinato forsan cujuspiam pietatis zelo, acriùs

acriùs, quàm consideratiùs excitatam intelligamus. *A. C.1686*

Non imus nunc vindicias juribus nostris, quæ uti à Majoribus accepimus, sic posteris, ut tradamus, sacramento obstricti sumus; cùm id Reipub. relinquamus, cum qua toties ad invidiam usq; ne quid in favorem eorundem, quod displicere Sanctæ Sedi posset, non perfunctoriè luctati sumus. Non revocamus in memoriam non tantùm antiquorum Serenissimorum Prædecessorum nostrorum, sed nec nupera Vladislai IV tempora, quibus hæc jura defensa sunt mediis, cum nos Ordinem hunc Cistertiensem ita molliter habuerimus, ut sæpiùs moderationem nostrã victoriam suam duceret. Sperabamus enim, uti quibuslibet Comitiis, repetita Reverendissimorum Nuntiorum habuimus promissa, tandem hæc accomodanda, quæ ultimis Antecedaneorum nostrorum pacta temporibus his (pro nostris scilicet in Christianitatem meritis) ut nunquam aliàs turbata, dum nullo ex recomendatione nostra personarum pro Ecclesia, & Patria optimè meritarum respectu, solâ unius Religiosi Bogdanowicz Romæ manentis insinuatione tres provisi intra hos duos annos dati fuerint, quorum nomina tum tantùm nota esse cœperunt, cum ambitio eorundem palàm facta. Consideret ergo Illustritas Vra, si hæc acerba esse non debebant, tolerabantur tamen, cum aliqua spe tandem aliquod inveniendum medium, quo hæc finiri possint inconvenientia. Recurrerat ad nos motu, & nomine totius Ordinis Comissarius, & Vicarius ejusdem Generalis anno proximè elapso, ad cujus submissionem de Mte nostra demittentes, dictis juribus non nihil concedentes concordiam cum ipso iniri facilitate solitâ consensimus, quæ tamen ordinario fortè, desideriis nostris ex illa parte fato confirmata non est. Affulget nunc aliqua spes, ex literis Illustritatis Vræ, quibus nobis id consilij dat, ut media concordiæ non intermittamus, aliquando id futurum; iterum ergo eandem reassumi fecimus, de qua subsequentibus literis Illustritatem Vram certiorem reddemus.

Quod verò ad Copriunicense negotium attinet, non erat id tanti, ut Sanctitatis suæ animum interturbare deberet, cùm, si quid per milites deviatum est, ad primam notitiam per Reverendissimum Nuntium nobis datam illico correctum, utq; ex nunc hybernis stativis (quibus in Regno hæc omnia bona Ecclesiastica tamen subsunt) Abbatia illa eliberetur, injunctum, uti certè factum est; solo tantùm nominis Sanctitatis suæ, quod desiderabatur, intuitu, & respectu.

Matrimonium ab Episcopo Posnaniensi benedictum, à Mareschalco Lubomierski initum, quod subsistat, nihil ad nos planè pertinere credimus. Si verò nominationem dicto Episcopo ad vacantem Archi-Episcopatum Gnesnensem dedimus, fecimus id, non tantùm ex meritis in Ecclesiam DEI, cui tot insignia ædificia in Regno hoc è fundamento erexit, sed etiam ex ratione senii, quod ante omnes Regni nostri Episcopos habet, nullatenus ambigere valentes, quin is acceptari non debeat, quo non pridem singulari cum paucis comparatus ante omnes insignitus fuit Romæ testimonio. Suarum post partium erit, actionum, & eorum factorum de jure reddendi rationem, quorum nos causas procul habuimus. Illustrem Mareschalcum Lubomierski virum tot meritis in rem Christianam insignem, speramus aliquando per memoriam virtutis, meritæq; per tot annos gloriæ, paternum Sanctitatis suæ devincturum animum, cum se omnino clementiæ Pontificiæ, omnibusq; ijs, quæ Dnus Nuntius suggessit, submiserit. In reliquo Illustritatem Vram rogatam volumus, ut Sanctitatem suam persvasam reddat, nunquam nos nisi

A.C. 1686 si cum vita, hanc, quàm Sanctæ Sedi obstrictam, Sanctitati verò suæ feliciter nunc Regnanti in particulari devinctam gerimus, exuturos observantiam, nullamque intermissuros occasionem, quâ ingens augendis rei Christianæ bonis desiderium nostrum expleamus, uti recens in Hollandia extat argumentum, cum nostro solo respectu Respub. illa ab expellendis Catholicis, Religiosis, præcipuè Societatis JESU abstinuerit, illosque antiquâ libertate gaudere permiserit. Pleni etiam ingentis fiduciæ sumus Paterni Sanctitatis suæ affectûs reciproca semper nos habituros documenta. Optimam interim valetudinem Illustritati Vræ ex animo precamur.

XLIX.

ANDREÆ C. ZALUSKI EPISCOPI KIJOVIENSIS & CZERNIECHOVIENSIS *RESPONSIO*

Ad quoddam Anonymum Manuscriptum, quo contendit Author incognitus, Pacem particularem, non attentis Colligatis, persvadere Poloniæ.

INcidit nuper in manus meas cujusdam longioris moræ impatientis, & recta in deterius torquentis, Anonymi Manuscriptum, quo avidius, quàm cautiùs, nullâ dedecoris curâ, facili Populo, atque ita ad credendum propono, læta magis quàm comperta nuncians, imponere atque evincere contendit: ut Pacem particularem non attentis Colligatis, quàm primùm statuamus.

Piget quidem respondere, ineptæ in pluribus criminationis Maledictis, ne cum larvis disputare videar, sed cum advertam, quàm frequenter illa etiam, ex quibus tenuis fructus, nec in longum erit, concupiscantur, & plerumque suo pretio vilia, opinione hominum cara sint, nocituraque sæpius præoptentur; respondendum (quanquam cursim & properanter) ad memoriam temporum, è Repub: duxi. Nunquã verba facturus, aut pro bono publico solicitior, aut pro me securior, æstimando singula, non cum fama, sed cum rerum natura; & quærendo quid sint, non quid vocentur.

Si verò id non ad omnium palatum gustumque, apud bonos Viros, bonam causam habebo, apud malos non ago. Non omnibus Phasianus placet, plures cæpæ delectant & olera. Magnorum fato moreque Scriptorum neque ego cuique Lectori, neque mihi Lector quisque videtur. Perinde Homerum de Coloribus, atque Phidiam de Astris disputantem æstimo. Non ideò enim mel non suave, quia ægris sic videtur. Magna in sylva boni Venatoris est, feras complures capere, nec cuiquam culpæ fuit non omnes suis retibus conclusisse.

Non diffiteor dulce esse omnibus nomen Pacis, & Nobis quidem imprimis, qui tot bellorum continuâ serie non fessi, sed attriti, imò jam penè fracti sumus. sub gravi tributo Provinciæ, luctantur cum ultimo suo fato Populi, eversæ aut exhaustæ Urbes latè diductis portis pacem poscunt. Nemo est intra cujus vota non primum sit nomen Pacis. Tale enim bonum est, Magni Augustini suffragio, ut in rebus creatis nihil gratiùs soleat audiri, nihil avidiùs concupisci, nihil utiliùs possideri. Hinc est, quòd non ita famelicæ apes ad favum mellis festinant, non ita sitibundus ad vivum properat fontem cervus, non ita fessus remigio Nauta ex decumanis nocturnæ tempestatis fluctibus prospectat Phosphorum, non ita operosus agricola gravi aratro superatis evictisque obicibus

dibus Hesperum suspirat; ut Poloni tot procellis jactati inter apertos fortunarum scopulos deprehensi ad beatæ pacis Alcyonia anhelamus. Nec mirum id videri debet, si immortale quoq; Numen, ita Pacem amat, ut DEus Pacis velit appellari, & terrarum Domini Reges inter maximos Magnificentiæ suæ censent titulos, si plures numerent sine cæde triumphos; Veniantque sibi sine sangvine lauri. Hoc primum Regum votum est, hoc Principis purpuræ decus immortale, hæc maxime decet Augustos Corona, quam à servatis Civibus Civicam appellamus. Ut Medicos multa funera, ita Principes multa bella infamant. Tota quanta rerum natura sui non modò conservationem, sed etiam propagationem quærit, quæ profectò faciliùs Pace obtinetur, quàm bello, præsertim continuo. Non laudamus ægrum illum, qui suo morbo delectatur. Lethalis hæc insania semper visa, nolle sanari post vulnera. Non ita cæcutimus Aquilæ Polonæ germana progenies, ut non advertamus mala Nostra, quæ ex tam longa sumptuosaq; belli conjunctione pluribus quàm Thebarum portis, aut Nili ostijs in nostrum exitium perniciemq; exundârunt. Toties ingemiscimus inter profunda ejulantis Patriæ suspiria, quoties audimus:

Podoliam Getas
Impunè vastare, & dolendas
Ad Tanaim numerare prædas.

Spectamus insolitam consequentibus annis, agrorum nostrorum sterilitatem ideoq; veremur, ne tam tædiosa belli diuturnitate, & domi lacrymas, & apud Vicinos miserationem perdamus, priusque extingvamur, quàm incipiamus collucere.

Sentimus profectò quàm sit miserum cum armatis semper vivere, videmus in tam frequenti armorum luce nostra pericula, & tantùm supremam non audimus ruinam, gementibus sub armato milite sulcis, & continuâ serie quasi in orbem redeunte ac intima Regni viscera depascente. Et hæc sunt rationum monumenta, ob quæ Pacem suspiramus, Pacem poscimus universi.

Vides mi Anonyme (ut propiùs accedam) quod una tecum sapere velim, sed parces, si non unà insanire. Paci nec ego contrarius sum, sed Universali, sed Honestæ, sed Utili, Particularem omninò arguo, uti incertam nec duraturam, multis obviam criminationibus, quia indecoram.

Priusquam verò validiora, quia æquiora proferam argumenta, interim tua libet refellere. Bona quàm sint bona, scire nisi malorum cognitione non possumus. Diurnæ lucis commoda nemo meliùs perspexerit, quàm ille, qui Cymmeriæ priùs noctis obscurum diuturna oculorum vigilantia superavit. Si viam quam suades (dividendo quæ separari nequeunt) tam apertè rupto amici fœderis vinculo sequeremur, non ire istud esset, sed errare, pecudum more, quæ plerumq; semitam illam non quâ eundum est, sed quâ itur, arripiunt.

Tartari (inquis) ultrò nobis Pacem offerunt. Ergò in tanta rerum Nostrarum calamitate, & miserabili statu non videtur Christianum, multo minus politicum deliberare: an sit acceptanda? Imò minimè Orthodoxum esse dixerim, quisquis hæc popularia audet serere, quisquis talem præoptat Pacem, in qua, ubi finem curæ censeas, alia nascetur ex alia. Cum omninò paucorum annorum Alcyonia hæc sint, firma tranquillitas. Facem extinctam si igni admoveas vehementiùs accenditur. Certè posi-

A. C. 1686 positum eo modo bellum, metuo ne brevi acriùs contra nos, fractis (quod avertant Superi) Colligatorum viribus deſæviat. Pacem Tartari offerunt, non ut ſervent, ſed ut nos perdant. Latronum more, quos Philetas Ægyptij vocant; In hoc nos amplectuntur, ut ſtrangulent. Caduceator hic venit cum frutice olivæ, ſed à tergo caudam ut Scorpius alter acutam oſtentat, quæ tincta dolo, quæ tincta veneno, incautos miſerè pòſt opprimat. Quis credat Pacem poſtulanti, fidemq; à ſolis Tartaris pollicenti Barbaro, tot ſponſionum reo? cui tam facilè eſt offerre Pacem, quàm non ſervare? Dulce canit Auceps hic, ut nos teneat, aureæ Pacis hamum oſtendit, ut capiat nihil minus ſperantes. Eveniret certè nobis, quod evenit in labyrintho properantibus, ipſa nos velocitas implicaret, dum plura ſunt, quæ nos terrere debent, quàm quæ nunc premunt. In ruinam quippè ea prona, quæ ſine fundamentis creſcunt. Quis ſponſor, quòd hæc promiſſa, quæ more famæ in majus innotuêre, fidem invenient? cùm nullum à Porta ferant inſtrumentum, quo ſecuritati noſtræ provideatur? Quis fidejuſſor? an hæc habeant ſolidum robur, & non vanum rumorem? Sæpenumerò nulli jactantiùs fidem ſuam obligant, quàm qui maximè violant. Vereor ne ſerò ſapiamus incauti Phryges, & àliquando dicamus hoſti: Magna promiſiſti, exigua video! An imagine pacis, & ſpecie amicitiæ deceptis, quietem nomine magis, quàm re placet experiri. An læti præſentibus & inanium ſpe (abſit omen triſtibns fortunæ eventibus) graviora præſentibus non formidamus? & ibi maximè gaudemus, ubi maximè metuere deberemus? An hic miſeriarum noſtrarum finis erit? An medicina hæc mortuo huic faciet vitam? Neſciunt plerumq; mortales cæci, quid expediat, & idcirco mala ſua concupiſcunt, aſſecuti inveniunt mox quod deplorent.

Non eſt Chriſtianum (ais) de Pace deliberare, ego verò crederem ſummam rationem eſſe deliberandi, quæ pro Religione facit Sacramenti. Famæ ac fidei damna majora ſunt, quàm quæ æſtimari poſſint. Nihil in rebus humanis carius famâ, quæ jure eſt bonis ante bona omnia, & ipſam vitam. Nam hæc utraq; caduca & fluxa ſunt. Vita nobiſcum ſemper abijt, nomen autem & fama perennant, eaq; ſola cum non erimus hìc erunt. Quid prodeſt ſi multi laudant & conſcientia accuſet, quid poterit obeſſe, ſi multi improbent, & conſcientia ſola defendat. Quàm grave conſcientiæ, grave famæ ſuæ Rex Noſter, (qui ſpernendis rumoribus validus id agit, ut malè de eo nemo loqui abſq; mendacio poſſit) faceret, ſi datam eamq; Sacramento in manibus Sumi in terris Chriſti Vicarij firmatam (quæ temerè frangi & convelli ſine exitio convellentium nequit) exueret fidem. Ruperat olim Vladislaus percuſſum cum Barbaris fœdus, ſed brevi ad Varnam ſuo ſuorumq; ſangvine hanc labem eluit. Tanti fecere Superi etiam Barbaris datam fidem ac proindè Sapientiſſimus Rex non abſq; validis rationibus, longiùs ſe in hoc fœdere progreſſum eſſe credit, quàm ut regredi poſſit; Mavult ſemel excuſare, quòd Pacem hanc particularem abnuerit, quàm ſemper, quòd eam acceptaverit. Minimè ſapientis certa pro incertis admittere conſilia. Tuta quæ honeſta, quæ ad immortalitatem Poloni Nominis, & Vicinorum mutuam fidem, in periculis conciliandam, tantum momenti afferunt.

In tam difficili Reip. articulo deliberationem Regiam in ſuſpicionē vocas; Pugnare te vellem non conviciari. Quanta caligo, quanta mentis tuæ ignorantia, quanta temeritas judicij! De vita unius hominis, nulla longa deliberatio, de ſalute totius Reip. ne eundo ad extrema, eatur ad præceps, prolixa nimis videntur trahi conſilia, dum præſertim certa expectantur

pectantur, dubia metuuntur.

Si Resp. (ut ais) tot Capitum Mater est: Nonne mille similium Anonymorum pateret censuris ac obliquis interpretationibus, si quid privatim, quantumvis optimum sanctissimumq; statueretur à Sapientissimo Rege, qui ubique dat operam, ne quid accidat, quod in eò quisquam possit reprehendere. Ac proinde nonne meritò & consultissimè agit, quòd se, Rempublicamq; suam in casum dare nolens, sensum Senatûs exquirat, quòd de tam arduo difficiliq; puncto deliberet, ne certa amittantur, dum incerta appetuntur.

Non diffiteor Remp. jus dedisse nuper Commissarijs concludendæ pacis, sed non particularis, quia fœdus Colligationis vult illibatum & intactum. Neque ad ullos cum hoste descendere tractatus mens illius est, nisi explorato priùs partium consensu. Talis verò conclusio pacis, qualem optas mi Anonyme, longè alio Instrumento circumscribi debuisset, in hanc aut similem formam: Damus potestatem Commissarijs ad tractatus pacis, ne expectato quidem consensu Colligatorum concludendæ. De quo ne per somnium quidem Resp. cogitavit. Benè proindè Rex deliberat, neq; Commissarij ullo titulo sibi, jus pacis particularis usurpare possunt.

Sed inquis prius Rex suæ Patriæ, quàm alienæ securitati obligatus; Ita est, ideoq; integerrimè tam publico voto respondebit, si à particulari pace abstinuerit, in qua pretiosus Regni honor, & Colligatorum fortuna laboraret. Hac eadem ratione jus Regale servatur, avertendo nociva simul secunda obligatio confirmat primam; Eadem lex defendit, quæ secundùm te vetat. Censendum sanè & concludendum, ut integerrimè servetur data fides, ne ingruentibus olim periculis desit aliquando Vicinus, qui suppetias ferre velit fœdifragis. Non satis profectò consultum Poloniæ periculis esset, si tam solenne fœdus, si belli societatem solverimus. Apertis enim in Nostram ultionem oculis, respirabit tantisper Orientis Leo, neq; unquam ita somnum capiet, ut inflicti hoc bello vulneris oblitus, non meditetur de vindicta. Si ponet arma, si ponet nunc arcus, id aget, ut fortiùs postea in nos sua tela jaculetur, viresq; & virus colligat. Dabit spatium tenuemq; moram, non tam nostræ, quàm suæ quieti consulturus. Septuaginta Regnorum Dominus facilè militiam suam restaurabit, facilè in nostram cervicem ensem acuet, quem hoc bello ad ipsius cladem ereximus, & victorem orbis, primi docuimus vinci posse. Apertum sanè periculum est, ne post breves admodum armorum inducias, in nos inprimis detonet olim fulmen hoc. Tales proinde nos præstare debemus Colligatis, quales illos nobis in simili discrimine optaremus.

Accusas Colligatos, quòd nullam nostræ utilitatis habeant rationẽ. Hoc ego defendere non ausim, sed nihilominus fide paranda est fides fidelem si credideris, facies. In quibusdam rebus satius est decipi, quàm diffidere, securitati priùs, quàm vindictæ consulendum est.

Ingentia Populi pro bello tributa toties repetita impensas appellas otiosas. Profectò non essent otiosæ, si in tempore conferrentur à populis. Paria sunt non agere, quàm non in tempore agere. Scribe novas leges mi Anonyme, declama ad persuadendum, ut Statuta Sancitaq; Reipub: integerrimè observentur, ne publica Consilia in privatis Comitijs dissolvantur, sed cursum suum finemq; obtineant; Quod ubi oratione tua viceris, eris mihi magnus Apollo.

Nullum ex hoc bello fructum nos retulisse, nimis quàm liberè declamas

A. C. 1686 clamas. Erras me hercule toto cœlo, noctemq; ubi dies est facis, si adhuc post Viennenses laureas, quid quantumq; Marte profecerimus interrogas? An parùm tibi videtur? quòd pulso ex Austria Vesiro, concusso Oriente, Crimenses, & Budziacenses Getas nunquam securos capere somnos permittamus. Non talem sanè procellam in Ungariam Austriamq; quotannis Mæotis effunderet, nisi Miles Noster hostium copias distraheret, suisq; clypeis barbarum furorem vel frangeret, vel sustineret. Si plura præterea trophæa, vel Obeliscos desideras, hæc non sunt in manu nostra. *Currus & equi parantur ad prælium, sed à Jehova est victoria.* Satis est, quòd nunquam possit hostis integras vires in Colligatos exerere, ideò quòd Nos semper à tergo suo videat vel à fronte. Sufficit benè velle, quanquam non possis benè posse.

Nos hastas trahimus, sed vim DEus ingerit hastis. Talem hostem nacti sumus, qui populanti fulmini similior est, quàm bellatori. Nunquam instructa acie, nisi ad Thermopylas redactus manum conserit. Videre illum fugientem possumus, sternere non possumus. Toties ad campum redit, quoties propellitur. Nihilominus fluxitne annus, qui nos in hostico non videret?

Validas fateor alij Urbes, alij divites portus capiunt; opima alij spolia numerant. Nos præter armorum diversionem & gloriam militarem nihil ex acie reportamus. Cum illo enim hoste bellum gerimus, cui nihil est pharetrâ & arcu pretiosius. In illa plerumque plaga hostem quærimus, ubi commeatus rarior, periculi plurimum, præda nulla, præter cicatrices & vulnera. Munitiones quoque expugnandæ non occurrunt nobis ultrà Camenecum aliæ, præter minantes cælo scopulos, & flumina. Satis nihilominus uberem fructum ex arena hac extulimus, dum famam consecuti sumus. Nonne ab excursionibus in viscera Regni, toties revocavimus, & impedivimus Getas; Nonne capta Soroka, erepta Szocawa, expugnatum Niemiec, illa Camenecensium granaria. Multum certè egimus, dum superbum hostem ita fatigavimus, ut quietem à nobis non erubescat mendicare, caputq; ægrè jam possit erigere, & fortè sub belli pondere jam fatisceret, si staremus parumper in acie, si exploraremus adhuc meliorem fortunam. Tam pertinax hostis si non armis nostris, certè ipso tempore vinceretur, aspirante velis remisq; Numine cujus bella gerimus.

Alij Principes omnem belli nervum ante aciem paratum habent, numeratumque; Optimè allegas, sed cur mi Anonyme pariter ita felicē Oeconomiam in publicis Regni comitijs non persvades, cur totam culpæ hujus suspicionem in Principem munificentissimum derivas, qui tot tantasque suas gazas liberalissimè in bonum publicum profundit quotidiè. Quòd verò non tam faciles nostræ sint expeditiones, quam cæterorum, illorum culpa; qui in exigendo belli nervo tardiores sunt, ideoque sæpè priùs injurijs cœli succumbimus, quàm hostem videamus.

Budziacensem comemoras expeditionem & per summam injuriam explodis, quasi minùs felicem prosperamque. An nescis cum ipsis tunc certasse Regem elementis, ipsis quoque formidandas feris, alitibusq; rupes adijsse, exhaustis ubique nimio sole fluminibus non habuisse, quo ingentem illam publicæ tranquillitatis sitim relevaret, furialem tamen insanæ Mæotidis sustinuisse tempestatem. Cumque Moldaviam, Valachiam, Besarabiam, armorum suorum teneret formidine, respirabat à periculo Imperium, procul hærebat Geta, erupturus in Hungariam, nisi à nobis frenaretur. Buda capiebatur securiùs, novas ingrediebantur Insulas

silas Veneti, Epyrus & Dalmatia vires colligebant. Ut plura tunc præstaret Regum fortissimus, fugatis ubiq; barbaris, hostis Victori defuit, non fortuna, vel animus. *A.C.* 1686

Publicum gentis honorem titulô quæsitæ ultrò ab hostibus Pacis prætendis Anonyme, sed nonne illam vis acceptari cum maximo Regni dedecore? Si enim contra sacrosanctè juratam Maximo in terris Numinis Vicario (in capite & primo Poloniæ mobili, hoc est Rege Serenissimo) fidem, particularem quæ offertur Pacem acceptaverimus, nonne non honesti modò omnem rationem, sed frontem etiam ipsam exuemus? Et frustra facilem nobis facti hujus polliceris veniam, tanquam difficili bello oppressis coactisq; cùm nullus excusationi nostræ locus sit, si inconsultis Colligatis præcipitemus consilia. Eo præsertim tẽpore, quo jam magnus Vesirius, citatis itineribus Belgradum festinat, quo jam affulgent publicæ tranquillitatis tractatus, & aspirantibus Superis cum immortali Poloni Nominis gloria, integraq; datæq; fidei Religione, fortè spe nostra celeriùs concludentur.

Neq; sumptuosæ frequentesq; Legationes abibunt fructu vacuæ, quanquam aliæ eodem caruerunt. Sæpè quidquid perierat, assidua infelicis soli sterilitate, unius anni restituit ubertas. Post naufragium maria tentantur. Fœneratorem non fugat à foro decoctor. Spargenda est manus. Non potest fieri, ut non aliquando succedat multa tentanti. Bonus Gubernator & scisso navigat velo, reliquias navigij aptat ad cursum.

Ad calcem tandem suo sensu ebrij potiùs, quàm præmeditati operis tui, dubitans, & tuta timens, atq; ex falsis rumoribus statuens, periculosam ex continuatione belli obtendis potentiam, quàm illam? fortè Regiam? Impia vox, & abominanda dementia, quæ ipsam etiam in suspicionem vocat sui Regni Principisq; gloriam, qui nihil omninò cogitat, nisi securitatem felicitatemq; nostram. Gravissimo conscientiæ jure teneris infelix Anonyme ad famam optimo Principi restituendã, quam per summam impudentiam Theonino dente lacerasti. Procul enim verò à tam fœda suspicione Magni Regis consilia, quæ in discrimen publicæ gloriæ vocas, læsæ Majestatis immemor, ac Divini oraculi: *Nolite tangere Christos meos.* Profectò ne cogitatione quidem scommata conciperes, quæ parum sobrio calamo effudisti, si probè intelligeres quanti momenti sit, ita publicè libereq; Principi detrahere. Sic demum fit, ut isti de Domino loquantur, quibus coram Domino loqui non licet. Sed solem nulla sagitta ferit, & generosiores feræ ad canum latratum lentè respiciunt, imò nec aspectu quidem dignantur. Magna tamen temeritas, ea palàm de Principe affirmare, quibus nemo bonus fidem adstruet. Non ille certè à tam diu expectato Pacis sereno, ita aversos gerit oculos, ut belli procellam potius cordi habeat.

Exoptat Pacem sed justam, sed decoram, & non minùs suo nomini, quàm Regno gloriosam. Colligationes Vicinorum, longè diversâ ratione vel acceptat, vel respuit, quàm tibi occurrat. Incrementa honorum, spem & fortunam Seren: Suæ Prolis, non in humani favoris suffragio, aut populi acclamationibus, sed in illius providentiæ manu reponit; *per quam Reges regnant, Principes imperant.*

Justitiam & pacem voves Patriæ, nihil voto isto sanctiùs, religiosiùs nihil; Verùm quæ hæc foret justitia, si per pessumdata fœdera, si per violatas Divinas humanasq; leges, sacrilego passu ad templum Pacis niteremur. Jactura quæcunq; demùm illa est, fortunarum viriumq; nostrarũ

A.C. 1686 ſtrarum non eſt tanti, ut ponamus arma cum tanta boni publici injuria, & majoris mali aperto periculo. Neq; ita exhauſti ſumus, ut jam prodire in aciem nequeamus. Si damna belli, Imperium, Gallia, Hiſpania, Belgium, Italia, Anglia, Hollandia, Sabaudia, tanti æſtimarent, pridem clypeos & enſes poſuiſſent, tot amiſſis Ducibus, Urbibusq; ſilerent toto orbe tubæ, tacerent tympana.

Quis tandem de nobis eſſet Poſterorum, quis Externorum Regnorum ſenſus? Si tam nobile opus in ipſo exitu ita temerè leviterque abrumpamus. Abſit tam palmaris à nomine noſtro labes, & immortalis inſultatio Poſterorum.

Si nos nolueris mi Anonyme per devia ducere, faciliùs ad id quo tendimus, perveniemus. Claſſis noſtra quæ nunc in communi flumine magna eſt, in ſeparato mari parva erit. Quia hæc quæ per ſpecioſam promiſſorum vanitatem ſperamus, poſſunt quidem nobis fortaſſe evenire, ſed poſſunt quoq; nos præterire. *Cor enim ingrediens* (ut ſacra litera docet) *duas vias non habebit ſucceſſus.* Quis ſcit an bona, quæ ſuades mallemus aliquando non experiri? Nobilitas animi eſt, generoſitas ſenſus. Indignum bella non perfici, ſed redimi. *Funiculus triplex difficile rumpitur. Frater qui adjuvatur à fratre, quaſi civitas firma.* Unita reſiſtunt fortiùs, disjunctorum fatiſcunt vires. Socianda ſemper ſapientes putârunt conſilia, & vires, quo fortiùs reſiſtant. Sola bona quæ honeſta, mala, quæ turpia; Sufficiens belli noſtri pretium, alia ſi deſint, fides famaque quæ profana apud te, apud Polonos ſacra, ſemper fuêre. Nonne ergò ſatiùs erit receptui canere, acervatimque recedere, quàm ſparſim, ut ita dicam, terga vertere. Et quamvis ultra vires etiam cupido difficilè ſit pugnare, neceſſitas tamen & ubi nunquam effugium eſt, illum mihi rudem quidem, ſed ſolidæ veritatis indicem in memoriam reducit Apologum: Ubi Taurus ſub impoſiti oneris mole jam fatiſcens Comitem itineris ſui Camelum fertur in ſuppetias invitaſſe. Cui recuſanti: ni ſuccurras (inquit) non tantùm onus hoc, ſed meas quoq; ubi ſub pondere tanto cecidero, ferre cogeris exuvias. Dixit, & eventus dicta comprobavit. Vos ergò ne fabulæ huic fidem faciatis Poloni mei, quibus decus publicum curæ, per Magiſtram rerum omnium rationem, ſociatas fœdere vires, armis veſtris erigite. *Præparate ſcutum & clypeum, procedite ad bellum, jungite equos. Aſcendite Equites, ſtate in galeis, polite lanceas, induite vos loricis.* Hoc à vobis poſtulant, plenis agminibus in Tauricam abacti populi, hoc erepta Orthodoxis Principibus Regna ſuſpirant, parata vobis præda. Adhuc nobis ignorantibus quid fortuna paret, tantiſper vel navigandum eſt, vel reſiſtendum; Si deſunt enſes, *concidamus aratra noſtra in gladios, & ligones in haſtas*, & tela telis, & manibus manus jungamus, *donec auferatur Luna.*

L.

JOANNI MALACHOWSKI EPISCOPO CRACOVIENSI ANDREAS CHRYSOSTOMUS ZAŁUSKI EPISCOPUS KIJOVIENSIS

Leopoli 24 Febr.

Literas tuas tam lætus accepi, quàm avidus olim deſideraveram. Reſpondeo ut jubes, ſignifico quæ deſideras, & jam non timeo moleſtus fieri vel Moyſi in monte, vel Eliæ in deſerto aut certe excubanti in templo Samueli, cum Divinis intenſiſſimis, publicis hiſce nativitatibus aliquatenus avocare tento.

An-

Annus hic (quem tibi gratulor, & omnia prospera cum initio usque ad finem precor) incepit à solita devotione, quam Rex & Regina apud Patres Jesuitas absolverunt, ubi Pater Klonski Provincialis Dominicanorum prædicavit super thema. *Consumpti sunt dies*, probando quòd illa quæ transierunt computari non debent, sed tantùm quæ subsequuntur & ea non casuum temeritati, sed Divinæ rationi esse subdita credere debemus. Nec valida vobis tempestas, incumbit, quoniam voluntatis DEI tenaces tenent anchoræ, quæ & præsentis solamen & futuri temporis spem promittunt, amaritudo præeuntis doloris comendat amplius gaudia secutura, vel (ut alius) gaudia præmissi cumulant inopina dolores. Nosti magnum hunc virum, & optimum prædicatorem, nec dubitabis optimè dixisse, à cujus laudibus (quas ignorare peregrini est, dissimulare invidi) in præsentiarum supersedeo, ne quod mei moris non est, assentiri bono amico non videar. *A.C. 1687*

Salutavit Regem unus ex Patribus ejusdem Societatis latino idiomate, cui Dominus Oginski Cancellarius Litvaniæ, qui ingenium suũ præsertim in hoc genere, non valde ostendit mirificum, dum ad rem, & in rem magis attentus, Polonico respondit idiomate. Qui sementem solidioris doctrinæ & facundioris eloquentiæ facere neglexit, frustra ab eo selectorũ verborũ vel extemporaneæ dictionis, si non est prævisa, vel provisa messis expectatur. Et cum sub manu nasci inexpectata responsa sæpe numero oporteat, qui non habet in sua potestate eloquentiam, nec ab illa habetur, ponere infaustum tumidumq; debet vultum, ut id nunc sub oculis eruditissimi Principis ad omnes occasiones intenti accidit, qui tanquam ante alios Apelles, de hisce lineis judicare potest. Sic enim amat in aliis eruditionem, & eximiè colit, quam in se habet, & magis in aliis fovet, & excitat, quam in se admiratur. Unde sua Mtas ad adstantes (ut est apud familiares suavior & sæpius jocosior) dixit: quòd omnes visitatura sit Ecclesias, ut in latinitate hunc Ministrum exerceat, & ego credo efficacissimum hoc esse medium, ut ille domum abeat, cum quod quærit Israel, hoc ipse non est consecutus. Non cuique obedit latinismus.

Tardius forte opinione eorum qui id sperabant venit D. Busani, cũ biretis pro Cardinalibus Pallavicini, & Radziejowski & Mtes hâc eadẽ die salutavit, quæ quamvis rem non probabant, missum tamen humanissimè exceperunt.

Scis Legatos hic Moschoviticos Szeremet & Nicanor esse, cur venerint quid faciant, quid prætendant accuratè recensendo, molestiã tibi exhibere non est operæ pretium, cũ sit notum, pacta inter nostrũ Serenissimum Regem & Rempublicam ex una & Czaros (qui ut olim Erithranus & Proclus, ac eorum primogeniti descendentes, apud Sparthanos regnabant duo, Joannes & Petrus, in Moschovia regnant) parte ab altera pacta esse conclusa, nec ipsis qui facere laudanda super quæ necessitate magis cogente in favorem Christianitatis, quam prompta voluntate, sine ullo enim Reipublicæ fructu, Rex non sine lachrymis, (cum ipsi ut cuique bono displicerent) super Evangelia juramentum præstitit. Frequentant hi Legati, ut jam Colligati sæpius aulam, & partim cum Regina lusui chartarum, partim apud Principem Jacobum choreis indulgent, quod & primo hoc anni die fecerunt.

Secundum ejus fuit consilium circa id quid sit futuro primo vere incipiendũ, & agendum, ut maturè conveniatur, & insimul fortia agantur, ut enim in cythara si vel unica chorda discrepat, concentus & harmonia

A.C. 1687 monia omnis perit. Sic in tempore, & maturè providere hoc voluit Rex Sereniſſimus, qui & prius pro re Chriſtiana tantùm ſudavit, quantum nemo, & invita hæc fateatur uſque invidia neceſſe eſt, quòd paucos habeat pares, ſuperiorem certè neminem, nec videtur cui debeat cedere, ſic & nunc nominis ſui famam in templo memoriæ æternitati conſecrare inter prima vota habet, & non libenter habet; quòd prætendant, Imperator Albam Regalem obſidere, Veneti in Morea tantùm morari, unde parvum Chriſtianitati ſolamen. & Colligatis alijs exigua ſatis nec pro tempore diverſio. Cum ipſa præſentium rerum conjunctura expeditam viam fortioribus factis & melioribus fatis aperiat & Rex cui magnus eſt animus & rectus, optaret, ùt & ratio belli requirit, ut ea colligati noſtri aggrediantur, non quæ facilia ſunt, ſed velint, facilia eſſe, quæ aggrediuntur, utinam qui poſſunt etiam velint, & illud perſvaſum ſibi habeant, imò deliberatum ac fixum, in animo hæreat. Alterum eſt, quòd evidenter pateat, non obſcura amplificandæ ſuæ potentiæ voluntas, in Imperatore cum Tranſilvanis tranſegiſſe ſibiq; Valachiam, & Moldaviam arrogare, quam intentionem, non re ſolùm videre, ſed & cogitatione moleſtum eſt, an hæc extra querelam non ſit, qua ſe Reſpublica affectam credit injuriâ? & tener ſenſus inde noxam trahit, quaſi illorũ cibus pingvedo noſtra ſit, non ſaturatur autem oculus viſu, nec auris auditu impletur; illis utilitates, nobis damnum, nobis deſolatio. Paternã ergo in his punctis ſummi Pontificis Rex & conſilium implorare conſolationem præſetulit, & eo nomine ad Cardinalem Nuntium D. Witvicki Luceorienſem Epiſcopum, & Piniązek Palatinum Siradienſem, cum ſeria expoſtulatione deſtinavit, præcavendo, ne illa nunquam intermoritura contentionum ſtudia hoc tenui canali in mare tandem excreſcant odiorum. Alia ſunt diſſimulanda, alia negligenda, quædam ferenda, in hoc verò Reſpub. donec exaudiri mereatur, finem minimè impoſitura.

In eodem conſilio determinata fuit Legatio ad Imperatorem & Rempub. Venetam, & Romam in perſonam Dni Sbąski Epiſcopi Premyslienſis; ad Electorem Brandeburgicum propoſitus fuit Caſimirus Bilinski Mariemburgenſis Capitaneus, quamvis Dnus Joannes Gninski Palatinus Czerniechovienſis laudis tituliqué cupidus ſuo ſumptu eam legationem abſoluturũ ſe obtulit, ſed non prævaluit.

Vidimus literas Cardinalis Radziejowski ad D. Albrachtum Laſocki Capitaneum Wyſogrodienſem, qui acrioribus reſpondit ejus, quòd ei titulum fratris ſubtraxerit, dicendo: quòd noſcat jura humanitatis, nec id in diminutionem tituli fecerit, explicando ei jura ſublimitatis, Cardinalitiæ dignitatis, quæ æqua Regibus, major Principibus. Vocat aliquando Rex in privato quemcunque nomine fratris, & ſi id ſcriberet jocari crederetur. Non poteſtas ſæcularis, ſed Divina, ſacerdotium hoc conſtituit, quod in charactere Apoſtolorum orbem univerſum regit. Pontifici debitus honor non ſubeſt diſputationi, pedem ejus eodem modo Polonus, quo Italus oſculatur, cur proximæ dignitati, idem in Polonia eſſe non debet, qui alibi eſt honor? Exoticos titulos ſuſtulit Polonia, naſcente illo tempore ambitione, quæ uſque huc in tantum excreviſſet, ut qui ditior eſt, non tam mitram portaret, quàm thronum ſibi erigeret. In Litvania pudet nobilem nomine proprio vocari, dignitatis ſibi uſurpant, ac propterea hi inveniuntur exquiſiti, & plerumq; duo, vel tres eadem gaudent.

Veneti convivia lege publica vetuerunt, propter æmulationem, nec quis

quis absque Senatus consilio illa instruere potest. Sed Cardinalitia dignitas exotica vocari nequit, quæ nascente fide incepit, & est Pontificis consilium, quod nulla potestas sæcularis, & tanto minus Comitia augere, vel minuere possunt. Titulus fraternitatis eo tempore incepit in Polonia, quando Poloni ipsi belligerabant, & quasi confratres erant, & titulus hic est secularis, inter seculares, inter Ecclesiasticos Ecclesiastic⁹; hîc si det illum seculari, est abus⁹, quem felicis recordationis Andreas Trzebicki Episcopus Cracoviensis nulli unquam dedit, nos verò nimium liberales, vel nimium in eo parci, sed hic discursus est inter nos familiaris. Summa rei non est in nostra potestate fieri minorem, ego un⁹ quot collegi censores? Cardinalis Coloniæ quanquam subditus Imperatoris, quanquam creatura ejus recens, Archi-Ducem Imperatoris filium non visitavit, Cardinalis Bonvisius Electori Bavariæ, in domo sua manum dextram non dedit, nec Neoburgico, & hi sunt Principes absoluti & tamen minimè ab Imperatore sunt reprehensi, quia omnes summam Sedem reverentur, quanquam non sunt Mazovitæ. Non mirandũ ergo quòd aliqui ex nostris, qui Cardinalem nisi pictũ, fortè non viderunt, ab initio sunt difficiliores. Dominus Palatinus Cracoviensis non fuit apud Cardinalem Nuntium, quòd illi manum dextram denegaverit, Dominus Palatinus Russiæ non disputavit, nec quidem expostulavit, quia rerum gnarus. Sic quævis novitas in admiratione, antequam cursum suum sumat. Cardinales debent esse ex omni gente, & hoc est de lege Ecclesiastica. Quòd in Polonia, pauci hacten⁹ fuerint, contemptus fuit nostri. Et sicut sub tempus felicis regiminis Serenissimi Regis nostri & pristinus decor in Poloniã redit, sic & purpuræ decus revertitur cum fœnore, quia inauditum exemplum, ut insimul duo Poloni fuerint facti. Ut verò scias, quod servitor non sit nihil significans, omnes ita mihi ipsi scribunt, qui scribere latinè sciunt, quia servus & mancipium idẽ significant, quo nisi viliores personæ utuntur ad Dominos suos. A. C. 1687

Habuit nobiscum (hoc est cum aliquot Episcopis) Rex Serenissimus cujus pectus nescium fraudis, ac dissimulationum, conferentiam, cum dolore quodam (nunquam magis indignari imò ringi vidi) contẽptum suum in postpositione nominationis suæ ad purpurã in persona D. Episcopi Belluacensis, explicans. Scivi autem id ex motivo eorum factum, qui similes illis, qui angvillas turbato quærunt stagno, aut qui ex alienis incendiis & naufragiis rem faciunt, qui tanquã araneæ nil nisi venenũ quærunt, & magnificè sibi incedere, adeoq; triumphare videntur, si lingvis suis dolosè agendo venenũ aspidũ, quod sub labijs portant, exerant ex ore maledictione & amaritudine pleno, viam pacis non cognoscentes, omnia misceant, ex illorum proinde instinctu repræsentavit nobis Rex summum angorẽ suũ, testatus conscientiæ suæ fidem, quod cum illi nihil sit optatius, quàm ut jurium, & prærogativarum Regni manuteneat antiquum vigorem omnem, vitandi dedecoris, & parandæ Regno suo laudis rationem ipsâ vitâ cariorem habet semper. Fecit & in hoc puncto quæ potuit, quid potuerit æquorum Senatorum judicium esto. Non opus est verborum multitudine ubi multum viget dolor, merita sua in Ecclesiam & Christianitatem, quibus non est unquam nimius commemorandis breviter insinuavit. Dilectionem non novam Pontificis, novis quotidie crescere debere credit incrementis, & tamen indignè & iniquè (hæc sunt verba) prætermissum se querebatur. Quid Proceres? jamq; feret quid opinio vulgi? Hanc de se memoriam, quàm longissimè cupidè expetit, & si augere non poterit saltem ne diminui permit-

tat

A.C. 1687 tat Privilegia & prærogativas Regni, & videt in proximo esse, ut occulto arbitrio tempora dividendo post detracta jura in Abbatijs, diminuta in deferendo nominationi suæ ad Cardinalatum, videat etiam nominationes ad Episcopatus sibi levari. Resolutionem ergo ad quam nisi coactus accedit, se fecisse nobis asseveravit, quod manifestationem in Tribunali Regni faciet, palàm monstrando defendisse se jura nominationis suæ quantum potuit. Quia verò ultima Cardinalium creatio juribus Regni evidenter præjudicat, relinquit id Reipub, uti jurium suorũ Dominæ, ad vindicandũ; Literas etiam ad omnes Reges & Principes expediet, infelicitatẽ in eo puncto sortis suæ accusando, interim ne videatur hanc omissionem nominationis suæ aliquo actu approbare, & honorem, qui fieri solet novis Cardinalibus, in reddendis Biretis intermittet. Visurum se tamen sed cum certis præcautionibus Cardinalem Varmiensem dixit, qui brevi speratur incognito. Hæc locutus oculos oraq; nostrûm omnium diligentiùs, quàm aliàs solebat intuebatur, & cùm altum esset silentium, brachiis tantum levatis compati, sed non succurrere visi sunt antiquiores, & gradu in senatu me superiores Episcopi, loquendum mihi non obstante aliorum silentio ratus sum, qui S. sedis honori non calamum tantùm, & stylum sed & lingvam devotam fero & hanc mentem, DEus, faveat, habebo, quamdiu vitam; tacere non potui & quidquid de hoc sentiam libere dicens, cùm non occurrat, quibus magis vellem, & magis debeam, quàm summo Pontifici & Regi, inprimis ergo tam ingentia, & innumera merita in Ecclesiam succinctè sed expressè in memoriam reduxi ejus Regis, cujus tanta gloria est, ut nullius vel laudibus crescat, vel vituperatione minuatur, & jam id est consecutus, ut nullius muneris munus sit ita magnum, & excellens, quod non suis par meritis habeatur. Veni pòst ad Pontificem, qui tam magna in Rempubl: Christianam merita, non tantùm honoribus & præmijs afficere desideret, cum ei singularis virtus & in sedem Apostolicam observantia, nota atq; perspecta sit, sed quod tenerrimè, non tam dignitatem, quàm personam Regis amat, ut non alium describant illum quicunque scribunt nobis de illo. Commemoravi fuisse tempus, quo hanc nominationem, dum revocare nollet, sine effectu esse voluisset, quod potuit ab his, qui omnia in aula sciunt, & nihil reticent, ad aures oculosque venire Pontificis, qui magis placere intermittendo, nominatum credidit, quam nominationi, deferendo, cum præsertim universus Orbis unum dolorem geminato solatio videt levari, dum loco unius, duo nationales (ut ex omni gente debent esse secundùm legem Ecclesiasticam) tertius Nuntius creati fuerint. Addidi, an nescit, Mtas Serenissima ejus voluntate omnia fieri, cujus decreto stant, & cadunt, vivunt, & moriuntur, nascuntur, & denascuntur, veniunt, & abeunt omnia, qui ipse magnus hic Architectus & rerum Arbiter in amplo hoc mundi Palatio, hos purpuratos, & non illum nominatum collocavit, in cujus manu cor Pontificis est, qui in magnum hoc theatrum, non quas volumus inducit Personas, sed illas, quas pro lubitu, & arbitrio placet huic, qui supra nos vult & potest. De justitia autem Pontificis non desperet Sacra Mtas, sed credat, ac proinde non consideret Mtas Sua, nec sequatur consilia eorum perversa, qui mores suos effingunt, ad alienæ voluntatis conjecturam, non tam Religioni, & S. Sedi serviunt, quàm scenæ, & ut trutina in eam partem vergit in qua plus ponderis; sic illi in eam, ubi plus spei aut rei. Ego quod mihi rectiùs videtur, non celo coram eo Principe, qui non modò scit, quæ recta sunt,

sed

ſed facit. Totum tamen in arbitrium voluntatemq; Suæ Mtis rejicio, à qua nec latum quidem ungvem recedere mihi fas eſſe duco, Caſſa tamen ea credo eſt ſollicitudo mentis dubiæ de affectu Pontificis, qui eſt ſincerus, & plus in tempore, quàm in re ipſa intermiſſum credere debemus, quanquam nec meo auxilio, nec defenſionibus iſtis authoritas ejus egeat. Dico tamen ad quid manifeſtationes & in Tribunali & ad Principes? Qui tenet, tenebit, poſſeſſio valet. Leniet mora quod ſola ratio nunc non poteſt, & cum fœnore bonus Pater optimum filium conſolabitur. *A.C.* 1687

Scribantur literæ ad ipſum Pontificem ſuaviter & fortiter, & videbit Mtas Vra, vel ſatisfactionem in promotione prima dandam, vel nunc, cur id intermiſſum, rationem adferendam. Feci ergo hoc diſcurſu, qui ut erat ex tempore, & inſperato, ſic omnia referre non poſſum, ſatis quia affectus fecerat non indignatio verſum. Feci inquam ut nautæ faciunt, qui adveniente periculo non ſolvunt navem, ſed retinacula injiciunt, & quia vera prope me locutum exiſtimavit, ſtatuit bene conſulenti morem gerere & illam vehementiam, cum qua inceperat non remiſit ſolùm, ſed & demiſit, placuit enim conſilium, cui niſi optima placere non poſſunt, animus Regis magnus, ſed rectus, & dilectio in Sanctam Sedem, ſine ſimulatione prævaluit, ut non tantùm à propoſito ſuperſederet, ſed etiã in affectu in Pontificem confirmaretur, feceritque, ut Pontifici potiùs, pro recenti in bellum & notabili ſupplemento gratias egerit, quàm doleret, quòd ſuam gratiam in ultima promotione, perpetuare noluerit, ſic magna moliturus, à nulla re magis, quàm à mora impedire ſolet, ſuperi flectuntur & ipſi.

Monſtravit nobis aliquot poſt dies Regina libellum famoſum turpiſſimum, unde magnam illius mentis fluctuationem cognovimus, qui illam in præſentiarum exagitabat non ſine cauſâ; malorum initijs credidit occurrendum, neq; has dentatas ſcripturas tolerandas, nam ſi à principio his obviam non ibitur, pudendus dolendusq; paſſim crebreſcens, & invaleſcens mos Regnum replebit. Neſcio quo fato calumniæ & invidiæ telis expoſiti fere eſſe ſolent ij, qui in altiſſimo rerum humanarum faſtigio conſtituti, arduis negotijs implicantur, & excelſa in Reipub: munia ſuſtinent, quamvis nulli ſermunculi temere ſparſi, & imprudenti (ut fieri ſolet) credulitate excepti, nulla unquam injuria, nulla malevolorum protervia, aut obſtrepentium dicacitas quamvis feriat, lædere poteſt. Petiit ergo Regina ut Prædicatoribus & Confeſſariis, quatenus impediant, dentata hæc ſcripta, minaces paginas, & conviciorum plauſtra, recommendaremus; Minimè enim tolerandi, quos patientia in dies pejores reddit, cum ex impunitatis ſpe, libido iis ad peccandum accenditur, ſervando ſontes imus perditum bonos, exemplum proinde Medici imitandum, qui ubi fruſtra mollia ceſſerunt, ferit venam membrisq; ſi adhærentia nocent, & morbum diffundunt, manus affert, nec ulla dura videtur curatio, cujus ſalutaris effectus eſt. Huic malo ut occurratur, ad Epiſcopos pertinet, ut monſtra hæc opprimantur in ortu & zizania in herba, ne longius ſerpat hæc lues, & ſucciſa levius repullulet. *Famoſus Libellus.*

12. Januarij Nuptiæ fuerunt Domini Jordan Vice Præfecti Stabuli Regni cum Domina Kruſzelnicka ex Aula Reginæ Sereniſſimæ, cœlum in terra habent, qui in conjugio pacem. Infernum qui diſpares, & diſſidentes animos, quia quæ inter concordes vincula charitatis, incitamenta irarum apud infenſos ſunt. Ita ſi quid acciderit læti gemina ſit voluptas

A.C. 1687 luptas, si quid mali societas adimit, dimidium ægritudinis. In his nuptiis præsentes tum Legati Moschovitici adfuerunt, sed dum tempus mensæ appropinquabat, scis convivia hæc ita in longum producta, ut quos plerumq; sol occidens mensam adeuntes aspicit, eosdem exoriens gnaviter epulas prosequentes intueatur, ac proinde & tanto tempore vigilare nolentes nos Episcopi & ne locum Legatis cedere obligaremur abivimus; sæculares autem cesserunt. Hac eadem die venit notitia de morte Principis Condæi. Ecce quomodo moritur vir tam magnus & nemo percipit corde!

D. Grzymałtowski Palatinus Posnaniæ cum sit ex illis quibus nihil prius, aut antiquius esse videtur, quàm aliorum Thyæsteo more (qui hodie obtinet) quæsito colore actiones traducere, innoxios lædere nati, & vexare, & qui nisi quod ipsi faciunt, nihil rectũ putant, malè affectus est, D. Episcopo Luceoriensi, sed ego istud negotium accomodavi. Interim lugubres vestes post mortem Imperatricis aula sumpsit.

Stanislaus Witwicki.

24 Zołkieviæ Dominus Cardinalis Varmiensis fuit, in missa patinã Regi & Reginæ osculandam dedit, & Principes Regios visitavit, apud me prandit, & plusquam quatuor horas apud Reginam in audientia impendit.

Episcopatus Vilnensis datus est Domino Constantino Brzostowski Episcopo Smolenscensi, etiamsi apud Reginam precibus confici non poterat promotio, nam valde illi contraria fuit. Episcopatus verò Smolenscensis Domino Kotowicz Referendario, & Referendariatus Domino Kriszpin cesserunt.

Constantino Brzostowski

23 Februarij præproperâ morte intercepta est, cum summo totius aulæ dolore Marianna de Kazanow Jabłonowska Palatina Russiæ supremi Exercituum Ducis uxor, quæ diu infirmabatur, cujus ægritudo exiguis initijs orta, paulatim, ut solent ea, quæ minus timentur, excrevit. Libratim ut ajunt morbi veniunt, unciatim abeunt, mirabili autem patientiâ morbum suum tulit, ac in terribilibus doloribus, nullus vidit, nec audivit, ejulare, gemere, lamentari, frangi, sed vitam morbumque suum ad Divinum arbitrium voluntatemque referebat, ob ejus mortem, multis acerbam, deserta est omnis lætitia, translatum est gaudium terræ. Præcipuè verò pauperes tristabantur, & egeni, nam magnas in eleemosynas expendebat summas. Audivi sæpius vocantem miseros mortales in coacervandis divitijs occupatos, qui suum sæpe genium fraudantes, nesciunt, cui congregarent eas, hunc prudentem ac sapienter avarum nominabat, qui quidquid sibi, & suis usibus superest, effundit in pauperes, non autem illud perdit, sed pauperum manibus tradit, deferendum in cœlum, ubi in omni æterni temporis spatio, quod illis insumpserit eo fruatur, nec cuiquam ad illud aspirare fas erit; quòd ipsa maximâ charitate practicavit; dolor hic & publicus omnium, & in particulari Mtum facit, ut propterea, nos etiam hinc abeamus, & ego ut te dilexi à principio, diligam constanter sine fine.

Mors Palatinæ Russiæ

RELATIO ACTORUM IN CASTRIS Anno 1687.

Tristia præsagiit auspicium expeditionis hujus anni, dum 12 Martij septem millia Tartarorum sub Buk Mursa, præter opinionem (eò quòd Legatus ab Hano in Poloniam missus amicitiam captasset) ex ipsis Budziakis, nulli ne Valachis quidem cognitus, per desertos campos sub Camenecum & inde in Bona Zolkwiensia excurrens non modicum damnum intulit. Collectis qnamvis exiguis copiis Colonellus

nellus Lasko hosce incursores ex parte dissipavit, aliquot supra viginti captivatis, multos occidit cum Bavorowski, nec hostis par resistendo Camenecum se recepit. Captivorum relatio fuit, excursores hosce menti Hani non egisse conformiter huc excurrendo, voluntatẽ tamen ej⁹ esse, ut si infectis rebus redierit Legatus, continuis incursionibus terras hasce infestent, nec tempus concedant congregandi exercitum. Veritati conformia videbantur relata, eò quòd prædâ abactâ ad contermininum limitibus nostris hi excursores se receperint Camenecum. A. C. 1687

Hac notitiâ habitâ per universales convocatus est exercitus sub Tarnopolim, 8va Maji, parti uni, Præfectus Venator Leopoliensis, alteri Judex Haliciensis Colonellus S. R. M. tueriq; jussus oras illas ab infestis hostium excursionibus, primæ vigiliæ sub Zbarazo, Bavorovia, Janovia, Jazlovicio & Sniatino, utq; celerius confluerent, Dux ipse in tempore se contulit sub Tarnopolim, cui in via innotuit è decem Tartarorum millibus Kijoviâ Camenecum tendentium, selecta tria millia unà cum Lipkis Camenecensibus intacto Jazlovicio & Podhaycio Uscium properasse, hisce volens reditum præscindere Tarnopolim festinavit, ast non nisi quinque vexilla rarosq; sub ijs milites, regimenq; Desultoriorum Castellani Sandomiriensis Excubitoris Regni reperit, unde Tartari prædâ quãvis modicâ potiti, (Zavolenses enim hæreditarij coloni Ducis persequendo sua pecora receperunt nonnullosq; Tartaros abduxerunt) rediêre. Illud infaustum: duo vexilla Valachica, unum sub Jonak alterum sub Jezowski tendentia Jaslowiecium milliari uno à Buczac in campo noctem exegerant, quo sub crepusculum advenere tria illa Tartarorum millia, insultuq; facto nostros dissiparunt, quosdam captivarunt, alijs tamen pro xima sylva receptaculo fuit. Sub initium Junij congregatus exercitus sub Wysniowcicz, gubernium traditum Subdapifero Sandomiriensi, castra locata ad fluvium Stryppa, moxq; Dux Zavaloviâ acceleravit, omnemq; movit lapidem, ut cõmeatum, qui Jassijs Camenecum devehebatur, interciperet, ast possibile non erat, eò quòd triginta millia Tartarorum & quinque millia Turcarum illum in quadringentis curribus spatio quatuor dierum inter æstuantes solis ardores junctis bobus deduxerint. Nec ex re visum Istrum trajicere, in excursiones hostium solùm oportebat vigiles habere oculos, quanquam commeatu in urbem illato copiæ illæ hostiles rediêre. Interea Zwierzchowski Succamerarius Łomzensis Præfectus vexilli cataphracti, cum Desultorijs loricatis & levioris armaturæ Camenecenses agros depopulatus est, in regressu præsidiarij Camenecenses eruptione facta tardantem cõmilitonem nostrum volentes intercipere, Valachicis vexillis obnitentibus, inciderant in plures nostrorum capias, dumq; invicem deprælиarentur, suppetiæ nostris latæ, præsidiariorum pars è petris præcipites dati, pars in fossam usq; acti, plurimi campis jacuêre perempti, ductor eorum Kahay Bassa amisso equo evasit illæsus. Pauci è nostris læsi, Nagorski ductor vexilli loricati sub ipsam usq; fossam appulsus sagittâ per collum usque ad lingvam transfixus non imæ factus hostia terræ. Hac sua clade cautior hostis non ausus mœnibus egredi, etsi eos Palatinus Vilnensis Dux Suprem⁹ M. D. L. missis iteratò copiis sub Dapifero M. D. L. filio suo lacessiverit. Securitati castrorum hic solùm erat prospiciendum, nec tutum in Budziak hostem quærere, cum exercitus Moschoviticus foret in confinijs, tandẽ placuit S. R. Mti igni missili præsidiarios Camenecenses ad repressalia cogere. Summa rei Serenissimo Principi Jacobo cõmissa, viva hic magni Patris imago, functus officio dexteritate qua potuit maxima, injecti ignes

A. C. 1687 gnes multoties nec tamen fregêre præsidiarios, reboarunt illi in singulos dies, mille fere vicibus. Ledechowski comilito dum excurrentes præsidiarios insequitur, globo tormentario occisus. Murza Budziacensis, qui captivos nuper Camenecum duxerat, in campum eruperat, ast membratim dissectus, Lipkarum itidem deni cecidêre. September jam erat in declivi, nec spes cum hoste confligendi, exploratoribus missis Valachis usque ad ipsos Budziakos, soluta obsidio, interea judicia instituta super tardo adventu vexillorum, injuriisq; comissis. Valachi ex Cecora in medio pene ipsius Budzach acceptum adduxerunt Tartarum. Tokarzewski Valachos tres & aliquot Polurnakos, Oziemski duos Janczaros, à Tartaro relatum Nuradinum Soldanum in Budziak morari, multos Tartarorum Crimensium ad eum venisse ob famem in terris suis magnam, non esse tamen ulla judicia, eum cum exercitu moturum, donec post aliquot septimanas comeatum adducat. Cinski Trembowlam expeditus ut excursionibus obviàm iret, submisit novem Tartaros captivos, nonnullos lethaliter vulneraverat, cum tenderent in Volhyniam. Cæterùm cùm frigora ingruerent, nec annona in his oris toti exercitui sufficeret, nec Card. Nuntius semi quingenta florenorum millia in Comitiis declarata redderet, plura hocce anno attentari non poterant. Relicta pro custodia limitum vexilla in Volhynia & Subsylvania sub regimine Łasko Dapiferi Kijoviensis Præfecti vexilli Cataphracti Principis Radzivilij Præfecti Stabuli M. D. L. Reliquus exercitus circa Istrum ad Leopolim, nec non vexilla quæ Pukuciam tuebantur, cessêre sub gubernium Wronowski Capitanei Litinensis Præfecti vexilli Loricati S. R. Mtis.

Cum increbresceret notitia Nuradin Soldanum excursionem moliri, Dux per universales præcavit Palatinatus proximiores, deinde totum exercitum, ipse in fine Februarij Grodnam abijt pro comitijs. Incolæ monitoriis audientes unâ & alterâ septimanâ, solertes egerunt excubias, dum autem tertiâ septimana velut ab hoste securi degerent, nec exercitus brumali tempore coadunatus subsistere valens in stativa abiisset, hostis per desertos campos ad ipsa confinia subrepsit, incautisq; non modicum damnum intulit. Nec prædâ unâ contentus, rediit altera vice Tartaricus exercitus in 50000 sub Nuradin Soldano, & quia facilis variusque patebat aditus, desertô veniens Brodenses, Zaloziecen. Zbarazen. Wisniowiecen. Jampolen. Dubnam usq; depopulatus est. Opposuêre se quæ congregari poterant vexilla; ast resistendo non erant, Abactos tamē incolas insequendo libertati vindicarunt, in excursionib9 sejunctos Tartaros ceciderunt, strenuè rem egit Bavorowski. Diem unam tenuit depopulatio, sub auroram alterius redijt Nuradyn comitatus semper 15000 Tartarorum.

Post rupta comitia rediit Dux ad exercitum, initoq; consilio cum Castellano Cracoviensi, exercitus facta exdivisio, Cataphracta vexilla sub Uscie ad Istrum, Loricata sub Zlosniki, in fronte & ad latera pro præcavendis insultibus sub Janovia, Bavorovia, Sniatino, Jazłoviecio & Jāpolia alia vexilla locata. Dum congregatur exercitus, sesqui millia Tartarorum Jamansaydacensium advenerant sub Camenecum præsidio futuri conseminantibus agros verno tēpore. Hæc notitia nostros fecit cautos. Altera ab adventu die juncti Lipkis Camenecensibus Trembovolā excurrerunt, vigilijs civitatis illuserunt, præmissis aliquot Lipkis milites Polonos se dixerunt, admissi in oppidum, hostilia egêre, 120 incolis abactis, reliquos unà cum templo Carmelitarum præsidiarij ex arce contigua ex tormentis & manualibus sclopetis jaculando servarunt. Zahorowski

rowski Centurio à Dimidecki cis Istrum ad intercipiendum indicem expeditus adduxit 17 Turcas cum eorum Aga, reliquis in campo prostratis, dum præsidio starent gramina falcantibus, à quibus relatum Tartaros cum Lipkis excurrisse Trembovolam, sed necdum rediisse. Igitur inito consilio, an cum hac præda Sniatinum redeundum, an Trembovola reduci hosti obviàm eundum? placuit obviàm ire. Igitur Istro trajecto incautè Cameneco appropinquavit Dimidecki sub Novosiolki jaculo à Camenecensibus læsus. Præterea ubi innotuit à Zahorowski excubias dissipatas Turcæ unà cum Lipkis excurrere, cum nostris conserere, sed impares resistendo ad mœnia se recipere. Sub hæc Tartari cum Lipkis Trembovolâ rediêre, impetum in nostros fecêre, quem tribus vicibus nostri sustinuêre, fortia adversis opponentes pectora rebus, ast impares fuerunt resistendo. Regimentarius cum Kassay Mursa præfecto tunc Tartarorum congressus, illoque occiso, dum in hoc æstu urit miserum gloria pectus, & ipsiusmet compehensi Tartari & Lipkæ fodiunt ad viscera corpus, caput amputatum Cameneco illatum, corpus relictum, cœlo tegitur cum non habet urnam. A.C. 1687

Smarzewski Præfectus Vexilli Loricati Alexandri Potocij Castellani Camenecensis, ut aliàs sic & hîc animosè confligendo, in ipsa mole belli succubuit, aliquot vicibus hastâ transfixus, & jaculo tactus, & tandem in captivitatem abductus. Cessit & Ubysz Vexillifer Vexilli Loricati Ubysz Subdapiferi Kijoviensis Patris sui, resolutè in illa acie dum conserit, in prædictam captivitatem cum alijs: quidquid superi voluêre, peractum, alij evaserunt incolumes, uti Chłopicki Præfectus Vexilli Loricati Palatini Volhyniæ; Dziedeszycki Præfectus Palatini Podoliæ Vexilli Loricati; Dimidecki Præfectus Regimentarij Vexilli Patrui sui, Ubysz Præfectus Vexilli Parentis sui, Zahorowski Centurio, & Stephanus Ruszczycz Centurio, qui postea in alia occasione pugnando cũ Tartaris obijt, sed memorem famam dum benè gessit habet, multique alij Vicarij, Commilitones, & Turmales evasêre, aliorum aliquot centena hostis in captivitatem subegit, alijs etsi parvo numero in campo prostratis; sed nec hosti sine clade stetit victoria, ut assolet inter tela minantia telis. Acta hæc die Ascensionis Domini à meridie.

Sub ipsũ ingresũ castrorũ, huj⁹ transactionis relatio Duci facta, qui mox in succursum illi exdivisioni submisit cum auctis vexillis Cinski manu animoq; fortem Heroem, loco pro castrorũ metatione sub Guozdziec ostenso, ipse verò abiit sub Uscie, cum variorum relationibus haberetur brevi commeatum Camenecum deducendum, cumque relata sæpius confirmarentur, congregavit exercitum sub Monasteryska, & movit Jazloviecium citrà moram. Junxit se his submissus à Palatino Vilnensi consistentis sub Zaloscie Paslowski Subdapifer Rzeczycensis cum triginta & aliquot vexillis.

Junctis viribus perrexêre Camenecum ad intercipiendum commeatum, jamq; Vonoclincum venerant, cum accurrunt duo cõmilitones ab Horodenka referentes Tartaros excursione facta & aliquot militibus abductis abiisse Tyszwienicam, relatio hæc consilia mutavit, itumq; ad Istrum, sub Cmielowam, data notitia postremæ aciei quo exercitus diverterit sub Rachowiec, ubi cymbæ nostræ erant, expediti 150 Desultorij ex Regimine S. R. Mtis, ut eas deveherent sub Czerlenicam, & dum ad Cmielowam ventum Valachicis prius vexillis sub Wilga Colonello milite prompti animi, & obsequij gnari trajecerunt, solitò magis tunc inundaverat Ister, ut ipsis Valachis, aliàs ad trajiciendum

A.C. 1687 promptis nunc trajectus difficilis fuerit, nec sine periculo steterit. Jam tamen trajecerant à crepusculo, usq; ad diluculum sex levis armaturæ vexilla, mox significatum à Cinski Præfecto vexillorum decem expeditorum, cum hoste sibi conflictum fuisse, homines, & pecora multa avulsisse, Tartarorum viginti vivos accepisse, & aliquot denos cæsos sparsim stravisse, medietatem eorum ante vesperam, jam intrâsse Bukovinam, robur ei fuisse validum, difficileq; omnes superare. Hoc conflictu viriliter dejectum ex equo Tartarum dum Stephanus Ruszczyc Centurio, gladio vult perimere, ille extenso arcu jaculum ei in pectus adegit, & ipse tamen Tartarus ab altero Commilitone captus. Præterea relatum, Zahorowski cum incolis Sniatinensibus in quodam angusto Bukovinæ loco occurrentē redeunti hosti, ipso vespere facto strepitu, per modum insidiarum, homines multos, & pecora recepisse. Turkul quoq; Centurionē ex alia parte fluvij Czeremoszy, viginti aliquot vivos Tartaros accepisse, pecorum & hominum copiam magnam diripuisse. Stetit tandem Dux sub Koszylowce ad fluvium eâdem, alterâ sub Czarnokozince ad Zbruczam, & tertiâ die manè, rebus optimè dispositis, relictâ sub Nowosiolka milliari à Cameneco illâ carragine, & peditatu, & levibus tormentis aliquot solùm acceptis ivit sub Camenecum. Iskra Præfectus præmissus, ut indicem interciperet, cui in succursum submissus judex Exercitus, & Grocholski Colonellus cum legione Mareschalci minoris Regni, vixq; hora effluxerat, cum adducunt tres insignes, & Lipkas duos. Ab his relatum, commeatum in 40 curribus trajecisse Istrū, modò duci Camenecum ex altera parte fluvij Smotrycz, sed & Iskra cum expeditis hoc viso, jam trajecerat Smotrycz, quò statim in succursum plures submissi, quibus advenientibus occupavit illas plenas peregrinâ messe carinas, pluraq; adhuc excursione facta adjecit pecora. Ulteriori accinctus itineri Iskra advertit pedites sub petra euntes circa Smotrycz, ibiq; illos stitit, Janczarorum erant Camenecensium, supra 150 selectorum ex præsidio, turbaq; non modica missa ad deducendum hunc comeatum. Quibus dum innotuit nostrum exercitum adesse, rediére Camenecum, sed viam præcluserunt primæ nostræ excubiæ cum Judice exercitûs & Grocholski: Videntes quòd mortis habet vices, lentè cum trahitur vita gementibus, explosis aliquot vicibus bombardis citra damnum tamen nostrorum, spontè se nonnulli subdidêre, alii violenter prehensi, nullus eorum evasit. Dum dies in noctem vergeret, amotus exercitus Cameneco, propter pabulum, & aquam, quæ ibi sub petris non habetur, sub Paniowce, missis exploratoribus ad videndum quid super Istrum ageretur. Jam Tartari cum commeatu recesserant nec possibile erat eos assequi, intentos oportebat exercitum nostrum habere oculos in Istrum, ne post recessum veloci defluxu, & per cognitas latebras annona illa Camenecum deveheretur. Non procul itum à fortalitio, injecti ignes in domos Lipkarum sub petris latentes non modicum damnum intulêre, dum interea fruges maturuêre, expeditus Zaboklicki Vexillifer Braclaviensis cum omnibus loricatis vexillis, & levibus ac Desultorijs delectis sub Camenecum ad defalcandas depopulandasq; segetes, ad agendumq; cætera quæ sors tulerit. Fecit hic quod in comissis habuit, septem præterea Turcas & Tartaros cum aliquot gregibus jumentorum abegit.

Fortuna hìc risit vultu sereno, quòd circa hæc emolumenta laborum ad tam densas ex tormentis explosiones falcantium, & conterentium, nemo sit læsus. A Kudrevice iterum, ob pabula & aquam movit

vit exercitus sub Czarnokozince ad fluvium Zbruczam, nec ab Istro, nec à Cameneco procul recedendo. Hic verò morando tum excubijs, tum insidiis, præsidium hoc Camenecense, crebras à nostris patiebatur infestationes. Tandem 26. Julij venêre Cameneco, tria millia Tartarorum cum Lipkis, & Turcis Camenecensibus, sorte evenit: ante horam circiter cis fluvium greges in pascua acti fuerant, hos interceperunt. Consternatio facta, ut quisq; ad horrida promptior arma, comovit statim alacriores ad equos, & nostri, & M. D. L, incurrêre, hostem velociter insecuti, multa pecora abegerunt, septem Tartaris & tribus Lipkis occisis.

Tartarus egregius Odi Paszy Janczarorum, & Spacha alius Turcarum, adducti: Hi retulere heri advenisse suorum ex Budziaki trecentos, & statim delectos cum Lipkis, & Turcis nonnullis ivisse huc ad exercitum, excubias diluculo invasuri ad intercipiendum indices, sed gregibus observatis, Lipkæ gnari mali trajectus, suaserunt hosce abducere, spondentes fugæ tempus fore, usq; dum trajectus perficeretur. Re collata cum Primoribus utriusq; gentis placuit Duci sub Camenecum subrepere, hostem occludere, pabula proximiora recipere, donec majora tormenta cùm Palatino Kijoviensi Generali artileriæ adducerentur.

Stetit ergo Dux cum Exercitu utriusq; gentis sub Pudlowce super Smotrycz 30mâ Julij in propinquo Cameneci, ne tormenta Camenecensia ad vigilias pertingerent nostras, eò majori alacritate, quò magis molestum esse ei sciebat, habendo ex indicibus, Nuradyn Soldanum, movere ex Budziaki non potuisse, donec notitia veniret ab Hano, quid exercitus Moschoviticus, cum Cosacis moliretur, dum autem hi 6. Augusti rediêre, Hanum his visis, misisse statim subsidia ex Crimensibus Tartaris Nuradyn Soldano, post horum adventum mox Cameneco affuturas suppetias. His tamen non obstantibus modi omnes tentabantur infestandi Camenecenses.

Convocavit hic Dux exercitum Zaporoviensem renuentem, venire ad castra, donec pannus cum stipendijs à Bonesana Commissario adduceretur.

Omnibus quæ ratio belli suadebat ritè compositis significat Sniatino Cinski Centurio, jam ad Pereritam videri Tartaros fortè Antesignanos Nuradyn Soldani jam appulsi Cecoram, & deducturi annonam Camenecum.

Inito consilio an sub Cameneco opperiendus hostis, ubi copia fœni, ne transitus detur annonæ, an verò ad Istrum excurrendum, & publico campo fortuna committenda. Placuit relicto Cameneco Istrum petere, observareq; an hostis tentaturus sit trajectum, videns nostros excubare. Fœno igitur in cineres redacto, ne hosti in prædam cederet, à Panczowce itum est sub Ucieczek ad Istrum, ubi Smotrycz in eum influit, & plerumq; commeatum Camenecensibus trajicit hostis. Hinc expeditus Iskra cum denis vexillis & Colonellus artileriæ cum aliquot tormentis, cataphractis equestribus & Desultorijs, ut reliquas segetes depopularentur, rem strenuè egêre heroes.

Sub Uscieczek decidua pluvia solitò copiosior immenso luto castra repleverat. Trajecerant jam Istrum 500 Tartarorum, ut armenta abigerent, sed spe frustrati sitim aqua in Istro abluerunt, nostris ad greges excubantibus, strage non modica in Tartaris facta Szczucki Centurio Palatini Vilnensis in persecutione hostium succubuit.

A.C. 1687 Hacce intemperie, & inclementiâ cœli afflictus debuit exercitus aliquò divertere. Primò sub Kadyowce eundum & castra circa sylvam locanda videbantur, ast dum excubiæ nostræ illinc reduces asseruerunt graminum esse inopiam, sub Chodorovice pascua fore pingviora, huc ergo mota castra 18 Augusti, sed sorte evenit, quòd eadem nocte qua ad Istrũ pervenimus, Nuradyn Soldanus illum trajecerit, & in eodem loco stationem fixerit, ubi nos figere intendebamus inter Smotrycz & Mukszam fluvios prope Niedobor, die insequenti famuli nostri gramina falcantes in sylva Zwaniecensi Tartarum acceperuut, cujus informatio fuit, Nuradyn Soldanum adesse cum septuaginta millibus Tartarorum ad prælium selectorum, quinquaginta esse millia Crimensiũ, trajecisse propterea, quod propius Camenecum, & pascua à Niedobor meliora, & locus trajectibus densis, & difficilibus septus, à meridie diei ejusdem delatum, septingentos Tartaros vigiliis nostris Smotrycz superato appropinquare, ad quos reprimendos expeditus Iskra, qui in eos insiliens propria manu binos ex equis dejecit, in ulteriori certamine dum cujusdam Mursæ equus tactus nutavit, idem Iskra hunc prehensum medium jactavit, quem Tartari recuperatum volentes totis viribus annisi acuerunt prælium, sed Iskra obversus cum expeditis suis, & alacrioribus detinuit rei discrimen, ubi aliquot Tartari denuo occisi, & plures quàm deni jaculo tacti, ut hic Mursa hæc omnia confirmavit, quæ prior, addens, utinam Sabbato huc non excurrant Tartari cum Camenecensib⁹ prælium inituri scientes modicum esse exercitum vestrum prout verum fuerat modicum esse, nam in centum viginti septem vexillis equitatus constabat, octodecim vexilla in tuitionem Pokuciæ sub gubernio Cinski, & sub Zablotovia locata, tria vexilla circa Białocerkwiam, quinq; vexilla in tutamen Volhyniæ, quæ tractum, & trajectus circa Lachowcum tuebantur missa quatuor vexillis Krzywce, igitur & ad cymbas, & alias publicas vias, aliquot vexilla expedita, ut res postulabat, etiam ad prælium cum hoste nonaginta tria, præter exercitum M. D. L. relicta sunt vexilla.

Igitur de instruenda acie tempestivè cum Castellano Cracoviensi, & Vilnensi iniit consilium Dux, illâ paratâ, & divisa tempestivè & tradita Generalibus, Colonellis, & Commendantibus, omni meliori modo disponebatur.

Ad consilium verò bellicum conventum feriâ sextâ, quid facto opus? opperiendusne hostis sub Zwaniec, an eundum contra Paniowce, super Smotrycz, ad quem proximè locum cum robore suo à Muksza incipiendo dilatabatur, & stetit hostis. Conclusum, movendum esse die sequenti cum carragine sub Chodorowce, ibi carraginem locandam & instructam aciem ad Paniowce dirigendam, & arma explicanda hosti ad prælium. Etsi verò hostis trajectibus se tantùm tueretur, in dextra manu habendo Camenecum, cum carragine eundum ad Ormiany, & sub Ormiany trajiciendum Smotrycz ad hostem. Hâc nocte feriâ sextâ integrâ imber pluebat, & præcipuè ante diem, creberrimis fundebat guttis. Mane verò dato per tubam signo ad motum, equis stratis observatum an juxta relata Mursæ hostis appropinquaret, missusq; Poniałowski, ut hujus notitiam adferret, functus ille officio, nullum ante meridiem advertit Smotrycz trajicere, à meridie singulos aut binos seorsim; sciens ille neglecta sumere incendia vires, intimat Duci, aliquot millia Tartarorum huc trajecisse, deniq; ordine procedere, mox Dux exercitum eduxit in campum, locavitq; ad jactum ex tormento à carragine. Dex-

Dextram alam instructi exercitus Castellanus Cracoviensis tenuit, lævam cum exercitu suo Palatinus Vilnensis debite & prudenter compositam. Ante corpus ipse stetit Dux, utriq; alæ suus provisus succursus. Vix dispositus exercitus, ingruit tempus nimbo atrox, ut non ante cadentem, sed ante fluentem imbrem cum vento nullo modo equi in ordine stare potuerint, omne hoc ex sua decidit orbita, ferme ad semi horam non cessavit imber, tandem rediit serenitas, facto denuò ordine debito, ut vires hostis mensurarentur, & de ulterioribus informaremur operis iminentis conjuncturis, dum longè adhuc abesset spatiosis collib⁹ hostis, discessit Dux cum Castellano Cracoviensi ad quendam montem, dispositionem hostilem visurus, tandem dum re omni perspectâ reversi & eo temporis prælusores longius ab ordine concertantes cum hoste, notabilem ex equo depressêre Tartarum, qui libertate habitâ, ad nostros, & plerosq; varia mirantes, & præcipuè ad comunem plebem exercitûs, eò temporis ibi subrepens ante ordines magna congerie congregatam fugerat. Hæc verò plebs ad capiendum illum contendebat, prosilierunt hostium plurimi ad illam scenam, & usque ad ordines ipsos procedendo, & cum nostris conferendo, reluctabantur nostri, ut tempestivè illis, qui hostem detinebant, daretur succursus, & in ordinem redigerentur. Subdapiferi Buscensis Judicis exercitûs legiones in primis vigiliis existentes suppetias tulêre, Iskra Præfectus, Boreyko Centurio, Wyzycki Vexillifer vexilli cataphracti Principis Alexandri, Brandt Colonellus artileriæ S. R. Mtis, & Glawzsinapp artileriæ vice-Colonellus, & alij cū illis plurimi ita, ut quenquam non dextra fefellit in hoste, sed non minus vexilla & cohortes Castellani Sandomiriensis Excubitoris Regni & Metatoris castrorum, in ipsum omnem tumultum hostilem cum Judice exercitus, fortiter, & audacter insilierunt, quibus auxilio venerunt, Grocholski Colonellus cum vexillo legionis Mareschalci minoris Regni, Capitaneus Casimiriensis cum vexillo suo, & Nagurski Præfectus vexilli Loricati Thesaurarij minoris Regni, & sic, quamvis illos magna moles, pressit omnia tamen tela tolerabant, obvertendo, & magnum damnum faciendo in hoste prædicta vexilla. Dux Campestris Regni intentus æstui illius belli in sua ala, Castellanum Tarnowski cum cohortibus suis subsidio misit. Advenit & Dux ipse rebus quærendo medelam, jaciebantur ignes in montem hostilem, imberq; plumbeus copiosus, ensibus premebatur hostis, nec valentes imbrem hunc sufferre è tormentis missilem retrocesserant, dum miles noster augeretur ad prælium, quinq; manibus hic gestatum vexillum Mareschalci minoris Regni, dum Grocholski quater hasta transfixus, & equus sub illo jaculo tactus. Kamocki Vexillifer prætacti Mareschalci ter noxiè hastâ transfossus, & capite læsus. Tres postea Commilitones, qui successivè vexillum sumebant occisi, & cum quinto Lasocki transfixo aliquoties & vulnerato in illa tam magna confusione, Vexillum hoc acceptum, attamen & hostilia in hoc conflictu duo vexilla accepta, præcipuè unum filij Batyr Agi Vezirij Hanensis, plures quàm deni præterea in hoc bello tum occisi, tum jaculis tacti Commilitones, & gregarij fuerant, sed & Iskra Præfectus, quamvis gravem in illo recessu retulit jaculi tactum in manu, & equus aliquoties tactus, tamen in tam magno incendio, non demittendo de fervore, magnos superavit virtute dolores. Omne hoc prælium maximum cum tali robore hostium, in dextram ipsam alam Castellani Cracoviensis corruerat, & magnanimitate ac nimio robore ipsiusmet feliciter suffultum. In lævam verò alam Palatini Vilnensis plura quàm sex millia Tartaro- *A.C.* 1687

Qqqq 3 rum

A. C. 1687 rum ex monte ruerant, cum præſidio Camenecenſi, & Lipkis, ſed dum repreſſalia ſenſerunt, ſeceſſerunt ſtatim ad cætera agmina in dextram alam. Corpus exercitus hoſtilis à longe huic prælio intendebat, nec auſum approximare. Captivi unanimiter affirmarunt in hoc prælio quindecim Murzas occiſos, ſeptuaginta jaculis tactos, antequam Smotrycz attingerent, occubuiſſe prope quingentos lethaliter vulneratos. Addiderunt quindecim millia Tartarorum fuiſſe in inſidiis in ſylva Zwaniecenſi, quorum læva ala Ordinem M. D. L. tangebat, ut ſi exercitus progreſſus fuiſſet, aut ad carraginem irreperent, aut tergũ ejuſdẽ exercitus peterent, & ordines confunderent, prout illos ex ſylva exeuntes ipſi vidimus. Dum hoſtis ex campo totaliter jam deceſſit, & noſtri ſub ſolis occaſum ſeceſſerunt. In craſtinum initum conſilium bellicum, quid ulterius faciendum? dum pabuli æquè ac annonæ artileriæq; immineret inopia. Caſtellanus Vilnenſis Dux Campeſtris M. D. Lit, ſine tormentis, & Peditibus in arce Krzywiecenſi, in modico militum numero, muro tantùm cincta, & non occluſa ſubſiſteret. Has aliasq; ob rationes maximè quòd ex aſſiduis cum hoſte certaminibus, ex vigilijs, & oneribus vehendis equi deficerent, nec ad Camenecum jam gramina reperirentur, placuit in adverſam partem Zwaniec exercitum transferre, inde ad Zbrucz, tandem non recedendo ab Iſtro, propter annonam in ſubſidium Peditibus incipientibus confici, ſub Uſcie, & Jazlowiec ob nonnulla neceſſaria Artileriæ, quæ ibi reperiebantur, ut hæc omnia cymbis ab Uſć, Iſtro deveherentur ad exercitum quantocius, attigit tandem & Krzywc propinquitatem. Torhakos Tartaricos numeroſos vidit exercitus, & miſſa nonnulla vexilla noſtra in Zbroy ex præcipitiis impulerunt, & occidêre ibi plures quàm denos Tartaros. Igitur imprimis ob notitiam ad Krzywiec feſtinanter Ruſzczyc Centurione, cum aliquot denis expedito, exercitus ſubſtitit, expectando tum hanc notitiam, tum ut carrago congregaretur. Occurrerant hic duo pedites, ex Krzywiec tendentes ad exercitum à Caſtellano Vilnenſi, in quos aliquoties inciderant Tartari, & vix eos denſæ ſylvæ ſalvârunt. Ab his aliisq; captivis relatum cum omni fere robore, & Lipkis Camenecenſibus Nuradyn Soldanum die heſterna ſcilicet 26. Auguſti veniſſe ſub Krzywce, omnibus modis, & viribus voluiſſe progredi, ſed dum aliquot vicibus à plebe excurrente repelleretur, lethalesq; ict⁹ copioſè ſtratis cadaveribus acciperet, ita receſſiſſe ut impingeret in carraginem, & cohortes noſtras, ijsq; metum incuteret non mediocrem, ſed cor ſemper in arduis infractum Caſtellani Vilnenſis Ducis Campeſtris M. D. L. ſuffecit activitate, & robore, his omnibus inſultibus. Quod verò ſine tormentis, ſine peditatu, ſine munitione loci, hæc toleravit præfatus Caſtellanus, eò major aditus manſuræ in ſæcula famæ, grave hic retulit vulnus in pede Tauba Colonellus S. R. Mtis, ſed & hoſtis, ex deprædata ibidem carragine, ſupra decem currus onuſtos cadaveribus ſuorum, Camenecum revexit, uti plerumq; ſine periculis & clade, non eſt facinus magnum & memorabile. Acceptum eſt quoq; inſigne unum aliàs Bunczuk Murzacenſe, & Tartarus notabilis incurrens uſq; in carraginem noſtram occiſus, venit poſtea Caſtellanus Vilnenſis in comitatu noſtro & M. D. L. ad exercitum, & Caſtra ſub Mielnica ad Iſtrum. Nèc hic moras nectendo trajecit exercitus Nuczlawam fluvium, & ſub Hroſzowa, quam Iſter circumfundit in gyro ſubſtitit. Hinc Regi data relatio hactenus actorum. 4tâ Septemb: Temirkanus Murza cum tribus millibus Tartarorũ miſſus ad intercipiendas noſtras excubias, dolo noſtris illuſit inſidiasq; bi-

nis

nis in locis struxit, præmissis aliquot Tartaris qui nostros in campum elicerent, quo facto ex insidiis evolant, nostros cingunt, utrinq; strenuè decertatum, donec Judex Castrensis aliquot vicibus hastâ graviter trajectus & gladio læsus, finem vitæ sponte an fato implevit. Vim hostium sustinere erat impossibile, nostrorum ne ducenti quidem fuêre, hostium verò tria millia. 33. nostrorum desiderabantur, occisorum 22. cadavera reperta, sequenti die 11. significârunt de sua captivitate. Majus hic hostis intulisset damnum nisi vexilla M. D. Lit: Castellani Vilnensis sub Zienowicz suppetias dedissent. Tartarorum supra denos cecidere, plurimi vulnerati. Duo Comilitones ex vexillo Ducis cataphracto depressi ibidem ex equis, unus Polariski septem in se vulnera cum sagittis quatuor attulit, alter Puzyna viginti quinque vulnera inflicta, & ter hastâ trajectus, captivare se tamen non siverunt, fugientes Tartaros deni Comilitones assecuti in trajectu, tres ex equis gladiis dejecerunt, equos duos accepêre, & his vulneratis dedêre. Ex captivorum relatione constitit sex Murzas in hoc conflictu cecidisse, cum 40 Tartaris, plurimos vulneratos, horum jam 10 obiisse. Quidam Murza in rabiem actus ob interfectum in hoc prælio fratrem suum, ultionem sumpsit sæviendo in cadavera nostrorum. A. C. 1687

Cum pateret Tartaros non descensuros in publicam arenam, dolis solùm lusuros, sub Hroszova aliquot diebus transactis, nec victualia adveherentur, itum sub Sinkoviam, & tandem ad Seret fluvium, ubi incidit in Istrum sub Grodek Wasilow. Huc Szpacha quidam à Turcis transfugit origine Poľounensis referens Sieraskierum cum 6 millibus Turcarum & 24 tormentis venisse ad Istrum, & trecentos currus cum commeatu trajecisse Camenecum, huncq; Sieraskierum junctum Naradyn Soldano huc venturum, & publico cum nostris campo conflicturum. Moratus adhuc hic Dux duobus diebus, sed cum nullus hostium appareret, aliiq; captivi contraria referrent, universales expedivit ad Palatinatus, initoq; cum Ducibus Collegis suis consilio, ut & in Volhyniam & in Pokuciam posset intentum habere oculum, trajecit fluvium Seret, carrago jam transierat, & exercitus in ordine constiterat, cum prodiêre Tartari; Dux autumans Seraskierum, & Nuradyn Soldanum cum exercitibus adesse, instruxit exercitum utriusq; gentis, in lævam alam M. D. L. irruerant mille hostium, sed repressalia sensere, in sylvam se recipere coacti, ubi insidias nostris struxerant. Agmen extremum tunc claudebat Nagorski, Præfectus vexilli Loricati Thesaurarij minoris Regni vir ad bella natus, ut ardua raros ausa vocant. Ultra tria stadia, antè instructam aciem stetit. In hunc octingenti Tartari omni impetu ex monte insiliere, dumque accelerant laxatis habenis, nec tamen nostros consternari vident, imò ad confligendum paratos, subsistunt è vestigio. Dum verò nostri ex longioribus sclopetis salve dederunt, coacti cedere.

Iteratò plures congregati Tartari assultũ tentârunt, sed ignem tormentarium sufferre non valentes, ingruente jam nocte receptui cecinere & trans montes abierunt. Exercitus noster interim trajecit, & substitit sub Wasilovia. Die altera literæ venerunt à Palatino Kijoviensi & Referendario Regni Stanislao Sczuka à Jazlowiec se movisse cum tormentis majoribus. Intimavit item Ruszczyc Centurio in excubias missus omnes Tartaros adventare, unoq; solum milliari distare à fluvio Seret, alios jam trajecisse. Suborta Duci suspicio, an ipsis non innotuerit tormenta adduci ireq; eos ad hæc intercipienda, hanc ob causam movit

A.C. 1687 vit sub Zorawskum proximè Zierniacz, quo in tempore advenit Palatinus Kijoviensis cum tormentis & annona pro peditatu multùm exhausto & equitatu, animosius ituris in hostem, ut eventus probavit. Nã trecenti Tartari & Lipkæ Camenecenses ex sylvis & notis latebris erumpentes nonnullos incolarum vicinorum abduxerunt, mox reversi ex metu ne per nostros ab exercitu præscinderentur. Voluit Dux sic provis⁹ iteratò tendere sub Camenecũ, sed tempestas & exhaustæ militũ vires non permisère. Comissio hybernalis hisce successit Leopoli, hoc tantũ utilitatis, sicut in duab⁹ priorib⁹ accessit exercitui, quòd in liquidatione non nihil accesserit centum millibus pro incremento hybernorum.

Pro omni securitate climatum, exercitus dispositus, locatus in confinijs pro tuitione Volhyniæ cessit sub regimen Iskra Dapiferi Buscensis, Præfecti vexilli cataphracti Succamerarij Regni, in Pokucia sub gubernium Cinski Centurionis S. R. Mtis.

In Palejum etiam Colonellum Cosaticum, ingenio violentũ, & obsequij ignarũ, si contra morem, & fas disciplinæ, vim meditari vellet, Iskra jussus habere oculum vigilem. Quia verò ab inchoatis Comitiis modernis appropinquatione factâ Hani, Soldanorum fermè omnium, & Tartarorum Crimensium in Budziak consternationes in partes illas Russiæ serpebant, & metuenda erat excursio, morabatur Ducem hoc longinquius, quòd in principium ipsum præfixorum Comitiorum, vel in proximiorem ejus tractum non advenerit.

Attamen in abitu suo debitum reliquit ordinem, & custodiam, corroborato præsidio Leopoliensi, aliquot centenis peditibus, tradidit præterea regimen proximiorum circa Leopolim denorum vexillorum, acerrimo, faustoq; in gubernio Rosnowski Venatori Leopoliensi, Vexillifero vexilli cataphracti Vexilliferi Regni, cum informatione, si excursio hostilis, usq; Leopolim (avertant superi) fieri deberet, ut tueretur vexillis, & oram proximam, & suburbia. Si verò longius à Leopoli grassaretur, ut conjungeretur, cum quo faciliùs futurum Regimentario confinij. Reliqua commissa prudentiæ & experientiæ bellicæ.

LI.

RESPONSUM ANDREÆ C. ZALUSKI EPISCOPI KIJOVIEN: AD LITERAS STANISLAI WITWICKI EPISCOPI LUCEOR.

TUÆ gratiæ, quâ me minùs meritum prosequeris, hic effectus est, quòd tam confidenter in afflicto rerum mearum statu tuum sensum explices. Ea mihi semper consuetudo fuit amare monita, monitores venerari, præsertim natu grandiores. Profecta enim illa sunt non tantùm ex optimo tuo in me affectu, sed etiam ex zelo publicæ quietis, quam ego cordicitus opto, utpote ex natura nullius avidus offensionis. Executus ea sum, quæ mihi aliquoties ex compassione ob graves oppressiones inculcare dignatus es, id à me desiderans: ut me patiendo virum fortem probarem. Certus esto, etsi me toties innocentissimum diversæ pulsarent injuriæ, non impari sustinuisse animo. Adscribebantur projecta (indigna ut ipse nôsti nec minimo Clerico, quantò magis Episcopo exercitia) interceptio literarum, & mille alia; quæ nec per somnium quidem occurrentia admisissem: eò æquiùs ea toleravi; quo iniquius inferebantur. Illa sine interpolatione temeraria judicia, & præcipites condemnationes, in ipsa usq; cordis sæviebant adyta; nihilominus tam atrocibus & non ferendis DEo resignatis injuriis

riis exui modestiam nunquam. Verùm dum nihil proficiebat patientia; A.C. 1687
nisi ut tanquam facilè tolerantibus duriora imponerentur: quando neq; ipsa innocentia erat innocens: quid jam facto opus fuit, accedentibus præsertim literis ardentissimis Parentis mei, qui aliunde (certè enim non à me) meam edoctus calamitatem paterno ad me affectuosè scripsit stylo; ut potius eum adirem, quàm inter continuas anxietates tempus vitamq; prodigerem? Elegi igitur malorum remedium latere, eâq; intentione abscessi; ut probatâ fortunâ meâ eo me contentarem, quod habeo, plurium incurius, ulteriorisq; sortis non solicitus; cujus nec dona nec damna curo. Assecuro te; meâ contentus fuisses modestiâ; si te Varsaviæ reperissem: testabuntur id quotquot vidi, nihil me ejusmodi prodidisse, quod vel impetum vel dolorem argueret. Vix autem Varsaviâ recesseram; cùm aliquot ex locis me præcautiones sunt insecutæ, insinuantes, quanta contra me fulmina injicerentur, quòd Cardinali Nuntio occasio fuissem Leopoli abeundi & Palatino Siradiensi dedissem ansam scribendi literas & mille alia. Sumptum igitur initium decolorandi animum meum, artificia quæpiam adscribendi datis literis ad cõplures, non autem ad unum tantùm; ut tuis significas: nec lingvâ temperatum palàm & publicè. Quid facerem? jacerem in sordibus & luto? potero miser dici; non potero esse. Utique Apostolus dicit: bonum est mihi mori, quàm gloriam meam quis evacuet. Nihili fortunam æstimo; quia ea in manibus DEi est: at vel exiguum honoris, vitæ pondus habet. Ne mireris igitur me hac ætate ea agere, quæ Depontani senes agerent, quinimò videtur mihi, quò vegetior homo, eò sensibilior esse, si delicatæ feriantur partes. Non faciam analogiam doloris mei; nam benè nôsti atrocem fuisse, quandoquidem manum sustulit ad scribendũ non jam contra Dominam suam, sed in defensionem honoris sui. Si cui styl⁹ videtur acerbior: sciat, difficulter ibi premuntur verba, ubi illa protrudit dolor, quem sistere impossibile, dum in cursu est. Enim verò præstitisset silere, modestè ferre, tempusq; præstolari; nisi ex præmissis inferretur, quòd quò plura tolerantur, eò plura in gravamen devolverentur, nisi omnia media possibilia adhibita fuissent corrigendi, inq; meam iterum inclinandi partem cordis, quod nullo merito meo (vivit Dominus) sed per infelicitatem & sinistram delationem in eas iras exarserat; ut spem omnem consumeret, se tanta odia quanta facilè conceperat, aliquando posituram. Probè mihi costat, quàm ingratitudinis jura cuivis sint abominanda; novi ingratos etiam ab ingratis vituperari. Parem nescio reperias (si gloriari licet) quem æquè beneficia afficiant & ad gratitudinem necessitent, ac me: nec ullus de hac re arguere me potest; unde declaravi Marchioni Parenti Reginalis Majestatis, me etsi mihi nullum munus obtingeret, lætiori modò me dignaretur aspectu, contentum ita fore acsi fortunæ apicem consecutus essem: nam hanc inter dubia, virtutem inter certa numero. Certissimum id existima, altissimo me dedissem silentio: si prout supplicavi à valedictione mihi quietem indulsisset. Verùm quando & literis & discursibus plùs multò nocuit; quàm ante profuerat: sic opinor in quovis me absolvendum tribunali, ob justam defensionem oppressæ innocentiæ, submissè peto revolvere velis etiamnum historiam eorum, quæ S. Chrysostomus passus est: indubie reperies, plures consimiles meis persecutiones; & si singula combinare liceret propemodùm plura, apud me reperirentu. . Verùm ego multum loquive, tacerève possum. Fateor expertus sum gratiam Reginalis Mtis, recepi beneficium, sed simul etiam mi-

hi in

A. C. 1687 hi in memoriam revoco; aliquis mihi dedit beneficium, sed idem postea fecit injuriam, beneficium suum ipse sequenti injuriâ rescidit. Te coram id assero non aliter, quàm si Divino tribunali manifestus forem; plures injurias citra demeritum meum in me devolutas esse, quàm beneficia tot meritis responderint, & tot cum sangvinis sumptuumq; dispendio laboribus. Si Capitulo assiduus interfuissem, easq; pecunias quas in obsequio consumpsi, augendæ substantiæ impendissem: fuissem profectò tantus, quanti & alij à mon aise. Hæc infula cujus mentionem facis, etsi circa illam laboraverim, onerosa gratia est. Nam si simplex duntaxat Canonicus forem, non essem obligatus ad tantos sumptus faciendos, sed nec ad defensionem honoris tanto conatu moliendam, qui mihi tantò carior sit necesse est, quantò altiori in gradu Divina illum constituit vocatio. Novi quòd etiam minima quæ contulerunt, dilatent; novi quòd etiam insignia merita in aquis, econtra minimas offensas in saxo scribant; novi quòd unâ manu ostentent panem datum, altera abscondant lapidem jactum; nec super his multo tecum discursu opus est. Firmus nihilominùs in ea sententia sum, paratus cum eadem in tremendo DEI judicio comparere; me nullatenùs tantam meritum esse indignationem, non à quarta Octobris præsentis anni vel minimæ alicujus culpæ conscientiâ remorderi me sentio; & tamen multa tuli, idque tam apertè, ut existimem nullum per totam Poloniam superesse, in cujus notitiam malorum meorum Ilias non devenerit. Regiæ Mtis valetudini id alicujus alterationis præbuisse occasionem, non puto: scio enim quæ scripsi, initisque rationibus nihil tale comperio, quod alterare potuisset. De ejus justitia omnia non spero, sed credo. Principe hoc causam quampiam arbitrante, certò persvasus sum, nullo reum indigere advocato. Omnes cùm valemus, ægrotis recta consilia damus: nihil facilius, ac consulere in ejusmodi fortuna: nec mihi ea defutura essent, etsi cum consummata tua prudentia in comparationem venire nolim. Quòd tibi non datum vel negatum sigillum fuerit, ignoro quo animo id tuleris? nam quamvis nullæ à te literæ in hac materia scriptæ vel copiæ illarum, videantur, est tamen in impresso libro justus in simili articulus. Da veniam amicissime Præsul, me hujus fecisse mentionem, quia novi omnes nos homines esse. Benedictionis Divinæ recepisti argumentum, quòd illustrata virtus tua per ea ipsa fuerit, per quæ petebatur: quòd illam numen præmiatum sit, ego autem procul à spe positus sum ejusq; jã locũ non habeo: non enim imposterùm meos illi litabo labores, velisq; semel pro semper tibi id de me pro re certa & indubitata persvadere, me nõ oretenùs & verbis, sed re ipsâ posuisse fines meos pacem. Curabo ut intelligas, quòd etsi me fortuna deseruerit, virtus non deseret. Non opus erat, ut in comparationem adducerentur illi Prazmovii, Lubomirscij & reliqui: quotquot deliquerant, absorpti sunt, insontes autem servavit & sustentavit DEus. Nihil tale in me video, quod excusare necessè sit, nec metuo ut verba observantibus in ludibrium cedam: tanti me esse censeo, ut verborum rationem reddere valeam. Deniq; si graviores mihi incubuerint, non desiderabuntur media, quibus nemini interim injurius causam meam cuivis probem, sacræ scripturæ locus de sponsa à me aductus cur offensam pariat, utiq; & nives candidæ sunt & tamen sæpe numero tam nitida vestis cloacam & fimeta operit. Audiunt bene qui & loqvuntur. Pronum id tuo calamo fuit, & facile in chartam effundere: imbrem sub tecto audire jucundum est, biennium aut triennium circiter est; quando tu similia tuâ coquebas cogitatione, qualia nunc

nunc ſcribo & dico. Quòd autem calamo frena permiſerim, ratio eſt: quia quemadmodum nihil ſpero, ita etiam nihil timeo: qui jacet in terra: non habet unde cadat. Suſcipio admonitiones tuas, quas fraternus tuus affectus in me dictare voluit; ſed interim indignor fortunæ meæ conſtitutioniq; naturæ iraſcor: quòd hic & nunc tuis rationibus convinci nequeam, utut grandes & graves ſunt; pro ſe quiſq; & quod quiſque poteſt & valet, edit. Nondum mihi memoriâ cecidit tua præcautio, qua mihi imperabas moderationem, volens ut cohiberem impetum aliàs in publicum erupturum, quiq; naturaliter ſe exerit, ubi honoris cauſa agitur. Quid tamen facerem? menſura doloris injuria eſt, proutque proſcindimur ſic laceramur, vulnus vulneranti reſpondet gladio. Non ſum, nec eſſe poſſum de illorum numero, de quorum uno quiſpiam aſſeruit: cùm lætor, lachrymor, rideo cum doleo. Apud me autem lingva cum corde concordat, ſcripta conſentiunt animo, nec loqui nec ſcribere aliud didici, niſi animo conſentanea: totus quamvis illabatur orbis, traduci me non ſinam, experieriſque ipſe, me apud Deum imprimis, tum etiam apud eos qui Patriam & virtutem amant, compaſſionem reperturum & tutelam. Submiſsè flagito veniam dare velis, quòd me longiùs impetus provexerit materiâ provocante; eam inſuper mihi exhibe gratiam, ut me non oblitum ſcias Evangelij inſinuantis reddendum eſſe DEO, quod DEI eſt, Cæſari quod Cæſaris. Sed & illus memini; quod meo charactéri debeo, ſi non etiam perſonæ, quæ pulvis & umbra eſt. Sic exiſtimo, te facto executioniq; mandato, quod tibi tuus affectus imperavit, nimirum ut ad me ſcriberes, minimè eraſurum memoriâ illud, ad quod confratri tuo & filio præſtandum obligaris: vel enim ſuperſedendum fuerat ab impoſitione manûs & benedictione, vel nunc defendendus oppreſſus. Brevi videbit lucem luce meridianâ clarior oppreſſio mea. Deprimi virtus poteſt, opprimi non poteſt. Conſtanti ſub hæc tuæ me gratiæ commendo & maneo. *A.C. 1687*

LII.

EXCERPTA EX LITERIS ANDREÆ C. ZALUSKI EPISCOPI KIJOVIENSIS ad diverſos ſcriptis anno 1687.

RES aliquas anno hoc geſtas, combinavi ex diverſis literis breviter, ne legentem confunderent. De induſtria parcior in illis verborum fui; ne foliis his fructum tegerem. Pateat nuda rerum veritas, nucleus ſine cortice; qualem tu ſemper probâſti. Quanquam etiam ſic illæ multitudine ſuâ excurrent, & per reſpectum Regalium actorum regalem optabunt chartam &c. Quantum quidem per plurimam & diffuſam materiam licuit; ne humana provocarem faſtidia, eam adſtrinxi, & velut flumen in anguſtiores arctavi ripas, ſiq; grandior annus occurrit; id egi, quod Coſmographi ſolent; qui orbem in chartam colligunt laudato intuentibus compendio, nullo vaſtiſſimi terrarum ambitûs & marium detrimento. Quidquid verò id operæ meæ eſt; mei in te affectûs pignus & index eſto &c.

Initia Anni hujus benè ominata an ominoſa ambiguum: conſecrata tamen credita icto ſacro contra Turcas cum Moſchis fœdere, concluſiſq; non ſine ingenti Commiſſariorum Palatini Poſnanienſis Grymaltovij & Cancellarij M. D. Lit: Oginſcij labore multoque ampliùs cum grandi & forſan nunquam reparando Reipub: per avulſas inſignes provincias vaſtaſq; terras detrimento pactis: quæ ut ſanctiora forent; juramenta utriusq; partis Monarcharum per reciprocas legationes fuêre poſtu- *Fœdus cum Moſchis*

A.C. 1687 postulata. In eum finem Legati à Caris Moschoviæ expediti advenêre Princeps Szeremet & Nicanor. Nec dilatum negotium; satisfactum Leopoli ubi tum Majestas tam Regia, quàm Reginalis sedem fixerant, confirmata pacta & sacrum contra Turcas vinculum juratâ super libro Evangeliorum fide roboratum. Dimissi deinde Legati; quibus in antecessum omnis habitus honos & exhibita humanitas, tam à Majestatibus quàm Senatu: nam quò animum distraherent; & ad chartarum (ut vocant) lusum cum Regina, & ad choreas cum Regia Principe admissi, ad nuptiales insuper epulas invitati primo semper sedêre loco, ultrò cedentibus sæcularibus Senatoribus; Ecclesiasticis verò ex consensu Regis de industria absentibus. Adjecta sub valedictionem munera Turcici equi, frameæ, & cultri adamantib[9] distincti. Obtigit porrò præsentib[9] forsan adhuc Legatis; ut Rex pietatis causâ templum PP. Societatis JESU adiret; ubi cùm latinâ oratione exceptus esset, respondere jussus Cancellarius M. D. Lit. Os utpotè Principis, Polonicam latinæ reposuit. Tulit id indignè Rex adeò; ut disgustum suum prodiderit ad adstantes dicendo, se de industria singula, quà sæcularis, quà Regularis Cleri aditurum templa, dum tandem à Cancellario latinum responsum eliceret. Sed hæc parerga sunto. Successit deinde Legatis Moschoviæ Ablegatus Pontificius. Fuit is eques Cusani ab INNOCENTIO XI. expeditus cum gemino Cardinalitio bireto, quorum alter Episcopo Varmiensi tum, postea Archiepiscopo Gnesnensi Michaëli Radzieiowski, alter Pallavicino Nuntio Apostolico cederet. Non ad gustum ea res accidit Principi nostro: graviter enim ferebat Episcopum Bellovacensem Furben, in quem propenderat, & præsentaverat, in hac creatione Cardinalium à Pontifice præteritum, unde Cardinali Palavicino purpureum biretum imponere noluit, quo factum ut Nuntius privatim in sacello PP. Ordinis Prædicatorum ab eo qui illum advexerat sumeret. Nova ea res nostris visa, quòd nemo meminerat aut viderat aliquando in Polonia Cardinalem ac proinde omnis novitas solet diversis sensibus, uti quisq; minus magisve sive dignitati, sive eam adepto favebat, accepta est; compluribus etiam, ne quid deesset, quà faceti ingenij conceptibus & salibus, quà jucundis eventibus aspersa: quos inter ille Capitanei Wysogrodiensis, postmodum Castellani Junovladislaviensis Alberti Lasocki imprimis memorabilis fuit. Exceperat Cardinalis Radzieiowski convivio complures tam Senatores, quàm Nuntios Terrestres, & pro more in capite mensæ, Principe loco consederat: ægriùs id tulit verus Sarmata dictus Capitaneus dissimulato nihilominus affectu facetus esse maluit quàm apertus censor, jocoq;, sive quòd eminentiæ hujus ignoraret prærogativas, sive non ignarus quidem, humanitate tamen temperandam fuisse dignitatem existimaret, perstrinxit dicendo: faveret sibi ipsi Princeps se potissimum tractaret; primarium enim eum hospitem apud se ipsum esse. Idem, cùm literas ad eum dedisset Cardinalis titulô Fratris pro more addi solito ademptô, plurimum expostulavit: quòd non crederet jura nobilitaris æqualitatis Romanæ purpuræ extingvi luce; verùm ut merebantur querelæ responsum à Cardinale retulit; ut videri potest in literis ad Episcopum Cracoviensem.

Cardinales Radziejowski & Pallavicinus

Aliæ insuper fuêre tricæ per hanc occasionem. Quâdam vice disputatum ante prandium Regis, de loco eidem Cardinali dando non sine disgustu illius; nec enim id illi gratum esse poterat verenti, ne per ejus conniventiam honoris eminentia læderetur. Quare abstinendum à mensa ratus, à tergo Regis sub prætextu catarrhi consedit. Et quia idẽ Cardinalis

dinalis ratione Episcopatûs Varmiensis Præses terrarum Prussiæ est: agitata iterum de titulo quæstio, quis illi dandus esset à Rege ad Comitiola Prussiæ literas daturo? prætendebat Radziejowius amicum honorandum inscribendum esse, nec negatus ille quidem fuit, sed tamen non datus: quòd alter suppeteret per respectum consangvinitatis Rege ipso concludente, honorando cognato nostro & carissimo esse inscribendum. Tandem à Cardinale requisitum fuit, ut Regijs Principibus deferret honorem eosque inviseret; nisi invidiam subire vellet, quam illi minitans Regina in Comitiis paratura erat. Verùm frustra Cardinalis animus tentabatur; honori suo totus incubuit, ejusq; punctum invictus non per tumorem & fastum, sed per conscientiam eminentiæ, per quam aliter illi se gerere integrum non erat, servavit illæsum, nec Regina deinceps ultra minas tetendit: nam dum postmodùm Cardinalis Zolkviam profect⁹ apud Majestates comparuisset gratus illius adventus utriq; Principi admodum accidit, benevoleq; acceptus cum iisdem sacrificium audivit missæ, patenamq; Regi & Reginæ exhibuit, Regium Principem invisit, nec illa offensa utriusq; Majestatis animum exinde subiit, cum summâ satisfactione suâ ab aula Krylowum movit, quem mox secutus honor Primatialis collato Archiepiscopatu Gnesnensi jam ante Stephano Wierzbowski Posnaniensi Episcopo destinato. Is quia Romam offenderat assistendo & probando Matrimoniale vinculum, quod eques Melitensis Hieronymus Lubomirski inierat expeditionem à Curia obtinere non potuit: nec longum suæ nominationi superstes, sive senio, sive dolore, repulsæ concessit fatis cœlo probante judicium sui Vicarij; hic spem consequendi abstulerat, istud verò etiam vitam, ne sperare posset. Ad redeo ad Ablegatum Pontificium. Is suo defunctus munere Romano sese accinxit intineri, Senatorum, priusquam Leopoli discederet, ibidem tum præsentium luculentum expertus affectum. Nec enim ullus eorum Procerum fuit; qui virum quà per reverentiam Sedis Apostolicæ, quà per congenitam humanitatem convivam non habuisset. Inter alios qui dictũ equitem hospitali excepit mensâ, Palatinus tum Kijoviensis, deinde sæcularis Senatûs Princeps Castellanus Cracoviensis Kątski fuit; apud quẽ super mensam Pater Wota Soc: JESU Sacerdos alijs discursibus geminam subjunxit historiam, unam de Gallo quodam Religioso, quem Romæ hospitem cùm INNOCENTIUS X, quid vidisset in urbe interrogâsset, respondisse retulit: non deesse, quod videatur, seq; vidisse omnia; unicam tamen adhuc restare ad videndum sedem vacantem. Alteram de colloquio Regis Hispaniarum cum Principe Brigantina, in quo dictum Monarcham, cùm variis discursibus præfatam detinuisset Principem, nec ullum responsum præter solùm nomen JESU ab illa elicere potuisset; in hæc verba prorupisse asseruit: miha tomado per il diabolo, credidit me esse diabolum. Causa autem negati responsi ab ea fuit; quòd consangvineo suo Regi Lusitaniæ præjudicare nollet. A. C. 1687

Sub hæc Rex ad publica conversus, aliquoties Senatu præsente congregato, ibidem consilia habuit; quibus materiam Cæsar seù potiùs Regina inimica Cæsari suppeditavit. Dolebat Gallia secundis Imperatorem successibus iteratisq; victoriis crescere, fortunamq; alienam sua detrimẽta rebatur: illam igitur invisam habere, cum virtutem odisse non posset; eoq; suas curas intendere; ut alimenta potentiæ subtraheret: quæ quia uberrima Austriæ à Polonia, quà ad Viennam quà alibi provenerant, eam imprimis aggredi visum est: siqua fieri posset sacro Colligationis vinculo prorsùs abscindere & exvinculare, aut saltem ad simulanda duntaxat

A.C. 1687 xat bella inducere. Nec res successu caruit, delectus ad id Marchio de Bethune. Oblata ergò ultrò, quæ hucusq; constanter negata fuerat ambitioni per repulsas necdum extinctæ dignitas; ut Marchio de Arquien Parens Reginæ in Ducem & parem Franciæ cresceret, adjecta præterea speciosa promissa; quæ tum honorem tum lucra augerent. Nec multis opus fuit: publica privatis cessêre: quidquid deinceps expeditionum fuit; nihil omninò in rem Poloniæ præclari gestum est, labor hominum & sumptus sine fructu evanuêre, nihilq; de sacro fœdere præter nomen penes nos remansit. Hinc ex Senatûs consilio Stanislaus Witwicki tum Luceoriensis deinde Posnaniensis Episcopus cum Joanne Pieniązek Palatino Sieradiensi ad Cardinalem Pallavicinum expeditus, (continuabat enim is adhuc Nuntii Apostolici munus) expostulatum de Cæsare & Venetis; quòd ille Albam duntaxat regalem obsidione cingere vellet, hi autem intra Moream se continere. Item quòd evidenter pateret, Cæsarem cum Transylvanis & Moldavis transegisse, sibiq; in utrosq; jus arrogare. Determinatæ deinde Legationes Romam, Venetias, & ad Cæsarem; tum etiam Berlinum: quorum prima Joanni Sbąski Præmisliensi tum Episcopo, qui deinde Varmiensis post Cardinalem Radziejowium obijt, assignatis ei pro viâ centum millibus florenorum, altera Casimiro Bielinski Capitaneo Mariæburgensi, deinde Succamerario Regni ac tandem Mareschalco decreta, rejecto Joanne Gninski Czernichoviensi tum, postmodùm Pomeraniæ Palatino, qui se & sumptus pro ea Legatione obtulerat.

Vidit hic annus illustria funera, & quæ eam à fatis illatam cladem pensarent magnarum domorum per connubia conjunctiones, lætâque honorum successione ornata quorundam Procerum merita, idque residentibus, quà Leopoli quà Zolkviæ & Javoroviæ Majestatibus: Princeps Constantinus Javoroviæ renatus nomen per sortem tulit: nam tribus nominibus urnæ commissis Constantini extractum fuit, indeq; aliis præpositum: quanquam nec alia illi negata; Constantinus, Vladislaus, Philippus vocatus est. Porrò Connubij fœdera sancita fuêre; primum inter Adamum Jordan VicePræfectum Stabuli Regni, & Euphrosynâ Krusiewnickam Primariam Reginalis conclavis Domicellam; cujus tanquam benè meritæ etiam in Majoribus de domo sua tutelam mihi Rex commiserat: alterum inter Stanislaum Malachowski Capitaneum Opoczynensem qui deinde Castellanus Sieradiensis, mox Palatinus Calissiensis, deniq; Posnaniensis, vir legatione ad Tractatus cum Turcis Carlovicium clarus dolore negatæ continuationis muneris obiît. Nam cùm meritò legationem in Turciam pro confirmatione pactorum ne quicquam prætendisset; utpote Raphaëli Leszczynski Palatino Posnaniensi jam decretam: rei indignitate motus, affectui & exinde enatæ ardenti febri succubuit, dignus meliore fato: inter hunc (inquam) & Alexandram Zieleckam Venatoris Regni Filiam alterum Connubium contractum: tertium inter Victorinum Sobieski & Castellanidem Camenecensem domo Potocianam. Actus hi cum ceremoniariis orationibus in facie Ecclesiæ ad crates in templo Omnium SS. Leopoli authoritate Ecclesiastica probati fuêre, Dorotheâ Danielowiczownâ Amitâ Regis, illiusq; Cœnobij Antistitâ præsente. Demisit se Majestas per humanitatem, imò (si vera fateri libet) per curiositatem videndi Ruthenæ Ecclesiæ ritus circa assistentiam Connubialis vinculi, pictorisq; sui Rutheni origine nuptiis cum Regina interesse voluit. Non dissimiles ceremoniæ græcæ latinis sunt, præterquam, quòd pro annulis digito inserendis adhibe-

hibeantur serta, quæ his neosponsis aurea adamantibus distincta impo- *A.C. 1687*
sita fuêre. Et hæc quidem sacra vincula ex voto novorum conjugum lætiora fuêre; non item successit Gregorio Oginski Vexillifero Litvaniæ deinde Samogitiæ Capitaneo: qui frustra vitæ thoriq; sociam expetiit bis infelix, bis utpote repulsam passus, quà à Domina Zbacka Succameraria Lublinensi, quà à Dna Modrzeiowska Thesauraria Curiæ Regni, insuper indignabundi Regis, quem ægriùs valentem invisum venerat, verbis perstrictus: mihi verò quid cum ejusmodi complementis.

Ad honores quod attinet ab è vivis excessu Episcopi Vilnensis Kotowicz duo sibi eum optabant honorem Constantinus Brzostowski Episcopus Smolenscensis & Secretarius Litvaniæ Wołowicz: validâ postremus Reginæ promotione nitebatur, primo Rex ampliùs favebat; quòd vitæ suæ & morum integritate Principis animum occupaverat, adeòque *Collatio Episcopatuũ.*
inde felicior; nam prævià Nuntij Cardinalis instantiâ, quam Episcopo Smolenscensi adhibendam Rex ipse jam ante cognitum habens, dictum Legatum Apostolicum in Præsulem magis, quàm Secretarium propendere, svaserat, obtinuit Vilnensem Infulam. Meum tum etiam dicto Antistiti detuli suffragium, uti & alij duo Episcopi; quos mecum in consilium adhibuerat Princeps: ne verò Regina, quæ Secretarium promoverat ob repulsam offensam præferre posset, dedit id honori illius Rex; ut ipsa dictum Episcopatum prætacto Præsuli declararet. Illius verò Cathedra Smolenscensis Referendario Litvaniæ, Referendariatus autem Crispino nunc Samogitiæ Episcopo cessit: Vacabat insuper Episcopatus Posnaniensis ab obitu Stephani Wierzbowski, quem Stanislaus Witwicki Luceoriensis Episcopus artibus suis occupavit; ut-ut fortissimè Boguslaus Leszczynski, adjuvantibus partes illius Palatino tum Russiæ Jablonowski & Raphäele Leszczynski Palatino Calissiensi prædicti Fratre concurreret; prævaluit enim hoc modo Witvicki. Observatâ meliore dispositione Regis, lætioreq; ejus phantasia suum Principi exhibuit testamentum; quo ex asse hæredem Regiam domum declarabat. Verùm postmodum diversum patuit; nam post illius fata geminum repertum est testamentum; alterum à Dno Kolinski, qui nunc Notarius decretorum est; alterum à Groskewicz pessimæ famæ homine ob fraudes & captiositates in Jure formatum: hoc Christus ex asse hæres, altero alij hæredes statuebantur. Secundum nihilominùs prævaluit & pro legitimo à Nuntio Apostolico per respectum, quòd magis juridicè factum esset declaratum. Successit ea exhibitio aucupanti majorem Cathedram Præsuli, præmiũq; tulit Episcopatum Posnaniensem: Luceoriensis verò Leszczynio collatus est. Hæc de Ecclesiasticis dignitatibus. Quò ad sæculares verò honores, cùm alia alijs obtigerunt munia, tum imprimis Zolkviæ ad instantiam Palatini Russiæ, Vexilliferi Regni officium Joanni Jablonowski Palatino deinde Woliniæ, nunc autem Russiæ datum est.

Succedat jam & interpolet, quæ labores mortalium etiam summorum & vota finit mors ultima meta. Jam supra vivis exemptos memoravi Præsules; restant alij idque in utroq; sexu. 23 Februarij Marianna Kazanovia domo, Palatini Russiæ & Ducis supremi exercituum Regni *Mors Mariannæ Jablonowska*
Jablonowski consors cum summo dolore Majestatum concessit fatis, mulier, si quæ altera par esse potest, virtutis supra fœminam exemplique & pietatis, supra quam dici potest eximiæ: unde non mirum; aliquot mẽsibus post, dum ejus in solennissima forma & pompa Leopoli in Ecclesia PP. Societ. JESU exequiæ celebrarentur, ipsius laudes duos Episcopos celebrâsse. Primâ die ego, alterâ Episcopus Camenecensis virtutes

 demor-

A.C. 1687 demortuæ Palatinæ nunquam morituras luculento ſermone, qui typis deinde mandatus eſt cum deſcriptione funeralis pompæ, ad præſentes expoſuimus: utinam tam faciles imitatores aliquando illæ habeant, quàm faciles laudando fuêre! nec enim verba deeſſe poterant, quæ tantâ ſuppetente materiâ ultrò veniebant, ut de illis laborandum non eſſet. Non minus ſed nec triſtius alterum funus fuit 27 Martij Leopolienſis Antiſtita Regis Amita ultimum clauſit diem, & Aulæ Regiæ ingentem indixit luctum. Fuit ea ut profeſſione, ſic re ipsâ Religioſſima fœmina nemini pietati ſecunda; cujus intuitu Rex Cœnobio illi tum multum exhibebat affectum, tum munificam præbebat manum: funeri ipſius à Rege deſtinatus interfui, ultimumq; honorem Pontificaliter celebrando 8 Aprilis præſtiti. Succeſſit in officium locumq; demortuæ Eleonora Kazanowska Germana defunctæ Palatinæ. Obijt etiam diem ſuum prodigus ille Palatini Poſnanienſis Filius Subdapifer Regni Grudzinski Oeniponti (uti inaudij) emendante fine vitam, quam merito nonniſi unum peccatum fuiſſe dixero. Is à fatis Parentis ſui plenam opibus ingreſſus domũ ita ijs uſus fuerat; ac ſi illæ ſcelere partæ fuiſſent, adeòq; etiam per ſcelera abſumendæ, id ſtudiosè & unicè agente prædicto depravatiſſimo ganeone ut pretioſa eſſent flagitia, & per turpiſſima propudia infamis famam, per gentes & ſæva tum præſentia, tum poſtera conſequeretur. Hinc non habens ſatis ſceleribus Patriam ſuam fœdâſſe, quò in pluriũ exemplum iret, Venetias aliaſq; Provincias & Regna adiit, cœlum idẽtidem mutans non animum, & peregrinos mores non induens, ſed inficiens: demùm Oeniponti finem vitijs & vitæ fecit meliorem quàm optaverat, quamq; ſperare poteramus: nam cum reſipiſcentia & ingenti dolore de peccatis (quæ miſericordia Dei fuit) extinctus eſt. Pars maxima ſubſtantiæ illius non ſine gravibus in aliquot Tribunalibus litigijs & altercationibus in domum Opaliniam conceſſit, Regi nonâ Aprilis ex bonis derelictis centum millia florenorum delata: ex quibus ſtatim 20000 Religioſis Virginibus S. Dominici, quas Cameneco à Turcis pulſas Zolkviæ receperat, Princeps deſtinavit. Significatum deinde 22 Aprilis Majeſtatibus de morte Ludovici Marchionis, quæ occaſionem præbuit; ut feriò Rex intenderet, quò derelictam viduam domo Radiviliam ingentium per Litvaniam opum Primogenito Principi Jacobo ſociaret. In eum finem ipſemet Princeps Regius Berlinum abijt votis ſuis fruſtrandus, actumq; acturus. Nam nec Electori Brandeburgico, nec ſperatæ ſponſæ gratus ejus adventus fuit: ab hoc non ſatis pro dignitate acceptus, ab illa etiam repulſam tulit; quæ deinde Carolo Palatino Neoburgico nupſit. Magna inde me contra cœpit ſuſpicio; acſi ego potiſſimùm laboraſſem, ne iſtud coaleſceret vinculum ex ratione Principis Radivilij Georgij. Verùm quidem erat me hoc animitùs optâſſe Connubium, nec dicta vidua abnuebat; verùm Pocillator Litvaniæ præfatus ſcilicet Georgius Princeps aliò mentem diverterat, & Eleonoram Anhaltinam poſtulaverat; quarum intentionum conſcius non tantùm Regijs votis non oberam; ſed inſuper quidquid virium eſſe poterat & conatûs impendebam, ut illis ſatis fieret. Eodem anno Zolkviæ mortalitati debitum exoluit Martini Oborski tum Caſtellani deinde Palatini Podlachiæ Conſors domo Rozrazevia, non ſine vulnere Regis; cui ſangvine propinqua erat. His funeribus gemina adhuc acceſſerunt florente Majo: Palatinus Poſnanienſis Grzymaltowski & Palatina Cracovienſis Lubomirſcia, jam ante mundo mortua Carmelitano Diſcalceatarum Lublini ſuſcepto habitu, quàm moreretur.

Dorothea Danielowiczowna

Vita mala finis bonus

Sic

Sic quidem sine respectu fata suas exeruêre vires; at longè infestiùs Tartari, qui adultâ hyeme duplici excursione intuta omnia reddiderunt, magno rerum & mortalium damno latè Woliniam pervagati; vice autem alterâ Jezierniam usq; pagum ad Regem pertinentem nullo delati resistente. *A. C. 1687*

Jnvitavit deinde Rex ad se Vladislaum Los tum Pomeraniæ deinde Mariæburgi Palatinum, & Martinum Zamoyski Thesaurarium Regni; ut mutua illorum sopiret dissidia, animosq; conciliaret. Prætendebat Thesaurarius Regni, ut contributiones omnes immediatè in thesaurum Regni inferrentur, Prussiæq; Thesaurarius seu potiùs (ut illum constitutiones vocant) œconomus rationem redderet. Hinc lites & odia, quæ in publicum toties eruperunt detrimentum, Thesaurario Regni sua jura asserente, Palatino eodemq; Prussiæ Thesaurario econtra sibi jus vendicante. Nihil profectum per commissiones, sed nec per Tribunalia thesauri fuerat: quin ipsa comitiola & Comitia duorum discordiâ turbabantur. Nec Regi feliciùs cessit cupienti privatim componere, quod publicum angebat: adeò partium studia per obstinationem desperata erant. Acceperunt inde Generalia Prussiæ comitiola grande imò lethale vulnus: nam, quæ ante authoritate Senatorum prævalente sanciebantur, (cumque in antecessum & dignitatis & æquitatis ratio haberetur, ac res & negotia secundissimo ordine & eventu procederent) jam ab eo tempore susq; deque verti cœpêre. Quò enim gravior suo adversario Thesaurarius Regni immineret; excitavit per Prussiam factionem, per suos nociturus cùm per se non posset. Sumpsit ergò licentia vires, nihil jam moribus antiquis fieri, quisq; regere velle & pertinaci tueri studio & vel pœnitenda optare; acsi consecutio illorum pœnitentiam compensare posset. Inaudii à quodam insigni Nobili Prutheno, qui inter proficiscendum pro Generalibus Comitiolis obvium Dnum Więckowski habens, cùm eum interrogâsset, quorsum se conferret? responsumq; tulisset, pro Generalibus comitiolis se proficisci; subintulit: Dnus Więckowski pergit ad comitiola; revertamur itaq;, nec enim nostrâ ibi præsentiâ opus, frustraneusque labor noster fuerit, dum hic ibi comparebit. Nec mora: à dictis conversâ rhedâ reditum maturavit. Dictus enim Więckowski is erat; qui plus oris quàm mentis se habere probaret, contradicere certus, nomenq; à lingua aucupari, verbisq; non rationibus obruere. Quanta verò citra selectum indiscretio in admittendis ad indigenatum ex eodem fonte originem desumpserit; supra calamum est: rarus enim reperitur, qui non pretio & pecuniis omnia concedat. Verùm de hoc indigenatu alibi satis dicetur, nunc ad Majestates redeo. Regina ad iter se resolvit non nihil ultra Wratislaviam valetudinis causâ profectura, quòd ibi balnea essent calentibus aquis celebria. Movimus eò nonâ Junii & Cracoviâ ac Czestochoviâ visitatis 25 ejusdem Wratislaviam pervenimus, tum 30 ejusdem ad balnea desiderata delati sumus; quæ 3tiâ Julij Regina primùm ingressa est. Adfuerunt interim Principes Radivilij Viennâ reduces, Majestatemq; Reginalem venerati sunt, Iam autem sat numeroso comitatu stipata Regina in Silesiam, ut dixi, discesserat: aderant enim Luceoriensis & Camenecensis Episcopi, Ernestus Denhoff Palatinus Mariæburgensis, Mareschalcus tum temporis Reginæ, Domicellæ complures: at non diu licuit Reginæ his uti balneis, abeundum ad primam notitiam de deteriore valetudine Regis fuit. Quare 19 Julij in Poloniam movimus, adeoq; acceleravimus iter, ut 10 ab inde die 29 scilicet, primùm Jaroslaviæ deinde etiam Zolkviæ constiterit, jam extra curam

Dissidia inter Vlad. Los & Martinum Zamoyski

Więckowski

A.C. 1687 ram, quia extra periculum Regem videbat: excepit mox adventum reducis ab exteris Reginæ, Moschoviæ Ablegatus, quem 9 Augusti Zolkviæ vidimus, mihi sub ipsius adventum injunctum; ut responderem: ritus autem susceptionis similium Ministrorum hic observari solet.

Ritus suscipiendi Ablegatos Moschoviæ

Quàm primùm Czarorum Minister in conspectum Mtis venit, illique debitum exhibet honorem, ex nunc Minister statûs vel alter de brachio Regio ab enumeratione titulorum sic incipit, Serenissimam & Potentissimam Mtem Regem Poloniarum, Magnum Dnum JOANNEM III DEI gratiâ Regem Poloniarum, M. Ducem Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Podoliæ, Podlachiæ, & aliarum Provinciarum: Serenissimorum & Poten. Mag. Dominorum DEI miseratione Czarorũ & Magnorum Ducum Joannis & Petri Alexieiwiciorum, totius Magnæ & Parvæ Albæq; Russiæ, Czarorum Kasanensium, Dominorum Moscuæ, Kijoviæ, Wlodimiriæ, Novogrodi, Czarorum Astrachanensium, Severiensium, Dominorum Pskoviensium, & Mag. Principum Smolensci, Tweri, uti & Tohorscensium, Permscensium, Wiatecensium, Bolharscensium, & aliarum terrarum Dominorum, & Mag. Ducum Novogrodeci, Nizenensis terræ: Czernichoviensium, Resanensium, Rostoviensiũ, Jaroslaviensium, Bieloozierensium, Vdorensium, Obdorensium, Condinensium, & totius Severiæ; item Dominorum Iverensis terræ, Carthalinensium, & Rhuzinensium, Czarorum Kabardinensis terræ, Czerkaviensiũ & Horensiũ Ducũ aliorumq; multorũ Dominiorũ & terrarũ Orientaliũ & Occidentaliũ absolutorũ, hæreditariorum Principum Dominorũ, Autocratorum, Majestatum Czarearum Ablegatus Joannes Czeredziew Majestatem Seren: Regis veneratur. His dictis veneratione profundâ factâ enumeratis à se titulis utriusq; Monarchæ Ablegatus literas in manus Regi tradit; Rex autem Ministro statûs vel alicui alteri. Interim Rex moto aliquantum pileo de valetudine Czarorum in hunc sensum interrogat: Fratres nostri Serenissimi & Potent: Magni Dni divinâ miseratione Czari, & Mag. Duces Joannes Alexiejwic & Petrus Alexiejwic quali utuntur valetudine? Deinde verò Nomine Principis Minister statûs vel alter quispiam interrogat de valetudine Cursoris aut Ablegati his verbis: Serenissimus & Potent: Magnus Dnus Rex D. N. Cmus quærit de valetudine Cursoris aut Ablegati Czarearum Majestatum, qualiterq; in via per Dominia Sacræ R. Mtis proficiscenti ei successerit percontari dignatur? ad quæ Cursor vel Ablegatus pro libitu suo respondet.

Post hæc Minister Statûs vel alter ita Ablegatum vel Cursorem alloquitur: Serenissimus & Potent: Magnus Dnus Rex noster clementissimus, Czarearum Majestatum Ablegatum Joannem Czeredziewum ad osculum manûs suæ Regiæ clementer admittere dignatur. Unde pergit statim Ablegatus & assistentia illius ordine ad osculum manûs.

His peractis dicitur Ablegato jam hic & nunc potest Czarearũ Majestatum Ablegatus Joannes Czeredziew ad hospitium suum se conferre: Rex autem Seren: demandabit, ut de munifica gratia illius bene ei provideatur & contentis literarum Czarearum intellectis quantociùs responsum reddatur. Sic prima solvitur audientia. Audientia autem valedictionis hoc modo fit. Quàm primùm Ablegatus ad conspectũ Principis admissus Regem veneratus fuerit; ex nunc Minister statûs vel alter quispiam de brachio Regis ab enumeratione titulorum incipit Serenissimum &c: JOANNEM III. Regem &c: ut supra Serenissimorum &c: ut supra Czarorum Ablegatus Joannes Czeredziew veneratur & pro responso ad Czareas Serenitates humiliter supplicat. Hic Rex ipse sermonem

monem assumit dicens: Fratres nostros Seren: & Potent: divinâ miseratione Czaros & Magnos Duces Joannem Alexieiwicz & Petrum Alexieiwicz à nobis salutari volo, literasq; tradit manibus suis Ablegato. *A. C.* 1687

Deinde Minister statûs subjungit Serenissimus & Poten: Magnus D. Rex noster clementissimus, Czarearum Serenitatum Ablegatum Joannem Czeredziejum ad osculum manus suæ Regiæ clementer admittere dignatur: post quæ verba succedit Ablegatus cum sua assistentia ordine suo ad osculum manûs. Demum sic concluditur à Ministro statûs: jam potest Czarearum Serenitatum Ablegatus ad suum abscedere hospitium: Rex verò Serenissimus ex munificentia sua demandabit; ut illi de omnibus provideatur, sicq; solvitur audientia.

LIII.

SERMO FUNEBRIS IN EXEQUIIS MARIANNÆ JABLONOWSKA PALATINÆ RUSSIÆ LEOPOLI APUD PATRS SOC: JESU

habitis die 26 Maji Anno 1687

PER ANDREAM CHRYSOSTOMUM ZALUSKI EPISCOPUM KIIOVIENSEM.

Et erat famosissima in omnibus, quoniam timebat Dominum valde, nec erat, qui loqueretur de illa verbum malum Judith 8.

Copiosâ cujusvis Oratoris facundiâ tuas ad vulgus deprome munde panegyres, sexcentos, ut spectantium illudas oculis, fucos in vultum advoca, certè hic, cui aut sagaciorem contulit pupillam natura, aut gnara censendi, animum expolivit solertia, toto quantumvis reclamante universo fatebitur, quòd aut marinas inter procellas quietē quærit, aut concretis hyberno frigore aquis nobile superstruit ædificiū, quisquis mendaci tuæ stabilitatis illusus spe fixam in te somniat stationē. Nulla in te diuturnius humano arridet palato suavitas, quam non inter suam absynthium exspumet saniem; illi utiq; permistam melli, quod vix summo libaverat ore præpollens viribus Ionathas, grassantem per viscera mortis sentiendo luem, impatientius exclamavit. *Gustavi & ecce morior.* Utinam illis, qui tuam libenter spectant magnificentiam, assentatione non caligaret oculus, scio, quòd in maximis tuis favoribus plus felleæ sentirent acrimoniæ, quàm recreantis gustum saporis. Quid enim? ornamenta quis apud te mendicat? ventos persequitur tam frustra evanidæ manum injecturus auræ, quàm malè illud sibi excidit memoriâ. *Ne glorieris in crastinum ignorans quid superveniens pariat dies.* Adria quævis tuâ instabilior constantiâ dolo fallaciisque conficta voluptatibus spes universam titulorum magnitudinem exiguo locorum circumscribit intervallo, illustri ad solis invidiam luci tristem offundis umbram, viliq; terrâ & abjectissimis tumulas arenis honorum, sudum sine nube serenum. Quidquid in te aut pulchrâ oculos oblectat venustate, aut pretioso manum implet pondere, aut insigni rapit cor bonitate, totum dissimili concluditur epilogo. Laudamus mendaciter, delectamur inaniter, & vani sunt, qui laudantur, & mendaces qui laudant; quàm vanè aliena declamamus encomia, tam impudenter audimus nostra. Hujus sæculi fallax est suavitas, infructuosus labor, perpetuus timor, periculosa sublimitas; concludit Augustinus. Quid nobis validum corporis robur, quid rara oris elegantia, quid pubescens vix dum ætas inanem vitæ parit fiduciam? Quid nullis vitiatam adversis felicitatem, partam viribus potentiam, plena opibus iactamus æraria, quæ exiguus opprimet pulvis, & tricubitali nihilo major scrobs condet? Intimæ sortiuntur exitum amicitiæ

A.C. 1687 citiæ. Honorum tituli quid nisi splendida sunt nomina? quæ temporum obliterabit injuria; voluptates quid nisi negotiola, quæ & graves & diuturnos animo infigunt dolorum aculeos? Divitias, si non humana nobis rapit aviditas, suâmet sponte è nostris labuntur manibus, omnis deniq; terrena magnificentia nullo impellente ruit; mundus enim fluminis instar, cui obicem frustra ponas, præterlabitur. Hæc, inquam omnia cum temporum momentis pereunt, simulque nos per varias rerum vicissitudines circumductos præter opinionem ad fatale illud deducunt punctum, in quo vita desinit, à quo incipit æternitas.

Diogenes moriens inter suprema reliquerat mandata, ut suum cadaver prono ad terram vultu humaretur; de mundi nimirum volubilitate persuasus, qui post sexcentos gyros, aliquamq; temporum moram sic abjectum supinaret cadaver, demersoq; in terram vultui cœlorum denuò redderet aspectum. Unde quæso illa Jacobo inter somniandum visa sub ipsis DEi oculis jam ima petentium, jam ad summa eluctatorum spirituum confusio? Nonne ideo, quia terram scalæ attingebat extremitas: Non magis Polignoti artē, quàm mundi ingenium in illa Thasij suspexêre tabula, ubi singulari effectum artificio hominis simulacrū ita dubios in gressu pedes suspenderat, ut ascensúmne potiùs an descensum attentaret, nullus spectatorum conjicere posset. Benè huic quis inscripsisset: *Qui ascendit, ille est, qui & descendit.* Somnia, vel, si quid somnio inanius est, sunt, quibus à vili discernimur plebecula, Tituli; quasi, non perinde viri Principes ac infimæ sortis homunciones ante magni illius divitis januam prostrati quotidianâ escam emendicemus precatione, ut quasi non ijsdem lustralibus tingatur aquis, cujus fascijs Regios natura fasces illigavit, atque ille quem ad aratra natum ab utero duræ mancipat servituti, infelix in verna domo nascendi conditio? aut denique quasi cùm ætate provectiores in spiritualis ungimur militiæ Athletas, non eâdem Reges, quæ mancipium Christiano consecret agoni alapa. In hoc enim verò suum mundus consumit ingenium, ut specioso nobis illudat mendacio, & quemadmodum è Mesopotamia redux Jacob in plures diviserat turmas armenta, sic ille suas divisim partitur opes, suæ opulentiæ pretium, quod à numero deserat, saltem à locorum amplitudine habiturus. Minimè ego mundi hujus magnitudinem ex amplissima hac, quâ in nostris se jactat oculis mole, aut ex quotidiana ignotarum antea Insularum accessione, aut ex vasta hac, cui mentis humanæ succumbit capacitas, limitum latitudine conjicio tres non amplius DEI digitos hæc universi occupat machina, nec tamen per tot annorū Myriades terrarum pondus aliquâ manum illam affecit lassitudine. Puncti potiùs, quàm sphæræ nomine universum hoc cum Platone deinceps appellate sapientes, vel si sacra magis arridet eruditio, guttulam roris antelucani dicite; certè omnes gentes in conspectu DEI quasi stilla? O quot in mundi istius vase permistæ mutuò stillæ! quot subinde succollanti DEO excidunt guttæ! minùs tamen per funestum provinciarum interitum patitur damni DEUS, quàm ille aquarum portitor, cui inter ferendum aliquid per motum undæ deperit. Benè etiam inde stillis mortales coæquamur, quia in terram decidui aridâ consumimur siccitate, dum morimur, & aquarum more dilabimur in terras, quæ non revertuntur. Equidem nescio, quos nominum affectamus splendores, illi fortasse DEI ad Abrahamum confisi promisso, quem sudo sub noctem cœlo postquam seræ Nuntius horæ nocturna cijt lumina vesper, spectatorem syderum cùm Dominus effecisset, sic inquit erit semen tuum. Qualis

lis per ſtellas diffuſa emicat lux, ſic in tuis nepotibus ſplendor perennabit, ſed, quem, ſi non matutina Luciferi extinguet ſerenitas luminis, certè obruet, *Faciam ſemen tuum ſicut pulverem terræ.* *A.C.* 1687

Quid verò nos ad quotidianos pereuntis mundi lapſus? O multis deplorandam gemitibus dementiam! Nihil minus hac rerum ruinâ mente volvimus, inexplebili fræna laxamus cupiditati, nec aliam ſollicitudinis, laborumq; noſtrorum metam figimus, præter fluxas voluptates, fragiles faſces, caducas delicias, & quaſi nunquam nobis hinc migrandũ eſſet, infinito à nobis fata diſtare putamus intervallo; cùm tamen nulli obnoxia errori veritas, mundi nobis ingerere deberet fragilitatem. Cujus, ut alia deeſſent argumenta, vitæ noſtræ inconſtantia teſtis eſt luculentus. Et verò adverteret nos hæc proniſſima in buſtum rerum omnium infirmitas, niſi proprio obcæcati caligaremus amore, qui finis ignaram animo proponit vitam, ne imminenti rerum caſu admonita mens, relinquendarum, quas ſummè deperit opum juſtam concipiat nauſeam. Quid quod votis & præconceptâ fallaciter ſpe eò progredimur? quò nos nunquam fortuna deducet. Nam cum exiguis non raró momentis multorum natura circumſcribat vitam, longas illi Mathuſalæ ſomniant ætates, quas tamen ipſas ut ut nobis numen indulgeret, vitam per ſingulas carperet horas, poſt cujus defectum omnia alia liberali fortunæ manu in nos collata beneficia neceſſe eſt interire, id eſt, in terram, unde ſumpſerant principium, redire. Vos ego in vivis adhuc ſuperſtites animæ, vos inania jam nomina & pallidæ compello umbræ, quas mundi olim tenuit deſiderium. Quid plurimis ſervitijs, quid milleno emeruiſtis ſudore? Quàm miſerè veſtrum deplorat infortuniũ Propheta? *Seminaſtis multum, & intuliſtis parum, comediſtis & non eſtis ſaturati.* Quid enim inexplebilẽ fruendi ſæculo ſitim, & malè latrantem ſedaret alvũ? Chameleonti vos non abſimiles dicerem, cui, quòd vento paſcatur, diducta inter ſe nunquam bene cohærent labra, Sic nimirum & vos quâlibet aurâ levioribus intenti voluptatibus fauces continuò diſtrahitis, neque tamen ferias unquam ab avida illecebrarum fame impetratis; quòd ſi quavis ex cauſa ingruens mœror flendi à nobis exigeret tributum, nunquam areſcentibus genis continuo ſtagnaret pupilla diluvio. Ergo hi inter dolores, procellasq; naufragii, Jazones, hauſta ex nobis aqua mundi deſcribant ingenium. Mirarer quòd putre Lazari cadaver animaturus Dominus in lachrymas & ſuſpiria totus abiêrit, niſi mihi purpurata Hugonis authoritas admirationem tolleret, qui lachrymarum Chriſti cauſam in eas quæ redivivum manebant ærumnas, refudit. Flevit, inquit, quia revocaturus eum fuerat ad præſentis vitæ ærumnas.

Sed quid ego fœtida Bethaniæ luſtro ſepulchra? Nolo, ut oculos in antiqua defigatis funerum ſcena, ut mentem per varia circumferatis hiſtoriarum monumenta, En luctuoſum quod propitij avertiſſetis Cœlites, nobis proponitur ſpectaculum, quod humanis rebus inimica mors exhibet ſpectandum. Cernite, ſi præ lachrymis poteſtis, delicium in ſarcophago, decorem in pulvere, in tenebris ſplendorem, ſpes in tumba. Quantâ aſſeveratione Gentilitijs Excellentiſſimæ & Illuſtriſſimæ Palatinæ turribus ingeminabat fortuna; *Fiet pax in turribus tuis.* Certè decrepitæ, & ad ſumma deductæ ætati nullus aptior eſſe locus, hoc turrium præſidio potuit: Ecce autem luctuoſa advenit dies, cùm omnipotentis dextera, triplicem illam uſq; adeo contrivit molem, ut ex nobili ædificio præter acerrimum jacturæ ſenſum, & vividam virtutum memoriam reliquum nihil habeamus. Profectò ex triſti hac parentalium ceremonia

A. C. 1687 monia, quam piis hodie reddimus manibus, ex tot orationum, Sacrificiorumq; numero, ex lugubri, ut aures feriente, sic cor penetrante amicorum ejulatu, ex dejectis dolore vultibus, & luctu, quem intimus imperavit amor, gravibus oculis nihil leve aliud, nisi quod gravem nobis cladem mors intulerit. Scilicet. Illustrissimus ille Rossiaci honoris apex in unius redactus est tumbæ angustias, grandis fortunæ supellex in solum desijt feretri apparatum: omnes illæ insignes ad sæculorum stuporem dotes solam, quod jam periêrint, reliquêre memoriam. Tibi, mi DEUS (cui proprium est de tribulatione educere) supplex accido, illis, quæ mihi uberiùs quàm verba promanant, obicem pone lachrymis, à quibus quominus temperem, & arcto consangvinitatis fœdere devincta impedit propensio, & debitus tam dolendæ ruinæ mœror. Pone prudentiæ custodiam ori meo cum auribus mœsti Auditoris exponere aggredior exactam ad Christianæ sanctitatis leges, ac instituta vitam, & qui probitatis individuus est comes, pium è vivis excessum, istius; cui funebrem præ omnium oculis pyram, non sic mortuales vitæ, quàm insignes illustrant virtutes, Excellentissimæ & Illustrissimæ Mariannæ in Kazanow Jablonowska Palatinæ Russiæ, supremi exercituum Ducis desideratissimæ Conjugis. Discet hodie me Auctore orbis, piam hanc animam felicis potitam æternitatis, cùm magnas illius, quas meritò deploramus, sibi à Divina manu liberaliter collatas, enumerabo gratias, ut Divinam, cujus in hoc excessu manifesta agnoscetis argumenta misericordiam de genu veneremur. Percurram ex vulgo minimum participantes illius virtutes quibus & Divinos favores, & hominum merita est amorem; constantem animi inter supremos honores demissionem, infractamq; tum tædiosa, tum diuturnâ ægritudine tolerantiam. Quod faciam sine Rhetorum fucis incomptè, sine assentatoria panegyri verè. Imò cum D. Chrysologo à vobis exigo, ut me sinatis non ad oratorium revocata numerum concinnare, sed prout dolor extruserit, verba fundere. Vos, inquam (genuinus aurei Doctoris sermo est) vos deprecor, ut me patiamini non quadrare, sed liquare sermonem.

Proposito à me sermoni hinc exordium sumi fas esset, unde sua commemorat Gentium Apostolus facinora. Gratias ago, inquit DEO meo, cui servio à progenitoribus meis, vel certè acutus ille inter Palæstinæ dumeta orator Hieronymus imitandus hic mihi esset, qui Matronarum, quas Roma coluit nobilissimæ Paulæ funebrem texens laudationem Scipionum Grachorumq; nomina, & totam ex antiquorum codicibus derivatam antiquorum seriem operis fronti præfixit. Vel deniquè Danielis æmulari deberem facundiam, qui nullibi non copiosus in pulvere vix enumerandis suffecit hominibus. Video vestigia virorum, mulierum, & infantium. Ad horum, inquam imitationem, si dicere vellem, occurreret mihi illico memoranda Kasanoviorum Domûs, magnitudo; Ipsâ antiquitate vetustior occurreret series longissima rerum, per tot ducta viros antiquæ ab origine Gentis, quam tot deinde nepotum extenderunt in Patriam merita, vocalis apud exteros cecinit fama, præmium virtutis honor illustravit. Heu quanta hic sese mihi pandit im̃ortale meritorũ nomẽ virorũ caterva? certè quoties in Patrias illorũ turres figo obtutũ quoties gentilitiã illorũ spectoPortã, exclamare cũ Patriarcha cogor; locũ istũ non esse aliud, nisi domũ DEI, & portã cæli. Sol hic non Polonorũ tantũmodo cœlum illustrabat, sed externa quoq; lucem ab illo derivabant hemispheria. Alibi Domus à Phario marmore, & peregrinis mercantur æstimationem saxis; Hæc tantorum titulis illustris Avorum! ubi pavimẽ-

ta

ta sternit Antiquitas, laquearia exornat honor, zelus Religionis, Amor Patriæ, fidelitas erga Principes parietum funguntur vice, qui consangvineo tot nobilissimarum in Polonia familiarum nexu in unam coaluerunt molem. Hujus ergo Domûs cùm prona recolo fundamenta, audire mihi Architectum illius DEUM videor; Ædificemus civitates istas, & vallemus muris, & roboremus turribus. Quod si Poloniam urbi esse similem non diffitemini, quantum sibi ex Kazanoviorum propugnaculo & roboris accesserit, & decoris, ille ignorat, cui hoc quoq; ignotum est, quòd turres hæ incolumitatem Patriæ tutando insanè contra nos furentem sui objectu repressêre barbariem. Hæc & in Poloniæ Regum ore olim resonabat vox; Ædeficemus civitates istas; quid enim egerant primos Kazanovijs deferendo fasces, nisi pro præsidio ornamenta in portã regerebant, ut quoniam portæ Jerusalem ex Sapphiro essent & Smaragdo, Polonia quoque Illustrissima, id est Onychis & Amethysti fulgorem superaturâ Portâ clauderetur, non enumero defixas hac in Domo honorum notas, eloquentior has lingva & fidelior memoria crastinâ die in syllabum rediget copiosiùs: mihi, ne Avorum nomina è busto revocem, ne in una domo tot clausas enumerem domos, Davidis dissvadet infortunium, qui quod filiorum Israel iniverat numerum largos inter gemitus non solùm deliquisse se, ut aliàs consueverat, sed peccasse nimis, Israele minus audiente, quàm sentiente testabatur. Ergo procul hodie à Sacra hac exedra illæ panegyres, quæ inani ductæ studio Avorum censendo laudes, ex aliorum gestis Nepotum concinnant elogia: quæ cum Arcadibus ante lunam genitis, incognitas rimantur origines, ut, quod ille ait, deductum ab heroibus genus ad DEorum stemata replicare nituntur, in longissimisq; vel ut phrasi Apostoli utar, interminatis Genealogiis tempus consumendo, curiositatem potiùs irritare, quàm Auditorũ studere ædificationi in votis habent. Facessant, inquam, illa decora, quæ aliorum præbent superbiæ nutrimenta, in hac pietati addictissima anima modestum de se ferebant judicium. Juvat nihilominus infantiles illius evolvere fascias, & purpurâ quidem insignes, sed portentis longè illustriores. A. C. 1687

Quotidianum id fermè, certè non insolitum est DEO, ut hominum, quos sua deinde virtus ex vulgari hominum exemptura est fæce, à natura indiscernibilem ortum miris illustret eventibus. Svavissimæ aliquorum svadæ, frequentia in lactentii ore præludunt examina, qui vir toto contra scelera detonaturus est Vesuvio ab accensa intra uterum Catelli face pusio sumit igniculos. Aureas quorundam animas gemmeus, dum nascuntur imber & tempestas pretiosa Fagi declarat: necdum alij comunem hauserunt àërem (utpote matenâ incarcerati alvo) & jam visi matribus per somnium leones, illorum augurantur robur. Taceo ab operoso formicarum agmine in os infantium delato horrea. Taceo innocuis illustratas flamis parvulorum fascias: &, ne aliena tantùm, oblitus domesticorum, narrem, vocalem aliquorum famam, omina ex canoro citra humanam opem pulsato ære derivantur. Hoc primum fuerat magnæ, de qua mihi sermo, animæ triumphale classicum, quod suum natalem ad universi stuporem divulgavit. Multorum tum authoritate gratiam, tum fidei minimè suspectæ hominum fide mihi constat, hanc eximiis à DEO locupletatam favoribus animam primum Genethliacon inter festos campanarum strepitus, audivisse, nempe parentis relinquebat viscera, & quartâ circiter inde milliaris parte Fragæ ad templum, quod non magis humanâ erga DEI parentem liberalitate, quàm conti-

A.C. 1687 continuâ DEI Matris erga calamitosos claret pietate (quasi suam sibi servam ex utero formaret Ancilla Domini) Angelicâ, ut puto ope motæ campanæ sonoro nascentem salutaverunt ære. Quam quidem percussi metalli vocem æs fuisse, & cymbalum tinniens scio, sed non citra charitatem, utpote à matre pulchræ dilectionis imperatam. Diceres munificentissimam egenorum matrem, miraculosis à cœlo exceptam fuisse classicis, ut sonus ille erogandi in pauperes auri fuerit augur, dignaque tam vocali visa esset salve, cujus postea aureæ tornatiles manus, gemebundæ ora obstruerent egestati. Reboans quarundam campanarum vox certissimam portendit tempestatem. Discimus jam infortunio nostro, quòd ille antea ad triumphos, hodie ad ciendos luctus compositus fuerit Fragensis æris sonus; quantum enim, boni Cælites, portendebat lachrymarum diluvium! Quid, quæso, sunt ad hodiernum comparatæ luctum, aut quondam per Romanum forum nobili Ordine Junæ cadaveri 24 familiarũ prælatæ imagines aut consulari perfuncti dignitate infelices Patris sui Metelli portitores, miseri pariter & miserandi quatuor filij: aut ab obitu Germanici tota in pullo squallens amictu Roma? Quandoquidem ad Palatinæ Russiæ bustũ etiam ignotæ funduntur lachrymæ: nempe ad plerosque illius vix pervenerat notitia, quorum pectora in gemitus, oculos in fletum eliquat, tantæ animæ ruinâ, hodie flent etiam ignoti, mœsti populiq;, Patresque ingemuêre. Moneo nihilominus, justis temperate lachrymis, optimi tantæ ruinæ æstimatores; ne vestram sic lugeatis orbitatem, Palatinæ intercedit felicitas, cedat dolor fidei, in compassionis locum Christiana succedant solatia.

Nata est beato Festi illius privigilio, quo DEUM hominem, cui omnia tradita sunt à Patre sic nostri exinanitum amore colimus, ut cùm sibi profusa in nos charitas totas propemodum, quibus pollebat, è manibus extorsisset opes, aliorum quasi indigus bonorum, se ipsum, & illud quod fieri propter nos dignatus est, corpus sacerdotalibus ad dispertiendum in Sacrosancto edulio comisit manibus. Tanto mysterio, id est suavitatis fonti prævia dies, illam primùm in cunis adoravit: ut jam illã non sit necessè causam vestigare, cur toto vitæ tempore non secus ut cervus ad fontes aquarum, sic illa ad Angelici panis annonam æstuaret. Ille, inquam, felicissimus dies fasciolis tenerum Palatinæ strinxit corpus, cùm Christianus orbis novum experitur Hospitem in esca DEUM; quæ utiq; edulio illo per vitam universam pasta, tantas ad iter contraxerat vires, ut in fortitudine Divini cibi ambulaverit usq; ad montem Dei Horeb, ubi mellifluo sibi facto cœlo DEUM, quem sacro gustabat in ferculo, æternum felici comprehendit in præmio. Et verò decuit altissimã Divinæ Providentiæ abyssum, ut, quam MARIA insigniverat nomine, Angelici in illa Panis perennem excitaret orexim, utq; MARIÆ fames Divino sedaretur edulio, ne alicubi sinè Christo etiam nomen MARIA, degeret.

Hic jam notum materno creabit pectori dolorem oratio, cùm claram Illustrissimis affinitatibus Matris, à qua vitam acceperat, stirpem memorabo. Anna Potocka olim Braclaviensis, nunc Kijoviensis Palatina tantã enixa est animam, primumq; hunc favorem tenerrimæ Filiæ fascijs Divina illigavit liberalitas, quòd Illustrissimâ edita Parente non ante solem viderit, quàm illustria Potocianæ virtutis simulacra, fumosæ Majorum imagines, illorum, inquam, Majorum, quorum gesta Polon⁹ admiratur hucusq; orbis, tenerâ libaverit pupillâ.

Hujus ergo Potociani nominis cùm mentionem feci, idem mihi agendum

agendum intelligo, quod illis usuvenit Geographis, qui in exiguā referre tabellam mundi latissimā conantur vastitatē; brevibus enim lineamētis tantam circumscribunt molem, aliquanto (quod Ausonius advertit) detrimento magnitudinis, nullo dispendio veritatis; non igitur firma illa Reipublicæ fulcra, gestis & nominibus grandes memorabo heroas, nō quòd malus virtutum comes livor vectigalem Potociorum famæ impediat Panegyrim, sed quòd in Palatinæ nostræ laudibus per ambitiosa Majorum calamo ire encomia à meo est alienum proposito, apud quē alienam virtutum pompam proposita in dicendo excludit brevitas. Unicam tamen Excellentissimæ & Illustrissimæ Potociorum Domûs commendationem dixisse sufficiet; nimirum, quòd hospitari alibi solitus honor, perenne sibi in ea fixerit domicilium, &, qui alibi non absque miraculi novitate subinde resplendent fasces; hic assiduâ dignitatum tractatione admirationem jam amisêre. Luculentius ijs, quæ dixi, ut habeatis documentum, ad vestros provoco oculos. Res oculis subjecta patet; cumquè primas in senatu purpuras, maxima in exercitu Regimina Potociorum teri manibus non absque intimo animi sensu videamus, quid aliud in Illustrissimæ Prosapiæ comendationem, quàm illud usurpemus; Privati nil habet ista Domus. A.C. 1687

Mythologorum memorant fasti, illud roboris portentum Alcidam, cùm sese ad bellum magis animo, quàm armis instructus conferret, plenam ab Apolline pharetram, à Mercurio gladiū, parmā à Minerva accepisse. In vitæ hujus militiā sub pietatis aquilis stipendia cœlo merituram, cùm è tuo dimitteres utero Illustrissima Mater Amazonem quàm non fictæ DEorum vires, sed cœli & veri Numinis quod unicè colebat, auctam videres suppetiis; quanto tibi redundabat pectus gaudio? Mihi id citra dubium est; te tam insigni filiæ tuæ corpusculi visâ compositione, cœliq; favoribus jam inde à puero locupletatam advertens mentem, jam tunc grandem quandam animo conceperas fiduciam, illam, cujus natalis in tam felicem inciderat diem, cui sacer Baptismi latex tantùm nomen infuderat, quam in mundo hospitem templorum venerabatur æs, sanctitatis quoddam compendium & virtutum fœminam & esse debere, & appellari. Nec inani somniatam Entheo spem illam fuisse, sed inspiratum cœlitus præsagium eventus docuit, quando in adulta postmodum sobole tot virtutum decora, quæ divisa beatos efficiunt, in unū veluti redacta cumulum mirareris. Nemo enim verò illâ superstite antiquis invidit sæculis, aut jurati studiosissimas pudoris Susannas aut bonæ inter populos opinionis ex asse hæredes Judithas, cùm etiam in nostra Palatina nullus adverteret Zoilus, quod suo carperet more, nullusque loquebatur de illa verbum malum. In hac, laudatæ Abigail ingenium, prudentiamq; agnovimus; in hac integritatis Patriæ studium, Divinæq; gloriæ zelum, qui advertisset Israelitici Ducem populi Deboram, qui tenerum in Divina animum Samuelis Matrem Annam juravisset; qui morbis infractam vidêre patientiam, Lidvinæ jurabant collactaneam. Hedvigem Polonorum Reginam suæ Gertrudis Sanctitati à cunis intentam; Svecorum lumen Brigittam Catharinæ suæ cum nobili lacte virtutis gustum & penduli de cruce Salvatoris amorem per horas instillantem in nava & ad Christianæ probitatis normam composita Illustrissimæ prolis educatione sedula mater expressit largâ in pauperes munificentiâ, continua affictandi corpusculi cura, devota vitæ, mortisq; Christi recordatio, frequens idemq; fervens ad sacrum epulum accubitus in Romanæ Franciscæ similitudinem; fruendiq; per æternitatem DEO desi derium

A.C. 1687 rium in Monicæ Hypponenſis Antiſtitis matris naturam, Palatinam noſtram transformaverat. Et, ne longus ſim, quotquot pietatis illius adverterant argumenta, mulierem eſſe virtutum fatebantur. Libenter itaque tuo de infantula filia ſubſcribimus judicio; optima antea natæ prolis educatrix, nunc raptæ triſtiſſima præfica. Edita vix dum fuerat, ſuæ illi pupillæ excubias DEUS adjecit, infantilique adeo manu in ſuum attraxit præſidium, Divinæ opis tutelam: Ut quæ largâ cœlorum liberalitate ſortita erat animam bonam, Majores in ulteriori vita Superûm favores mereretur. Ab ipſa igitur infantia DEI, cœleſtiumque ſtudia in ſe tua provocavit filia, quanquam licet minùs virtutum capax à natura accepiſſet pectus, tuâ poterat inſtitutione ad omnem provehi ſanctimoniam. An enim plus hauſerat à te lactis, quàm probitatis? Tua inſtitutio veriorem hanc Danaen non aureæ Jovis pluviæ, ſed cœleſtium gratiarum rori ab utero deſtinata pulcherrimè ad fortiſſimum Kazanoviorum propugnaculum effinxerat, Patriumque excubitorum contra quoſcunque lenocinantis malitiæ dolos puellæ appoſueras, imò Cherubinum adjeceras, cui illud inſcriptum lego, cum armatus cuſtodit domum, omnia ſunt in pace, quæ poſſidet. Verè tunc miſta fuit decori virtus, pulcherque ſevero armatus terrore pudor. Vel virgineis refertum floribus Paradiſum, vel magnificam hoſpitantis in virgine Numinis Regiam Kazanovias tunc turres fuiſſe dicerem, cùm illam tenerent animam, cui ſimul cum halitu illapſum Numen nullis ſymphoniarum ſvavitatibus, nullis modulatarum vocum argutiis poterat in pectore inquietari; adeo ut vel ipſa blandiſſima Hymenæi Epitalamia hoſtem voluptatum DEUM inde nunquam ſubmoverint, ut ne poſt jurata Matrimonii fœdera ibidem moraretur, tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. Sed ecce, dum rutilantes ſine fumo Maritalium Palatinæ tædarum loquor ignes, in ſcopulum, quem magnopere fugiebam, narrationis meæ incidit oneraria. Et mirùm profectò eſt ad claram Illuſtriſſimi connubii Pharum, Scyllam me vitare non potuiſſe. Ita plerumque doloris jactati procellâ damus vela Noto, quo deſtinatæ nos ducant viæ, ſed quò impotens urget mœroris Aquilo navem ſermonis flectimus. Ergo manus à reſerando ſepulchro, oculos à ſpectanda abſtineo tumba: alius mihi ſarcophagus, aliud menti occurrit buſtum, illius inquam mœrore confectum pectus, qui per hodiernum funus raptum ſibi è viſceribus cor, evulſam ex oculo pupillam lamentatur. Qui cùm omnia in conjuge ſibi occidiſſe ſentiat ſolatia, ſquallidam animi patitur nubem, & frequentem per vultus exſudat rorem. Veterùm ſepulchris calidas ſuperfundi ſveviſſe aquas accepimus: vos, dignæ immortalitate exuviæ tepidum ex Mariti oculis circumfluit diluvium, tantò majore vanis antiquorum ceremoniis pietate, quantò nullâ ſuperſtitione. In graviſſimi diſpendii cognitionem ex talibus lachrymis venio. Amiſit enimuero mœſtiſſimus vir eam thori ſociam, cum qua ut ſibi pariter omnia bona venerant, ſic rerum non ignarus, divitias in comparatione illius nihili duxit. Licuiſſet utinam ſibi tantam cladem toto redimere ærario, certus ſum, quòd non amplæ tantùm Domûs facultatibus, ſed ſangvinis etiam impendio conjugis paciſceretur incolumitatem: in lucro etiam numeraturus ſuorum annorum pro vita illius impenſam. Quomodo nunc, Numina ſupplex cum lachrymis fletuque ciet? Et fruſtra fatis jugulum parcentibus offert, ut illa æternum vivat.

Nemo à me importunus ſciſcitator doloris hujus exquirat acerbitatem; ille de luctu Ducis ſinè errore feret judicium, cui connubialium fœde-

fœderum nota eſt propenſio, ſcilicet menſura doloris eſt amor, & tantò acerbiores pungunt animum orbitatis aculei, quantò mitiùs præceſſit fidiſſimæ benevolentiæ lenocinium. Si tamen mihi adumbrandæ utcunq; triſtitiæ imponitis negotium, à lingva rem ad manum, ab auribus ad oculos transferam, & cujuſpiam felicitate quàm arte clarioris pictoris ſtratagema iterum revocabo. Multum ille, diuque ſudaverat, ut Mariti ſuæ orbitatem domûs lamentantis ad amuſſim figuram exprimeret: Cũque exhauſtis cum ingenio coloribus nulla dolentis ſpecies apta ſibi videretur, abjecto quidquam ulterius tentandi animo, ſiparium malè depictæ induxit faciei, perſvaſus calamitatem illam, quæ langvidè per artem in tabulam irrepebat, expeditiùs per cogitationem in animo ſpectatorum penetraturam, quibus primus tabulæ intuitus illud pectori oggereret. Pectori non prodere tantùm, quantum ſcire licet; nec quòd non eâdem dexteritate in tabulam referri, quâ conſpici luctus poſſit. Divinum planè cōmentum! & quantò minùs intuentium oculis, tantò plus exhibens cogitationi. Minùs effecerat, ſi laniatos viri turpiter vultus, ſi vulſos ſparſim crines, ſi contortas miſerè manus, ſi turgidos fletu oculos, & ſexcenta hujusmodi depinxiſſet, per quæ impotens tumultuatur dolor. Latebat nimirum grande ſub illo tegmine myſterium, & nullâ imitabilem arte dolorem cortina evulgabat, quaſi inſcriptum illi legeretur: dum tegitur, melius pingitur iſte dolor. Hujus, inquam, pictoris libenter æmulabor ingenium, neq; enim tuæ parem invenio eloquentiam calamitiati, Dux Excellentiſſime, majoreque adeo voto quàm affluentiâ verborum te alloquendi aggredior opus, & illud tempus, quod tuis finẽ deſiderijs, votiſque & fortunæ terminum jecerit, cum tertium emensã luſtrum virginem in vitæ thoriq; ſociam per ſacra connubij jura ad aras indiſſolubili tibi nexu obligâſti. Hac ætate caſtior Penelope in tuos magne Vlyſſes ivit thalamos; ſi annos ſpectemus, puellula, ſi judicij maturitatem, adulta, cujus quædam (quod Ambroſius ait) im̃enſa mentis ſenectus longævas anus prudentiâ ſuperaret. Beatioremne te dicã, quòd talem habueris, an infeliciorem? quòd eam amiſeris, nondum decrevi. Ab interpellatione tui temperarem non invitus, neque enim expedita mihi (remoram orationi faciente dolore) profluunt verba: temperarem, inquam; accedentem videns dolorem tuum vehementem! ne forte illorum adjici numero merear, qui ſacro teſte eloquio conſolatores ſunt oneroſi. Cùm enim non neſciam te in amiſſa conjuge Chriſtianæ virtutis ſpecimina, pietatis idæam, totâ æternitate memorabilium habuiſſe exemplorum theſauros, quantus igitur tibi pectora lancinat mœror? Non ſic avarus ereptas lachrymatur opes, quia neque tale ſibi detrimentum intulit, alieno ſemper intenta latronis cupiditas, quale tibi erepto amoris peculio mors conſcivit damnum. Oculorum, ut dixi, pupillam, aut quidquid oculis charius eſt, ferro ſcrutatum eſt fatum; quidni acri conſtabeſcas ſquallore. Trajectum tibi, cariſq; pignoribus inopinatâ rei chariſſimæ jacturâ video cor, & ſenſum vulneris exquirã? quod tuam unicè recreabat animã, in ſpolium morti ceſſiſſe animadverto deliciũ, & mortis crudelitatem iniquiore ferre te animo mirer? Nulli æquius poſt fata impenduntur lachrymæ, quàm qui eas minimè, dum viveret merebatur. Ad Divinam imprimis referri providentiam, connubia hominum, prima illa ſocialis in paradiſo vitæ teſtantur rudimenta, cùm optimus Adami Artifex DEUS effecto ex terra viro conjugem proviſurus im̃iſſo in Adam ſopore (veluti alienis tantum opus committere non auderet manibus) coſtam ædificandi in mulierem ſibi aſſumit negotium. Numini tu

A.C. 1687 quoque cariſſimam debebas uxorem Dux Excellentiſſime; Evam dixiſſem, niſi quòd ab illa ſeductus non eras, cùm tamen proto-conjunx Eva Dux ad ſcelera marito fuerit. Hoſtemque adeo miſer ille vir domi in adjutorio repererat, cùm ab externis tutus hoſtibus degeret. Quanquam & illa me ratio ab imponendo Evæ nomine Excellentiſſimæ olim Palatinæ prohibet, quòd Mariti ſuæ poſtponeret utilitati emolumentũ: Quærit Angelicus Doctor; cur ſolas malè ambeſi pomi reliquias Mater vivẽtium viro porrexerit, aſſeveratque muliebris hanc ingenij fraudem fuiſſe, tota, inquit, cum cibo mihi infundatur Divinitas, exigua illius pars Adamo ſufficiat, meum perfecta boni & mali ſcientia intellectum occupet, illi ruditatem utcunq; exuiſſe pro ſcientiæ plenitudine reputabitur. Ego ſim Dea, ille Deiculus. At tuæ Mariæ quàm diſſimilis erga te Palatine Excellentiſſime propenſio? In memoriam Tibi erga te illius amorem reducam; neq; me ab inſtituto, aut tuæ, quas ſic concitabo lachrymæ, aut meã impeditura vocem concionis ſuſpiria, querelæ retardabũt.

Geneſis 17. Antequam ex Sara Iſaacum Patriarcha ſuſceperat, aliquibus ſuo adjectis nomine creverat notis, uxori contra quiddam deceſſit ex nomine, cumque ille Abram, Abraham vocaretur, hæc non Sarai ſed Sara dicebatur. Idem & tibi Dux contigerat, Te titulis augebat Honor, cùm illi ſubmiſſa mentis modeſtia, perfectiſſima à tuis nutibus obedientia, prona ad tuum arbitrium propenſio nominis adſtringeret Mtẽ Tibi nempe proprium eſſe creſcere, ſibi minui exiſtimabat. Non ſic cõtemptis viarum difficultatibus ſuum Rebecca per Meſopotamiæ anfractus comitabatur Iſaacum, quàm promptè illa terris, marique diſſitas regiones, & ultimas mundi, ſi verbo juſſiſſes, plagas peragrâſſet; eâ colens reverentiâ, quâ majorem ab optima conjuge vir amantiſſimus deſiderare vix, ac ne vix quidem poſſet.

Cœlo jam & æternæ quietis ſinu recepta anima fida hæc intimæ erga Maritum charitatis obſequia, im̃ortali te vitâ dignam teſtabantur; verùm quia non hæc ſuperûm ſedit ſententia menti, qui ad alium æternitatis te revocaverunt curſum, & jacto temporaliter vivendi termino, alij te vitæ deſtinârunt: igitur DEI, cujus jam aſpectu frueris, genib⁹ Tuas cum ſupplice voto admovere manus ne deſinas, ut ille gaudiorum fons à tui Mariti oculis omnem abſtergat lachrymã, quatenus mœſtiſſimus à tuo obitu conjunx Sipili imitatus ſaxi conſtantiam, quibus tamdiu diffluit, uberes lachrymarum (ſiquidem non ſentire non poteſt) infractus perferat Etheſias. Sed neq; tu ipſe viri orbitatem amico relevare deſine alloquio, Illud hodie ſibi à te dictum audiat: Ego ingredior viam univerſæ terræ, confortare & eſto vir; verè enim funeri cuiq; facilè ſuffecturas adhuc in vivis ſuperſtite conjuge effudit lachrymas, cùm ſimul morbo quaſſati, & lecto affixi ſolatij, ſimul contribulati ſui cordis, aut genibus ante aras nixus, aut toto proſtratus corpore, inter fervidæ devotionis igniculos DEO offerret ſacrificium. Quàm libenter hic com̃emorarẽ, quæ oculatus Chriſtiani mœroris teſtis videram: copioſè, inquã, enumerarem tot fuſas ad DEUM pro conjuge precationes, tot poſito humi genu, tui ad terram Dux demiſſiones, ex imo erumpentia pectore ſuſpiria, manuum cœlo tenſarum elevationes; quæ omnia veri fuiſſe doloris argumenta, is ignorat, quem latet, quòd *fortis ut mors dilectio.* tunc ſuas maximè vires exſeret, cum ſe arcano quodam mentis admonitu brevi præſagit defiturum: ſed me ab intento revocat & tui imprimis, & eorum, qui tuo dolori comites meo ſe adjunxêre ſermoni auditores; luctus renovatio; ampliſſimam enim cunctis gemendi materiam hodiernum

num suppeditat funus, nec conveniens judico cruda adhuc præcordiorum vulnera, tuâ insuper compassione exulcerare. Tuæ igitur Dux Illustrissime, cujus etiam sacer textus miseretur solitudini (væ enim soli, quia, cùm ceciderit, non habet sublevantem se) non apte composita, quibus irritari potius, quàm sedari consvevit dolor, oggeram verba, sed illam Theocriti proponam admonitionem: bono sis animo, non ad te solùm hæc pertinent. Huic cœlorum delicio, templorum ornamento, pauperum fulcro, his, inquam, quos sepulchro infers cinerib⁹, quandoquidem vectigales tota impendit Polonia lachrymas, non ad te solùm, aut eos, quos tum sangvinis, tum amicitiæ tibi necessitudo conjunxit, clades hæc pertinet. Et non dubito etiam illud osseum monstrũ nisi cum omni sensu humanitatis oculos exuisset, in fletus hic solveretur. Paradoxo simile videtur, quod in Genesi lego, Jacobo cum collectis in lectum pedibus supremum obdormivisset, per dies septem à filijs per septuaginta à vulgo parentatum, neq; enim simile verò videtur; ut de Patriarchæ fato major extraneos, quàm domesticos tangeret tristitia: sed facti stuporem aufert illa ratio, quòd filii Jacob paternarum bene conscii virtutum, quem ad supernas migrâsse ædes cognoverant, flere supervacuum credebant. Tuæ conjugis Dux Excellentissime probitas & assidua animi in DEum intensio, cum fideliorem præter te arbitrum habuerit neminem, illud permulcendo dolori tuo serviat, quod eam deliciis in Beatorum Patria affluere non ignores. Tot gratiis intendente se magis per dies Christianâ in Palatinam liberalitate, auctam, cùm viveret, stupebas, & de illius gloria ambigas? Qui gratiam olim, idem nunc dedit illi gloriam Dnus, cui solenne est efficacibus illos prævenire auxilijs, quorum se post mortem animæ totâ infundet plenitudine Divinitatis. Quot igitur antea in illa virtutum conspexeras decora, tot nunc habes de gloria illius confidendi documenta, nempe sibi exhibita compensans abundè famulitia DEus tanto majori Palatinam affecit præmio, quanto plurimorum hæc in Divino servitio superaverat fervorem. Ergo quam inter cœlites post funera degere plurimis compertum habes argumentis, crede quòd nulla tulisti fato damna suo. Imò piaculo vicinũ esse existima, fletu & lachrymis illam prosequi, quam ad cœli palatia advocatam præmisisti, ut pro tua & Illustrissimæ sobolis, quam diu incolumem videre nobis contingat, fortuna (quod etiam de agnomine illius virgine matre canit Ecclesia) ante thronum gratiæ fiducialiùs intercedat. Nobile cur robur fortunæ in uno vulnere perdis? cui Martialis dexteritas pectus contra omnes fortunæ insultus Caucaso firmiùs solidavit. Erudivisti ab antiquo tot calamitatibus animum, ad ferenda quævis adversa, hinc tibi illud Tomitani Vatis bene oggeram; hæc quoque Dux tolera, quia jam majora tulisti. Quantum tibi contra mortem esset animi, patuit, cùm toties Patriæ incolumitatem, gentisq; tuæ gloriam, proprii capitis objectu, & tanti sangvinis impendio lucrareris; Deciorum planè æmulus gloriæ, quos fama canit: Diis manibus ictum despondisse caput. Hic enim verò latissimus tuarum panagyrum campus immensumque aperitur opus, ut fidelis percurrat oratio tuum in pietate fervorem, indefessum erga Patriam amorem; non segne, quàm optimè de illa merendi studium, aptitudinem in supremi exercituum Ducis munere invidendam; Martiam à puero fermè in plurimis bellorum expeditionibus mentem, infractam gravissimis periculis animi constantiam, sexcentaque ejusmodi decora, nisi scirem in hac tumultuantis pectoris anxietate, non medelam saucio, sed novum ex horum enumeratione A. C. 1687

A.C. 1687 -ione vulnus accessurum. Quomodo enim ad obsessum angustiâ cor consolatorius perrumpat sermo? quomodo in occupato doloribus pectore suum inveniat reclinatorium lætitia? Ergo nihil mihi, nisi vota superesse video, ut videlicet ille Consolator optimus, cujus sub hoc tempus lætum in Apostolos illapsum recolit Ecclesia, tuos exhilaret luctus, ut Divinus Spiritus in sibilo aureæ tenuis fletu gravidas à te depellat nubes. Nec dubito fore, ut ad Divini Pneumatis ignes tui siccentur oculi, conceptusq; ex morte charissimæ conjugis subsidat mœror, de cujus ego vita ulteriorem prosequor sermonem.

Christianis imbutus sacris homo, majorem optare nequit fortunam, quàm ut Dominicis parendo mandatis sic mundo uti decernat, ut tamen per inordinatas animi passiones ab eo se vinciri non sinat, qui nec inflari prosperis, nec dejici possit adversis, qui & appetere licita sciat, sine anxietate, & adipisci sine injustitia, & obtinere sine fastu, & sine tristitia amittere. Felix, inquam, homo, qui levans se supra se in aggravante spiritum carne: non secundùm carnem militans, sed finis, ad quẽ conditus est, memor, fastidiosè præterit transitoria, ac spretis mundi fallaciis soli immergitur Creatori. Et hæc de præcipuis una ratio est, ob quam in dicendis DEO laudibus planè immodicos nos esse convenit, quia nimirum reperiuntur plerique, quos Illustrissimus ad modestiam stimulat honor, fœta argento ad misericordiam flectunt peculia; firmũ benè compacti corporis ad contemptum vitæ inducit robur. Hi ad DEUM accedunt per fidem, proximis se communicant per dilectionem, conscientiæ nævos per amaram eluunt pœnitentiam. Quas insignium mentium dotes, cùm à me dici audistis, vivis expressam coloribus, eam, cujus funus deploratis, Palatinam cogitate, Palatinis hanc fascibus honor ornaverat, hos per animi modestiam Numini incessanter submittebat; auro, gemmisque fortuna locupletaverat? has liberaliter in alienæ egestatis subsidium erogabat, quàm studiosa aliorùm corrogaret avaritia: vires sibi natura contulerat? has propediem à morte sibi eripiendas prævidebat. Bonitas illi erat supra modum, prudentia insignis, capacissim⁹ intellectus, solida rerum cognitio. Hujus mihi vivam adumbrâsse effigiem in illo perfectionum omnium compendio Spiritûs Sancti calamo descriptâ muliere visus est Salomon. Difficilis, inquit, inventu est, fœmina, terras peragres, maria, necesse est, antè enaviges, donec illius potiare. Sed nec pœnitendus tanti laboris fructus: in amore Mariti Artemisias, in justitia Camillas superabat, quibus virtutum dotata opibus nullis hostium indigebat spolijs. Nunquam sibi à labore missionem dabat, in tantùm, ut si quando fessas manus invaderet lassitudo, otiumque posceret: mens in manuum labores succederet. Nullus domesticorum reperiebatur, qui non munificentiam illius collaudaret, utpote omnes mutatorijs vestibus illustres, amictique duplicibus: sed & pensa trahere infra Regiæ Matronæ dignitatem videri poterat, non neglexit, digitique ej⁹ apprehenderunt fusum. Et ne singula enumerẽ, in laudatissimam mulierem ea Regum sapientissimus congessit decora, ut, quidquid uspiam laudatum conspiceretur, totum in hac velut in archetypo inveniretur. Tum adjecit; non extingvetur in nocte lucerna ejus, Hic verò occurrit mihi sapiens Anaxagoræ Apophthegma, qui, inquit, lucernâ indiget, oleũ affundat. Bonũ revera cujusvis conditionis mortalibus monitũ, illustrare orbem radijs, accendere terras appetunt nonnulli, incusantq; subinde sinistram sortem, quòd sub modio per plures annos latendo in solem ad publicum non eant: Sed vanissima hæc querela, cùm oleo careant sive cujus

jus defectum infami luxerunt fatuæ virgines vocabulo: sive cujus gratiã lubricam ad nos, atq; adeo facile honoribus iter est; sive denique, per cujus opem alienus nobis illabitur favor. Bonum itaq; Philosophi hortamen, quo in oleum intendere curas jubentur illi, quibus nominis arridet claritudo. Nostra tamen Palatina nullius mundanæ lucis, sed solo tenebatur cœlestis gloriæ fulgore, cujus, quò capaciorem animam redderet, varijs mentem impingvabat virtutibus. Hinc illi reverentia erga DEUM singularis, amicitia erga proximos propensa, prudentia in actionibus exquisita, circumspectio in dicendo ad miraculum, modestia in omni vita demississima. Quæ omnia fidem à nobis extorquent, quâ in splendoribus sanctorum scintillare jam Palatinam nostram credamus, cujus lucerna in tanto virtutum lumine non defecit. Ejusdem splendoris testes vos Divinæ appello aræ, quæ eujs magis orationibus, quàm frequentibus arsistis cereis, ante quas collecta de mundo sinè intermissione deponebat spolia, ad quas novum toties sumebat fervorem, quoties per sæculi curas langvidiorem tepescere in se spiritum sentiebat. Intentionis illius puritatem, heroicos affectus, amoris latitudinem locus hic non ignorat, in quo melius Palatinæ expressam scimus probitatem, quã aut Apellis coloribus, aut oratorum lingva possit adumbrare. Frustra sum, si ferventissimi erga DEUM amoris ex præcordijs in verba erumpentes ignes; si intimum pendulo de trabe Salvatori compatientis animi sensum, si ampliùs ampliusq; inter exomologeses lotam lachrymis conscientiam, si cœlite alimonia excantatam cordis in DEUM famẽ recenserem. Luculentiores horum, quæ dico, testes præter vos religiosi hujus loci Tutelares, digni, quos superstes Palatina tenerrimo prosequeretur affectu, & apud quos sacras corporis exuvias glorioso deposuerit sepulchro; vobis, inquam, sub JESU nomine Duce Ignatio militans cœlis legio luculentiores non appeto testes; suæ vos Arbitri conscientiæ, instructores vitæ, vidistis cum qua vultûs, orisq; demissione colloquia de Numine sereret, quomodo quæsito subinde alia loquendi colore sui incusabat animi teporem; deflebat quasi minùs prompta mentis socordiã; quam avidè spiritûs profectui utilia excipiebat consilia, sexcẽtarumque ejusmodi virtutum, authoritate plenâ à vobis sument posteri testmonia. Jam verò quàm justè timerem, ne diuturnitas narrationis, & meum sermonem, & vestram frangeret patientiam, si detrita per crebros illorum usus cilicia, hebetatas catenulas, ruptaq; flagella, si à delicatis cibis inter senatorias mensas abstinentiam, si diurnas non raro referrem inedias, si denique palàm facere vellem, quæ illa hominum & laudi subducens, & oculis, soli cordium Scrutatori gaudebat esse manifesta. Longissimam horum seriem illa evolvet dies, in qua, quidquid latet, apparebit, cùm districtus mortuorũ Judex manifestabit abscondita cordiũ, simulq; hanc tẽporalis gloriæ hostem tot însignitã gloriæ monilibus mundo ad stuporẽ repræsentabit universo. Ita me sperare, ut aliæ jã recensitæ, ac astris dignæ virtutes, tum vel maximè miserendi super egenum & pauperem facilitas jubet. Nempe hæc non divitias nigrantibus abdidit antris, nec tenebris damnavit opes, sed intra illa divitum gazophilacia pauperum videlicet manus deponebat; digna proinde; cum qua suam faceret DEUS misericordiam, cujus ad alienam miseriam viscera colliquescebant. Sed nec minùs merita est, ut in grata nostrum omnium perennet memoria. Testis est in Psalmis David; DEUM mirabilium suorum æviternam fecisse memoriam; quod cum legerem, Memphiticos imaginabar Colossos, gemmeasque animo fingebam moles, A.C. 1687

A.C. 1687 les, in quibus misericors & miserator Dominus ab humano genere nasceretur. Sed erroris facultatem ademit Psaltes, memoriale illud non ex adamantibus, sed ex edulio factum esse asseverans; *escam, inquit, dedit timentibus se*. Alienam famem ferculis expugnâsse, aridam poculo extinxisse sitim, & nostræ Palatinæ monumentum esto, ære quovis perennius, nimirum, quam illa munifico opere à portis mortis reduxit egestatem, hæc suum etiam inter homines nomen neutiquam mori patietur.

Stupere satis Evangelicum illud mandatum nequeo, reddite, quæ sunt DEI DEO. An enim aut munificentissimus olim, bonorum jam nostrorum indigus egere cœpit DEUS, aut substantiæ suæ fœneratorem esse DEUM aliquis diffitetur? ut proinde officij cōmoneri opus habeat? Ipsum etiam nostrum esse & vivere debitum est, quod cùm libuerit creditor ille, citra cujuspiam injuriam repetet. Sed etiam tributum id non ad sublevandam, qua caret, egestatem, sed in supremi recognitionem dominii supremus ille Monarcha exigit; *reddite;* ulterioris narrationis materies erit mihi, quomodo Illustrissima Palatina ex connaturali in pietatem propensione, ad ungvem, quæ DEUM concernebant, eidem reddiderit; nunc alteram ejusdem mandati partem expendo: reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari.

Non ego tot testium, quot in Polonia rerum gnari sunt homines, auctoritatem interponam; tui solius, qui es pro millibus unus, invictissime Poloniarum Monarcha cum debita quolibet in loco reverentia interpello memoriam. Testare, obsecro, quantâ submissione erga tuam ab antiquo ferebatur Magna hæc anima Mtem. Planetarum Princeps, dieiq; parens sol, qui tuam & stupet, radijs latè diffundit gloriam, ac animi magnitudinem, per horas propè singulas illius erga te prospiciebat fidam, citra proprii spem commodi benevolentiam, agnoscebat videlicet te à DEO propter decus & munimentum Christiani orbis erectam esse turrim fortitudinis, totius Europæ gloriam, secuturæ ætatis stuporem. Ultricem supra modum protervæ Orientis audaciæ Nemesim, orbis Poloni nomen im̄ortale. Sed ultra hæc omnia, fiducialissime motivum reverentiæ erat, quod Christum te Domini agnosceret, hæc sibi præcipua causa fuerat, ut intimis erga te cum alijs omnibus certando votis vinci se à nullo pateretur. Dicere quæ vidimus, quæ audivimus non inviti debemus. Ægrè jam animam trahebat, jamq; se in æternitatem totâ intenderat mente, cum collecto ad loquendum utcunque spiritu majore quàm ægram decuit vivacitate sed tali qui tuis sceptris præcordialiter affectæ congruebat animo, caris visceribus id est magnæ indolis & sangvinis filijs ultima in fidelem mœsti Mariti memoriam deponebat monita, ut erga te Domumq; tuam Serenissimam intaminatum animi candorem fidelitatemque: quoad vita suppetet, præseferant. Nec ignorabas hanc benevoli erga te animi submissionē, invicte Rex, didicitq; subjecta tuæ Majestati Polonia, quàm plenus emolumenti sit menor, quo in te orbis delicium, sæculique nostri gratiam tui feruntur subditi: Cū quanta enim solicitudine ad cognoscendū de illi⁹ langvore medicæ artis peritos vocabas: Quanto tibi concussit mœrore animum, deficientem in horas nuntians rumor: jam verò maxima pectus confudit procella, cùm vixisse Palatinam inaudiisti; Maduêre tunc tibi pretiosioribus, quam Indici sint uniones, lachrymis oculi, elanguitque justo dolore, quem nulla olim fregêre pericula animus. Magna hæc probitatis Palatinæ erat incusatio, tanti Monarchæ luctus: sed major à Regali profluxit

fluxit ore panegyris. Scilicet audiente me inter alia magnæ mentis oracula dixeras, quidquid hucusque felicitatis ex Divinæ beneficentiæ oceano in nostram derivatum est Poloniam, totum id in illius pietatem, velut in quendam fontem refundi debere. Amabas in vita tuis fidele sceptris pectus. Ivit etiam ultra vitæ terminos tuæ innata Mti amoris propensio; quando illos, quos olim non sinè insigni omnium laude gesseras fasces præ reliquis dilecto demortuæ Filio in Vexilliferatu Regni nuper contulisti. Confido, quòd in illa sanctorum gloria exultans, ardentissimis DEUM flectet precibus, ut per tuam Patriæ salutarem, hostibus supra modum terribilem manum, diu dextera Domini triumphet. *A.C.* 1687

Mutuus Jonathæ, Davidisque amor Thaumaturgâ virtute duas in unam animas compegerat. Conglutinato spiritu David animæ Jonathæ; digna enim verò Divino Elogiaste propensio, sed non remissioris dilectionis prodigium viderant, qui Illmæ Russiæ Palatinæ erga Serenissimam Poloniarum Reginam amoris testes extiterant. Ex quo altera in alterius venerat notitiam, usquè eò reciproco sibi adhæserant affectu, ut dici possent anima spirâsse in una. Tribuebat magna illa anima tibi Reginarum, quas Polonia coluit fortunatissimæ, quòd esses Mater Patriæ, lilium pacis, heroinarum omnium compendiũ, fortissima cum tuo Marte Bellona. Majoribus tamen vinculis illius pectus tibi obstringebat sympathica tecum naturæ similitudo, & non superficialis in te inclinatio, quæ tam profundas in pectore radices egerat, ut inde ante vitam evelli nullâ fatorum potuerit violentiâ. Suprema spiritui instabat lucta, at illa inter circumfusorum lectulo gemitus cum ingenti quodã gustu datum à te annulum suaviter labijs admovebat, cumq; ingravescens per momenta dolor manuum eripuisset usum, sæpius in eandem tui erga se amoris tesseram fatali somno graves convertit oculos. In immensum mihi excresceret narratio, si per singula Palatinæ erga Serenissimam propensionis argumenta ire vellem. Nota loquor scientibus, nec imeritò mihi hæc ad calculum redigere volenti quorum tota conscia est Polonia, aliquis illud oggereret; ut quid egemus testibus? Ergo quandoquidem tibi Poloniarum Regina in Serenissimo calent pectore sincerissimæ charitatis igniculi, nec ad mortuale Palatinæ marmor frigescunt, quæ erga vivam accenderas amoris incendia, illa quoque inter eos, in quos desiit cineres, benevolentiæ fovebit scintillas, adeoq; solutas carnis nexibus manus ad superos tendet, ut hi tuas circa publicum bonum solicitas curas, ut Regiam accendentibus frontem unionibus numero pares virtutes, ut tenerum planeque maternum erga sese animum fortunatissimis & ex voto fluentibus reponant successibus. Nec tuæ tantùm Mtis limitibus Palatinæ claudebatur propensio, etiam in Serenissimam Sobolem quàm latè redundaverit, non ignorat Polonia, nos vidimus. Sed reposuit huic amori vicem (ut est innata magnis mentibus ad redamandum promptitudo) Serenissimus Princeps Jacobus cum & crebro sui videndi copiam facere, & decumbentis langvores frequenti solari affatu tamdiu non omisit, dum frigidas corporis exuvias exactus morbo spiritus reliquisset. Ita te superi ament Princeps Serenissime, quam felix illa anima Numini pro te supplex astra precibus pulsare non desinit, ut quemadmodum ille, cujus nomen induisti, Patriarcha, scalã, illique innixum DEUM viderat, sic te ad Thronorum apices per eos, qui tantis debentur dotibus gradus Divina deducat dextera.

Sed libet jam post reddita, quæ Majestatibus debentur, amoris ac reverentiæ tributa, in alteram Dominici mandati partem narrationis seriem

A.C. 1687 seriem convertere; & quomodo Palatina DEUM de sua honoraverit substantia, memorare. Probè nimirum illa noverat cœlos idcirco à Psalte vocari, non quasi simplicissimus ille Spiritus DEUS, manuũ, quibus caret, labore sydeream construxerit molẽ; sed quod in promerendo cœlo nostras lassari man⁹ sit necessè, ut quod Divinâ liberalitate nostris confertur meritis in præmium, nostrorum etiam dici valeat opus digitorum. Eleemosynas itaque illius, quibus violentius, quàm onusto auro Philippi asello, & olympi expugnavit mænia, & DEO tributum exsolvit, narret Ecclesia. Testetur hæc ex remotissimis hinc oppidis collecta quæ demortuæ singultu parentat, ac lachrymis, misera pauperum colluvies, quantis suæ subveniebat egestati largitionibus? His enimverò precatoribus fidenter dico eam sibi DEUS retribuet misericordiam, quam illa miseris exhibebat. Quid cum pijs Religiosorum claustris subsidia? dicatis DEO ædib⁹ supellectilẽ? nosocomijs uberrimè alimenta subministrabat? Quid cùm se tutissimam afflictis aram; injuriæ æstu jactatis portum, fidele inopi vulgo receptaculum, omnium denique solatio & refugio positum probaret asylum? Nimirum beneficia aliis conferendi diuturnior usus munificentiam illi in naturam verterat, ut temperare sibi à largiendo non posse videretur. Quis satis recolat quotnam illa è vinculis in libertatem proprio vindicaverit ære? Quot mortem in momenta quasi sub ictu expectantes, à portis mortis ad diuturnam vitam interpositis revocaverit precibus? Latibula judicibus quærenda erant, quoties urgente justitiâ de sontibus sumi vindictam necesse esset. Illius enim facile ad compatiendum afflictis pectus, gladio retundebat aciem, infames, furtorum supplicia, evertebat stipites, tortorum expeditas ad necem continebat manus. Non est, quod huic virtuti diutius im̃orer, plures enim excederet horas sermo, si nostræ Palatinæ charitatis in DEUM, dilectionis in proximum occasiones percensere vellem.

Animi tamen illius submissionem præterire nullo modo possum; hanc ego vel Arithmetico circulo parem esse dicerem, qui alijs maximum addat pondus virtutibus: vel certè cineri, intra quem probitatis scintillæ clariùs enitescunt. Nulli in pupillam amœniùs solaris illabitur fulgor, quàm qui eundem in profundo contemplatur lacu; cumq; lucidissimis planetæ illius circumfusi radijs, in aprico cæcutiant, & obscuris putei tenebris astrorum Princeps citra oculorum damna conspicitur: Pari quoque ratione meridiano non absimilis sudo virtutum lux, inter modestiæ renidet caliginem, aliàs timendum est maximis quantumvis virtutibus, nisi demitti subinde sciant, nimirum frangitur sævus furentium caurorum impetus in aptabili arundine, & cui robora non sunt sustinendo, eum humilis ac terris sese acclinans sustinet erga aquilonem. Rarò tamen idem modestiam & honores adstringit nexus. In altis à fortuna collocati subsellijs vertiginem capitis metuunt, ne ima despiciant, tam difficiles aliis videri, quàm ægrè illi ipsi eosdem videant. Benè de his Jeremiæ 5omo Prophetæ: De monte, inquit, in collem transiêrunt, obliti sunt cubilis sui. Montes enim verò honores intellexerim; nituntur quidam Sysiphi ad instar in hæc montium cacumina, manibusque pedibusque reptando, & sæpiùs ab alijs detrusi ad ima turpiter relabuntur. Contigit tamen post plures casus, ut in collem alicujus honoris tandem eluctentur; inde majora fastigia votis concipiunt, cumque amica promoventium opem ferre non desinat manus, ad Illustrissimos adrepunt apices, ecce autem obliti cubilis sui efferascunt, nidumq;, cui ortum debebant, pertæsi, humillima intueri dedignantur. Nostram Palatinam

nam quò altius Illustrissimus extulerat, eò se illa demittebat modestiùs. A. C. 1687
Familiaris cum Majestatibus consvetudo arroganter nonnullos inflat; illi non elationis, sed bene de aliis merendi præbebat ansam; quantum subsellijs, tantùm superbiâ plerique eminent: illi Senatoriæ authoritatis parcissimus usus, nec, ut suos jactaret fasces, sed ut suæ obstrictiores benevolentiæ redderet eos, qui supplicem à se expetissent opem. Regios itaque favores, ut sine aviditate excipiebat, sic iisdem sine fastu utebatur, vastum & magnis cogitationibus par nacta caput suo debitæ sexui obliviscebatur modestiæ, ipsas etiam, quas prodiga manu in se fortuna contulerat opes, in egenos paratissima erogare. Ille enim, qui ex toto animum illi occupaverat divinus timor, terrenæ sibi pompæ vanitates præ oculis sistebat, utque potiùs solidum virtutis fulgorem, quàm evanidos honorum quæreret nitores, persvadebat. Quid de animi illius lenitate dicam? Ex nullius damno propriis solatium captabat injurijs, optimo erga eos solita ferri animo, quos sibi hostes alienis tabescens bonis invidia effecisset. Nonne sciebat aulas locum esse hominibus plenũ, amicis vacuum, ubi frequentius laboris, quàm beneficentiæ conspicitur satellitium: ubi illam quotidie vocem remittunt palatiorum marmora, fatis accede, Diisq; & cole felices, miseros fuge. Ubi invidia potentiores impetit, nullas compassio debilibus adfert suppetias, ubi deniq; gratiæ loco censetur, si non pede proterviter calcentur illi, quos fortuna premit.

Hæc aularum vitia tantùm abfuit ne in mores Palatina traheret, dũ aulas incoluit, ut etiam doli fastidium in asseclarum mentibus suis ingeneraret factis. Advertebat enim, simulque confundebat omnes integerrima inter licentiosos vitæ probitas, inter sinceritatis osores candor, inter sæculi amatores continua erga DEUM affectio, augendi per horas DEI honoris studium, tenuis imò nullus injuriarum sensus. Eos in strictioris amicitiæ jura recipiebat, qui virtuti, Deoque amici essent, cum illis familiaritatem exercuit, apud quos probitatis nomen esset non invisum. Horas se perdidisse querebatur, quas sinè speciali Numinis cultu exigeret. Hæc illi sola præ oculis felicitas, ne unquam à Numinis excludi gratia mereretur, hi in votis honores, ne à probitate exauthorata cœli aliquando exueret mancipatum. Tantò impensiùs in illa mirabamur rectè factorum solicitudinem, quod vulgi odisset scientiam, indefessam in probitate proficiendi curam, quòd ipsa hæc sibi præmium esset alienæ non indiga laudis, imò neque oculi; sinceram erga Mtes fidelitatem, quòd nulla pro illa expeteretur propriæ felicitatis accessio. Quid longiori prosequar sermone, quo antea & Regalis Aulæ, & totius Poloniæ implebantur oculi, quæ vegeta nobis hodie reducit memoria, quomodo nec alto honorum culmine, nec arcta cum munificentissima Mte consvetudine exaltatum fuerit cor illius.

Præter egregia propriæ Domûs decora spectabat Vilnensis Castellanatûs purpura, supremisque in exercitu facibus insignem uterini Fratris auctoritatem, cujus præclara erga Patriam merita; impigram in bellicis expeditionibus alacritatem. Primum, ut castra sic quævis adeundi pericula fervorem, Martialem animum, Ducalisq; capacem clavæ dexteram, singularem, deniq; ad tale munus aptitudinem tantis in Patrio nido Regius favor ornaverit honoribus. Spectabat, ut non absque animi lætitia ita sinè ullo tumore suam Principibus in Polonia familijs mistam gloriam, dum sangvine & meritis, longè Illustrissimis Sponsis suas per connubium filias devovit. Nimirum Excellentissimi Palatini Callissien- Raphaël Leszczynski

sis

A.C. 1687 ſis provectior ultra ætatem prudentia, maximæq; capax fortunæ anim⁹, & quotidianis in bello ac pace experimentis probata virtus, ſexcentaque ejuſmodi decora, quæ non difficulter adducerem, niſi ſcirem; quòd, quemadmodum ex remoto petitus Oriente adamas ſuas citra ſuppoſitã fuliginem evomit in ſpectantium oculos ſcintillas, ſic illius primis in Senatu ſubſellijs dignus animus meâ non indiget commendatione. Tantus, inquam, gener, quantam Palatinæ geſtiendi præbebat materiem? Quid Illuſtriſſimus Regni Referendarius, cujus gentilitiâ magis famâ, quàm auro inſignis annulus, orbem admonet, quòd magni Quiritis merita ſunt digna notari meliore metallo, nec dubito futurum brevi, ut annuentibus cœlis purpurata Patrum ſuorum Polono in Senatu occupet ſubſellia. An & hinc parva gaudiorum occaſio? Grandeſcebat etiam ex Germanarum ſororum binario juſta Palatinæ hilaritas, quarum altera dato in DEI ſervitium nomine generoſa mundi contemptrix in eam ſanctitatis evaſit perfectionem, ut in Antiſtitam florentiſſimi cænobii conſecrari meruerit: altera magni Polonorum Decii in cruenta Martis ad Viennam arena pro DEO & Eccleſia ictum manibus caput devoventis, id eſt ferro hoſtili gloriosè interempti Mariti relicta conſors Excellentiſſima Denhoff Palatini Pomeraniæ, cujus hæc orbitati compatiens ad ultimum uſq; halitum fideliſſimum teſtabatur animum. Quid vos memorèm Illuſtriſſimæ & inſigni tantæ Matris dignæ amore viva tam ſanctæ Genitricis ſimulacra filiæ; quantum materna inundabat pectora gaudium, quanto exſiliebat cor tripudio, quoties veſtro frui contubernio, veſtro potuit recreari aſpectu, olim cariſſimæ ſobolis cladem deploranti matri juſſa ſilex ſuccreſcere venis, animam ex indurato corpore pepulerat; quàm mirum eſt, quòd non vice versâ novas ex vobis raptã parentem lugentibus Niobas vehementiſſimus effingat dolor! ne exulcerem, quod nondum ad cicatricem venit pectoris veſtri vulnus, à longiori vos alloquendi abſtinebo negotio. Virtutum, probitatiſq; ſuæ, quàm ab ipſis imitamini faſciis, expreſſam in veſtra memoria relinquit vobis veſtra Genitrix imaginem: elatas verò ad benedictionem tendendo manus, pollicetur, & vovet, ut in veſtris domibus infractum viri robur, & cœli gratiarum, & longævæ vitæ ſit augur, ut aureo ſe vobis annulo mutabilitatis oblita perenniter fortuna deſpondeat. Quid dilecte uteri mei? quid dilecte votorum meorum? Quàm bene his alloqui verbis abſentes poſſum, quos juſtus de materno obitu dolor nihilominus præſentibus torquet; Illuſtriſſimos, inquam, magnæ ſpei filios monumenta ex marmoribus nominis im̃ortalitati conſulturus eligebat Abſolon (melius ſaxea contra Patrem viſcera peſſimus molliviſſet parricida) eò, quòd improlis abjecta liberorum ſpe mortem præſtolaretur. Noſtræ Palatinæ alia ne quærite Mauſolæa, cujus emori nomen Illuſtriſſimus filiorum ternio non permittet, cui ut omnis poſt maternum occaſum Numinis oriatur favor, & noſtrum omnium vota, & materna efficiet oratio. Quid enim aliud portendebant illi ſummo cum delectu à moriente diſtributi annuli? Nonne quòd ſubarrhatam illis fortunã, longos ſine termino annos, finis ignaram ſic illis deſpondebat moribunda proſperitatem. Tulit annulum de manu ſua, & dedit eum de manibus ſuis, in manus utique filiorum, ut, quemadmodum Caroli V. annulus felici illâ epigraphe magis, quàm prænobili gemmâ inſignis, quòd aurea ferret tempora, augurium faciebat; ita hæc extrema à Marte filiorum munera magnæ omen gererent (quàm parentum erga Superos pietatis

Bonaventura Krasinski, poſtea Palatinus Plocenſis

Vladislaus Denhoff Palatinus Pomeraniæ

pietatis memores Illuſtriſſimæ effundent ſoboli aſtra) felicitatis, impa- *A.C.* 1687
tienter veſtrum opperitur reditum Patria tot illuſtriũ decorũ rei, ideoque nobiles è Patria exules, magni ſangvinis ſoboles perſvaſa, quòd poſt circumlatum per exteros veſtrum nomen, Polonæq; indolis gloriam, ubi eorum decora in vos converteritis, rerum exterarũ peritiâ divites, dum in ſolum ſolemq; Polonum redibitis, unà cum natu minimo mihi nunc aures mortuæ parenti ſuffuſos fletu oculos comodante Beniamino demonſtrabitis. Qui genus? unde Domo? ſitis? id eſt, quòd arbor bona non poſſit malos fructus parere.

Per virorum laudes nonnihil vagatus ſermo ad mortuæ redeat panegyres. Deſcribendus enim mihi ſupereſt, qui extremum Palatinæ acceleravit diem morbus, & in comparationem cum patientiſſimis quibusque, non facilè itura ejuſdem perpeſſio. Modeſtiſſima nimirum ærumnarum patientia, quemadmodum valenti ita morituræ mitem fecerat langvoris acerbitatem. Non mihi imperare poſſum, ne mentionem faciam dolorum, qui animam torquent, dum corpus lancinant, & breviſſimo temporum ſpatio omnem in febrientibus expugnant obdurati licet contra adverſa animi conſtantiam. DEUS, qui proſpera, nefaſtaque pro humanarum virium vel debilitate vel fortitudine diſpenſat, patientiæ illius & in ſuam voluntatem reſignationis per diuturnos morbos periculum faciebat; aggravabat quidem humeros moleſtior hæc crux, non tamen ſub illa ceſpitabat, multò minùs abjicere eam à ſe moliebatur. Spartanâ concoquebat nobilitate graves etiã viris langvorēs, ſic tamen ſuas diſſimulare anguſtias nõ poterat, ut in fatiſcēte eas corpore nõ legerēt, imò nõ lugerent amici. Illud ſibi ad ſtuporē omniũ indixerat, ne quis ſub tanta malorũ mole deficientis aliquē audiret gemitũ; nõ illa factis Numini promiſſis extorquere à Cœlitibus ſanitatem conabatur, ut vivere, ſi major inde DEo gloria accederet, parata, ita mortem non recuſans, per quam continuato per vitam patientiæ ſacrificio finem imponeret. Tædebat magnam animam vitæ ſuæ, dum cæleſtis mentem ſubiret requies, adhuc tamen hujus exilij deprecari ærumnas noluit inter tædia & ſolatium, inter ſpē & poſſeſſionem ſui adventum præſtolans Salvatoris. Quidquid ſibi accidere poſſe ſciebat, cum inſigni mentis æquitate expectabat ultra, deſideriô protendi nefas exiſtimans, præterquam, ut certa beneplaciti Divini meta eſſet. Quàm procul ab hujus ſunt patientia illi? qui viribus deſtituti de ſanitate ſibi continuò blandiuntur, qui dolore, tædioq; victi omnes animi vires eò intendunt, ut vitam ſibi à DEO precentur; cumque manus & oculos, ne ſyderibus tendi poſſint, langvor intercipit, ſuſpirijs fatigare cœlos non deſinunt, ut ſibi majori jam ſui parte mortuis, vivendi prorogent terminos. Qui deniq; toti jam in imortalitatem intenti præduci ad æternitatem morti ferreas injicere vellent compedes, cœloq;, ad quod, quamdiu vivimus, peregrinam vicini in terram, quam deſerunt, obverſos demergunt oculos, Adeo illis vitæ libido imponit! adeo ſpes nobis illorum nunquam excidit, quæ amamus! non hæc infirmæ Palatinæ ſtudia ab ipſo Matris utero deſtinatam ſe morti victimam cogitabat, hinc vulnera, quæ ſibi intentabat DEUS, ut intuebatur, ſic deprecari noluit. Scilicet & vitæ, qua in tanta amicorum caterva jucundius eſſe nihil potuit, amorem abjecerat; & mortis licet ægritudo amaram ſibi vitam redderet, extinxerat deſiderium. Corporis equidem debilitaverat vigorem langvor, ſed animum nulla tangebat moleſtia, quod ſuis parem viribus ærumnam crederet, cumq; pro idea votorum Divinum ſibi propoſuiſſet beneplacitum, nec mori optabat, nec vivere recuſabat.

A.C. 1687 cusabat, parata cum prorogato dierum augmento doloris tolerare incrementa. Quisquis in morbientem oculos converterat, sic illius admirabatur constantiam, ut animo colliquescens sui fermè amitteret pectoris robur. Sanè dignior cōmiseratione, cum alienam miseraretur calamitatem, sic nempe ægra animum ad morbos obstinaverat, ut majori ab alijs sensu, sui videri dolores, quàm à se perferri putarentur! hic ad corporis imbecillitatem occaluerat, ut eam gemituum expertem siccis intueri oculis sani vix possent, quibus composita ad solatium verba singultus perrumpebat, & temperare gemitus illa cogebatur, cujus debilitas lachrymis imperabat. Intentissimæ corporum ægritudines ita in nobis vires labefactant, ut cor consolident, quod minorem quia breviorem ærumnarum sensum habet, si totæ in sensū involent malorum phalanges: sic enim naturâ comparatum est, ut quemadmodum alia violenta tantò citiùs desinant, quantò impotentiùs urgent, sic brevissimus esse consvevit, qui maximè premit dolor. Ad illas humanum genus totâ cohærescit mente, quæ nos lentè conficiunt, & veluti pedetentim in busta deducunt; neque mirum, hæ enim tantò atrociori, quantò longiori nos excruciant tyrannide, ut mori se infirmus sentiat, & licet sexcentas secum ærumnas langvidus fatorum in nos trahat incursus, molestiæ tamen minus inferret, si solū nobis cū langvore negotium esset; sed, cùm pharmacorum insuper acredo, succorumque accedit amaritudo, duplicato veluti malorum ordine tota in nobis expugnatur patientia: itaquè enervata in horas magis natura deficientibus per momenta viribus de tolerantia tantùm ægrotantib⁹ decedit, quantum de robore. Nostra inter diuturnos trahebat animam dolores Palatina; neque tamen patientiam excussit sibi molesta ærumnarum diuturnitas. Quis enim, quæso vos, ab illius ore non dico prolixum in querelas sermonem, non dictatum ab impatientia verbum, sed aliquam perturbati sermonis audivit acrimoniam? sed violentiorem jactati corporis vidit motum? Ecquando attracto longū incusabat morbum supercilio? quandq in impositæ sibi à DEO crucis excanduit malignitatem? imò ab eo cui animæ suæ patefaciebat arcana enixè, dum febriret, petens, ut sibi perferendi omnia patienter peteret à DEO gratiam, cum Apostolo dicebat; libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus. Nec potuit incusare veluti elusam votorum suorum pietatem. Quid enim, quæso vos, erat tam mitis morborum perpessio, medium inter vitam mortemque desiderium, relinquendarum contemptus fortunarum, nulla exuendæ infirmitatis solicitudo, æquè ad sanitatem, ac ad mortem libratæ mortis propensio, in solius denique DEI voluntatem animi intensio? quid, inquam, hæc omnia erant aliud? nisi illius, pro qua Numini manus tendebat, gratiæ documenta? Quid illa frequenter deficientis animæ deliquia, illa pressi ærumna cordis tædia? illa cum horis subsidentium virium decrementa (quæ portiones mortis à Tertulliano dicunrur) nonne præsentis illi per gratiam DEI nuntius? vitæ mortisque inter homines dispensatrix Numinis manus, quæ deducit ad sepulchrum & reducit, videbatur subinde robur illi addidisse, non alio credo fine, nisi ut resumpto vigore majori vacans pietati ad ultimam sese luctam fortiùs accingeret, ad ultimum melius præpararet holocaustum.

Et jam eo mei appropinquare sermonis animadverto argumentum, ubi vestræ dato veluti classico certatim erumpent lachrymæ. Nimirum cara hæc virtutum monilia, hos inæstimabiles probitatis thesauros à vasis fictilibus reconditos habuimus, quos cum avidissima manu latrocinans

nans adoriri decrevit fatum, reliquum ex illis fecit nihil. Nos verò ſub potenti manu DEI humiliati non injuriam nobis factam, quòd talē Palatinam amiſerimus, ſed beneficium datum, quod tamdiu pietate ejus uti, fruique licuit, exiſtimamus. Iniquus enim, quod ille ait, eſt, qui muneris ſui arbitrium danti non relinquit; avidus, qui non lucri loco habet, quod habuit, ſed damni, quod reddidit. Ergo, quod adhuc reſiduum vitæ illius ſupereſt, tanquam pretioſa à morte ſpolia avidè colligamus; alloqui equidem vos cum Chriſto poſſum; multa habeo dicere vobis, & non poteſtis portare modò; unicum tamen addam, quod præterire ſi vellem, grandis me piaculi obſtringeret conſcientia. Qualis nonnunquam Pſaltem invaſerat videndi templum cupido, cùm æſtuante animo in illas plenas deſiderii erumperet voces; unam petii à Domino, hanc requiram, ut videam voluptatem Domini, & viſitem templum ejus. Tali Palatina noſtra flagrabat templi amore; eò enim ferventibus collimabat votis, ut dicati DEO delubri limina, Religioſis libare oſculis ſibi licuiſſet, ita nempe in mentem induxerat, ita circumſtantibus in aurem inſuſurrabat, ſimul ac Domus DEI veſtibulum contigiſſet, viſum ſibi fore, ut totis in ſe cataractis, delicijs affluens æther deplueret. Sed tam pijs obſtabat conatibus contra quævis remedia contumax ægritudo. Igitur fidelem ſervorum catervam, ad templi januam in excubijs collocat; qui internuntij, alter ſuper alterum ſe de ſacroſancti Miſſæ ſacrificij partibus comonerent. Illa interim plenum terrore myſterium ſedulâ pertractans mente jam ſe reatuum coram Chriſti Mte accuſare, jam hoſpitanti in carne DEO profundâ accidere animi veneratione; jam cum tranſubſtantiato Pane, ſe, vitamque ſuam in hoſtiam Numini offerre cū inſigni pergebat pietate, eò intēperāter anhelās, ubi facie ad faciē cōtēplaretur Deū, quē in exgiua panis quātitate venerabatur. Et cecinit tandē vale Ægypto, terrā deſertā & inviā, amœniſſimis viretis, horroris & vaſtæ ſolitudiniscāpos lacte, ac melle fluenti regioni, exilio denique permutans Patriam. Hæc enim juſtitiam ſectantium hominum conditio eſt, ut totis in cœlum efferveſcant deſiderijs: cùm frigeſcentis deficit calor corpuſculi. Levant ſe ſupra ſe, cùm lectulo affixi gemunt, jamque ſibi per momenta æternitatis reſerari putant adyta, quando & illa, quam corpus, corporiq; intenti ſenſus exhalant caliginem, ſenſim ſubſidit, & quod animæ obſtabat, ne in veritatis poſſet agnitionem venire, reducitur errorum ſiparium, præſago gloriæ affectu in illud ſe intendente, cui appropiat cœlum; unde & terrenorum, quæ tantopere deperibat olim evaneſcit amor immenſā gloriæ abyſſo abſorbendus. A. C. 1687

Epilogum narrationi illa imponant verba; *Tranſijt à nobis Dux, ſicut mane tranſit*; nihil æquè humanum oblectat intuitum, ac prima ſub auroram diei cunabula. Renaſci tunc per noctis ſquallores emortuus videtur orbis; terra cœleſti ebria rore ſuis gloriatur germinibus, pulchro ſolis radio perterritæ procul aufugiunt tenebræ, luſtra & nemorum petunt opaca; cœptum perſequitur iter peregrinus; nocturni obliviſcitur tædij & inania ſomniorum omittit morbibus ſimulacra, verbo, rebus omnibus cum colore, lætitia & vita redit. Sed quamdiu hæc boni Cœlites gaudia? horarum aliquot effluxit ſpatium, jam provectior dies imoderatos evibrando æſtus nullum matutinæ relinquit amœnitatis veſtigium. Quàm illuſtres nuper Polono explicaverat orbi radios hæc, cujus occaſum lugemus Aurora? nitebat ad ſtuporem, & imitationem charitatis erga DEUM; amoris erga proximum, modeſtiæ præter ſolitum demiſſioris, patientiæ, cui ultra Oceanum ſimilem vix reperias radijs. Eheu

A.C. 1687 sinum redolens maligni fati calor suos intendit ignes,& totam, quæ nos exhilarabat, rapuit amœnitatem. Transiit prô dolor! transijt manè, sive vestrum, qui Polatinæ à servitijs eratis, cùm optimam amisistis Heram, sive vestrum, qui cum infelici fortuna nudi Atlethæ luctamini, cùm benefactricem & Matrem fata vobis in Palatina abstulêre. Quid igitur superest? Matutino, quod transijt tempori, meridies, qui longo defessos itinere ad otium inuitat, diuturno fractis labore imperat ferias; id est magnæ animæ, inaccessibili vicinæ lumini ævernam precemur requiem.

Supremus Divæ Monicæ ad suos hic sermo fuit: Rogo vos, memineritis, mei ad altare. Ijsdem te demortua Palatina interpellat vocibus, Magnæ in Vaticana purpura Myftes, sapientissime Orthodoxæ fidei Cherubim, Polonæ Ecclesiæ decus, & fiducia Eminentissime Cardinalis Regni Primas, primusque Princeps; collocavit te super aureumcandelabrū munifica Excelsi dextera, quanto Ecclesiæ, quanto Patriæ nostræ emolumento, quis nesciat? Justissimis nimirum amicus votis æther tantæ debito virtuti culmine, Tuum, quod nulla unquam temporum obliterabit memoria, extulit nomen. Ergo purpuratam in Te pietatem, cum ea, quâ par est, reverentia colit ex mundo extorris Palatina; simulque tum pro antiquo erga se favore, tum pro hodierno labore gratiam reponit im̃ortalem, illud tibi ex animo precando, ut tuæ virtuti meritisque comes fortuna cum vitæ diuturnitate religiosum in Te colat perenniter nexum, & quandoquidem Numen tuam eousque perduxit gloriam, ubi crescendi adimitur libertas, sic de te perennitas, Honorq; certamen instituat, ut veluti ille amplissimo sinu præclara in Te effudit decora, sic illa longiori annorum revolutione, Purpurato Primati in grande senium deflexam conferat maturitatem. Vovet ut suum in te opus ulteriori in Te cœlum prosequatur benedictione, quatenus felicium Saturni annorum æmulus contra sum̃a omnia arrecti livoris vesanos declines impetus. Memento illius ad Altare, &, si fortè aliquis illius animam piacularibus luendus supplicijs (quanquam innocens illius vita omnē mihi istius tollat ex animo suspicionē) nævus inquinavit, sacer, quem æterno Patri offeres, Redemptoris sangvis, eū eluat, ut sic ad Regias Agni dapes mundatâ in ejusdē sangvine animæ stolâ citiùs admittatur: & quem vivendo, sub panis sumebat edulio, ex illius per æternitatē aspectu omne delectamentū superans habeat alimentum.

Cardinalis Radzieiowski

Nos verò Auditores, quos utiq; non invitos, ne dicam, ultro id expetentes tenaci mundus hic impedit visco, qui sæculo isti nequam, per nescio quas spes ac desideria inhæsimus, ad nosmetipsos aliquando conversi jocos & illusiones fallentis mundi agnoscamus. Alienæ, quam amarissimè deflemus (fletu fortasse majore digni) alienæ inquam, vitæ dispendia, nos admoneant, ut nostro è vivis excessui tempestivè prospiciamus. O si gelidam Palatinæ lingvam! ô si putre jam illius os! ut olim viso Ezechieli campo, vitæ spiritus iterum animaret, quid vobis aliud dicturam putatis? præter illud Evangelicum? *Nolite flere super me* flendi mortales; me jam Numinis gratia, vitæ simul ærumnisq; mundi eripuit; vos innumeræ calamitates, vos sexcenta manent incommoda, qui assiduo scelerum exercitio mundum infamatis. Si alia non suppetunt exempla, discite, ad quorum nutus cohorrescunt Populi, discite, inquam Magnates, quàm miser, quàm fragilis sit honor, cui tantopere fiditis; Serpant circa vestrum caput delicata honorum spolia flores sub aggrestis Maji apicibus, impar oneri langveat cervix, sed ignorare vos nolo,

nolo, tenera hæc veris germina illi solùm opportuna fore usui; ut vestris inspersa tumulis, post breves sepulchri honores exarescant. Auro jam cedroque, aut è Phario littore petitis marmoribus, & si quid prætere a est, quod ætatem ferre posse existimatis, vestra incidite (vanissimæ Parietinæ) nomina, efflebo, inter immodicos gemitus, oculos, si quos in gemmis celatos video, in cœlis scriptos ignorem, quorum gestis incisa animadverto marmora, ex vitæ libro erasos sciam. Regum favores millenis demereamini scriptis, miseros vos pronuntio, si Cœlitis Regiæ clausa est vobis janua, quibus terrena Magnorum Principum patent palatia. Denique consumant sua in vestris laudibus ingenia eloquentissimi Oratores, ô æternùm infames! nisi inter circumfusa Numinis Majestati, millium millia novum DEo canticum decantetis! Ergo pretium aliquando apud nos vitæ momenta, quæ tam flocci pendimus, inveniant, à quibus felix plerisque incipiet æternitas. Nunc verò laudem Domini cum magna Palatinæ Anima loquatur os nostrum, & dignos pœnitentiæ agendo fructus huc omnes conferamus animi vires, ut & gratiæ, quâ illam in vivis, & gloriæ, quâ post abjectas mortalitatis exuvias DEus locupletavit, consortes esse valeamus. Amen. *A. C.* 1687

LIV.

ANDREÆ CHRYSOST: ZALUSKI EPISCOPI KIJOVIENSIS, AD AMICUM CONFIDENTEM. 10 Augusti.

HABE & reliquum Anni qui uti ab umbilico suo in exitum; ita à fortuna, spe & votis nostris in inglorium præceps finem declinavit. Sumpta expeditio nulla potiùs dicenda, quàm aliqua: quis enim aliquam fuisse censeat? cujus effectus nullus, signa nulla supersunt. Ostentata duntaxat arma non probata, simulataque potiùs bella, quàm vera per fragorem & fulgur ferri ceu tonitru evanuêre. Itum in hosticum, à ne visuris, aut vix visuris hostem, & mox redituris. Nec de cœlo queri possumus: favisset illud, si nos ipsi nobis favissemus; verùm quà discordiâ, quà livore unicis etiam optimorum intentorum pestibus infecti, quid non infectum reddant? Rem ipsam accipe. Illuxerat dies 10. Augusti D. Laurentio sacra; benè ominata illa visa est: ut eâ Rex iter suum pro ea expeditione auspicaretur. Quare Zolkwiæ à Constantino Lipski Archiepiscopo Leopoliensi, in assistentia aliquot Episcoporum;quos inter & ego aderam,benedictionemPrinceps postulavit, eâque acceptâ mox Camenecum, nihil Zloczoviæ, Brzezanis, Podhaycis, Buczaci (illac enim proficisci placuerat) moratus movit. Cùm verò Buczaci Dnum Klotomond Gallum, quem anno superiore Camenecenses Tartari cum literis à Regina ad Regem tum in Budziacensi Tartaria versantem expeditum ceperant, reducem ex captivitate, soluto à Regina lytro deprehendisset, ab eoque audîsset ingentes Tartarorum copias ad Camenecum subsistere: visum est habere Senatûs consilium & bellicum, in quo inter alias materias supplicatum Reginæ à Senatoribus; ut labori parceret & ab ulteriore via & comitatu Regis desisteret, proposita pericula, quibus Principem expositam nollent. At frustra dicta fuêre: frangitur citiùs fœmina quàm flectitur; speciosis rationibus curæ valetudinis Regiæ perstitit in sententia. Tentavit deinde illa inter Palatinum Vilnensem Sapieham & Vexilliferum Litvaniæ Oginski Jazlowci, quod nostri 26 Augusti post biduanam oppugnationem in suam potestatem redegerant, concordiam nullo successu: non enim discordet

A.C. 1687 ipse priùs necesse est, qui alienæ pacis negotium suscipit. Sumpserunt incrementum simultates, ac si per Reginæ studia fomes accessisset. Æquior tamen causa Oginscij Regi esse videbatur; unde & in eam magis propendebat. Ventum ibidem ad distributionem vacantium. Palatinatus Podoliæ à fatis Dni Luzecki in Budziacensi Tartaria Incisori Regni Danielowicz, Incisoris munus autem Venatori Regni Miączynski, Venatoris Stephano Potocki Palatinidæ Braclaviensi cessêre.

Princeps Regius Jacobus per instantiam Senatorum præsentium à Rege obtinuit; ut sibi liceret adesse exercitui, uti re ipsa cum parte aliqua copiarum Camenecum movit. Interea de felicibus Colligatorum successibus 25 Augusti lætitiæ an doloris causam fama attulit: quæ enim uberior quà pœnitentiæ, quà pudoris materia, tot annis itineribus & sumptibus lusisse operam, merumq; ferè egisse nihil, numerantibus vicinis palmas annosq; distinguentibus, nos velut per desidiam consenuisse, ac neglexisse tempus, quod expeditam ad victorias & ingens nomen monstrabat viam: unde plurimùm attrita gentis Sarmaticæ gloria, malè tam apud exteros quàm posteros olim tractabitur. Innotuerunt ergo victoriæ & Cæsaris & Venetorum idq; eodem die; ut geminis calcaribus, quibus olim Polona virtus natura & indole suâ in generosos ausus non tantùm prona, sed ruens planè, non eguerat, excitaretur. Terrâ altera Imperatori ductu Ducis Lotharingiæ, fugato Veziro, cæsis 20000 Turcarum, centumq; tormentis captis: mari altera Venetis, redactis in potestatem centum sexaginta tormentis, 15 triremibus, & quatuor castellis obtigit. Altera longè apud Moschum & nos facies, utrisq; velut ex composito otiantibus: apud Moschum tamen fraudè & proditione Ducis Zaporoviensis Samuelowicz stetisse creditum est; quòd nullus ex motis armis fructus provenisset. Quare devolutis sinistris in unum eventibus, prædicto Cosacorum Duci injecta vincula dolisq; repensus dolor. Apud nos verò, quò prospera cœlo ad Camenecum impetraremus, in pane & aqua jejunatum feriâ sextâ; die autem Dominicâ solennis per tentoria celebrata devotio, in qua ex circumstantiis temporis sumpto ex Evangelio themate, cùm appropinquaret portæ civitatis, pro concione dixi. Ominabamur inde secunda, præsumebamusq; votis, nostris urbem cessuram armis: at paucos intra dies spes tota concidit. Vix aliquot pyroboli ultra viginti Cameneco injecti fuerant; cùm ne territo quidem bene hoste receptui signum datum, reditusq; exercitui imperatus, quæ res incredibile quantum Regem turbaverit. Existimabat enim invidiâ Ducum factum; ne Princeps Regius Jacobus gloriam capti fortalitij occupâsset. Adeoque in ostentatione duntaxat armorum, non experientia tota ea expeditio consumpta est, nihilque præter dolorem Principi & ignominiam Sarmatiæ peperit. Rediit Rex Olescum, quò jam fama detulerat consum̃atum Georgij Radivilij Pocillatoris Litvaniæ cum Principe Eleonora Anhaltina Desavi connubium, meæ pretium & fructum operæ; quam toto anno apud Principem Anhaltinum hominem humanitatis sum̃æ impenderam. Is deinde Principem Carolum Radivilium tũ Præfectũ Stabuli, deinde Cancellarium M. D. L. domui Ducum Saxoniæ de Lauenburg per Connubium conjungere tentavit, eamque illi in Consortem vitæ, quam nunc Marchio Badensis habet, adsciscere: verùm id effectu caruit per impedimenta ipsorummet, qui promovere debuissent (supprimo illorum honoris causâ nomina) opposita. Ibidem Olescij Thesaurario Regni Zamoscio certum Rex exprobravit scriptum, complurium Magnatum nominibus contra Majestates (ut quidem putabatur) sub-

subsciptum, quod deinde compertum fuit contra solam Reginam editũ. *A.C.* 1687
Prodidit eam rem Casimirus Opalinski spe potiundi Varmiensi Episcopatu post translationem Radziejowij ad Primatialem Cathedram; at mox hujus facti Præsulem pœnituit, ubi se suâ spe delusum advertit, occupato honore à Joanne Sbąski Præmisliensi Episcopo, infestus deinceps Majestatibus futurus, infestosque vicissim Proceres quos prodidit habiturus. Sic nempe artes suũ non rarò plectunt artificem, & quæsita aliis odia in ipsos Authores redundant. Multa ille cum Succamerario Czapski, qui postmodum Castellanus Culmensis fuit, Legatus à terris Prussiæ existens in Majestates ausus est, eò affectu suo, cui frena permiserat, delatus, ut ne quidem valedixerit Regi & Reginæ.

Et hic jam tempus, meis in Principes obsequiis positurum metam illuxit perpetuam indubiè, nisi plurimis postmodum instantiis revocari contigisset. Impar jam ferendo eram persecutiones, quas Regina nimias aliquot annorum decursu quotidie planè cum impetu devolvebat: quare resolvi me ad vitandam imposterùm aulam & re ipsâ literis datis vale Regi facto abscessi. Rationes persecutionis meæ hæ fuère potissimùm; naturalis imprimis Reginæ in mutationes proclivitas: quia totis viginti & aliquot annis Regni ipsius non extat exemplum constantis ejus in quempiam favoris: unde non mirum quendam Senatorem in Senatûs consilio suggillâsse & Protheo proximam Principem illo perstrinxisse apologo, referendo: qualiter luna matri suæ supplicâsset, de veste sibi provisum vellet: in eminenti enim constitutæ indecorum esse in conspectu comparere universi nudam; ad quæ mater, satisfacturam se votis, si modò sartor non deesset, qui amictum corpori lunari appositum & accomodatum pararet, diffidere se autem multum, ejusmodi inveniendum; quem enim tentaturum mensuramq; pro vestibus sumpturum, planetâ semper diverso, nunc majore, nunc minore, jam in novilunio exili, mox in crescenti grandescente, tum maximo in plenilunio, denique iterum deficiente, adeoque semper alio, nunquam eodem? Hoc primum fundamentum malæ gratiæ mei respectu fuit: nam cœlo & terrâ teste! ceu mediastinus, incorruptæ fidei mea dictæ Principi probavi obsequia, aliquot ultra decadem annis lares meos non vidi, noctuq; diuq; continuus me totum muneri ejusq; operæ impendi. Secunda ratio perpetua duarum mulierum contentio, quæ aulæ gratiosæ, sibi inimicæ, suis odiis quibus in se reciprocè diffidebant, aliorum litabant ruinis.

Le Treu una, altera Federba suâ utraq; factione potens, imò & per zelotypiam impotens, certabant secum; cuicunq; illarum ostendisset affectum, nocebat, parante utpotè alterutrâ casum, sive huic sive illi favisses: hic enim illarum pastus erat. Ego verò mea anteponebam merita, quorum conscientiâ nixus utramq;, ut merebantur, pro nulla habui. Quare discordes aliàs me contra sanxerunt concordiam & velut signo dato primùm cuniculis, qui me latebant, secretis, tum etiam apertis machinis appetivêre innocuum, infeliciq; labore absolverunt opus: quo si non caderem, saltem cederem ab aula. Occupaverunt ita Reginæ mentem, ut crederet quorum fidem ipsa incapacitas subjecti enervabat: nam inter alia hæc etiam offendicula malesuadus elaboraverat furor, acsi Majestates colliderem, deferendo quædam secretiora Regi, literasq; intercipiendo, & tot alia ne somniata quidem. Accessit & zelotypia suspicionum (ut solet) parens: acsi domui Radivilianæ præ Regia addictior forem, ampliùsq; per obsequia illius commodo, quàm hujus intenderem. Nam cùm Princeps Radivilius Procancellarius & Dux Campe-

A. C 1687 Campeſtris Litvaniæ ſub profectionem ſuam ad exteras partes cùm Legati charactere mihi rerum ſuarum curam detuliſſet, & Rex itidẽ poſt fata illius, ut relictæ Viduæ Principi in omnibus aſſiſterem ſeriò injunxiſſet; libens id muneris ſuſcepi, tantoq; pronior mandato Principis parui; quantò pluribus beneficiis prædictæ Regis ſorori me obſtrictum ſentiebam: de Reginæ autem affectûs ſinceritate, ut ut illum præferebat erga præfatam Principem (quia nec aliter facere poterat, quòd proniſſimum Regis animum in Sororem ſuam non ignoraret) uti quiſq; dubitabat; ita certum erat rerum gnaris: coactum eum nec niſi ad ſpeciem duntaxat exhibitum fuiſſe. Et quia ulciſci non poterat ſeſe de nihil tale merita Procancellaria; in me æquè immerentem reconditum effudit virus. Hinc ſtudioſè in omnem intendere occaſionem, ipſamq; captare umbram, ſuſpiciones pro ratione obtendere; argumenta, quibus me pungeret & expungeret tandem. Vix exiſtimârim tot jactatũ quempiam triſtibus, disguſtibus, exprobrationibus fuiſſe; quot me ceu fluctibus fluctus trudentibus poteſtate ſumâ pro jure uſa exagitavit Regina. Interceptæ à Turcis Camenecen: fuere literæ, captus illarũ lator Clothomontius ! mihi imputatũ, fruſtratus Coñubio Jacobus Regius Princeps cum Marchioniſſa Radivilia! ego author & culpa habitus; abiit in cineres Oleskum, etſi tum 12 diſtarẽ milliaribus! nihilominus mihi etiã ea actio in diſtans attributa. Longior in ſingulis percenſendis eſſe nolo, paucis dixiſſe ſuffecerit; nihil perperã geſtum, propemodũ, cujus cauſa in me non derivaretur. Igitur patientiâ feſſâ neceſſario decernendus mihi fuit abitus, præoptandusq; vel ſiccus panis quietiori ac exinde beatiori futuro, poſthabitâ Regali menſâ, quam tot fella & amaritudines non jam guſtum ſed animum torquentes condiebant, & jam toto biennio continuò patientiam fatigaverant. Nec tamen interim iſtud abſynthium meam ita obtudit memoriam; ut non meminiſſem obligationum mearũ, quibus Majeſtatibus obſtrictus eram: nec viciſſim mei Rex oblitus, cujus conſtanter affectum etiam tum expertus fui, quòd rectè & ſine paſſione Princeps ſingulas res arbitrabatur. Frequentibus Internuntiis ſub hoc intervallum infeſtæ Reginalis aulæ, mecum actum, quà per Patrem Vota, quà per P. Skopowski Ordinis S. Dominici Confeſſarium, Succamerarium Wielunenſem Denhoff, alioſque complures; quorum literas affectu pleniſſimas propriâ manu ſcriptas præ manibus habeo ſufficiens documentum; à Rege Reginam inductam: ut priſtino favore me proſequeretur, prioriq; me confidentiæ adhiberet. Et in me quidem nihil defuit debitæ erga illam gratitudinis in eſſentialibus. Profectus obviàm Principibus Radiviliis ab exteris redeuntibus ſubſtiti aliquot dies Varſaviæ; ubi mihi honorem viſitationis Cancellarius Regni Wielopolski habuit. Is non ignorans, quibus in terminis verſarer, qualiterque à Regina tractatus eſſem, imprimis plurimùm meis adverſis indoluit, tum intentionibus circa abitũ ex aula aſſenſus eſt, literis etiã monſtratis à Regina ad ſe ſcriptis, quibus me indigniſſimè per odiũ tractabat. Hoc præmiſſo confidentiùs mecum agere cœpit, intendens me inducere; ut etiam nomen meum confœderatis contra Reginam adjungerem. Exhibuit copiam ſcripti prædicti vinculi, aſſerens primos in Polonia Magnates ſua illi non denegâſſe nomina, quæ inter tamen non comperi ſupremi exercituum Ducis Jablonowski ſubſcriptionem; quòd illum ſuſpectum haberent caverentq; ceu nimis partialem Reginæ. Invitavit ſub hæc omnibusq; ſuaſit modis, partibus illorum accederem; nec tantorum Virorum conſortium aſpernarer: ſumma tum in publicum quàm privatum

tum

tum meum commoda non defutura. Verùm fruſtra hæc canebantur: *A.C.* 1687
honorem prætuli utili, negavi manum ſubſcriptioni contra eam Principem, quæ tot beneficiis etſi per inconſtantiam defectuoſis me ſibi devinxerat. Arcanum nihilominùs id fore pollicitus ſum, uti re ipſa præſtiti, infelici utrinq; eventu; nam neutraliſtam adverſa utriusq; partis ſtudia experiri & ſuſtinere neceſſè fuit, hinc inveterato odio, inde recente in me unum ceu metam collimante. Adjuncta factioni contra Reginam altera in me, & ſalutem meam; ut qui jam per fœminam ruere cœperam, ampliùs per viros eosque clariſſimos in præceps irem. Jam Regina deferbuerat & poſt reconciliationem Regi conſenſerat; ut præpoſteræ iræ ſigilli collatione penſarentur: cùm valida tempeſtas iterum meis rebus itidem à fœmina incubuit, & jam decretum mihi honorem & ſpem demerſit. Datum à Theſaurario Regni Zamoyski certæ cuidam Dnæ quingentorum aureorum pretium, ut emptis conatibus ſuis mea turbaret præmia, præriperetq; in alterum devolvenda: nec defuit indigna peſſimo concilio corona. Ingenioſa in mala mea mulier, fas omne penſi habens, mentita iniquitatem, tam dextrè falſam adornavit fidem, palliavitq; calumnias; ut in ipſo portu naufragium fecerim, rapiente altero, quod mihi promiſſum erat & debebatur.

Quia verò Regina poſt abitum meum velut rupto aggere ſine discretione & reſpectu crudeliter meum tractabat honorem, quà dictis quà ſcriptis ad Senatores dimiſſis, uti ad Epiſcopum Cracovienſem, Zatorienſem Vexilliferum Morſztyn, qui nunc Palatinus Maſoviæ eſt; eum cōcitando contra me & confidentiam ex fundamento ſubruere connitendo: inſuper tam comitiola in ſuas intuitu dandorum contra me articulorum pertrahebat partes, quàm ipſam Romam, quò incorruptam fidē meam traduceret, impensè tentabat, irrito utrinq; effectu; quòd amici per comitiola non deſiderarentur, & Roma per informationem Cardinalis Palavicini perſecutionum mearum conſcij, qui etiam diſceſſum meum ab aula probaverat, librumq; oſtenderat explicantem, qualiter Epiſcopi ſpeciale tractamentum ad aulam prætendere debeant, præoccupata eſſet: indecorum & inconveniens exiſtimavi; ſi mei quodam̄odo oblitus honoris non haberem rationem. Dedi igitur literas aucturas incendium ad Palatinum Mariæburgenſem Denhoff Reginalis aulæ Mareſchalcum, Cardinalem Primatem, Epiſcopos Præmislienſem & Luceorienſē, Cancellarium Regni & alios; ex quibus pateret oppreſſio innocentiæ meæ. Verùm hæ ipſæ malè mihi ceſſerunt: oleum crederes me flammis affudiſſe: increvit, quo extingui debuerat furor. Acceſſit diſceſſus Principis Radivilıæ ab aula mihi itidem adſcriptus, quem ægerrimè Rex tulit, quòd unicè ſorori ſuæ affectus eſſet: at illam faſtidia obliquo Reginæ vultu & continuis per illam turbis orta expulerant, quin etiam domeſticæ curæ avocaverant: nam Principes Filij cum Anhaltina conſorte Ducis Pocillatoris propediem exſpectabantur; quibus omnibus bonis, ſolâ nonniſi Biała & bonis ordinationis Oſtrovienſibus ad vitalitium ſibi reſervatis, ceſſura erat: unde maturandum ei iter fuit, quò in tempore poſſeſſiones diſponeret. Porrò naturalis Reginæ averſio tantò majora in dies ſumebat incrementa; quantò plura in dicta Principe erga me protectionis perſpiciebat indicia. Adeò & faviſſe crimen erat. Nam certè vitio vertebatur, ſi quis lætiore oculo, quem ipſa obliquo vultu notaverat, dignaretur; oſtendiſſe affectum aut familiariùs mecum egiſſe pro profeſſione inimicitiarum in Reginam reputabatur; quare ut faſtidia noſtra jocis ſolaremur, diſgratiatos titulis, quos alij non aſſequerentur, notabamus

A.C. 1687 tabamus, jam variolis eos laboràsse, jam crumenâ excidisse &c. compellando. Contigit deinde ut per occasionem itineris, quòd Varsaviam arripueram, in Palatinum Sieradiensẽ Pieniązek Tribunalis tum Piotrkowiæ Mareschalcũ inciderẽ. Is eodem quasi tempore amplas ad aulam literas dederat expostulando de conservatione legum & pactorum conventorum. Hunc quoque virum vidisse noxa fuit: sumpta & inde occasio me denigrandi, persvasumque Regi, me causam harum literarum fuisse, cùm tamen de illis ne quidem cognovissem. Inaudiêram quidem à Cancellario contra Reginam quidpiam attentatum; quòd Leopoli sub audientiæ Moschoviticæ tempus, & in quodam Senatûs consilio ægrè concedente imò prorsus invito Rege effecisset; ut Princeps Regius Jacobus in throno ad lævam parentis consideret, uti & iteratò idipsum in Comitiis prætendit desiderans; ut ad normam Vladislai, qui declaratus pro Czaro Moschoviæ, Sigismundo Patri in quibusvis consilijs assistebat, particeps Majestatis foret. Verùm prævisum & provisum à zelosis Senatoribus huic rei bene, ne præjudicatum Leopoliense succresceret: nam iminentibus Comitiis congressu habito conspirare Senatus, obices meditari, seriò demum inter se decernere; quisq; pro virili obsisteret: ne ex fœminæ nutu penderet, seu potiùs nutaret Resp. Stanislaus imprimis Lubomirski Mareschalcus Regni, & seipso agere certus, & socios parans pronos alios ad resistendum reperit, alios etiam impulit; Culmensi præsertim Episcopo Author fuit; ut Patriæ legibusq; non deesset: quanquam cum Præsule eo multis agendum non erat, altâ mente repostum vulnus, negatusq; Varmiensis honor insulæ rapiebant in contra Reginæ virũ. Primà Novembris Kruszini constiti, quò etiam Principes Radivilii delati eodem die, nonnisi unius noctis hospitio usi Białam deinde proficiscendo Walbori Cujaviensem Episcopum Bonaventuram Madalinski visitàrunt; ubi pro dignitate habiti hospites, mihi verò læta primitùs mox in patientiæ materiam desitura declaratio coadjutoriæ dicti Episcopatûs obtigit: nam postmodum, quà factione inimicorũ meum honorem ægrè ferentium, quà morte Præsulis, cujus tot originalia præfatam promissionem confirmantia adhuc habeo, evanuit. Similẽ affectum & gratiam mihi exhibere Cracoviensis Episcopus voluit, sed frustra: per respectum ætatis abstinere malui honore, ne senioribus præjudicarem. Duodecimâ ergo Novembris Białam pervenimus, excepit in templo Principes Mater, triduoque deinceps illorum lætata adventu ad aulam expedivit; ut primum affectũ & venerationem post Parentẽ Mti Avunculo suo testarentur: ubi quia me cooperante jam devolutos Capitaneatus Vidua parens in filios volverat, quantumvis Regina obniteretur, feliciter nihilominùs omnes obtinuêre. Volitabat tũ temporis rumor acsi Regens Cancellariæ Krajewski à Cancellario supremo Regni, & Buzynski, qui sub Avunculo meo in eodem officio meruerat, à Cardinale Primate pro minore sigillo propositi fuissent: verùm hæc fama mox correcta fuit. Principibus Zolkviam profectis Germanus meus, qui nunc Palatinus Czernichoviensis est, Wratislaviam abiit, ut necessaria præpararet pro receptione Principis Anhaltinæ, cui obviàm perrecturus Białâ mox erat, Georgius Radivilius Pocillator Litvaniæ, prædictæ Maritus. Iminebant post hæc Comitia Grodnæ futura, quæ primum prænominato Principi Georgio infligerent vulnus, mox secuturis aliis quæ innocuum juvenẽ in ipso ætatis flore spem Patriæ extingvent, & ingentem luctum magnæ domui inscribent. Misit suam declarationem Thesaurarius Litvaniæ ad Principem Viduam in eum sensum, se paratum esse

esse & auxilio omninò futurum, quò pro Mareschalco Princeps Georgi⁹ Comitiis præesset, eâ tamen conditione: si vicissim ipse suarũ partium esse vellet, idemq; secũ sentire. Verùm fucata ea fuêre studia, præterq; speciẽ nihil in illis sinceri, uti re ipsâ patuit; necdum eæ literæ redditæ fuerant, cùm certior delata præcautio, quæ simulatum affectum aperiret. Nam jam Sapiehæ Reginæ promiserant se rupturos ea comitiola, ex quibus Princeps Pocillator Nuntius esse posset, deinde Mareschalcus futurus. Nec aliter evenit, quàm polliciti fuerant. Rupit comitiola Brestæ in Litvania Thesaurarius curiæ Litvaniæ Sapieha, qui postmodum Palatinus Trocensis decessit. Mielnici autem in nuntium electus Princeps Præfectus stabuli. Deniq; ut concludam hunc annum comiserunt se viæ Mstes Grodnamq; pro comitijs iverunt: Princeps autem Pocillator Vratislaviam se contulit, pro deducenda sponsa. Habes annum Christianitati utcunq; lætum, relatis de Turca victorijs; Patriæ nostræ criticum nulla utpote re gloriosum, neglectis belli momentis tristem, privatis partim per honores secundum, partim per adversa funera casusq; sinistrum, mihi iniquissimum. Felicior utinam successor annus sit corrigatq; præteritum diem! verùm forte ea frustra vovemus. Idem illius forsan fatum leges & cur mirabilis dici potuerit, miraberis. *A.C.* 1687

LV.
ANDREAS C. ZALUSKI EPISCOPUS KIJOVIENSIS AD PRINCIPEM CARDINALEM RADZIEIOWSKI
Zolkwiâ 5. Octobris.

JAM etiam adimplevit mensuram plùs quàm Stoica patientia mea; quando tam gravi toto triennio persecutione exercitus eidem ulteriùs sustinendæ impar, heri primùm desperatâ meliorum spe, sigillum, quod præteritâ hyeme ex instinctu Reginalis Majestatis Episcopus Præmisliensis in controversiam respectu mei vocaverat, resignavi & deposui nunquam imposterùm reassumpturus. Dominus Galecki huc delatus Varsaviâ doctus venari honorem per ruinam meliorum se, rancore in meam Personam inde, quòd Succamerarij Wielunensis partibus favissem, imbutus, factionis cujuspiam Varsaviæ procusæ fecit indicium; in quam post prima capita me etiam (non recusarem cum tantis honorem consortij) involvit. Quid sit hæc factio, hactenus ignoro? nec scire forsan imposterum licebit: non entis enim nullæ sunt qualitates. Advexit secum præterea (ut mihi videtur) missum ab Episcopo Luceoriensi excerptum Literarum sine Nomine scriptarum, à quo eæ datæ & ad quem mihi non liquet? exarata in illis est audientia prænominati Nominati apud Regiam Mtem, lacrymæ & testamentum ejusdem. Feriâ ergò sextâ præteritâ vocatis nobis Srm̃a Regina, id est Episcopo Camenecensi, Dño Regente Rñdo Sarnowski, & me mandavit literas eas legi: quibus relectis ad nos apostrophen fecit, exigens à nobis; ut tanquam frequentibus correspondentijs cum alijs certantes inquireremus & determinaremus hujus scripti Authorem: exemit autem ab ea suspicione Episcopum Camenecensem tanquam parcè correspondentem, adjecto jurare possem, nec Belzensem, nec Podlachiæ Palatinos, nec Rdum Przerebski scripsisse: crede mihi, si meæ hæ literæ essent, nullatenus inficiarer; nec enim aut læsæ Majestatis crimẽ aut perduellionis continebatur: Verùm si eam causam pro dignitate & merito trutinare vellemus, Luceoriensis Episcopus præcipuè culpandus foret,

A.C. 1687 foret,quia arcana privatæ audientiæ evulgavit. Nec igitur meũ agnoſcens ſtylum,nec adhuc tam probè perſpectas habens delatæ rei particularitates tantæ fateor me permiſi triſtitiæ ut eodem planè momento firmum valedicendi aulæ conceperim propoſitum. Nobis utique Epiſcopis illud non fruſtra dictum eſt: ſi vos perſecuti fuerint in una civitate fugite in aliam: ſcio enim quod mihi hæc videbatur faba, quò de ſpe reliqui vacãtis honoris omninò detruderer, quem jam penitùs nauſeo, nullatenùs eò dementiæ proceſſurus; ut dubiæ fortunæ certum nulli labi & criſi obnoxium immolem honorem. Unde ſcripſi ad Mtem, valeq; dixi intimum cordis mei dolorem inſinuans; quòd impoſterum obſequio in Principem inclareſcere mihi non liceret, intuitu tot annorum perſecutionis, cujus ſufficientem habuiſti notitiam. De literis verò tuis quibus interpretationibus & cenſuris ſubjectæ fuerint, taceo: malo ut ex aliis reſcias, ne paſſioni obſecutus videar ſcribendo. Illud certum, quod quẽadmodum Strycæ (ſi gloriari licet) generoſè primus præſumpſi explicare illas ſuſpiciones de accelerato tabellarij adventu; ita & modò occurrente eâdem materiâ dixi neutiquam id admirationi eſſe debere: graviter enim tibi tanquam Primati & primo Senatori accidere neceſſè eſſe, quòd Epiſcopus Premislienſis habens inſtructionem; ut jura Patronatûs Regiæ Mti evinceret, toto cœlo contrarium fecerit: dum ſine voluntate & aſſenſu Regis retentionem obtinuit; Probavi id ulterioribus in tantum ut Rex diceret Varmiam non egere aliquo ſupplemento aut additamento alterius muneris, liberumq; futurum Reipub: ſuſcipere. Exiſtimavi ego; quòd te in culmine ſupremo conſtituto Regina in tuo baſim locatura eſſet affectu, fortunãq; ſuæ exſtructura poſteritati: verùm in adverſa itũ eſt: crevit diffidẽtia, acceſſit poſtpoſitio noſtra, contemptui eſt amicitia, totũ affectũ Epiſcopus Premislienſis occupavit: nec miror probè cognitã habens mundi hujus inſtabilitatem. Ego huc adveni, unde Princeps Radziviliana mox profectura eſt: illa enim Jaroslavienſis converſatio non tantùm non diminuit odia; ſed quinimò auxit; habuit enim inter alia hãc præcautionem Duciſſa, ideo Reginam huc non advenire Regemq; ipſum ab eo itinere detinere ne prædictã Principẽ videat. Ante adventũ meum & reſolutionem jam concluſerat coram Epiſcopo Camenecenſi ſuum hinc abitum: perget verò Białam expectatura ibi Principes, qui 10 præſentis Vratislaviam reduces, inde ad nos accelerabunt: quibus ego ubi dies aliquot privatis meis Jaroslaviæ impendero, obviàm pergam; cùm aliæ occupationes deſint, Białamq; deducam, tam Varſaviam viſitabo, & forſan Varmiam etiam venerabor; quam tibi retinendam ſvadeo. Claris id ipſum terminis Reginæ aſſerui, malle Nos Varmiam cum Archiepiſcopatu practicato jam ante exemplo pati, quàm Varmiam cum Miechovia: cumq; obijceretur incompatibilia alia cum Archiepiſcopatu eſſe; reſpondi avunculum meum non fuiſſe Cardinalẽ & tamen Jedrzeioviã uſq; ad vitæ ſuæ tempora tenuiſſe. Non defuiſſent plura ſed præſtat ſilere quàm parcè loqui &c.

LVI.
ANDREAS C. ZALUSKI EPISCOPUS KIJOVIENSIS AD REGEM Zolkwiâ 6 Octobris.

Scribit ad me Pater meus fidelis Vræ Mtis ſervus, ut advolutus Majeſtatis Vræ plantis ſupplicẽ; quatenùs Regiâ ſubſcribat manu conſenſus, quibus habitis illi liceat geminum divendere pagum. Mitto dictos conſenſus ad manus Reverendi Przerębski, in cujus abſentia præ-

ſentabit

sentabit eos Castellanus Podlachiæ. Supplico Vræ Mti, ne scrupulisare velit, quod ij porrigantur fenestrati: quærit enim parens meus emptorem plus offerentem: non utique tanta res est, ut magnas consequentias post se trahat, nec enim uterq; pagus sex millium reditus infert, præterea propriis pecuniis emptus est. Exhibuit Vra Mtas tot & multò majores gratias domui meæ, innitor spei eidem de bonitate, quòd & hanc Mtas Vra exhibere volet: quam si obsequiis nostris æquare non poterimus universi, precibus saltem apud Deum acturi sumus, ut ille benedicat sceptris Mtis & det ætatem, quam meretur: nam si totus illabatur orbis, non mihi ullus persvaserit; ut juratæ renuntiem obligationi: non aversa fortuna induxerit; ut aliquando contra Regiam Mtem non tantùm facto & verbo sed vel cogitatione peccare velim. Novi probè à prima aliquot abhinc annis in calamitatis orbitam incidentia, singulas actiones meas sinistris interpretationibus traductas, insimulatum etiam eorum me; quorum ne per somnium quidem imagines passus eram, nec adhuc finem sperare licet, metuo adhuc sub hanc meam absentiam & ab aula elongationem ulteriores persecutiones. Quare humilio me ad plantas Vræ Mtis, & eam imploro justitiam, quam etiam minimo & vilissimo facilis exhibere svevit, dignetur cum omni rigore singulas meas arbitrari actiones, indulgeat ut respondeam objectis; nihil profecto comperiet, quod fidem meam Nobilitarem & Sacerdotalem honestatem denigrâsset. Proficiscor Leopolim remedia quæsiturus contra insultus quos à Monachis patior ob zelum, quo jura Mtis Vræ asserui, nisiq; ea à Cardinale obtinuero, fors etiam Romam pergendum erit diluturo objecta, pro qua via Leopoli literas liberi passûs à Sacra Regia Mte petã: nam si indispensabiliter eundum erit, vellem ita accelerare iter; ut saltem pro fine Comitiorum, si id possibile erit, redeam. Declinabo ita hac viâ à fulminibus, quæ humilitate mihi potiùs vitanda esse duco: quamvis existimem & ea tandem cessatura, si omnes actiones meæ reflexo actu sine passione trutinatæ fuerint. Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam, nobis dictum est. Est & erit hoc unicum levamen, quòd ubicunq; gentium fuero, ubiq; mecum circumferam comitemq; habebo illibatam virtutem, nec conscientiam meam metuam; cũ illa nihil tale objicere possit, acsi contra debitum & obligationem, qua Regiæ Mti obstrictus sum peccâssem. A. C. 1687

Princeps Soror Mtis Vræ præstolatur adventum S. R. Mtis, casu quo ante Dominicum diem non se cõmitteret itineri, ad suscipiendos Principes. Illustrissimus Camenecensis Episcopus testimonium perhibebit ante adventum meum à prædicta Duce conclusum fuisse iter: præsentio enim etiam id mihi imputandum; utut cavi me his im̃iscere, si forsan aliqui disgustus fuerunt. Dedit DEUS Vræ Mti Divinum judicium, novit quemvis etiam longè positum subditorum suorum; quantò magis credam necessè est, proximi sangvinis eidem compertam esse ad bonum indolem, & econtra aversionem. Ego verò expecto brevíne mihi ardens Olesci adscribetur incendium; non enim jam ullum crimen superest, cujus accusatus non fuerim. Insimulatus fraudis alicujus in actionibus Bassani, projectorum author existimatus (proh DEUM vindicẽ) & quod dicere nolo: utique Cleromontus acceptus, & Cameneci tamdiu detentus: ego culpa fui, quòd quoad sigillum Principi Cardinali sit contradictum, quòd literæ periêrint, quòd in alienas manus inciderint, quodque demùm gravissimum est, mihi impingitur, acsi insinuâssem Vestræ Mti ea, quæ cor ejus avertere possent à Reginali Majestate. Cum lachry-

A. C. 1687 chrymis supplico, appello ad ipsammet Mtem, num vel verbo unico aut gestu tale quid attentatum sit? Precatus sum indignus, ut omnia hujusmodi DEUS à corde Mtis procul averteret, quibus affligi posset: verus enim nulliq; secundus in vestram Mtem in me flagrabat amor, certeq; nullâ ille adversitate intepescet aut extingvetur. Interceptæ fuerunt literæ meæ, lectæque quin homines appretiati ad hoc, ut aliquid in me deprehenderetur, quod reprehensum me confunderet; nihil ejusmodi cōpertum fuit: supplicavi & personaliter & per alios; ut de millenis objectis unicum probaretur mihi, eo ipso jam omnium futuro reo. Examinavit, pecunijs egit Regens Regni, (cum quanto vulnere cordis mei, quòd eò rerum devenissem) cum famulo Episcopi Culmensis inquisivit, an non consilij pars aliqua fuissem ratione præcipitati discessûs, & acriori stylo scriptarum literarum. Invoco fidem Palatini Mariæburgensis, Castellani Podlachiæ & Mareschalci Litvaniæ; an compertis ejusmodi reb⁹ biduo non detinuerim redditorem literarum? an non æquè satis acerbas rescripserim, utique ultimis duobus cōmunicavi literas ad Episcopū avertens omnem turbationem à corde Mtis Vræ satis aliunde mortificato. Non rescripsit mihi, tum confirmavi duntaxat famulo cōmendans, ut redderet mandatum & tamen eo ipso tempore mihi palàm facienti promptitudinem meam & affectum cudebatur faba. Dnus Galecki ex rancore, quòd per conscientiam meam illi favere non potuerim, quo Succamerarij munus consequeretur, (primum eo tempore enim hoc vacabat officium, meoque judicio ad illud non notata toties persona requiritur) ex suspicione acsi Dnum Denhoff promoverem deserto ipso, quanquam Vra Mtas perhibere dignabitur testimonium veritati, me cum primo non admodùm molestum fuisse, de secundo nihil mali locutum, hic Dnus Galecki præter complures alios me etiam in quandam involvit factionem, de qua DEUS videt! nihil compertum habeo, nec forsan imposterùm sciam, quia non entis nullæ sunt qualitates. Si tamen quidpiam de illa in meam deveniret notitiam; ita de me sentiat Mtas Vra affectuq; meo in omne honestum; me non defuturum fidei meæ quin deferā nec secretam ad id audientiā petam, cuivis intuitu honoris & concernentium Regiā Mtem veritatem eloquar, nec protectionem quæram; sufficit mihi ex propria conscientia præsidium. Non turbent frustra Mtem Vram; quia non est consilium adversus Dnum. Habet Vra Mtas magnū apud populū amorē, nec existimo supinā ejusmodi inveniendam malitiam; quæ in sole maculas indagare vellet. Ad excerptū nobis à Vra Mte cōmunicatū nihil respondeo, quia sum innocentissimus. Explicui meum Episcopo Camenecensi circa hoc sub sigillo secreti sensum, &c.

COPIA LITERARUM EJUSDEM AD REGINAM
de eadem data & loco.

ADversæ fortunæ violentiâ de continuo Reginalis Majestatis obsequio extrusus & exactus, reddidi & resignavi, cùm aliàs, tum præteritâ maximè hyeme in controversiam vocatum sigillum in manus Episcopi Camenecensis. Chartas ad id munus spectantes, quas hactenus sub mea Cancellarius tenui custodiâ in ordinem redigo, & connoto sub sigillo illas hic Zolkwiæ relicturus. Siquidem verò justificationes meæ manifestæ innocentiæ superare nequeunt odia inimicorū meorum, spem firmam in DEo repono, quòd justitiâ suâ cuivis secundùm merita reponet pensum. Conservabo interim in corde meo eam gratitudinem, quam frustra acerbæ triennio toto & propè insupportabiles

biles deterere & delere laborârunt persecutiones. Contra indignam sortem meam coram nullo conquerar, iis præterquam solis; quibus probè cognitus est candor meus, ejusq; potissimum satagam; ut quàm longissimè remotus omnem Majestati V. præcidam occasionem habendi sinistras de me relationes. Hanc unam supplex expeto gratiam & beneficium, ut quandoquidem nullam sive appeto, sive exopto fortunam, hanc solam mihi consequi liceat: quatenus aliam de meo in honestum studio & candore opinionem concipiat, semper enim collaborabo, ut quà publicè quà privatim probem me sic immeritò tractatum fuisse esseque &c. *A.C.* 1687

LVII.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISCOPUS KIJOVIENSIS, AD REGINAM. Leopoli 17. Octobris.

Reliqui scriniolum cum chartis obsignatum apud D. Izu, clavim verò apud Dñam Marywyzowam, mitto indicem meâ manu subscriptum, nulla hic restat Zolkwiæ chartula, quæ quidem ad Reginalem Mtem Vm̃ pertineat: si tamen quæpiam inventa fuerit inter mea scripta, sive Varsaviæ sive Jaroslaviæ; fideliter & certò restituam. Accepi literas à Dno Marquione Patre M. V. ex quib⁹ intellexi, id quoq; mihi in damnum vergere; quòd me coram Regia Majestate justificem. Video igitur eam bonitatem, quam in Reginali Mte universus suspexit Orbis, mei unius duntaxat causâ conversam esse; quando mihi ne verbo quidem mutire licet, & testari dolorem. Cautior igitur ab hinc ero ut V. Reginalis Mtas intelligat: quamvis omni spe exutum, quia eidem renuntiare paratus sum, nullatenùs tamen obliturum me obligationis Vestræ Mti debitæ; & quamvis oppressio mea triennalis in toti⁹ Poloniæ notitiam se se diffuderit; nihilominus cum omni modestia & condigna Nominis Mtatis V. veneratione locuturum. Id solùm supplex peto, ut quo ad hoc justitiam administrare mihi velit, quam etiam vilissimo à servitio incendendæ fornacis famulo testari consvevit; ne imposterùm me judicet, uti hactenus ad unam (DEus novit qualem) delationem, néve Regias aures suas advertat ad audiendum sinistras interpretationes actionum mearum: nam etsi grave martyrium obliterare posset obligationes V. Mtati tanquam benefactrici debitas, nunquam tamen delebit honesti studium, cum quo natus sum & educatus, quodq; semper mihi debitum respectum in eam persvadebit Principem, cujus sum subditus. Gratulentur sanè inimici mei sibi, ego certè de minori fortuna mea dolorem non præferam. Malo solum panem tenui condire salino; & interim tenues inter dapes integris honoris mei, quem tam pudendis vixq; in imaginatione repræsentabilibus sordidârunt objectis, gaudere reliquiis. DEum precor ut V. Reginali Mtati meliorib⁹ ad obsequia provideat servitoribus, cum quibus quamvis distans remotiùs certare paratus ero: certò enim mihi persvadeo neminem me superiorem futurum, victurumq; affectu: quo etiamnum defessam malis valetudinem meam & vitam R. M. Vræ inscribens maneo. &c.

LVIII.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISCOPUS KIJOVIENSIS AD REGEM Leopoli 17 Octobris

Quantò expendo ampliùs plenas bonitate Mtis Vræ literas; tantò graviùs cordi meo vulnus infligi sentio; quòd iniquioris fortunæ præ-

A. C. 1687 prædominium mihi imponat necessitatem ab eo me Principe elongandi, cujus vultu ad usq; suprema fruendi fata, desideratumque orbi spectandi Regem mihi unicè in votis fuisse ipsæ casæ meæ, quas proximè secundùm residentias Dni exstruxi, luculentè testari & arguere possunt. Supplico igitur Mti, clementiæ simulq; Divini judicij plenissimæ, pro certo id sibi persvadere velit; hanc meam absentiam ipsi naturæ meæ violentam esse: quid tamen interim faciendum? quando sic adversa tulêre fata. Sepeliam præterita oblivione, nunquam eorum memor futurus; quia & id crimini vertitur, quòd coram eo Principe, cujus discipulum agere universum orbem non pœniteat, exilem meam, vitâ nihilominùs & omni fortunâ cariorem justificem reputationem & honorem. Secuturi duntaxat diei intuitu Mti V. supplico, verbo sacerdotali Regiam adhibere fidem ne indignetur: quo vitæ meæ & omnium actionum rationes ad eam observantiam & regulam me adstricturum polliceor, ut vel de minimo gressu meo quàm arctissimam reddere Mti Vræ valeam rationem. Novi enim tam diuturnâ doctus experientiâ, minimè otiaturum inimicorum meorum oculum, nec, siquidem scitè me gratiâ Regialis Mtis, quam ut occuparem, teste cœlo & terrâ, laboribus, sumptibus, assiduitate & nulli secundo affectu indefessus intendi, exuerunt, defuturos, sed imò conaturos, ut in absentem devolutis omnibus, Principis à me animum avertant. Inimici multi, invidi penè omnes. Quanquam ejus spei vivo, DEUM qui Mti Vræ ingentem inspiravit animam, non permissurum; quin & ego experiar eam justitiam, quâ Mtas Vra per universum hoc merito celebratur. Si igitur quispiam tentaverit indecoram & meæ conscientiæ, noto candori, obligationibusq; non accōmodā consuere vestem, de genu Mtem V. precor; ne velit accusatum & non auditum condemnare, sed potiùs confidenter cum servo suo, eoq; indubiè sincero & bono procedere. Si non licuerit literis objecta refutare; non me ulla distantia terrebit, quin vel ab ipsa Thule iter accelerem ut confundam inimicos meos. Audacter id dico fultus cordis mei conscientiâ, cujus affectum in vestram Regiam Mtem dies nulla, nullus mutabit turbo; etiamsi ea constantia mihi in damnum ulteriùs vergeret, uti mihi authenticè constat. Sufficiunt mihi ea, quæ domi habitanti suppetunt, satis erit naturæ & voto frustum id, quo per gratiam Dni mihi vesci contigit. Aulæ adesse assiduò impossibile: unicum enim in Silesiam trimestre iter triennales absumpsit reditus. Nunquam solicitus fui de grandiore fortuna salvo Principe, & quamvis illa toties me præterierit; non tamen contraxi frontem, voluntatē in omnibus his respexi Numinis, in cujus manu cor Regiæ Mtis est: toleràssem & ulteriùs inauditum martyrium; nisi ita velut in obsidione positus undiq; impugnatus fuissem, quando mihi apud Regiam Mtem Vram (à qua discere potuissem sub tempus obsequij rectitudinem illam, quam semper tantis heroicis actionibus ejusdem æquavi) quando inquam apud V. Mtē omnia mihi tam scitè corruperunt; ut viderer semiplenè convictus. Verùm faciet Deus aliquando misericordiam & ostendet eam, quæ nihil magis erubescit, quàm abscondi, veritatem, me inde contentissimo futuro: etiamsi panem mendicando lucrari oporteret; modò cui unicè studeo, integra mihi corā orbe honestas constet.

Imparata Vræ Regiæ Mtis cum debita submissione explevi, omniq; possibili modo egi cum Principe sorore; ut adventum Regiæ Mtis Vræ expectaret. Discessi ab illa accepto responso, quòd ad feriam secundam in eo loco adhuc moratura esset, dumōdò certa redderetur de adventu V. Mtis. Reddidit rationes discessûs sui alias speciosas, alteras irrefutabiles

biles, ultimas ignorare malui, privatarum ipse calamitatum abundè habens &c. *A.C. 1687*

LIX.

ANDREAS CHRYSOSTOMUS EPISCOPUS KIJOVIENSIS ERNESTO DENHOFF PALATINO MARIÆBURGENSI MARESCHALCO REGINALI 4. Novemb. Regnovo.

ACcepi responsum tuum ad literas meas, quibus Tibi notitiam detuleram recessûs mei ab aula Reginali, resignationisque sigilli hactenùs undecim propemodum annis ad invidiam plurium frustra sæpè de industria malignitate aliorum instigante subnatis controversijs possessi. *Resignatio sigilli* Non existimo me superbiâ delicturum, si de benè gesto officio gloriatus fuero: in id enim omni conatu annisus sum, ut Dominæ meæ affectu & assiduitate impigri obsequij mei supplerem & cõpensarem, quidquid capacitati deerat. Ita me totum huic officio immerseram; ut velut absorptus non meminissem larium meorum, privatiq; lucri; unicè in id intentus; ut perenni accatenatus obsequio nõ interpretando jussa sed exequendo Sarmatico probarem orbi, frustra difficultatem obtendi, bonumq; servum desiderari, non inveniri posse. Unde minimè miror te potiùs auguraturum fuisse Tibi fatalem horam, quàm ejusmodi mutationem. Quanquam factâ reflexione super eo, cujus tu ipse etsi intra angustias temporis residentiæ tuæ spectator fuisti, quomodò sæpe numerò afflictus & humiliatus eram nimis, idq; citra demeritum meum, quando insuper tibi ipsi (ut mihi ex alijs constat) vitio versum est, quod candidam meam non aspernareris amicitiam: tibi ipsi fatendum est, me injurias sine crimine pati. Perambulabam in innocentia in medio domûs Regiæ, vivebam aperto ostio, uti verba mea sic vita integra palàm erant; nec quidquam reperio in me usq; ad novissimum valedictionis Olesci diem, id est quartũ Octobris, non jam vel crimen aliquod; sed nec suspicionis suspicionem, quæ nunc grandis sceleris habetur loco. Excessi aula cum plena rectæ conscientiæ satisfactione & solatio, nec quisquã mihi dummodo tam honesti amans sit ac ego, aliquid objicere potest. Quisquis autem more suo, non merito meo de suo quidquam cerebro comentus est; id universim negligo, transmitto, infra me habeo, spe Deo innixus has persecutiones exercitiũ mihi præbituras, non exitiũ. Gratias egi pro munere abire malens, quàm ambire illud, ex quo detrudebar, contentus interim meruisse etsi non haberem. Benè enim illud didici: ut omnes in mundo res, sic specialiter fortunam æternæ legis venire imperio, Ipse DEUS, cui nihil absconditum est, mihi testis, quòd sciendo titulos & honores plerumq; esse fortunæ arbitria, non argumenta virtutis, nunquam tam serviliter ijs impenderim curam; ut aut Dnis importunus, vel mihi ipsi casu, quo repulsam paterer, essem molestus. Quidam merentur fortunam, quidam habent, sufficit mihi in particulari satisfactio, quòd me obsequiis addixerim, ut aliquid haberem. Si verò me præteriret fortuna, divinæ id adscribebam voluntati, & nec quadrantis spatio turbabar adversâ: quin ex mediocritate fortunæ pauciora meditans pericula, quod assequi non potui, sequi patientissimè desinebam. Innotuit id toti Poloniæ, non per me, (didiceram enim injurias ferre & gratias agere) sed per publicam famam: propemodùm enim per Parœcias de ambona persecutiones meæ publicabantur, quando eò insuper deveni; ut conversari mecum ceu cum contagioso pro crimine censeretur: sustinui ea omnia, nec verbo quidem sensum doloris

A.C. 1687 mei prodens, serviebam ex regula honesti avidus pertinaci studio & affectu intentos in me ex diversis partibus inimicorum superandi insultus, qui non rarò prius me expugnabant quàm oppugnarent, prævertente sæpe numerò accusatione & condemnatione notitiam culpæ, cujus reus agebar. Præstolabar finem miseriarum & reditum ad mentem, deprecabar ut refutare liceret, & justificare de objectis: declarabam insuper si vel unum de centum impactis mihi dilucidè probaretur, omnium me reum futurum. Institi apud Dnum Marchionem Parentem Reginalis Mtis; ut meam resolutionem repræsentaret, quòd felicioribus fortunam & honores resignem; dummodo sereniore Principis oculo respici mihi contingat; quòd nulla tenear ambitione, etsi videam, quòd aliter in Polonia non vivatur. Cùm eo tempore, quo spe præsumebam aliqua bonitatis me experturum indicia, ea ipsa ob me quodamodo solum meiq; respectu variari cœpit; quando corã quidem amicâ fronte serenũ explicuit, clàm verò velut ex dissimulata nube emisit fulmen, quo non tã fortunã meã, quã infra habeo, quàm poti⁹ honorẽ meũ non tantũ in Polonia sed etiã exteris in ruinam dejecit Provincijs, uti novissimè mihi in via sumptuosa Silesiæ patuit: dum mihi ex manibus extortæ literæ cursoriæ, cum infamiâ quadam officij ac si fidelitatem meam in reddendis ijsdem non satis probâssem; etsi semper (quantumvis in obligationem meam non cadebat) sigillis ejusmodi objecta refutabam. Pensi nihilominùs adhuc hæc habui; verùm ubi primum de Regio affectu detrudere me inceptũ est, & actu diversis modis uti mihi ex pluribus indiciis constat, per subordinatas personas ejusmodi aversio attentata: frustra læsæ patientiæ tolerantiam præscribere visum est; malo enim Divi Augusti judicium, quàm Claudij beneficium. Sanè fecissem jacturam opum & fortunarũ; dummodo integer mihi mansisset honor apud eum principem, quem Numinis instar colui tanquam eum, qui non modò subditorum suorum sed orbis universi veneratione est dignissimus, nec unquam solvissem silentium. Sed quia à discessu tuo confictum forsitan à Ministro status & secretioris consilij Dno Galecki instrumentum contra me adinventum est præsentatum, & semi plenè Princeps sapientissimus summæq; considerationis (quid non persvadeat facunda versutia) contra me cõvictus extitit: non erat, cur ultra paterer; nec decebat: ne forsan diceretur me servitute & contumeliâ honores mercari voluisse. Et hæc mihi causa fuit, ut quantocyus vitarem aulam, quam tamen Germanus meus ignoravit: nam, fatebor enim, malo veram rationem inquirant alij, alij verò interpretentur, quàm uti est in re explicem: quia id non tanto mihi damno foret, qui utpote omnem abjeci spem soli duntaxat famulandi cupidus veritati; citra tamen renuntiationem respectui & venerationi, quam de congruo & condigno subditus debet Principi suæ. Gratias tibi pro compassione ago; quamvis illâ non egeam, nec enim est miser, quicunq; non meritò est miser. Existimo me apud te etiamnum eâ animi moderatione aliquod comparaturum nomen & gloriam; dumodò non inquieter: verùm quodsi & oretenùs & literis me lacessiverint & citra meritum tristi colore animum meum deformaverint, vereor ne non impunè lacessant, néve illam in canticis canticorum delineatam placeat memorare sponsam, cujus gratiæ & pulchritudini egregiè effigiatæ sapiens pro coronide addit, quòd ubi in solis justitiæ conspectum venit, decolorata & nigra apparuerit: nec enim judicia DEI eadem sunt quæ & humana. Obsecro igitur te tanquam moderatorem aulæ Reginalis Majestatis, velis moderari affectus; aliud enim nuper fuit, quàm

quàm quod modò eſt: licuit tum hæc & illa pro labe meæ aſpergere famæ, dum actu in obſequiis eſſem, iam nunc aliter procedendum eſt, poſtquam ex œcumenicis concilijs ſtudiosè à me legi cœptis didici, quid ſit eſſe Epiſcopum. Non uſus unquam ſum, nec utar privilegio charactèri meo competente, cuicunque maledixeritis erit maledictus; ſed civiliter duntaxat liberè tamen me defendam: graviſſimi illi ſunt, qui nullius culpæ remorſum ſentiunt, fortunæ æquè ac infortunio aſſveti, ulteriorem gloriam negligunt, quos apud nec ſpes, nec vita valet; quoſque perſecutio non conſumet nec attenuabit. Ordinem Eccleſiaſticum & præſertim Epiſcopalẽ patientia decet: verùm & Job ſecundùm literã ſacrã patiens fuit, & nihilominùs famã tutat⁹ eſt ſuã à calumnia dicendo; utinã appenderẽtur peccata mea. Ipſe Chriſt⁹ falſis ſeſe oppoſuit teſtimonijs nõ enim tantũ internæ juſtitiæ habẽda ratio, ſed curandũ etiã ne externæ quidpiã decedat famæ. Ad quid igitur ſecundùm multitudinẽ iræ neceſſariò denigretur non tantùm candor nobilis & Epiſcopi; ſed inſuper etiam animæ à Deo creatæ non competentes appingantur colores? rari utiq; per Poloniam ſpectantur Æthiopes. Scribat ſanè contra me amaritudines, dummodo eæ veritati conſentiant. Nullum excipiam forum, quovis tribunali reſpondere paratus ero; illud tamen excipio ſubſellium, in quo vitia tanquam virtutes laudantur: ibi enim ex malè intellecta offenſa, cùm in veritate nihil ſit, in meditatione luculentus exardeſcit ignis. Quanti illi fuerunt & ſunt, qui lapides putabantur eſſe angulares, cùm illos levis difflavit & projecit ventus, uti mecum factum eſt, quando dejectus ſum dum allevarer. His nihilominùs penſi habitis colam virtutem abſq; incitamentis ſpei, ambulabo in via bona, ſi modò pacifico eſſe liceat: nã ſuppoſito me tanti fuiſſe, ut atrum colorem violaceo mutarem, & tamẽ hoc non obſtante me ad priſtina lineamenta redire volent, ipſiq; in nigrum deformabunt neceſſariò defenſio mihi reſpicienda erit. Penultim⁹ equidem Epiſcopus ſum tantum; tamen adhuc me valere exiſtimo, ut probando ſufficiam meliorem eſſe pauperem fortem, quàm divitem imbecillem. Velis igitur non meo quia homo ſum, qui nihil timeo, confiſus illibatæ hac ex parte conſcientiæ meæ, ſed alicujus de Majoribus providere honori. Ne autem optimi corruptio peſſima fiat; nonné potiùs vivendum & regnandum optantibus cunctis, & vota non ſub cuſtode nuncupantibus foret; quanquam egregiè novi per longam experientiam quòd etiamſi Angelus meam vellet evangelizare innocentiam, anathema erit. A.C. 1687

Gratias agens iteratò tibi [illegible] fraterna compaſſione petensq; ut mihi veniam indulgeas, quòd tuos ex abundantia cordis fatigaverim oculos, querula enim calamitas eſt, minimè de Te & honeſtatẽ amantibus dubito, Te & illos perhibituros teſtimonium veritati, me fidelem & bonũ ſervum ad ſervilem uſq; patientiam & poſſibilitatis fuiſſe metas, non tamen tantis perſecutionibus agitari debuiſſe. Experieris me iugiter more meo promptum & conſtantem ad obſequia tua, nec enim mutabor &c.

P. S. Parces non me mea ſcripſiſſe manu, nec enim facilis legendo character meus eſt: verebar, ne velocitas verba confunderet, & quid pro quo ſubſtituerem. Obſecro iteratò tuam interponere velis authoritatem, ſinar quiete frui, nec impoſterum laceſſar: nihil minus à Regina petitur, quàm ut tacere liceat. Tenebo utiq; ſilentium, ſi modò nõ provocer, ſecùs ſi me laceſſiverint injuriam non inferam ſed reponam. Incidi hodie caſu in vetuſta Bibliotheca Parentis mei in Orzechovium inveniqûe fol. 187 qualia Caſtellanus Malogoſtenſis quàmque præclara dixerit aliquando de officio Reginali. Si fortaſſis hic author apud Te deſide-

A.C. 1687 desideratur, mittam illum per excerptum, ego interea plura quo ad eam materiam indagabo per alios authores, indubieq; comperiam in casum, si mihi imineret defensio & probatio non tam nigrum esse animũ meum, quàm ille pingitur: ne tamen eò res deveniat per omnia sacra oro & obsecro.

LX.

ANDREAS C. ZAŁUSKI EPISCOPUS KIJOVIENSIS JOANNI SBĄSKI PREMISLIENSI EPISCOPO Nominato Varmiensi Bialâ 14. Novemb.

Literæ Tuæ 1mâ Novembris datæ duplex mihi attulêre solatium; quòd & felicis reditûs nuntiæ essent, & constantis affectûs tui bajulæ, ejusdemq; imposterùm spem certam facerent. Optâssem mihi Te ibi in Patriam reducem excipere; ubi me tot annis perenni accatenaveram obsequio, vix aliquando mihi indulto; ut ad brevissimum tempus aliò excurrerem. Verùm quia sic DEo placitum est, hanc in me extendere virgam; subjicio animum meum ejus voluntati, eamq; prout debeo exosculor. Nemo Te meliùs continuatas triennio novit tribulationes meas; quia illas non tantùm in ipso fonte manu tibi palpare licuit, (siq; fides danda foret diversis relationibus) tu ipse pars magna calamitatum mearum authorq; fuisti: sed etiam toties non sine lachrymis meum in tuis auribus & animo deposui dolorem, Teq; convici; ut ipse non inficiareris, ultra æqvum & debitum, me jam in hoc quamvis indignum à DEo constitutum eminenti, tanta pati. Non repeto malorum meorum seriem, quæ lippis & tonsoribus nota sunt. Affatim jam vindictæ Regina dedit; me non tantùm re, sed etiam spe dejecto. Satis utriq; factum est; non minùs enim & ego voluntatem Numinis ratam habeo, cujus inscrutabilia veneror judicia, omni semper procul solicitudine & angore remoto vivo; etsi melioris fortunæ locô depressus fuerim. Abscessi pacificè scriptis ad Regẽ literis, frustraneo innocẽtiæ meæ suffragio, nolens in eo quiescere luto; quo me adversarius livor insontẽ satis, superq; maculavit. Id ipsũ crimini datũ, quòd meo faverẽ honori, eumq; silentio prodigere nollem; quare scribẽdo supersedi, etiamsi non deesset, quod scriberetur. Complures adhibui deprecatores, eos præsertim, quibus Regina per proximitatem sangvinis respectũ negare nõ posset; quò id pro sumo beneficio consequerer; ut mei prorsùs oblivisci vellet. Promisi sancteq; asserui me quietam vitam ducere velle, neglectis aulæ favoribus: sed & id frustra fuit; nam etiamnum necdum ruinâ meâ satiati, quam tanti temporis sine intermissione laboribus machinabantur, loquuntur scribuntq; dedecentes tam lingvam quàm calamum rumores, atrisq; coloribus meum depingunt animũ. Adeò hic stylus Nobilem & Præsuleum candorem meũ pupugit; ut nullo modo potuerim afflicto imperare animo silentiũ, scripsi aliquot verba ad Palatinum Mariæburgensem, quæ ipsa tibi in confidentia cõmunico: aperto enim semper mihi esse placuit, nec imposterùm etiam clancularius ero, certoque nunquã inficiabor dicta vel scripta mea. Nigris illis animabus denigratæ famæ & honoris dimitto projecta, illæ se talibus occupent; mihi clara & distinctâ voce vel charactere legibili dictionẽ vel scriptionem imperabo, pro defensione illibati hactenùs nullaq; temerati actione honoris mei: domi enim honestæ natus, moreq; veteri educat⁹, non didici ea artificia; quæ mihi supra jus & æquum attribuunt tractando Antistitem & Nobilem nec dignis nec congruis Regno Catholico & libero

libero modis. Quoties has persecutiones supplex deprecatus sum, quoties me illis subduxi, cum Elia petivi animæ meæ, ut moreretur. Gratias egi pro omni fortuna, præeligens potiùs hilarem vultum, quàm quemcunque honorem: arduúmne erat hac in parte mihi satisfacere, postquam jam quod voluerat Regina, erat assecuta? Meminisse velit, qualiter binâ vice servilem usque ad demissionem ad ipsas usq; me humiliavi plantas, obsecrando; ut pessimas ejusmodi omninoque virtuti dissonas procul à cordis sui adyto removeret delationes: in vanum preces fuerunt. Quid ulteriùs agendum restaret? ipse faciliùs intelligis ex adjunctis, quibus quàm ardentissimũ adjungo petitum; ut interpositâ authoritate tuâ, quâ illo in loco polles, obtineas mihi; ut quiescere volenti quietum esse liceat, meiq; negligens etiam negligar ab ipsis: hæ sunt preces meæ, hæc vota, aliud desidero nihil, solam præterquam pacem. Paratam habeo defensionem meã, quàm in publicum edam, si tangar: videorque mihi aliter facere non posse, emergent alteriùs brevi artificia. Non existimet Reginalis Mtas, me illorum unum esse, qui fortunæ & honoribus obsecundant, & secundùm illos etiam assumunt mentem: ingens horũ jam me cœpit fastidium, jam ossis instar in gutture transversi mihi fuerunt ea omnia; quæ hactenùs oblata tenui. Maluissem ultra Canonici Nomen & Titulum non progredi, honoris interim integritate lætus: quàm modò Episcopũ Ethnico planè more non sine magno Præsulei characteris tractari præjudicio. At non deerit mihi compassio & fides; nihil enim loquar vel scribam, quod probare nequeam. Omni possibili modo deprecor, teq; adjuro per DEUM vivum; labora, ut me dent oblivioni tanquam mortuum à corde: aliud enim nuper erat, aliàs efficiam: ut constet Poloniæ tantùm Episcopum Kijoviensem posse, quantum & ditissimi quiq; possunt, si non in opere, saltem in sermone. Non ignoro & illud dictum esse: non me ulli officio admovendum, non quidquam imposterùm conferendum; ne ex eminentiori facilior in damna cujuspiam immineam. Non ea indoles mea est, non animus, ut tam obstinata foveam odia: etsi id didicisse potueram; profectò novi debitæ gratitudinis testandæ modum, sed & illud in me agnosco; quòd me deludi opprimiq; non patiar. Utiq; humilis Dñi verba sunt, honorem meum alteri non dabo. His ex abundantia cordis ad te delatis, iterum iterumq; peto, efficere velis, ut tacere liceat: nihil minus utiq; peti potest. Quisquis tibi retulit me tuæ legationi obesse, & impedire voluisse: hominem honesti inimicum esse existima; quia de hoc nec cogitavi, non negaturus utiq;, si id fecissem: semel tamen me id dixisse memini; at id ex bono affectu profectum est, quòd non optarem tibi eam invidiam ex tantis sumptibus frustra in eam legationẽ expensis ortam, nam & id prævidi, his stantibus actum agendũ fore: illud insuper augurat⁹ sum, quòd jã ex circumstantijs undequaque imminere videtur, quòd scilicet ea res tibi in Comitijs facesset negotium. Directè autem vel indirectè me posuisse obicem falsissimum omninò per omnia est: nam fateor tibi, si id animo meo agitâssem, non erubuissem subtrahere vocem meam sub actionis tempus de summa, manumq; subscribendo, quo ad id senatûs consilio, sunt ea artificia externa potiùs, quàm Polona; ignorata olim, nunc quoq; non nisi paucis cognita. Justus DEus sine delectu & respectu personarum arbitrabitur causam meam, & hæc est unica consolatio mea: quanquam & sic nunquam tranquilliorem vitam mihi contigit ducere, ac tum, dum undiq; taceret fama; nec de continuatione persecutionis meæ aurem & animũ pulsaret rumor. Misi qui mihi opera Sancti Chrysostomi,

A.C. 1687 sostomi, cujus auspiciis & die hanc natus aspexi lucem, solatio futura afferret: occupabam me interim concilijs Oecumenicis, & Orzechowio: illa me instruxerunt, quid sit Episcopus, & quo zelo ardere debeat, quantum defensioni characteris sui intendere: hic verò edocuit, quantum Regina Poloniæ valeat, quo illam cum subditis modo agere & procedere deceat, imò debeat. Supprimam utrumq; silentio, si mihi quies indulta fuerit: secùs si illis me lacessere placuerit, non parcam ori, non calamo; permittam lingvæ & manui officium suum, nõ aut tremulâ scribam dexterâ aut hæsitante lingvâ loquar, quæ in defensionem illibati honoris opportuna mihi visa fuerint. Sinant igitur dormire malum, nec excitent. Constanti me tuæ gratiæ quam impensissimè cōmendo maneoq; tuus &c.

LXI.

ANDREÆ C. ZALUSKI EPISCOPI KIJOVIENSIS JOANNI WIELOPOLSKI MAGNO REGNI CANCELLARIO BIALA 17 Novembr:

Joannes Wielopolski

NON alia majora mihi in hoc adversæ fortunæ turbido suppetunt solatia; ac quòd tuas mihi literas legere contingat, ex quibus non tantùm consolationis verba, sed etiam mutari nesciæ protectionis mihi spem elicere licet. Præstas eam gratiam non merito, sed mereri volenti: dum ita non tantùm felicibus conservas affectum, sed etiam afflictis rebus non subtrahis favorem: unde non solùm gloriam Nomini tuo & ministerio comparas; sed etiam insuper bonitate tuâ complures obligas; ut constanti obsequio vicem reddere, Tibiq; perpetuare suũ velint famulatum. Nobis mirari; quòd stylus aulæ scandalizaverit; probè mihi cognitæ sunt ejus metamorphoses & conversiones; novi sæpe numerò propemodùm Junonis generum esse, qui priùs hostis erat, possẽque propositis memoriæ quà antiquioribus, quà recentioribus & quotidianis prorsus præjudicatis, meam necdum tantoperè desperare fortunã: nisi simul meminissem hanc inconstantis indolem sortis esse; ut obesse nulli contenta sit semel; nisique ex pluribus locis turmatim ad me de mala gratia pertinaciq; ruinæ meæ studio penetraret notitia. Velim autem credas; me ita omni renuntiâsse spei; ut nec ampliùs eam meis cogitationibus digner, huic soli intentus: ut, siquidem fortuna non merito meo, sed per malitiam eorum, qui nunquam sincera obsequia mea læto spectare oculo poterant, pessundata est, eò saltem convertã conatus meos, ut reliquias honoris mei, quem indignis coloribus adũbrare cœperunt, conservem pacificus. Gravissimum enimverò mihi accidit: quòd ea arripere cogar defensionis media, manumq; levare contra eos, quib⁹ toto corde mea probare contendebam obsequia, quosque uti ijs nunquã Placentinus per adulationem esse noveram, ita nec irritate & lacessere nôssem: nisi mihi necessitatem imposuisset defensio exuendi tantisper solitam modestiam. Mala Reginalis Mtis gratia nullo rationum, prætterquam sinistrarum relationum me contra nixa fundamento ultra jam quò progrederetur non habuit: existimavi ego, quòd mei detrusione nõ tantùm de re omni, sed etiam spe, satianda foret: verùm etiam sic necdum satis habuit: incepta mihi impingi ea; quæ nec fortis potest, nec ingenuus pati. Gravius id, fateor tibi, quàm fortunâ privari. Metuens igitur, ne dum folia cadebant, arbores etiam caderent: ut sisterem ruinas ulteriores, scripsi ad Palatinum Mariæburgensem, & Nominatũ Varmiensem obsecrando & supplicando; ut hæc saltem ratio mei haberetur; quò

quò penitùs Reginali eraderet memoriâ. Vehementior fortaſſis cuipiam ſtylus videbitur; verùm hunc juſtus & recens excuſabit dolor: arduum enim verò etiam ibi premere verba; ubi illa tam enormiter læſus ſuggerit honor. En iteratò novum quid mihi innotuit; diſceſſum Cardinalis Nuntij Apoſtolici mihi adſcribi; ac ſi ille is homo eſſet, qui intra quinque dies ſe ſe itineri accingere poſſet: nam Sabbato veſperi illum vidi, feriâ autem quintâ acceptis per curſoriam viam literis, quas expactaverat, movit. Perpende jam: eſtné res aliqua, quæ in me non devolvatur? notæ cœlo injuriæ & terræ, & mihi imperetur ſilentium! quin ſi vel labia conſuerentur, vel manus vincirentur: invenirem adhuc modum, tenererq; eum quærere, quo vindicarem honorem. Res eſt cum poteſtatibus, quæ faciliùs per modeſtiam exarmantur, quâm vincuntur per luctam: verum id; ſed & illud evidens eſt; vel ipſum S. Paulum comendantem modeſtiam, ut ſit nota hominibus, contentum futurum fuiſſe ex longa & triennali modeſtia mea. Patiebar injurias propè, ut non ſenſiſſe viderer: toties injurioſè tractatus ferebam patienter; at video evidentiſſimè nihil id profuiſſe nec prodeſſe poſſe: quin ergò exemplum illius premam, & in faciem reſiſtam; non clam & per denigrantia projecta, qualia mihi adſcripſerunt. Non erubeſco Evangelium, non inficiabor dicta vel ſcripta. Libens igitur tuum ſequerer conſilium; ſi pacifico eſſe liceret: arriperem media tuæ inventionis, quò tibi ſatisfacerem, niſi mallē tutò eſſe miſer, quàm iterum in diſcrimen vocari. Literæ à me ſcriptæ nō prohibebunt vulnus; quia illud nondum obduxit cicatricem: nec irritabunt crabrones, quia ibi ſemper exardeſcebat ignis; quem lachymæ meæ non extinxerunt, certè ſepia non ſupprimet. Quod perijſſe video, perditum duco: nec meliorationem ſpero, nec eam mihi opto. Gratias nihilominus ago te de me cogitare eo tempore, quo non jam Miltiadis trophæa, ſed tam graves perſecutiones ſomnium oculis adimunt. In literis Gallicè ad Principiſſam ſcriptis mihi adſcribuntur artificia; judicabit DEUS. A.C. 1687

COPIA LITERARUM NOMINATI EPISCOPI VARMIENSIS JOANNIS ZBĄSKI AD EPISCOPUM KIJOVIENSEM ANDREAM ZAŁUSKI Zolkvia 5 Decemb.

DElatæ huc ſunt literarum copiæ, quaſi à te ſcriptarum datarumque Minſco 11 Novemb. idq; ad me, quæ tamen literæ in manus meas non devenerunt. Viſum mihi eſt ex multis rationibus ſtudio aliquem expedire ad te, quò certior fierem, an præter chartam, quam die Sanctorum omnium Dnus Zadolski mihi reddidit, alias quaſpiam ſcribere & per cujus manus dirigere, cum eas non acceperim, dignatus ſis, non dubito voles me edocere & caſu quo aliquas ad me dediſti, duplicatè ſaltem reſpondere dignaberis. Cōmendo me ſub hæc cum ſubmiſſione fraternæ tuæ gratiæ &c.

RESPONSUM Ad LITERAS PRÆDICTAS 10. Decemb.

REdditæ mihi ſunt literæ tuæ 5. Decembris Zolkviâ datæ, quibus inquirere dignaris, an quidpiam præter chartam tibi à meo Zadolski conſignatam ſcripſerim, ſimulq; optas iteratò eas literas tibi transmitti. Quo ad primum reſpondeo me non meminiſſe, unde & quando ſcripſerim: præſentes enim vagationes de loco in locum & domeſticæ

A.C. 1687 mesticæ difficultates horum obliterârunt memoriam. Recordor tamen binâ aut ternâ me scripsisse vice & Leopoliensi cursoriæ literas commisisse. Plurimum indoleo me copias illarum nullas habere; hæc enim mihi consvetudo modò est, ut meditata protinus in chartam effundam pluraq; ipse propriâ manu scribam quàm Amanuensium operâ: etsi nō ignorem contrarium sensisse piæ memoriæ Archiepiscopum Wydzgā, qui asserebat majorem exhiberi honorem dictando literas, quàm scribendo, ex eo; quòd os & lingva nobiliores partes sint, quàm manus. Mihi tamen aliter videtur præsertim in hac conjunctura, ut confidenti⁹ scribi possit, ipse scribo, præcipuè tum dum ad tantos viros & Patronos meos scribendum est. Unde quid scripserim non memini. Quodsi tamen copiæ illarum mihi præsentarentur; profectò, si verè meæ illæ literæ forent, more meo non inficiarer. Sic responso reddito faventib⁹ literis tuis im̄utatæ me gratiæ tuæ cum delatione obsequiorum meorū submissa quàm impensissimè com̄endo & maneo &c.

COPIA LITERARUM EPISCOPI CUJAVIENSIS AD EPISCOPUM KIJOVIENSEM 27 Decemb.

Literas tuas 14 præsentis Bialâ datas hodie primùm accepi. Gratias tibi refundo pro tali affectûs & propensionis tuæ continuatione, simulq; vota quibus me in annua Natalis Dominici commemoratione prosequi dignaris reciprocis compenso votis & affectib⁹. Enim verò præter cœlestem spem bonas augurij aves recipio; quòd ad initium novi anni silebunt venti, cessabuntq; tanti doloris justi & afflictionum tuarum fluctus. Verùm prout cœpisti, forti sufferre animo calamitosa & ex voluntatis Divinæ præscripto omnino patienter tolerare expedit: nec enim hominibus dum vivunt præsentius aliud contra adversa pharmacum dari potest ac hoc commune, quod est patientia: & majus malum est non posse pati mala. Velis igitur intra terminos Christianæ fortitudinis & constantiæ moderari animum, & desinas sentire dolorem dum nimis sentis. Prout enim adamas tormentis & frequentibus ictibus nec læditur, nec frangitur, sed magis claret: ita emerita virtus tua injurijs quassata, sed invicta altiùs emicabit. Sub hæc condolens dolenti maneo tuus &c.

LXII.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISCOPUS KIJOVIENSIS BONAVENTURÆ MADALINSKI EPISCOPO CUJAVIENSI 27 Octob. 1688.

Fiat sanè utcunq; alijs placuerit; etiamsi hæ quoque literæ curiosas non evaserint manus; difficile mihi est tenere silentium tantas tuas experto gratias. Miror nunc primum deliberatorias in tuas venisse manus, cùm hic expeditio Comitialis plena & perfecta jam emanaverit; & jam impræsentiarum priusquam præsentes literæ tibi redditæ fuerint; Comitiola absolventur.

De præterita expeditione præstat silere, quàm parcè loqui. Attigisti eam rem in literis tuis 9 Octob. datis, quas hodie primùm per circuitus vitiosos recepi; DEUM peccatis nostris iratum, Equestri militiæ Polonæ

lonæ ademisse eum vigorem, forsan ideo: quia ipsi hospitibus magis quàm *A.C.* 1688
hostibus sunt formidandi, & nescio, an non daretur illis locus in indice illorum, quos scriptura cōmemorat, quòd lagenis pugnaverint. Admiratione enim digna res est: audivi ex ore Palatini Russiæ prorsùs in exercitu priorem promptitudinem obriguisse, quasi illa non requireretur, aut quasi priùs à milite illa requirenda esset. Præclara illa lex Romana fuit: annonam miles otiosus non comedat, Imperatorem magis quàm hostem timeat. Si pristina disciplina Koniecpolsciorum & Zolkiewsciorum reviviſceret; rediret meo judicio & alacritas: verùm deest & experientia & capacitas, qualis annis superioribus fuit: hinc effectus diversi etiam, nostris præsertim culpis horum omniū causis. Pluet super peccatores laqueos: pie defunctus Primas Wydzga id explicuit, quòd cum pluvia in fures casuri essent funes. Parvi fures suspenduntur; illi autem qui Patriam vastant, in suum cōmodum potiùs grandes intervertunt sūmas, nec officio suo & expectationi publicæ respondent; in eo respectu sunt: ut omninò illis etiam gratiæ in Comitiis parentur. Novissimus ego audiam superiores meos, ejusdem cum illis in omnibus sensûs futurus; sed tamen negabo gratias, nisi interea in quopiam authore legero, qualiter socordia, ignominia, ignorantia rei bellicæ laudanda sint; quod tamen ne ille quidem author febris & aliorum vituperandorum laudator attigit. Da obsecro veniam me longiùs excurrisse: amantium enim Patriæ eadem conditio est, quæ infirmorum, qui ubi dolent, ibi & manum habent.

RELATIO ACTORUM in COMITIJS GRODNENSIBUS Amico confidenti.

Videat & hic annus nefastus lucem sterilis gloriæ, fœcundus malorum, quæ olim posterus legat dies, & si quidem poterit, emēdet. Una illo perempta Comitia, altera perimenda indicta & inchoata; expeditio itidem nulla magis quàm aliqua, potiùsq; ficta, quàm facta bella priorum temporum auxerunt injuriam. Mihi etiam primus anni mensis tristis fuit: nam etsi Princeps Georgius Radivilius cum sponsa Anhaltina, quæ 28. Januarij Bialam delata Radiviliam viduam vix visa non tam vultûs specie, quæ minor erat; quàm eximiâ morū gratiâ & supra verba bonitate totam ceperat, & occupaverat, redux lætiorem me reddiderat: non tamen diu gaudere licuit, abrumpente Reginâ lætitiam; quæ privatis in me offensis publicam vindictam parans instituisse apud Primatem ferebatur; ut palàm coram Ecclesiastico senatu me admonitione suâ, ac si enorme quodpiam patrâssem facinus, nec aliter curari possem, perstringeret. Evanuit quidem hic iniquus honori meo impetus: non tamen resedit furor, quem etsi non timebam, lancinabat nihilominùs animum indignatio, quod nihil tale meritum aulica vexaret censura.

27. Januarij Comitijs datum initium Grodnæ, celebratum imprimis sacrum à Culmensi Episcopo, habitaq; concio à Regio Concionatore ordin. S. Augustini Golembiowski assumpto themate: Pete à Deo, ut vias tuas dirigat & consilia tua permaneant in eo. Ipsa comitiorum auspicia difficilia fuêre, hinc aulâ pro Mareschalco Equitem Melitensem vovente; inde Sapiehis Chodkiewicium castrorum Magni Ducatûs Litvaniæ Metatorem pro eo munere promoventibus. Contestationē præterea contra Litvanum militem in transitu insolentem ho-

A.C. 1688 stisque more gravem Volyniæ Palatinatus intulit, nec Regina ipsis defuit initijs. Geminas illa materias urgebat, utramq; sine successu, nec enim aut Regium Principem Jacobum in throno vidit; aut me saturatum opprobrijs: hæc duo acsi hi poli essent, quibus cœlum Sarmaticum verteretur, unicè optavit, his obtinendis studia sua & vires addixit, tam pertinaciter, ut altero illorum non succedente, intento scilicet Principis Jacobi honore rumpendorum Comitiorum occasio fuerit, altero itidem nequicquam tentato, non tamen cessavetit; quin cùm apud Remp. frustra laborâsset, apud Regem saltem fidem gratiamq; corrumperet. 1mâ Febr. Grodnam perveneram, vespera erat: nihilominùs visum mihi ex tunc adire Regem, Mtemq; insperatè venerari. Deprehendi Principem in conclavi supra portam arcis civilissimè & paternè prorsùs exceptus, non item à Regio Principe Jacobo; qui frigidissimè ad meum attendit obsequium. Significatum mox Reginæ tam de adventu meo, quàm visitatione; quo id animo acceperit, patuit ex expostulatione cum Rege per NN. quâ factum, ut Rex imposterùm nimium Uxoris observans ab affectu in me & facili temperaret humanitate. Quare secessi tantisper Cuminum; ubi versantem invisit Episcopus Posnaniensis proprio ad speciem motu, reipsâ uti comperi ex Regis delegatione, insinuavitq;: non utique mirarer, non tam pronam mihi sese exhibuisse Mtem, quòd jura uxoria obstitissent, reposui: graviter injurium honori suo Regem esse per cæcam juribus uxoriis obedientiam. Inde meas mihi objecit literas; addito: delatum ad Majestates esse me unam supra viginti philuras parâsse recitandas in facie Reipub. contra Reginam. Movit hoc additamentum non tam indignationem quàm risum mihi, quem tamen supprimens, cùm ne somniâssem quidem de ejusmodi scripto respondi, falsum illum fuisse, quisquis asseruisset tam paucas philuras à me in Comitiis proponendas, cùm illæ ultra sexaginta essent: adjeci siquidem non placuisset Reginæ me Aulicum esse, me quidem hac in parte illi obsecuturum; nõ tamen ullum timere obicem, quò minùs me Senatorem exhibeam & probem, Palatium certè & conclavia vitaturum, non item Senatum. Habitum ijs diebus consilium, an Nuntij ex GeneralibusMajoris Poloniæ comitiolis acceptãdi forẽt?ratio dubitãdi fuit;quòd universalia Regia pro comitiolis Majoris Poloniæ edita de industria, an casu, perijssent: unde Generalis Majoris Poloniæ edere alia universalia necessum habuit, comitiolaq; inde vigore illorum celebrata, Nuntijque frustra futuri electi. Disputatum utrinq;: non futilis pro acceptatione ratio esse videbatur, quòd supponerentur transmissa fuisse universalia etiam in Majorem Poloniam, quo fundamento nixus Generalis illius Provinciæ sua deinde edidisset universalia. Verùm Rex conclusit, non acceptandos: unde actu rejecti fuêre, nec alia illis comitiola concessa. Tentati post hæc Sapiehæ & Mareschalcus Regni Lubomirski, ut in sessionem Principis Regij in throno consentirent: allegabatur in favorem hujus Rex Sigismundus, qui non tantùm Vladislaum ad consortium Mtis admiserat, sed etiam alios liberos suos ejusdem honoris participes esse voluerat: at in irritum ea postulata cecidêre; quamvis Nuntius Cantelmi, qui tum præsens Grodnæ adfuit, nobiliq; sed longâ oratione in facie Reipub. ad concordiamSenatum congregatumEquestremq; ordinem excitavit, ipse allaboraret etiam sumptibus non parsurus: nam 20000 contradicentibus pollicitus fuit, ut ea dissidia circa punctum honoris tollerentur, quæ tandem ut infra dicetur sepelient comitia. Nec aliæ defuêre simultates etiam inter Ecclesiasticos, Episcopo Culmensi in Posnaniensem

ensem aperta professo odia; quæ multo labore ægrè, ingens indubiè scādalum datura sopivi. Non eadem fortuna fuit aliarum dissensionum; de quibus alibi dictum. Protestatio facta contra Castellanum Vilnensē Sluzka à Nuntio Livoniæ, cujus partes tuebatur Dąbrowski Vilnensis Succamerarius tam manifestum se exhibens; ut stiturus activitatem videretur, nisi protestans Nuntius rediisset. Secutæ deinde aliæ turbæ; Nūtij Lublinenses & alij ex intinctu Thesaurarij Regni Zamoyscij contra Palatinum Pomeraniæ insurrexêre, qui nomen suum in indicē comitiorum intulerat contra Tribunal Radomiense & Piotrkoviense. Mareschalcus etiam Regni, quò illatam injuriam honori & Aulæ suæ vindicaret, graviter exarsit. Impegerat famulo illius alapam de Regijs satellitibus (Semenos vocant) quispiam, quam contumeliam non ferens dict⁹ Mareschalcus extemplò expedivit ad Palatinum tum Belzensem Maczynski, qui satisfactionem postularet, extradiq; percussorem omnimodè urgeret minitans; ni id faceret, ipsumet Palatinum in jus citandum, & si detrectaret parere, per sonum turbæ pro contumace proclamandum. Sum̄a deniq; inter Regem & Reginam turbatio fuit de prætenso honore Principis Jacobi, cui supervenit notitia Cancellarium Wielopolski supremum clausisse diem: unde Regina lugubria assumere voluit; verùm & illis abstinere coacta negante Rege eum honorem Ministro statûs. *A.C. 1688*

Tandem 5ta Martij rupta Comitia sunt jussu ut suspicabantur Reginæ; quæ confusionis de prætento, non obtento honore impatiens suæ dignitati potiùs consulere voluisse quàm Reipub, credita. Nonà ejusdē celebratæ in Parochiali Ecclesia exequiæ Francisci Sapiehæ Præfecti stabuli Litvaniæ, in quibus ego funebrem concionem dixi. Decimâ complures Nuntij convenerunt ad conclave Regis, eiq; ore Ensiferi Litvaniæ Oginscij valedixerunt; quod quia pro novitate habebatur, prostestatione Sapieharum & Mareschalci Regni notatum fuit. Sub idem tēpus cœpit agitari causa hactenus Poloniæ inaudita (quæ nullum ejusmodi monstrum hucusq; pepererat) Lyszynski olim Societ. JESU Alum̄ni, deinde dimissi, qui per varia scelera præceps eò devenerat; ut diceret impius non est DEus. Producta ipsiusmet scripta à Dno Brzoska meris referta blasphemiis, habitaq; Episcoporum sessio de eo, uti inferiùs dicetur. Inter eadem Comitia illigari connubiali vinculo cum derelicta à fatis Francisci Sapiehæ vidua domo Lubomirscia Princeps Radivilius Præfectus Stabuli Litvaniæ optavit; jamq; in id mater vidua Princeps consenserat; verùm aliter DEo visum fuit, moderno Principi Cancellario dictam viduam in consortem destinanti. In senatûs verò consilio, etsi complures mihi authores essent ad fortiter dicendum, jāq; illa verba pro initio dictionis paraveram; bonum in me animum, etiamsi qui negaverit, fateatur necesse est: seposui nihilominùs affectū, verbisq; svavitatem adhibui; ne Majestates vulnerarem: quanquam & sic crisim non effugi, de æquivocis terminis accusatus. Diversa longe à mea oratio Palatini Sieradiensis fuit; cui non alia par pro libertate, ignem planè spirans, quo in tantum Rex exarsit; ut valedicere volentem Palatinum his verbis allocutus sit: differret tantisper protectionē suam, dum vacantem libertatis honorem, quem in consilio expetierat, redderet: at Palatinus protestatus de gravamine, abiit, & deinceps à cōsilio senatûs abstinuit, non tam refutationes suæ liberæ vocis, quas primùm Jablonowski Palatinus Russiæ, tum etiam longè ardentiùs Belsensis Palatinus Maczynski ex condicto, com̄emoratis insolentijs populi, Golembiensi motu, aliisq; intestinis bellis nimias dixerunt, veritus

Rupta comitia

Lyszynski Atheus

Palatini Sieradiensis oratio

A. C. 1688 quàm potiùs, ne oppugnatione sui provocatus per affectum excederet. Expediti ex eodem Senatûs consilio postmodùm fuêre, qui à Nuntio Cantelmi requirerent, sperandúsne aliquis succursus à Sanctissimo foret? quibus ille reposuit: non defuturum Pontificem, dummodò ipsi nobis & Christianitati non deessemus; habituros nos pecuniam, si aliquid solidi fecissemus. Demùm ut tota Comitia sic & Senatûs consiliū in dissensionibus accepit finem, indubio veritatis illius nunquam non privatas simultates publico obfuisse bono asserentis argumento. Insultatum à Sapiehis Principi Dominico Radivilio, minorq; ejus statura probro habita, accersitâ è triviali scholâ per ludibrium vocum interpretatione: avis Ptak, scholaris Zak, nō sine talione à Procancellario, qui simili modo usus, im̃erito collatā Palatino dignitatē non minùs promptè perstrinxit: damnum Szkoda, źes Wayc Wojewoda. Conclusit consilium Rex cum ingenti doloris significatione, sumpto ab illis verbis initio: parvæ curæ loquuntur, ingētes stupēt, progress⁹ deinde ad sum̃am contestationem affectûs in Patriam & conservationem jurium illa sibi applicuit verba: juravi Dño & non pœnitebit me; nec inimicorum suorum im̃emor fuit, quos in eadem oratione exagitavit, demum assecuravit, his non obstantibus, se non deserturum Patriam, sed imò futuræ expeditioni bellicæ interfuturum. Sic Comitia, sic Senatûs consilium clausa fuêre. Sub hæc Abbatia Pokrzywnicensis Camenecensi Episcopo Denhoff cessit, cujus ego tanquam Canonicus Cracoviensis administrationem habueram: verùm brevi pòst eandem prædictus Episcopus in manibus meis reliquit. Atheistam verò Lyszczynski Palatino Vilnensi commisit Rex, nequicquam protestantibus contra Succamerario Brestensi Litvaniæ & Nobilitate. Famosus tum etiam libellus contra Majestates prodiêrat in lucem, mox aliam lucem visurus; sinistrè actiones Regis & Reginæ in illo circa Comitia ultima traducebantur: quare pro authore ad ignem damnatus in ijsque per carnificis manus extinctus fuit. Movit inde Vilnam Rex, Regina autem Varsaviam graviter ferens; quòd Regem sibi comitari non licuisset: sub cujus Varsaviæ præsentiam absente in Litvania Rege die Parasceves gravem & zelosam contra aulam concionem habuit quidam Religiosus Ecclesiastes, hisque formalibus terminis eam perstrinxit: confitentur minora peccata; majora negligunt, pro peccato non reputant unum honorem & officiū decem millibus aureorum taxare, pensi habent ipsam etiam im̃olare Patriam præpostero amori in fœminam. Pupugit veritas Reginam irasq; excivit; vitio insuper Episcopo Posnaniensi vertit: quòd audire sustinuisset nec silentium imperâsset: ultra etiam progressa exegit ab Episcopo se excusante publicam satisfactionem, utq; omninò revocaret dicta Ecclesiastes injungi voluit. Satisfecit Præsul, itidem etiam Concionator: qui assumpto themate, oves meæ vocem meam audiunt, de sinistris interpretationibus concionum locutus, demùm ad apprehensa dicta delapsus, nihil se contra Majestates voluisse loqui asseruit. His in veritatis præconem odijs successivè per literas vetus contra Radivilianam domum sese prodidit passio Reginæ: animus erat Regi per viam Bialam Sororem Viduam visitandi gratiâ divertere; verùm per Reginam id propensissimo in Sororem Principi non licuit: actum per illam per ardentissimas literas, ne id faceret. Mirum sapientissimum Principem tam obnoxium quà imperio quà precibus uxoris fuisse. Rediit ergo Varsaviam florente quidem anni tempore, non item rebus: nam mox erupit contra Reginam factio cujus author ego existimatus fui, quamvis uti supra dixi manum meam

meam ſubſcriptioni ſubtraxiſſem. Prodiit deinde projectum ſub titulo Phœnicis itidem contra Majeſtates, quod incredibile, quantum Regem alteravit: quare per literas cum Epiſcopo Poſnanienſi egit, ſignificans eidem ſe ob tantos diſguſtus continuoſq; tumultus Equeſtria Comitia indicturum, omniumq; rerum rationem daturum. Hoſpitabar tum temporis in Litvania, & cum Principibus Radivilijs totam eam propemodum Provinciam pervagabar, Premisliam etiam pro ingreſſu ad Capitaneatum dicti loci Principem Comitem Stabuli ſum comitatus; cùm mihi redditæ literæ à Patre Vota nomine Regis exquirente, num quid de factione illa noſſem? quæ tantarum turbarum cauſa erat? reſpondi, me non oblitum juramenti mei Senatorii, quidquid nocivum ſcivero prodere jubentis, prodituruṁque indubiè fuiſſe; ſi tale quid cognoviſſem; verùm quia ſemper manus Domini cum Rege eſt, ſemperq; ejus confunduntur hoſtes; nec velle nec poſſe accuſatorem eſſe Fratrum; quòd per ruinam aliorum mercari fortunam indignum ducã. adeòq; nihil inpræſentiarum dicere, præter id, quòd ubi tempus & occaſio ſe obtulerit, eum Regi ſim exhibiturus zelum, qui cuivis honeſti amanti competit. Acceſſerunt etiam præcautiones de Capitaneo Mariæburgenſi, nunc Mareſchalco Regni, qui Berlini de Principis Jacobi connubio cum Marchioniſſa fruſtra laborans, in me culpam devolvit; me negotiationi illius obeſſe: de quo ne ſomniaveram quidem. Urgebar præterea continuis literis Amicorum ad Aulã exiſtentiũ; ut me quantociùs ad Regẽ conferrem & cũ Regina redirẽ in gratiã. Sivi me tandẽ tot illorũ motivis & authoritate expugnari, præſertim quòd etiã Cardinalis Radziejowski , Pater Vota, & Pater Skopowski ardentibus literis adventũ meũ expeterent, aſſecurantes; ipsũ Regẽ ſe ſe interpoſiturũ: quin jã cũ Regina egiſſe, ut me omnino admitteret. Ceſſi demũ his perſvaſionibus Varſaviamq; 20 Julij cum Divæ memoriæ Parente meo veni, inde Villanoviam profectus ad Regem admiſſus fui, non item ad Reginam; quæ in ſequentem diem eam ſcenam diſtulit Varſaviæ exhibendam à finito ſenatûs conſilio; quòd ex hac occaſione habendum ibi in Caſimiriano Palatio deſignatũ fuerat. In vivis eſſe deſiêrat Fridericus Marchio Brandeburgicus in Majo & in locum demortui Parentis Fridericus tertius qui nunc Rex Pruſſiæ, ſucceſſerat ac plenipotentiarios comitem Dona &c quà juramentum nomine ſuo præſtituros, quà ſuccurſum oblaturos ad Regem miſerat: propoſitum igitur in Senatûs conſilio; num is ſuccurſus ab Electore acceptandus foret? deciſumq; negativè; quòd plus damni quàm lucri ex illo ſentiret Reſpub. alterum punctum de plenipotentiarijs admittendis ad juramentum ſuper pacta propoſitum; negativè itidem definitum fuit, decretaq; dilatio ad comitia vel ad terminum, quo Elector Regiomonti à Statibus Pruſſiæ homagium recepturus eſſet. Sic finito conſilio in ipſo ingreſſu in conclave Reginæ, in quo de induſtria complures tam Gynæcei quàm aliunde accitæ Domicellæ convenerant, ad ſatiandam curioſitatem me apprehenſum manu Rex ad Reginam duxit, hiſq; præfatus eſt; plurimum te rogo; ne meminiſſe velis prætéritorum, ſed quemadmodum faventem te ante huic exhibuiſti, ita etiam impoſterum exhibe, me pro illo fide juſſorem habens, eum tibi obſequentiſſimum futurum; Regis dicta his formalibus excepi: quemadmodum hodierna Sancta tot peccatis in anteceſſum contra DEUM cõmiſſis unicâ ad plantas divinas advolutione non tantùm veniam; ſed tantam inſuper divino ore approbationem obtinuit; qualem fruſtra etiam innocentiſſimæ vitæ homines prætenderint: ita & ego agnoſcens à me veſtram Re-

A.C. 1688

Mors Friderici Marchionis Brãdeburgici

A.C. 1688 ginalem Mtem literis, quas dolor & impetus dictavit, offensam; non dubito, dum Regalibus abvolvor plantis, me gratiã inventurũ; præsertim quòd hunc defectũ necessitate expressum imposterũ fidelitate & obsequijs meis me compensaturum confidã. Conversus deinde ad Regem affectui verba permisi; & ad Mtis vestræ accido plantas, quòd me dignata sit adimplere lætitiâ cũ vultu suo: erã non pridẽ tenebræ, nunc autẽ lux in Dno: eduxit me Mtas vestra ex his tenebris, ad quas me adversa fortuna damnaverat ad visionem beatificã. Unde nihil mihi reliquũ; nisi ut non jam verbis, quæ condigna huic actui non suppetunt; sed totâ vitâ meâ loquar bonitatẽ Mtis, exaltabo te Dne, quia suscepisti me, nec delectasti inimicos super me. Hic finis actûs fuit, à quo mox Villanoviã Rex & Regina se contulit; ego Varsaviæ remansi, conceptã de reconciliatione lætitiã infirma valetudine, quæ me totâ hebdomadâ tenuit, mutaturus. Adeò nulla mortalibus secunda eveniunt; quibus non iminineant eodemq; plane passu sequantur tristia.

Porrò Senatûs consilij alter, quàm decretus fuerat eventus fuit; extero homine Senatum vincente Patriæ. Peregrinus is Consul Marchio de Bethun. Quare receptum juramentum à Plenipotentiariis Electoris Comite Dona & Wichert super pacta, Regis vices autem Palatinus Czernichoviensis & Joannes Krasinski tum Referendarius Regni postea Palatinus Plocensis subiêrunt. Prandio deinde excepti Electorales Ablegati, quo exesse jussi Principes Regii in favorem Cardinalis Primatis; ne de loco aliqua concertatio oriretur, non sine disgustu Reginæ; cui placere non poterat tantam Eminentiæ Cardinalis haberi rationem. Læta ea utcunq; esse videbantur Majestatibus; at brevi illa abrupit rumor initi Connubij à Carolo Neoburgico cum Principe Marchionissa, quæ jam Principi Regio fidem fecerat Matrimonialis consortij. Graviter ea res affecit non tantùm Majestates sed etiã Procancellarium Litvaniæ Radivilium, qui colligatus istius domûs existens acres ad Regem literas dedit conquerendo de illata injuria.

Accepi sub hæc literas à Palatino Sieradiensi gratulatorias gratiæ redditæ & favorum aulæ; cui inter alia his formalibus rescripsi. Gratias tibi ago pro literis, quibus mihi gratularis favores de novo apprehensos, eosq; ut loqueris perennaturos; ac si ignorares nihil in orbe perpetuum esse, nec duraturum. Non existimo autem nihil etiam tibi reliquum esse: capiet nos hæc Macedonia. Gratiæ Regiæ thesaurus inexhaustus est. Nolim oro te de me dubites, ac si tui imposterùm, qui tibi ipsi vilis es, minutumq; quid vocas: mihi autẽ pretiosi instar metalli æstimaris, memor non sim futurus. Nam quemadmodũ hactenus adversa tolerare noveram; ita procul dubio felicitate, si quæ venerit (nam aliàs illam serviliter & ambitiosè sectari non cogito) minimè corrumpar.

Nec hic annus sine victoria de hoste Christiano universo læta abiit: nam vergente in finem Septembri secundus Nuntius adfuit, qui vindicatum de Turcis Belgradum cæsosq; à Principe Badensi Ludovico hostes retulit, nostris interim an per socordiam an per diffidentiam virium tabescentibus; eodem namq; die 27. scilicet Septembris ex nostris castris infelix sparsit fama, jam anni hujus expeditionem terminatam; commeatus à Tartaris Cameneco invectos, exercitum excessisse castris: nec falsus rumor fuit: nam eundẽ spectator ipse calamitatis hujus Princeps Comes Stabuli Litvaniæ ab expeditione redux confirmavit. Dolenda enim verò Poloniæ fata! quæ inter triumphos Christianitatis sola

sola lætari non poterat, nec nisi ignominiam ex hostico pro palma referebat: quibus ea potissimùm tribuenda & in acceptis referenda calamitas? exteris an nostris? merito ambigas: adeò perplexũ distingvere, quos magis minusvé arguas, dantes an acceptantes iniqua consilia. Viennâ tum etiam allatum est; Electorem Bavariæ Galliæ infestum futurum; si illa Cardinali Fürstenbergio protectione suâ ad Electoratũ Coloniensem suffragari vellet. Ineunte Octobri Cardinalis Pallavicini alteri destinatus legationi, præclarè in Polonia gesto munere excessit Varsaviâ mense Januario: cui dum Magister de Casa insinuâsset, magnam à se glaciei provisionem factam, & quid cum illa agendum esset postulâsset? respondit: in pauperes partiretur, omnia benè locata existimans, si his terræ minimis peritura bona, ne perirent, distribuerentur: Expedita deinde universalia, quibus ante-Comitialia Comitiola designabantur secuturis mox Comitiis; non aliâ fortunâ, quàm priora terminata fuerant, terminandis. Desiderium Rex suum prodidit, quo optabat Pocillatorem Litvaniæ Principem Radivilium pro Mareschalco Comitiorum: caruit id votum effectu suo, quòd Juno à Jove discordaret, Regina scilicet Radivilianæ domui non minꝰ infesta; ac olim Juno Trojanis adversa credita fuit. Concessit præfatus Princeps in Voliniam, ut ex illo Palatinatu in Nuntium eligeretur: & successisset sine dubio, si æquè faventem Reginam ac Regem habuisset. Per illam factum, ne honor obtingeret ruptis Comitiolis, quæ injuria an invidia præcipiti morbo brevi Principem Georgium conficient. Interim nec alia defuêre funera, Palatinus Plocensis Prazmowski inter vivos esse desijt, in cujus locum suffectus Referendarius Regni Krasinski, Referendariatus autem Stanislao Szczuka qui nunc Procancellarius Litvaniæ est, cessit. Primis Novembris Subdapifera Regni Przyjemska mortalis vitæ confecit cursum. Domo ea Gąsiewscia fuit celebris illius Gąsiewscij Campestris Ducis & Thesaurarij Litvaniæ filia, minor natu Dominæ Castellanæ Vilnensis Słuszczæ consortis deinde Palatino Vilnensi nuptæ soror: fœmina illustis ingenii, & incomparabilis activitatis, nomen etiam per pertinacem & acerrimam cum Regina altercationẽ merita. Non omittendum hic existimo illud: Regius Ecclesiastes Golembiowski non ignorans me impensiùs honori Principis Pocillatoris studere, hujus satagere; ut in Mareschalcum Comitiorum eligeretur; concionem coram Majestatibus habuit, in qua humanæ amicitiæ conditionem pro argumento assumpsit, & illa potissimùm verba trutinavit: ad ea venimus tempora, quibus periculum est etiam benè fecisse. Tertium funus fuit Danilowicij Palatini Podoliæ, Palatinatu inde Zamoyscio tradito, Castellanatu autem Haliciensi Dño Skarbek concesso. *A.C.* 1688

Hic etiam annus graviore in Cardinalem & Episcopum Culmensem dissidio notatus. Immoderatus affectuum Episcopus Culmensis Opalinski (vix credi posset) quàm acerbas & quàm honesto nomini inimicas dederit literas ad Cardinalem: hic contra ne irritaret crabrones, vix aliquo responso dignatus cavillantem, per circulares ad omnes recurrit Episcopos petendo & invitando; ut ante Comitia Varsaviam conveniremus, & honori Primatiali provideremus. Non defuerunt Præsules Archiepiscopi voto; nam dum sincerè honorem Primatis universi tueremur, exaggeraremusq; contumeliam illatam Cardinali: eò virum deduximus; ut solenniter in facie Ecclesiæ ad S. Joannem Episcopus Archiepiscopum deprecaretur. In eadem sessione Collegij Episcopalis Episcopus Posnaniensis sinistrum Reginæ affectum, aversumq; ab Eccle-

siasticis

A. C. 1688 siasticis animum retulit, asseruitq; se audivisse, dum Regina diceret, Episcopos ex Senatu excludendos: conclusum igitur, ut nomine sacri Collegii, Primas cum Rege expostularet. Alterum item nomine Episcopalis Collegij, ut Cardinalis instantiam de conferendo mihi sigillo inferret comendatum. Contrarius huic secundo puncto eram, non ignorans in cassum casuram eam instantiam: jam enim mihi innotuerat, frustra id à me sperari, & jam impossibile esse ut hunc honorem consequerer, Confessarius Capucinus intimaverat: quòd jam alteri Regina suam addixisset gratiam, nec concoquere posset me adeò amicum Radivilianæ domui esse: in quo eam mea confirmavit anxietas, quâ sollicitè laborabā; ut Princeps Pocillator in iminentibus Comitijs in Mareschalcum Nuntiorum evaderet. Cui etsi Regina omnimodè pro obice erat, dedit nihilominùs ad me literas sat justas tanquam manifestum, excusando suspiciones, & assecurando de affectu suo in Principem Viduam: at quis crederet literis? dum odia in aperto erant. Decimâ quintâ Novembris Rex non procul Varsaviâ constitit Guræ scilicet; quò etiam nos illi obviàm contendimus, & 16 Novemb. Varsaviam deduximus: ubi in suo ingressu fefellit Cardinalem jam ad gradus exspectantem; at Rex vanæ pompæ negligens per alterum ascensum in superiora evasit.

17. Novembris datum initium Comitijs celebrato ab Episcopo Posnaniensi sacro de Spiritu S., habitâq; ab eodem concione. Itum inde ad conclave Nuntiorum; in quo intra mediæ horæ spatium, ut ut palàm jactabant Sapiehæ, se nullatenus consensuros, ut Referendarius Regni Szczuka pro Mareschalco præesset supra spem præfatus Referēdari⁹ in directorem electus fuit. Felicia, creditum, futura Comitia tam lætis primis: at nec progressu ea fortuna constitit, finem etiam corrupit: mutata mox omnia, quamvis post electionem & denuntiationem Mareschlci per Dnum Szembek Capitaneum Biscensem & Mosiewicium ex Litvania, ex majori autem Polonia Dnum Molski Regi factam, proximâ dominica Golembjowski Concionator contra tenaces sui sensûs habitâ concione benè auguratus fuerat, in laudes Mareschalci Nuntiorum delapsus dicendo eum: uti Lucius esset nomine, sic lucem daturum publicis: nam quis si modò non mens læva, non benè ominari poterat? secunda quidē Electio fuerat; at mox primo die, quo salutationis officium Nuntiorū nomine Mareschalcus Majestati exhibuit, non exspectatâ à throno solutione in confusione regressi sunt universi. Vocavit Rex Senatum & an in crastinum differenda solutio esset? quò ad lectionem Senatûs consiliorum, pactorumque conventorum proposuit? & quia necdum Episcopus Cuaviensis ad Regem advenerat, expeditus ad illum fuit; qui sensum illius requireret: brevi sed ingrato responso Præsul Ablegatum remisit, nimirum cui comodo relectio ea pactorū conventorū futura esset? cùm illa nō servarētur. Rumor insuper fuit Cardinalem in audientia detulisse Regi ac si Aula intenderet rumpere comitia, confœderationēq; inire; cujus caput & Mareschalcus esset Hieronymus Lubomirski tum Mareschalcus Curiæ Regni, eo animo; ut confœderati Silesiam invaderent. Nec vana hæc fama fuit: prodiit in publicum postmodùm, eos qui diffidentiam alebant inter Aulam Regiam & Cæsaream, non tantùm de rumpendo Colligationis vinculo; sed etiam, si se offerret occasio de attentanda contra Imperatorem hostilitate cogitâsse. Hactenus gesta isti⁹ anni, semina, ex quibus sequenti pro fructu in publicum erumpet calamitas.

Stanislaus Dąbski (margin note)

ANDRE-

LXIII.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISCOPUS KIJOVIENSIS MARCO MACZYNSKI PALATINO BELZENSI

Bialâ 7 Januarij

HÆC mihi indoles, hæc consvetudo; ut ubi quidpiam fecero, quamvis id pessimè à me factum fuerit non tamen inficiari aut negare sciam, malimqꝫ potius deprecari quàm factum negare. At dum mihi falsum impingitur; gravius id mihi accidit, quàm omnium fortunarum jactura. Suscipio enim ejusmodi cladem æquissimo animo tanquam de manu Dñi patienterqꝫ fero, ut eum decet cui alios etiam docere incumbit, ut in similibus tristibus animum ad Divinæ voluntatis advertant arbitrium. Verùm quò ad hoc punctum nolens Dñi oculos & mentem fatigare, ad te, qui semper veritatis amator audiebas, & etiamnum audis, recurro, obsecrans per amorem honestatis; ut citra respectũ mei nullatenus mihi parcendo aut quomodocunqꝫ meam personam tegendo velis inquirere; quis causa & motor fuerit articuli Mielnici conditi? de quo testis mihi Deus est, ne cogitâsse quidem me memini. Mitto de industria Reverendum Potkanski, qui facti arguitur, habet ætatẽ, respondeat. Si hanc concepissem malitiam; assecuro vel rupta fuissent comitia, vel id constitutum fuisset: at DEUM non videam; si non plurimas res averti, de quibus interrogabar; utiqꝫ judicabit DEUS & mihi saltem in futuro sæculo debitam persolvet mercedem. Dnus Vexillifer Mielnicensis publicè id proposuit, utiqꝫ Servus Dñi est, amicus tuus, mihi propemodum vix notus, semel duntaxat à me visus; dum Zolkwiæ cum consorte sua litigaret, nullam conjunctionem vel connexionem cũ illo habeo, edisserat liberè cujus spiritu vel motu id attentaverit, & fecerit: existimo, saltem aliquando veritatem scrutinio indagandam & eruendam. Faxit DEUS; ut quævis res in examen vocari possit, ad confundendum eos qui operantur iniquitatẽ & loquuntur mendacium. Præter literas quas acerbitate doloris instigante velut desperatis rebus scripsi, nemo unus repererit tale quidpiam, quo vultum rubore suffundere possit. Quod in me omnia devolvant mirandum non est; nimium enim bonus servus sum; necesse est ut me è converso in Coryphæum pessimorum deforment, nec ad gratiam admittant. Fortunam prorsùs nihili duco, utinam omnes hac duntaxat in me injuriâ peccent, ut me de omni spe ejus detrudant: nam quoad id assecuro non mihi illi injurii sunt, qui jam omnium ejusmodi laboro fastidio, sed sibi; quia illis judicium Divinum iminet, ibi comparendum erit, & reddenda ratio actorum cuilibet. Hinc est quòd nullo ampliorum metu tenear, qui jacet in terra, non habet, unde cadat: at illud tamen me atrociter vulnerat alium facere, me autem insimulari, culpa alterius est, mea autem pœna. Rogo te igitur more tuo filo indaga glomum, præmiabitur laborem DEUS; si mihi obsequiis illi respondere non licuerit. Experieris; me non ejusmodi clancularijs & per angulos cusis mediis honorem meum asserturum, & tam graves imposturas vindicaturum. Constanti sub hæc me tuæ gratiæ cõmendo ad ultima vitæ futurus tuus &c.

ANDRE-

A.C. 1688

LXIV.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISCOPUS KIJOVIENSIS BONAVENTURÆ MADALINSKI EPISCOPO CUJAVIENSI Grodnâ 15 Februarij

COm̃unis ea noſtra impræſentiarum calamitas eſt; ut correſpondere ſecurè & ſenſum ſuum depromere nemini liceat metu invaſoris; raræ enim literæ ſunt, quæ effugere poſſint potentes manus, ſi ordinariæ curſoriæ concredantur. Hinc eſt quod & ego non ſine gravi mortificatione mea vel raro admodum vel non niſi generalibus terminis te venerer, etſi optem tibi tanquam ex primoribus hujus Patriæ, quid hic agatur rerum, apertis ſine ulla ſimulatione verbis ſcribere; nec enim valeo blandiore res duras emollire ſvadâ. Conſulimus hic in publicis comitijs jam tertiâ hebdomadâ, ac ſi non conſuleremus; quia hactenùs Mareſchalco deſtituti ſumus; quem quis dies daturus ſit, DEO ſoli cognitũ eſt. *Actio in Dąbrowski* Exarſerunt pertinaciter in Dąbrowski, cujus activitatem Caſtellan⁹ Vilnenſis impugnavit edito mandato de invaſione quorundam bonorũ ad ipſum pertinentium. Res evidens eſt, mandatum non in tempore executioni datum eſſe, ac proinde tantum reſpectum & conſiderationem non mereri: inſuper Dnus Dąbrowski ex nunc ſatisfactionem omnimodam repræſentare vult, realiterq́ offert; ſed & id nihili penditur altiora meditantibus: quantum enim in privato reſidens hoſpitio ſortiq́ Patriæ ſæpiùs ſocio quodam bono ſervitore tuo præſente illachrymans inaudij, eouſq́ comitia in longum protelabuntur, quouſq́ Regina non evicerit, ut Princeps Regius per conſenſum comitiorum inthronizetur. Non pauci quidem, qui palàm ſe oppoſituri ſunt; ſi ſe tamen inclinari illi permiſerint, invenietur quiſpiam inops ſed integer qui non erubeſcet anathema fieri pro fratribus. Demus igitur Dąbrowſcium pacificandum, ubi plura obſtant, uno ſublato reliqua non tolluntur. Quoad res meas id tantùm tanquam ſingulari benefactori refero, heri ſecundam hebdomadam fuiſſe ex quo huc delatus rectà ad Palatium conceſſi, & Regem ſalutavi: primitùs ſat lætè exceptus; at ubi per nuntios Regina id vitio vertit, aſſidueq́ expoſtulavit: adverſâ mutatione declaravi me, quia aulicum eſſe non liceret, futurum igitur Senatorem. Silentio vincam ferendo, quia potentiori par eſſe nequeo: nihilominùs ſenſum me è Repub. deprompturum pollicitus ſum, faciamq́ id certò & infallibiliter, nec enim titubare, & jã in hanc jã illã partem declinare novi; prævalet amor Patriæ privato com̃odo, quod hic & nunc poſſem me tempori accom̃odando lucrari. His in confidentia ſignificatis me tibi com̃endo.

LITERÆ EPISCOPI CUJAVIENSIS RESPONSORIÆ BONAVENTURÆ MADALINSKI 28. Februarij.

QUos dividit locus, jungit epiſtola & abſentes facit præſentes. Verùm quia hoc corrupto ſæculo nec alteri ad alterum ſcribere ſecurè, nec ſentire quæ velis licet; hoc quoq́ ad alia morientis accedit apud nos ſigna libertatis. Non deeſſet & modò multa conferendi tecum materia; ſed terret abuſus ſupprimendarum literarum. Indoleo nihilominùs hactenùs laborioſa tua cum adverſarijs non deſinere certamina, tibiq́ adhuc cum gravi ſupereſſe moleſtia, quod vincas. At quia jam aliter imperare nequit tuendæ innocentiæ neceſſitas, cui theatrum aula, ſpectator DEus, in eo ipſo ſpes locanda eſt, quòd ipſe omnes

mnes has persecutiones brevi propulsavit, & te offensis fessum super- *A.C.*1688
abundanter solabitur: Interim velis te probare mundo strenuum in prosperis, in adversis fortem. Pro delineata sufficienter modernorum Comitiorum idæa submissè gratias ago: frustra speraverim ex illis quidpiam saluti Patriæ congruum. Omnia otiosa, langvida, occulta, obliqua, nunc primum prodentur ab extremo aliquo (avertat DEus) eventu: arcanum Regni evulgatum, & quod pridem tractabatur latenter, nunc fors promovetur potenter

Et quod adhuc nullo potuit terrore coacta
Libertas Polona pati,

nunc forsan ultro deferet. Unde id? omnia Cæsar erat. maneo &c.

RESPONSUM EPISCOPI KIJOVIENSIS Ad LITERAS PRIORES CUJAVIENSIS EPISCOPI Grodnâ 7. Martij.

QUas ad me 28. Februarij dedisti literas, eas ipsis Bachanalibus feriis accepi, quo ipso tempore aliquantum solitudine mea excesseram liberioris auræ captandæ gratiâ; nam, siquidem igni & aquâ mihi propemodùm interdictum est, præcisaq; cum amicis Principis conversatio; eò, quòd discretus sim, nec velim illos ceu contagio variolorum inficere, cum non faventibus verò versari mihi non optem; ne ad novas offensas dem occasionem: cogor quomodocunq; in tribulationibus fallere tempus; sustineo verò ea, subeunte memoriam nimiâ forsan illa gratitudine quodammodo fultus: tanta sunt populi Romani Siculos beneficia, ut etiam eorum injurias ferendas majores nostri putaverint. His omnibus plùs quàm Stoica patientia nihil profecit, nec nisi à conspectu malorum averso interna frui contigit pace; nam fateor tibi quod me non tantum privata affligant; sed & publica insuper. Dum enim illa penitiùs & nube remotâ arbitror; non nisi tristia & adversa occurrunt. Loqui arduum est, senatoriæ conscientiæ satisfacere impossibile; suspendi senatorium juramentum ne impingam, dum elingvis curia Patrum; dum æquius est quod validius: Verbo & mihi Divino parere necesse est; ne effundas sermonem ubi non est auditus, Comitia rupta non sunt, sed nec inchoatis quidem bene, inaudito modo discessum est, & nec unquam illorum exstabit memoria. Quis author fuerit, judicabit posteritas? quidquid malorum inundaverit Rempubl, quidquid calamitatis in Patriâ irruerit, omnibus sæculis respondebit nimia fortassis matris filiorum Zebedæi ambitio. Ita nimirum fieri consvevit; ut si quis ex recto tramite semel deviaverit, quò ulteriùs perexerit; tantò ampliùs erret. Impossibilis explicatu est informis Reipub. modernæ forma. Sendomirienses Nuntij exiverunt cum protestatione eo tempore; quo Castellanus Vilnensis post recollectionem admisit ad activitatem Dnum Dąbrowscium; ruperunt Comitia tum, dum adhuc poterat reædificari Jericho & resuscitari Leviathan. Cùm autem feria sexta illuxisset pro termino præscripta à Patribus & legibus; ut eâ hypocaustum Nuntiorum Senatui jungeretur? poterat adhuc superesse scintilla spei reassumendi Comitia; primùm Vexillifer Lublinensis Drohowowski exire voluit, tum Dñus Makowiecki; quem in antecessu Judaciâ larvâ deformatum malè tractaverant, ut notum faceret nomẽ suum, illius instar, qui Dianæ templum incenderat, cum protestatione excessit, & agonizantibus Comitiis ultima accersivit fata. Habuerunt postmodum, quæ etiamnum continuantur, sessiones, parantur manife-

sta,

A.C. 1688 sta, quæ certè provocabunt responsa; verendumq; est, ne nardi parvus onyx eliciat cadum; néve hæ disputationes veritatem edant in publicum. Nam quamvis populus ignoret, tamen est capax veri. Voluerunt valedicere Regi provincialiter, jamq; in sessionibus determinaverant; ut Ensifer Litvaniæ Oginski publicè petitâ audientiâ id faceret; cùm audio, melius sentientes videndo novitatem inauditam, id dissipaturos. Cras habiturus audientiam Legatus Moschoviæ, plane in tempore venit; nescio quomodo id excipiet: forsan ut alij Colligati, qui sperabant quod essemus redempturi Israël: verùm & hic forsan non minus rigidus citra discretionem erit promissorum exactor. Da veniam supplico, quod pro parentali concione me parans, quæ cras esse debuerat, nunc autem perendie futura est, ob adventum Cardinalis dilata, tam volanti calamo scribam; sincerè nihilominùs omnia citra metum, quòd sensum meum perituræ forsan concredam chartæ; quid enim mihi faciendum? nescio candida de nigris, nigra de candentibus astra mutare. Gratias sub hæc ago pro benevolo consilio, ut constantiam monstrem; esto certus integer sum, eòq; interritus. Spes in Deo, virtus cohonestabit quod fortuna inquinavit. Ego hinc ocius excedam forsan Nesvisium cum Principe Pocillatore: quare nisi commendaveris Dño Sardi literas tuas, ut eas apud se detineat, quousq; de me illi innotuerit, vix putaverim ad me deventuras: nollem autem, ut eæ in manus curiosas cadant: præter enim alias nec hæc minor servitus est. Cancellarius Litvaniæ extrêmis laborat, nec existimo ex reiterata apoplexia convaliturum: & si more solito satis vocalis audiat. Et ita tertium vacabit sigillum, quamvis cōmunis vox eorum sit, qui ad oculū serviunt, quod majus Regni sigillum ad interim propter pacificationē prætendentium cedet Principi Cardinali, minus autem Palatino Belzensi, cum quanto id præjudicio statui nostro, ipse facilè colliges: non enim diu alternata nostra in manibus Principis Cardinalis hærebit. Meâ quidem non admodum interest; indoleo nihilominùs non nisi serò id munus ad nos rediturum.

Majestates Vilnam diversuræ sperantur, illinc fors in Prussiā moturæ. Princeps Regius feriâ quartâ Cinerum ad visendos Camaldulenses (uti asseritur) profectus est, assistit illi Administrator Iniesnensis ante vel post concilium post-Comitiale rediturus nescio: quæ autem nescio, silere amo. Jam verò satis fatigavi oculos tuos ideoq; veniâ impetratâ me gratiæ commendo &c.

EXCERPTUM EX CERTIS LITERIS Grodnâ 25 Februarij

Regnant hic laverniones personati, Comitiis interim agonizantibus: ad sextam propemodùm usq; matutinam hi suos actus exhibent. Facilis inter publicas lachrymas privatorum risus est. Nequit esse horribilius spectaculum dissidiorum in cōmune bonum, studiorum in partes, ac nunc est. Non desideratur in Principe solicitudo, sed deest assistrix resolutio, quâ illum probare oporteret: quòd non sua sed publica curet; verùm mera lucta & certamen absolvitur, quando illuc ferimur inde querimur. Jam ex his Comitiis mensuram accipio sum̄am rerum per paucos teneri; quodq; gravissimum est tam celebris Resp. quæ omnium unione crevit, duorum vel trium cadet discordiâ, qui omnes suas injurias victimâ boni publici vindicare & discunt & docent.

SERMO

SERMO S. R. M. CIRCA CONCLUSIONEM SENATUS CONSILIJ POST RUPTA COMITIA VARSAVIENSIA 2 Martij

PRæter opinionem unica propoſitio noſtra, in præſenti Senatûs Conſilio, quomodo proſpiciendum integritati hujus Reip.? diutius morata eſt Dnes Vras, cum tamen major pars ſententiæ noſtræ acceſſerit, ut deficientibus alijs medijs conſervandæ Patriæ,cōmuni motu defendatur, præſertim moderno tempore, dum incurſio Tartarica, ipſâ Leopoli attentata, tam multos Chriſtianorum, in gravem traxit ſervitutem, & partes noſtras Ruſſiæ, quæ Divinâ gratiâ, & noſtris viribus, jam reſloreſcere videbantur, igne & gladio in favillam redegit,dum Caſtellanus Cracovienſis ſuppetias, quantocius expetat, ſuffragamur ex voto, his Dominationum Veſtrarum conſilijs, de modo & tempore relinquendo deliberationem. Quæ verò fuerit occaſio ruptorum, ſeu non concluſorum comitiorum ſiquidem negotium Venerabilis Epiſcopi Vilnenſis, cum Palatino Vilnenſi,obtenditur, brevem Dominationibus Vris damus in hoc informationē. Allegant nonnulli, ob excoṁunicationem, hæc vulnera abrupti cōſilij, inflicta eſſe Reip. minimè crediderimus; hæc enim cum ad deciſionem Sanctiſſimi Patris, communis omnium Paſtoris pertineat,ab illo quoq; debet effectum ſuum, & diſquiſitionem expectare. Rejiciunt alij in extraditum mandatum; nec hanc fuiſſe cauſam opinamur, ſæpe enim tam oretenus quàm per deſignatos ex brachio noſtro Delegatos ſpopondimus, quodſi curſus comitiorum non limitaretur,nec ſiſteretur, nos idem mandatum invalidum declaraturos. Quid ergo obſtitit? ſcriptum ad Archivum porrectum, ex quo annihilationem præteriti anni Varſavienſium, Magniqùe D. L. conventiculorum,habuimus Zolkviæ ad nos Legationem: & etiam ex comitiolis in feſto Purificationis peractis id ipſum urgebatur. Dum autem nobis contigit illa per copiam legere à Caſtellano Cracovienſi & videre hos ſcrupulos, ecce ibi punctum impoſitum, quòd Reſpub. proſequendo ulteriori bello impar eſt, & quòd deſignati ſint Deputati, tam ex Senatorio, quàm Equeſtri ordine ad tractandam circa latus noſtrum pacem, ſi ad hoc ſalva Rep. deveniretur, Quinque anni jam ferme elapſi. Uſui nè fuerat illud punctum ? pro quo ? utrum hac in parte non expectavimus, plenarium omnium ſtatuûm Reip. conſenſum, comitia, poſt comitia indicendo. Sed alia in hoc ratio: ecce bella gerere placet, nullos habitura triumphos. Bellum placet, aſſentimur bello, tantùm ut ſit ordinatum, tempeſtivum, & juſtum, non tale, quod nec bellum nec pax appellari poteſt, & quid nos magis diſarmat, quàm corroborat, quando pro commodo vicino & colligatorum res noſtræ in deterius vergunt, quando per obligationes nōnullorum inimicorum habet in noſtris viſceribus diverſionem, & nos faciendo inermes, eò facilius Dominium noſtrum incurſant. Proteſta-

A. C. 1688 mur coram DEO, & tota Rep., quòd nullos oberravimus labyrinthos, nullos vicinos incurrimus tramites. Omnes nostræ ad hanc inclytam Gentem actiones sunt, & erunt, quasi civitas firma super mõtem posita, quasi lux in candelabro erecta. Tritâ viâ ivimus semper famæ, & decoris Reipublicæ. Apparebit & in futuro communi motu amor noster, & Paterna cura, ubi non removebimus caput devotum, à præsidio & conservatione hujus Patriæ. Ibi Respub. decidat de fato suo, & nobis nihil superest nisi ut Domino Exercituum supplicemus ut aliquomodo à tam multis, & magnis periculis, omnipotenti manu defendat, & eripiat ita, ut & ulterius faciat nobiscum misericordiam suam

MANIFESTUM NUNTIORUM
TERRESTRIUM REGNI POLONIÆ ET M. D. L.
in non finitis Grodnæ Comitijs.

NOS Nuntij Palatinatuum & Terrarum, tam Regni Poloniæ, quam M. D. L. illisq; annexarum Provinciarum, qui Grodnam pro Generalibus Comitijs, die 27 Januarij anni præsentis indictis, convenimus, omnibus, & singulis, præsertim verò fratribus domi remanentibus notum facimus, quod, sicut ad hæc venimus Comitia, ut desideria Palatinatuum & Terrarum nostrarum, pro bono publico promoveremus, præsertim defensionem Reipub. prosecutionem belli Turcici, ex vi & nexu S. Colligationis, ita nihil ex nostra parte desiderabatur eorũ, quæ ad integritatem conclavis Nuntiorum, & præsertim legis, præteritorum Comitiorum Grodnensium, anno 1678, pertinebant. Voluimus primo die novum Conclavis nostri eligere Directorem; verùm Volhinenses, suas inferebant injurias factas à Litvano Exercitu, qui, contra jura antiqua, & constitutionem præteritorum Comitiorum anno 1685 de prætensionibus Palatinatus Volhinensis, in bonis Nobilibus consistebat; projectaq; hac in causa ijdem Volhinenses requirebant: in sumptum, hisce integrum biduum; tum deinde Dąbrowski Vexillifer, & Nuntius Vilnensis, cùm contra illum in prima illius voce, in objectione, pro more hypocausti nostri à Słuszka, Castellano Vilnensi staret quispiam, cum mandato ratione gverricæ invasionis, excessit cum protestatione: urgebant Collegæ aliqui, illius revocationem, cui, quia à quibusdam ex rationibus infra ponendis contradicebatur, Tokarzewski Nuntius Livoniæ, protestatus est, se, in novi Mareschalci Electionem, non consensurũ, nisi Dąbrowski redierit, cum hacq; protestatione abivit. Persistebant in hoc nonnulli. urgebant Livoniæ Nuntii, tanquam non controversi, alij utriusq; reductionem, demonstrando Nuntium Livoniæ, cum in fundamento revocandi Dąbrowski abiverit, sine eo non rediturum. Deducebamus per antiquam hujus Conclavis praxim, id nunquam practicatũ fuisse, ut Nuntius controversus, cum illi objectio facta fuerit, exiret nec se vellet submittere judicio Ordinis Equestris cui se magni homines subjiciunt: Deducebamus omnium negotiorum initium, & caput esse debere ordinem, quem nobis negant, quando Directorem, patremfamilias hujus Ordinis Equestris eligi non permittunt; licet Electio hac nemini præjudicet, nec illi contradicere ulli Nuntiorum liceat, contra expressam de hoc legem jubentem, non disputantem. Ostendebamus Electo novo Mareschalco, factoq; in hoc Equestri Ordine, licitam fore cuiq; contra-

tradi-

traditionẽ; instando, ut Ordinẽ nostrũ in tanto disordine persistere non *A.C.* 1688 sinerent: his aliisq; compluribus rationibus, jungebamus fraternas petitiones, ut collegas suos reducerent, nobis ut Dąbrowski, exemplo magnorum hominum, se judicio submitteret Ordinis Equestris, demonstrando, illum hoc ipso causam suam suspectam reddere, diffidentiamq; & contemptum sacrarii aliàs libertatum, præseferre. Demonstrabamus, quàm nocivum hoc facto, nec unquam ante auditum sint inducturi ad Conclave præjudicatum: per hoc enim judicia Nuntiorum controversorum interibunt, vox contradicendi ruet, in Comitiolis præsumptiones potentiorum convertentur in vota, quisque per potentiam, per factiones, per oppressionem, non curando contradictionem Nobilium, licet contra eum quisquam cum obiectione steterit, & pro more antiquo Ordinis nostri protectionem petierit, sequetur viam Dąbrowscii, exibit cum protestatione, judicari se non sinet; imitabitur ejus exemplum alter Nuntius, accessum ad Electionem novi Mareschalci non permittent, & in simili disordine, & confusione tenebunt nos ita, ut loco judicij & correptionis, ac privationis activitate petendus sit, & legitimandæ in Comitiolis potentiorum oppressiones. Junxit nostris petitionibus suas inclytus Senatus mediationes, omnia tentata media componendæ privatæ causæ, ex occasione arendæ procedentis; & licet minus decens videretur, conclave Nuntiorum in privatum se ingerere interesse, petivimus tamen collegas, ut nomine nostro agerent: ingrediebantur Magni Senatores idem negotium, ut Cracoviensis & Posnaniensis Episcopi, alijq; ipse Rex pro sua paterna sollicitudine, seriam adhibuit operam; imò cũ initio Comitiorum cœpta essent spargi inter populum diffidentiarum semina, quasi ratione novæ Electionis; porrectus modus extingvendi gliscentis mali, ut scilicet projectum ante omnia describeretur, omnes antiquas & novellas leges & roborationes liberæ Electionis reassumendo, & quicunq; sive ab intra, sive ab extra, stante vita Regnantis, de successore cogitaverit, declarando pro hoste Patriæ, & perduelli: præterea ipse Rex magnam, qualem scilicet sibi Respub. adinvenerit, obtulit securitatem, vicissim quoq; optabant magni homines eandem etiã ab extra cautionem, præcustodiendo ne hæc ars esset malevolorum, domesticis seminatis diffidentiis tantò facilius externorum hac in parte serviendi interesse. Nos itaq;, quibus bonum publicum unicè erat præ oculis, omnes dispositiones inchoaturi eramus à constitutione boni ordinis idque constanter urgebamus, ut novus Mareschalcus, velut Director Ordinis Equestris eligeretur: revocabamus tam per antiqui Scipionis Directorẽ, quàm per Collegas, eos, qui cum protestatione exiverant; accedebat ad id persvasio Senatorum, imò Regis interpositio, deniq; sperando, quod ratione nequibat, morâ sanandum, concessimus sat longum, scilicet 5 septimanarum spatium. Nunc considerantes magnam eorum obstinationem, qui exiverunt, qua loco debitæ Ordini nostro submissionis, & gratitudinis, abutuntur facilitate nostra; perpendendo præterea tempus Comitiorum sine eorum inchoatione, conclavi Nuntiorum lege anno 1633, & 1678 designatum, ad extremum usq; momentum extractum, ut non superfuerit hora, parandi ea, cum quibus, (ut jura volunt) paratis sursum ad Senatum venire possemus; per quod, conclave illud, quod sacrarium libertatis, & æquitatis archivum esse solebat, sensim interiret; debuimus cum ingenti dolore nostro dilabi non perfectis rebus, & recessu facto, ad fratres domi relictos, reverti. Protestamur itaq; coram DEO, orbe, & Repub. nos bonum cõmune habentes præ oculis, nihil intenta-

A.C. 1688 tum reliquisse, quod idoneum, ad concludenda Comitia, judicabamus: verùm, quia media nulla successum habuerunt, hoc jure provocandi ad fratres utimur, eoq; fine Regi supplicavimus, ut nobis Comitia, saltem in Novembri indiceret; quatenus fratres domi remanentes, in Comitiolis ante Comitialibus, remedia rebus adferre, & providere possent, cum in primo hoc, nec unquam audito exemplo, Comitiorum tempore, sine Electione Mareschalci elapso, nihil nobis concedere voluerimus sine fratribus domi residentibus. Verùm quia Majores nostri in hujusmodi casibus efficacissimum remedium tam contra externam potentiam, quàm contra domesticas simultates ponebant in comuni motu, ideo quemadmodum Respub. in præteritis Comitijs Varsaviensibus, dedit pro eo convocando Regiæ Mti potestatem, ita supplicavimus, quatenus potestate extradendarum restium literarum uti dignaretur, si hujus necessitatem, sive ab intra, sive ab extra viderit, ut fratres domi remanentes defensionem Reipublicæ unà nobiscum providerent, simulque pullulantes diffidentias, si quæ fuerint, in herba opprimerent; in quo ut facilem Regem invenimus, qui in pectoribus civium salutem statuit Reipub., ita notificamus id, hoc manifesto nostro fratribus domi remanentibus, nolentes sine publica informatione, de non conclusis comitijs hinc abire, in quo, plenius quisq; suum Palatinatum vel terram informare possit, relinquimus libertati & beneplacito, sive exemplo Palatinatûs Sendomiriensis, qui unanimiter Nuntijs suis comisit, ut per innotescentias suas, sive per universales Regis ordinaria informationis intimẽtur comitia. Unde, ne ex occasione non conclusorum comitiorum, inimicus quispiam homo velit seminare diffidentias; necessarium judicavimus protestari coram toto orbe: nos velle hanc manu tenere colligationem; & licet ex prætactis occasionibus comitia hæc concludi, in eisque sufficiens belli prosequendi modus provideri non potuit; nihilominus fidem nostram, nomine fratrum domi residentium interponimus, quòd conservatio tam S. conjunctionis, modus prosequendi belli in Palatinatibus & terris sit providendus. Quod manifestum nostrum, ut facilius cuivis innotescat, Actis ingrossandum fratribus comittimus.

PUNCTA CONSILII POSTCOMITIALIS GRODNENSIS.

Imo. Siquidem Comitia inaudito hactenus in Patria exemplo sine Mareschalco dilapsa sunt, finita priùs, quàm inchoata, quidnam hoc in casu agendum, quomodo futuræ bellicæ expeditioni, & Colligatis providendum? cum præsertim tam tempestivè Tartari in Volhiniam irruperint, tribusq; Luceoriâ milliaribus, igne & ferro grassati sint, ut de hoc recentissimè est significatum, nec sciri potest, quidnam serus vehat vesper?

2do Comitiola Relationis, siquidem sunt juris Nuntiorum, ipsiq; ea indicere solent per declarationes, utrum nunc per Universales Regis Palatinatibus & Terris, declaranda, an alio modo, quid in eis referendum, & quomodo casus Comitiorum describendus?

3tio Elector Brandeburgicus, ad præteriti anni legationem Capitanei Mariæburgensis declaravit pro subsidio 1200 Peditum & 300 Desultorios his conditionibus, ut priusquam se loco moveant, numerentur eis 2000 imperialium bonâ monetâ, postea verò pro singulis mensibus per 7000 imperialium moneta solidaria, provideatur. In quem finem Nuntius Cardinalis declaravit anno præterito pecuniam ex liberalitate Sanctissimi, utrũ ergo pro eis sit mittendũ, quidve in viam providendum?

4to

4to Exules Palatinatûs Kijoviensis, Smolenscensis, Czernichoviensis, Novogrodensis, Staroduboviensis, petunt extraditionem summarum ex Moschua advectarum, inhærendo instructioni authoritate Comitiorum in Moschua scriptæ, ubi pressè pro eis in casum avulsorum exigi jubebantur. An ergo jubendæ sunt comportari, & quò?

5to Variatio monetæ argenteæ siquidem in immensum excrevit, quomodo malo huic occurrendum, cum præsertim universales Regis nequeant privatorum licentiam coercere?

6to Comissio Coæquationis monetæ cum Imperatore, & Electore Brandeburgico Comitijs præteritis, Posnaniæ assignata aliquoties limitata nullum est sortita effectum, & hucusq; consistit in terminis limitationis, quid ergo cum ea agendum, & quomodo sit determinanda?

7mo Ablegatus Moschoviticus pro residentia ad latus Regiæ Majestatis missus, quamdiu, qualíve sumptu tenendus?

8vo In Persiam an non adhuc expediret mittere eundem Cirnesum Syriacum, qui dum ibi vicibus aliquot esset, bene repræsentavit Szachò Persiæ tempus & commoditatem contra Turcicam viciniam: & defacto sub tempus ultimæ ejus residentiæ parati jam erant Persici Exercitus. In hoc quoq; singularem suam ostendit dexteritatem, quòd sub nomine Polono, Collegio Societatis JESU Szamactriæ fundamenta posuerit?

9no Volhinenses quemadmodum in Comitijs, suas proponebant injurias, ita nunc coram Regia Mte querulantur, quòd contra antiquas & novellas leges, in bonis Nobilium consistentiæ Exercitui M. D. L. designatæ, cum grandi pauperum oppressione ideo forsan, quòd hiberna juxta jura tempestivè ad certum locum, ad manus Deputatorum, lege designatorum non revehantur, & non reddantur. Quid cum hoc agendum, quomodove suffragandum; cum præsertim eadem calamitas tetigerit aliqua bona hæreditaria Incolarum M. D. Lit.?

10mo Remer Præfectus, seu Gwardein officinæ monetariæ, Cracoviensis, Oderman Præfectus officinæ monetariæ Bidgostiensis, utrum conservandi ad ulterius obsequium harum officinarum? Expedit illis provideri pensionem & alimenta; Cùm sint homines probatæ virtutis, & experientiæ, in hoc quoq; Reipub: obsequio longo tempore perseverantes; ne aliàs sint quærendi alij & adsciscendi ex Imperio.

11mo Ærarium Reipubl: pro extraordinariis expensis contraxit debita ex ærario Regiæ Mtis, quibus non sufficiunt ordinarij proventus; Decernat Senatus-consilium, undenam ærarium Regni restituere debeat tam notabiles summas, pro quibus Thesaurarius dabat assecurationes, & providebat sumptus ad præteritam Campaniã, ad educenda tormenta bellica aliasq; operationes belli?

12mo Clenodia per D. Morstin accepta in manibus Capitanei Mariæburgensis sub sigillis Commissionis Skarszeviensis sunt deposita: siquidem verò præteritus Thesaurarius ad præstandum juramentũ Skarszevium non venit, sed tantùm in scripto misit juramentum, in quo termino Remissa stetit ad Comitia: Utrum ergo expediat cum scripto hoc juramento, ea acceptare, reddereq; ad ærarium, an reservare ad futura Comitia? decernat Respublica.

VOTUM CARDINALIS PRIMATIS IN RUPTIS COMITIJS 15. Martij.

DEcuisset in publico Patriæ totius luctu pullum assumere habitum: ego tamen adsum purpuratus, REX SERENIS-

A. C.1688 SIME, non tam à Vaticano murice, quàm potiùs à rubore illo quem magnitudo gratiarum S. R. M. & conſcientia tenuitatis meæ demeritis ſuffundit, colorem mutuatus.

Nunc utiq; primùm in hoc miniſterio, quod nondum plenè triennio ab hinc de manibus Majeſtatis ſuſcepi, tyrocinium abſolvendum erat: antè in omnibus erudiri oportuerat tot faſcibus deſtinatum caput, & mereri priùs dignitatem quàm habere: & jam tãquam conſummati pretium laboris, velut grandium in Patriã meritorum, Eccleſiam DEi & Vram Mtatem exantlatorum mihi imponitur coronis.

Sunt hæ gratiæ & bonitatis Mtatis Vræ portenta; raræ in Principibus gemmæ. Eripuit me Mtas Vra de medio ignis & ex ruinis labantis domûs; expolivit me in eam ſortem; expoſuit me in ſpectaculum univerſo: ſi illa Memnonis ſtatua ſolo duntaxat ſolis radio animum quodammodò ſumpſit: quid mirum Romam longè de ſeptem collibus proſpicientem in opera manuum Veſtræ Mtatis, perpensâ tam magni Magiſtri manu addidiſſe colorẽ, adjeciſſe decus.

Addit & Mtas Vra digna æmulatione certantem purpuræ ſplẽdorem: dum illi Primatialem dignitatem benevolè conjungere dignata eſt. Certat quodammodo INNOCENTIJ candor, cum JOANNIS gratia: altera manus, qua nulla ſanctior, altera, quã nulla fortior, hæc purpurã, iſta faſces porrigit. Plus exhibet Mtas Vra: quàm cui lingva ſufficiat Ultra merita progreſſa, etiã ultra gratias meas progreditur, quibus imparem me dicendis & agendis ſentio. Profundit beneficia tam liberaliter, ut nequeant majora dari: aperit munificam manũ ſuam, ex qua tot ſunt natæ laureæ, effuſæ dignitates.

Ex hac ergo & ego ſupremam recipio dignitatem non ob alium finem; niſi, ut in portando Polono orbe non vano labore & auxilio adſim magnis V. Mtatis conatibus: recipio ſimul & crucem, inq; illa doctrinam: ne in proſperis confidam, non deficiam in adverſis.

Ita igitur hoc Mtatis beneficio me uſurũ decerno: ut hæc accepta magis meminerim quàm Princeps cogitabit ſe dediſſe. Non extendo nec amplio illam energiam; quæ ſuſpiria & atrocem dolorem in corde V. Mtatis ciere poſſet, deperdita non ſuſcito Comitia. Quem enim verò ea calamitas ſenſibiliùs afficere poteſt; ac V. Mtatem? quæ tam ſolicito ſtudio ſuo illis conſultum voluit, & ſanare langvores illorum contendit? coadunavit diviſa corda: quia verò morbi origo in occulto erat, nec peritiſſimus quidem medicus ejuſmodi malis ſuccurrerit. Debebantur in iſtis Comitiis obligatæ V. Mtati gratiæ, pro triennalibus laboribus, pro tantis ſumptibus, pro impenſa bono publico ſalute; quæ ſuccumbere inſupportabilibus oneribus videbatur. Debebatur Reginali Mtati conteſtatio gratitudinis pro hoc ſpecialiter (ut alias grandes prætercam obligationes) quòd ita Væſtra Majeſtas ſaluti orbis, curas impenderit; ut il-

lam

lam publicis votis restitueret. Debebatur par factis gratitudo Principi Regio pro Martia indole, quæ nescia dissimulare Jovem in ignes, quà Budziacenses, quà Camenecenses feliciorem, quàm pullus Jovis in solis radios, intendit oculum, duxit victrices acies, & grato respersus pulvere belli induit mente Patrem. *A.C. 1688*

Omisit inter dissidia ac tumultus hæc gratitudinis ac obsequij argumenta nunquam ingrata in Principes suos Respub.: deprecaretur errorem si vocalis esset. Judico me in onere esse debitæ satisfactionis ex loco hoc officij mei. Quare collectis in unum populorum votis eadem pronâ veneratione Mtati V. repono, & quamvis forsan de integro non grati respondemus, cogitandum illud est: DEos quoq; multa ingratis tribuisse, & si illa bonis paraverant.

ORATIO EJUSDEM CARDINALIS POST CONSILIUM.

SI diligenti nuper filio ingens dolor mutæ lingvæ resolvit vincula; dum gravia inter versantem pericula cernens Patrem in claram erupit vocem: miles ne feri Patrem; quomodo & ego, quomodo amantes mecum nati, fidusq; Senatus, hic & nunc non resolvat vota in atrocissimi doloris solatia? qui vivo vulnere paternum Mtatis altè rimatur pectus, subitq; cor Regale. Calet adhuc per membra sudor, & ægrè verba conari possum; dum magnitudinem beneficiorum tanta ingratitudine premi intueor. Audivimus equidem hic vocem in hac illustri Corona, vocem tonitrui, quæ si amaritudine cor Regiæ Mtatis implevit, non minus Illustrem Senatum implevit confusione: vocem profectò non ex dignitate senatoria, (quia non ad ea, quæ pacis sunt) vocem non judicis sed potiùs vindicis; quando summam injuriam delicatissimæ Mtatis Vræ conscientiæ impegit; quando sacrum libertatis nomen in licentiam vertit; & quam de carcere educere conabatur, ad tenebras damnavit. Non libertatem igitur, sed depressam potiùs pro primatiali authoritate veritatem libertati restituo Rex Serenissime. Examino per ætates grandia Mtatis V. facinora: quomodo vix dum exutâ prætextâ tueri libertatem, mereri de Patria vel per sangvinis impendia cœpit; reptavit per scuta puer, Regumq; recentes exuviæ tibi ludus erant. Examino mediam ætatem, & in ea tot trophæa numero de Svecis, Hungaris, Moschis, Cosacis, Turcis & Tartaris reportata; quæ jam clavæ, jam Scipionis Mareschalcalis meritorum decora in Personam V. Mtatis congesserunt: & jam forsan tum laborabat gratitudo Polona, dum non habens quod amplius daret, & non tantùm restitutæ per Mtatem V. libertatis, sed etiam salutis conscia imposuit hoc, quod gloriosè sustinet, capiti diadema. Quanta verò illa quæ considaranti coronatam ætatem occurrunt? dum Vcrainensia, Zoraunensia, Budziacensia miracula exploro, dum Sarmaticas Aquilas in Viennensibus campis reputo; exclamare

Joannes Pieniązek Palatinus Siradiensis

A.C. 1688 re cogor cum Poëta: quid dignum te laude feram? quòd penè ruenti lapsuræque tuos humeros objeceris urbi. Hæc gloriosa pro libertate & Patria gesta quamvis in compendium collecta repressalia sunto lingvæ malignanti. Virtus loquax est, nec ostendit se tantùm sed ingerit. Contemnat plus quàm Herculea Mtatis fortitudo dentata livoris monstra, non extingvat celebratum Vstræ Mtatis in hanc Patriam affectum malè consulta vocis unius vanitas, adest Senatus, ut meritorum sic innocentiæ testis; aderit & vindex. Ego autem indignus sacerdos assumo supplicantis personam, recipio in me aliena peccata, illisque gravis accido ad clementiæ thronum. Depono præsentia pericula, prementia fata; sine consilio & modo ceu desperati, vastator gladius jam viscera rimatur Patriæ; una spes & sola in consilio & fortitudine Mtatis restat: sparge diem meliore comã. Non distrahat bonitatem ingratitudo nostra, impleatur nunc illud vaticiniũ: Patriam ab ultimo periculo liberabit. Sepeliantur oblivione omnes disgustus & dolores, renascantur hodie in Paterna Mtatis V. gratia meliora, dumque sincerè & corde patulo convertemur ad Dnum, ne repellat redeuntes: nihil quippe pulchrius in fastigio collocatis, quàm multarum rerum veniam dare, nullius autem petere. Hoc votum est, hæ preces Senatûs

LXV.

VOTUM ANDREÆ C. ZALUSKI EPISCOPI KIJOVIENSIS IN POST CONSILIO POST RUPTA Grodnæ comitia 16 Martij

DUM iniquissimo & nunquam satis deplorando fato REX SERENISSIME universæ ad hunc consilij locum congregatæ Reip. altũ indictum silentium est, cuivis sincerè amanti Patriam etsi attonita & hærens lingva in verba solvatur est necessè. Hærentem dixi: nam uti bella gerere arduum esse ipse eventus docet; ita votum suum edicere volenti non adeò pronum esse manifestâ temporum horum erudimur calamitate. Præsentes rerum nostrarum perpendenti vices & vertigines nec verborum quidem modum invenire facile est, quantò magis rerum, quibus salutem nostram vindicare liceat, eruere media potiùs intra velle quàm posse est. Comitia olim laudata orbi nostrum fuêre robur, præsentia autem non nisi rubor sunt: nescio quo pacto res bona facta est mala. Congressus hic (nam comitia illum nominare nequeo) multum illorum attentato similis est, quos diluvium erudivit. Damnis illi docti altissimæ turris fundamenta jecerunt ita persvasi, non jam ampliùs sibi aquarum exundationes nocituras. Quare impendere sumptus, congerere materiam, labori non parcere; cùm confusio lingvarum superbum confudit opus: hoc poscente lateres, altero calcem suppeditante discessũ est relicto monumento, quod nec artificem coñendaret, nec ulli coñodum esset. Operiat confusio faciem nostram coram DEo necesse est, quẽ nulla arcana latent: erubescamus oportet coram vicinis amicis nostris, qui quidẽ miserebuntur, sed nõ succurrent: quid dicam de inimicis nostris, quibus opprobrium facti sumus & subsannatio, imò orbe universo, cujus ludibrio nos tantus exposuit abusus; dum insolenti planè modo vergentibus in pejus fatis transgressi sumus terminos antiquos, quos posuêre Patres nostri? mirandum id est tantopere nobis arrisisse Evangeli-

cam

cam abnegationem; ut non ſimus ſoliciti de craſtino! non ſentimus mala noſtra, quod ipſum lethalitatis ſignum eſt. Extra enim ſenſum morbi eſſe & longiorem interim ſibi vitam promittere ab humanis medijs, impoſſibile. Ita fieri amat; ut quiſquis ex Regia via deviaverit, quantò ulteriùs perrexerit; tantò illum ampliùs errare contingat. Quis verò ſecuturis ſæculis horum omnium cauſam dicet? quidquid malorum inundaverit Rempub., quidquid calamitatis ingruerit Patriæ; hoc ex fonte manabit: hac enim formâ prorſus informi in eaſum conjecimus Patriã, metuendumq; ne ex hoc præſenti noſtro conſilio ſimilem legamus meſſem; qualis ex illa ſemente legi ſvevit, quam circa ſacras adventûs ferias agricola concredit terræ. Attamen uti de ſuſtentanda veſte, etiamſi non exerantur manus; ita de Repub. te ſalvo Principe deſperandum nõ eſt; cujus unius tot bellis & victorijs erudita prudentia nobis gerendi belli trahendiq; modum oſtendere poteſt. Abundè mihi liquet, & quamvis præſens ad obſequia non fuerim, inaudij nihilominus in ſolitudine mea; quantum V. Mtas aſſiduã impenderit operam, ut declinantes ex orbita comitiorum ſiſteret rotas, mortuum reſuſcitaret Lazarum, dirutam reædificaret Jericho, charitatemq; Patriæ omni aliâ ſuperiorem probaret. Conſiderent ſanè pro Tribunali malevolentiæ, invidia, cenſura: (ſi tamen tantum illis concedendum eſt, cùm actiones Mtis V. venerationem potiùs quàm cenſuram mereantur) facerent quàm arctiſſima ſcrutinia, diſtrictis agerent interrogatorijs: reſponderet profectò cuilibet quare ex rationario ſacrarum intentionum Mtis ſuum quia, manifeſta ad oculum in rem Patriæ geſtorum prodiret liquidatio, adeòq; laudes provocaret quas ille optimè recenſeret qui ſinceriſſimè: is enim te laudâſſe optime videtur, qui narrat fideliſſimè. Quibus cùm nec præſens tempus nec mea par eſſe poſſit tenuitas: natu grandiorum gratijs meam quàm ſubmiſſiſſimam adjungo gratitudinem, illas autem perennis memoria ſeris narrabit ſponte nepotibus,

Sequor etiam antiquarũ mearũ nunquã antiquandarũ obligationum impulſum, & ſeniorum de Senatu Patrum, qui ſuis dictis mihi prætulerunt facem, exemplum; dum Reginali Mti debitam exſolvo venerationem. Vidimus in præteritis expeditionibus ingentem ſupra ſexum animum; ut illa in unis individua Veſtræ Mtis Comes, in alteris quàm longiſſimè comitata in excubiis imperterrita Regni fuerit, parata etiam ulteriùs comitari; ſi neceſſitas poſtulâſſet. Quòd igitur hactenus non ſimus conſumpti à tanto hoſte, V. Majeſtati debere nos fatemur, quòd verò valetudo Mtis V. tantis difficultatibus & laboribus defeſſa ſubſiſtat: curæ, amori & ſolicitudini Reginali adſcribamus oportet, ideoque debitas reddimus gratias. Princeps Regius Jacobus magni premens veſtigia Patris (nec mirum, etenim pectore in hoc Pater eſt) nulli deeſt expeditioni; quin propriis ſtipendiis aut Majeſtatem ſequatur, aut manumiſſionem petat ad fortia agenda, quibus ſibi magni Nominis Author & auſpex eſt.

Ad puncta in propoſitione expreſſa non libenter accederem, optaremq; excuſanti diſpenſatio à dicendo contingeret: magis enim ad ſummam rerum noſtrarum pertinere arbitror; quid agendum nobis, quàm quid loquendum ſit? quia nihilomnus mea mihi obligatio dictionem imperat, meus ut eſt animus eloquor. Dum perpendo tanta non jam è longinquo eminentia, ſed re ipſâ è proximo ingruentia pericula; dũ non tantùm Pontifici circa bonum Chriſtianitatis ſolicito Patri & ſpeciali tã Regiæ Mtis V. quàm totius gentis (uti ex nuperis literis patuit) æſtimatori

A.C. 1688 matori, nec tantùm Colligatis satisfaciendum, qui jam propemodum stant in acie classicum duntaxat exspectantes, nobis interim longè ab eo ordine positis (scientibus loquor) & tamen deceret illam minùs faventium externorum nobis intentatam delere crisim: gens generosa sed otiosa: sed jam etiam non modò aut proximus ardet Acalegon, verùm ipsi quoq; tam grande sentimus incendium, pacem haberet voluntas, at arma exigit necessitas: unde non tam benevola, quàm necessaria sumenda arma. Cogit ex oculis lacrymas suprema notitia, horret animus cogitare, lingva loqui, quæ propè Leopolim aut jam gesta sunt, aut modò geruntur! audivi ex vivæ vocis oraculo, qualiter hi prodromi sequi æquè ac fugere prompti vastent, urant, capita amputent, sangvinemq; Christianum impunè defendente nullo profundant. Exhibuerunt triste spectaculum copioso numero infantum per vias publicas cæso, vexillis & tympanis æneis nemine resistente raptis, novoque Principi suo repræsentatis cum triumpho suo, robore autem & dolore nostro totiusq; opprobrio Christianitatis. Deficiunt verba exprimento dolori nec erubesco fateri inopiam; nam cui in tanto vulnere ad numerum suppetant verba? quis non contremiscat ulteriores arbitrans consequentias? cùm illis impræsentiarum tam secundo successu gaudere contigerit. Confluet indubiè major crudelis populi colluvies spe lucri, nulla formidine pœnæ: siquidem non invenitur hic & nunc, qui resistat eis: quis sponsor ex præmissis illos non sumpturos audaciam? & non Vistulâ tenus tantùm, sed etiam ulteriùs excursuros? quis novit an non circa Leopolim Principalibus metatis castris, continuatis velitationibus concursum & conjunctionem exercitûs nostri præpedient? quis novit an non aliquam partem tormentorum ex præsidio Camenecensi, quod nunc raptis per provincias nostras Comeatibus instruunt, deducent & fortalitia quæ illi resistendo paria esse possent, priusquam in unum còëamus, non occupabunt? aut diruent? quis novit an ad famam fortunæ non expendent momenta belli, certiq; ruptorum Comitiorum & nostræ imparitatis in hanc uti debiliorem partem totâ non incumbent potentiâ? ut per ruinam nostram tantò ampliorem ad ulteriores impressiones bellicas sternant expediantq; viam. Si igitur non movet nos miseratio proximorum, quorum jam alii periêrunt, alii exitio proximi sunt; subeat saltem metus & solicitudo de propria salute: moveat nos ipse pudor; novit enim Mtas Vra quanti Tartari sint externis populis, qui illos aptiores ad prædam, quàm ad prælium censent. Uti ipsa Mtas Vra toties experta est, quando exiguâ manu numerosas illorum confudit copias, & grandem attrivit potentiam. Quantò igitur debiliores ab externis existimantur; tantò confusio major nostra est, quòd à tam vilibus patiamur damna. Faxit DEUS! ut in hac extrema planè necessitate ille nos exstimulet zelus, qui olim infirmum sexum eò impulit, ut in iminenti periculo nec proprijs pro conservatione sui parceret cincinnis, ultro illis oblatis, quò funes torquerentur. Ibunt in prædam (avertant superi) omnia, & quæ habemus & quæ habere possumus; nisi maturè (sive ut expressiùs loquar) nisi ex nunc media efficacia assumamus, de quibus cogitantem destituunt verba, hæret ingenium & oratio. Propemodùm necesśè foret cum illa arcula confraternitatum ab uno ad alterum mendicationem instituere; ut ruentem hoc modo sustentemus Patriam. Animus in me promptus, pera autem infirma. Præsumerem ergo ab ijs efficax expetere consilium, quibus in promptu ad manum & in manu auxilium est. Efflagitarem per amorem Patriæ ab ijs omnibus, qui numerosiore

merosiore stipati in publicum progrediuntur satellitio; ut eo usi pro decore, eodem tam violentæ necessitati, priusquam moveat exercitus, succursum eant. Optarem ut V. Mtas comunem motum ijs saltem Palatinatibus, qui ex hac parte Vistulæ sunt quantocius edictis literis restium imperet; præsentia enim remedia præsentibus prævidenda periculis: severa interim universalia ad vexilla omnia dimittantur, ut summâ velocitate collecta manus aliqua securitatem hanc furtivi Martis adoriatur & confundat: longè enim faciliùs hic & nunc minores in fugam conjicere copias, paucumq; atterere militem, quàm undique accurrentibus novisq; adauctis resistere. Accepto gustu resistentiæ nostræ & imposterùm continuandæ defensionis certi amittent audaciam & animum revertendi; & ita utcunq; Patriæ securitate, sibiq; longiore prospicient quiete. Si non nôssem qualiter heroicum Majestatis cor desiderio exæstuans planè exarescit; quòd hic sedere cogatur: ubi sum ibi non sum, ubi non sum ibi est anima mea, tutè de se asserere potest. Supplicarem Mti Vræ, vellet versus illas partes divertere, nam ad famam solius nominis quod est terribile infallibiliter audaciæ suæ renuntiarent. *A.C.* 1688

His pro præsenti periculo ex mero zelo, quem spero cuilibet amanti Patriam excusandum, explicatis, ad alteram diverto partem his etiam indolendo, contributiones assignatas Comitiali decreto, privatorum Comitiolorum impediri authoritate (unde leges fermè prius fractæ quàm factæ) & impossibilitate debito more suos sine exolutione expediendi sublatam Officialibus obligationem. Si hesternum mediũ Episcopi Cracoviensis, qui indefesso labore primus huc delatus his Comitiis insudavit, & assit: pro quo humiles ei ex persona mea defero grates: si inquã, porrectum ab illo medium valere censeretur; ut nimirum præsenti Senatûs consilio de futuris stipendiis suis assecuraretur militia, præterita autem quantocius à Palatinatibus, quorum graviorem experimur ad exsolvendum renitentiam, exsolverentur; existimarem ut V. Mtas Senatores alios hic præsentes suo instinctu, alios absentes ardentibus literis animare dignaretur; ut in futuris Deo dante relationis Comitiolis adesse vellent, suamq; interponerent authoritatem, & amore comunis parentis Patriæ tantaque necessitate ad exsolvendum id, quod ex præteritis debetur Comitiis inducerent. Comitiola autem relationis concedere & per universalia designare V. expedit Mti: hic enim practicatus est mos & consvetudo, ut quoties rupta fuerint Comitia, quando illa assignatum per legem non habent tempus, à Vra Mte determinatio illorũ dependeat, in quibus tam Senatores quàm Nuntij genuinam ruptorum Comitiorum facient relationem.

Succursum ab Electore Brandeburgico in hac paucitate nostra video esse necessarium. An verò nimia ea expensa feliciùs in authorationem magis incomoditatibus assuetorum non convertenda sit? nescio, & quia nescio, silere amo. Stabit id in arbitrio Regiæ Mtis Ducumque hujus artis peritorum; quibus quia in Comitijs debitas non solvi pro tantis sumptibus, exantlatisq; laboribus ex statione mea gratias, nunc reddo, brevibus pro tempore verbis, sed prolixo exoptans affectu; ut DEUS pro gloria nominum ulterioribus eorum benedicat conatibus: quatenus quàm sæpissimè possint victos ostendere civibus hostes. Redeundo verò ad meum punctum inchoatum, existimo ponendum calculum, an expediat tam pretiosum assumere subsidium & præjudicatum ejusmodi admittere? ut id quod aliàs debitum est, redimi necessè sit. Si tamen sic videbitur Majestati ex rationibus, quarum hic & nunc nullas

A.C. 1688 las apud me comperio, optarem prius exquiri ex Legato Electoris hîc existente, quæ intentiones Principalis illius sint? ne forsan iteratò speciosâ aliquâ ratione id hoc anno retractet, quod priori pollicitus est. Insuper existimarem requirendum Cardinalem Palavicini, num persistat in data præterito anno declaratione? si non? non video modum unde tam grandis sumptus hominibus sustentandis suppetere possit: si verò persistit? facilius reperire erit quempiam, qui suis sumptibus in hac egestate publici ærarij suppleat, quod novissimè præstitit non sine gloria Nominis Capitaneus Mariæburgensis, & alij (memini) se obtulerunt. Quisquis autem illuc profectus fuerit; supplico V. Majestati: ut in instructione id ei ponatur, quatenus quàm optimè punctum securitatis bonorum nostrorum observet; nam ex præteritis acceptâ mensurâ metuendum, ne more solito insolita sibi indulgeant. Non foret abs re adjicere in capitulatione; ut ex iis pecuniis, quæ singulis mensibus illis obvenient, damna injuriatorum, si quis forsan interpellaret, ex nunc solvantur. Certum enim est præteritis annis militem transitu suo damni plùs quàm cōmodi intulisse.

Casimirus Bilinski.

Si rupta comitia publico præjudicant; nec privata certè privatorū sine grandi injuria sunt, præsertim exulum: qui ad sumas Moschoviticas ex jure & justitia spectant; siquidem propriam substantiam pacificationi illius partis impenderunt: & licet non haberem præ oculis privata domûs meæ; ipsa nihilominùs æquitas mihi aliter dicere non indulgeret, nisi ut jus suum unicuiq; tribuatur. In has sumas nihil juris sibi Respub: prætendere potest; quia in instructione pro præteritis Comitijs data ipsis duntaxat exulibus hanc satis exilem pro tantis damnis adjudicavit portionem; quam retractare nequit. Nam si proprium etiam mantellum vi repetere jus vetat; quomodo rem privatam & alienam violentè eripere & publico adjudicare liceat? modestia exulum pro assensu habenda est, quomodo enim aliter procedant? coguntur precariò ad V. Mtem præsentemq; senatum recursum facere. Nec hoc movet: quòd præterita hyeme prævia securitate partem accipere concesserint; nam eò discretiùs cum illis procedendum est; dum amicus liberalis est, discretus esto. Ratio hæc: id scilicet non periturum, aut Rempub: compensaturam: dubito utrum contentabit? præsertim quod considerem quanta tepiditas sit in extraditione contributionum. Centū verò etiam rationes ne unum quidem solverint. Sit & hoc in consideratione V. Majestati quòd id sequentibus Comitiis difficilius reddi possit: nam non mirandum erit, si exules sua restantia requisiverint longè imparia tantis damnis. Satiùs existimo ita eam summam sepeliamus oblivione, ac si non esset; quia aliàs plùs periculi quàm cōmodi imminentibus Comitijs sive futuris hæc dispensatio afferre posset.

Variatio monetæ jam sensim non sine sensu publicam invisit paupertatem; de qua dici potest, quod sit quintum elementum, quo sive sublato sive falsificato ex nunc succedit exitium. Ingens ruina præterito incepit anno, & alia sequentur, homicidia, execrationesq;, nullus mendicorum assem mutare poterit, nullus mutabit aut servabit quin maledicat: utinam cœlum non videat? Fuissent hujus rei media, si feliciter DEus concessisset hæc Comitia consumare; quia enim hæc materia ad totam Rempubl: ex natura sui pertinet, non potuit auctio vel diminutio valoris monetæ constitui; quòd presse constituta in præteritis Comitijs tenenda sit ordinatio, cui quia Mercatores maximè, ad libitum elevantes pretium non obtemperant, interest; ut præter severa universalia Ve-

stræ

ſtræ Mtis etiam Caſtrenſe Officium habeat licentiam peremptoriè tales excesſivos deprehenſos judicandi: nec dubito, quin exemplo unius & alterius punitorum deterriti reliqui deſiſtant, nobis ejusmodi penuriâ poſt hæc non laboraturis, aut neceſſitatem habituris; ut jam in hoc jã in illo loco diverſo pretio recipiamus aut extradamus imperiales & tymphos. *A.C.* 1688

Commiſſio coæquationis video more ſolito abſoluta eſt; id eſt nullâ re finitâ diſceſſum eſt: optarem igitur ardentibus literis Commiſſarios accendere; ut quod non eſt factum, fiat.

Ablegatum Moſchuæ bonum foret ex vi pactorum pro reſidente detinere, ut & noſter pariter ad illam aulam eſſet continuus propter informationem pro Sacra Regia Mte. Sumptus exiſtimo conſuetus eſt. Theſaurarium M. D. Lit. ad quem hoc præciſè pertinet non dubito ſatis eſſe informatum.

Ad Perſiam etiam Legatum mittere omninò expedit; nam quamvis (uti inaudiî) Monarcha ille ad luxum & otiũ proclivior eſt, quàm ad bellum, nihilominus, ſi evinci poſſet; ut oſtentationem armorum etiamſi magis ad pompam, quàm ad uſum Perſæ exhiberent, diverterentur hoc pacto vires Turcicæ: quanquam etiam meo judicio (bona ſi ſua nôrint) per talem conjunctionem multum in rem ſuam boni derivare poſſent, nec dubito Divinam Mtis Vræ prudentiam in ſua inſtructione hoc illis lumen oſtenſuram certificando; ſi fors ſcrupulus ex Mahometana fide oriretur, non de Religione agi ſed de Regione; ſpesq; in DEO, ex hac Legatione magnum nobis poſſe auxilium adeſſe. Conjuncti profunt etiam vehementer inertes. Dnum Reymer & Oderman penſione aliquâ retinere expedit: melius enim tales homines habere, quàm quærere. Debita privato Mtis theſauro ſolvenda eſſe cum fide & gratitudine nullus dubitat; putaremq; ut aliquis proventus ordinarius in exſolutionem eorum convertatur. In quantum verò id fieri non poſſet; ſaltem ſecuritas ex præſenti conſilio provideatur. Quo ad artileriam autem cenſerem, ad ſolitum gratiarum fontem Cardinalem Palavicini recurſum faciendum.

Cimelia apud Capitaneum Mariæburgenſem depoſita, ſiquidem ad Comitia ea cauſa remiſſa eſt, ibidem manere deberent uſque ad deciſionem Reipub. niſi forſan publica neceſſitas ea ſvaderet oppignoranda: nam nullum lucrum cõmodumque ex illis ita depoſitis, adeoq; neceſſitas, quæcunq; illa ingruerit ſuppleri poteſt.

Miſereor ſuper ſortem Palatinatûs Voliniæ: ad tantam enim miſera plebecula redacta eſt paupertatem, de quanta meminit hiſtoria in Ducatu Moſchoviæ: tanta inedia hominum ut paſſim proclament; da quod manducem & poſtea interfice me. Retroactis ſæculis quæſitus quiſpiã, quænam feliciſſima foret Reſpub. reſpondit: in qua uni illatam injuriam propulſant omnes. Incumbit igitur nobis non tantùm miſereri, ſed & ſuccurrere: quare ex ſtatione mea peto à Ducibus Exercituum Litvaniæ, velint invenire media, quibus ab ultima hic Palatinat⁹ ruina vindicetur.

Eccleſiam Piltinenſem totumq; ejus negotium pietati Vræ Majeſtatis quàm humillimè cõmendo, obſecrans; ut hanc DEI cauſam quantociùs dijudicare dignetur. Pupillaris cauſa Caſtellanæ Miedzyrzecicenſis jam à proprio paſtore Mti Vræ cõmendata eſt. Conſcius ergo omnium ſumptuum, quos in Patriæ obſequium piè defunctus erogavit, hoc regali memoriæ refrico: excitabuntur ita vivi ejuſdem poſteri ad obſequia Patriæ, quando videbunt non id perire mortuis, quod vivi Reip. exhibuerunt.

 buerunt.

A.C. 1688 buerunt.

Tribunalis Regni conſervationem neceſſariam admodùm ſatis ante me probatum eſt; quod ſi quando hoc anno ſuſtinendum eſt propter defectum Deputatorum. Pertinebit igitur ad Palatinum Sieradienſem uti Directorem perpetuò reſidere: qui ſi propter conſumptam in obſequio publico ſubſtantiam ſubſiſtere & in longum protrahere reſidentiam non poſſet; audeo à Mte Vra petere: ut pro ſua bonitate & clementia quæ nullum inconſolatum dimittere conſvevit, ex primis vacantibus adminiculari dignetur. Nuntios exercituum diſcretioni Theſauri Regni & ſolitæ liberalitati comendo: nam ſi honorare medicum propter neceſſitatem; quantò magis Equeſtrem conſervare militiam competit ſub tempus belli.

Dominum Mysliſzewski & Secretarium ad expeditionem Moſchoviæ cùm Majeſtati tum Theſaurario Litvaniæ commendo: alter enim non tenetur propriis ſtipendiis militare, alteri officium ſuum non debet eſſe damnoſum.

Finio ſenſum meum ſupplicando Divinæ Mti; ut eam Regi inſpiret mentem; quam in arduis quibuſvis præſeferre conſvevit; quod non pridem ex publica Cathedra optavi: adjicio votum ut avorum ſuperes ævum, & mortalis natus nihil niſi imortale ſentias.

VOTUM STANISLAI LUBOMIRSKI MARESCHALCI REGNI IN CONSILIO POSTCOMITIALI POT RUPTA GRODNENSIA Comitia 20 Martij.

NON inſolens illud eſt Rex Sereniſſime; ut hi, qui facie ad ſolem expoſiti ſunt, maculas quaſdam in vultu contrahant; quæ ijs potiſſimum obveniunt, qui ex natura ſua alios candore præcellunt: virtus autem honeſtas & congenitus amor tam in Patriã quàm libertatem, tantoq; magis illibata fides in Mtem V. minimè ejusmodi turbatur labeculis; quinimò tali decoloratione coram univerſo gloriatur, meritò exiſtimans, maculas eas eſſe honoris & virtutis, non odij vel reprehenſionis: quinimò nullius culpæ conſcia tam delicata Majeſtatis & libertatis amori unita libera virtus nobilitaris & ſenatoria, præſertim ad cuſtodiam legum poſita audacter verſiculum illum myſteriis plenum ex Cantico Salomonis deſumptum occinere poteſt: Nolite me conſiderare, quòd fuſca ſim, decoloravit me ſol, poſuerunt me cuſtodẽ in vinea. Quia verò hæ maculæ non ex natura ſui ducunt originem; ſed ex cauſarum accidentibus hinc facilè virtutis & benefactorum conſcientia illas delet & diſpellit. Primum inſtrumentum dignoſcendis illis ſpeculum inſervit. Quod verò ſpeculum civium, niſi ſerenus Principis vultus? in quem intendere oculum non tantùm competit, ſed etiam neceſſum eſt bonis liberisq; civibus; quantò verò magis miniſtris ad cuſtodiam Mtis & libertatis poſitis; nam Patriæ Aquilæ irretortâ palpebrâ inſpicienti ſolem nunquam caligant oculi.

Inſpicio Sereniſſimè Rex uti mihi incumbit hoc ſpeculum Majeſtatis & libertatis, idem ita agens; quod omnes alij optimi cives, filij hujus Patriæ: & citra dubium in eo intueor animum imprimis Regium, heroicum exemplar affectûs in libertatem, æquanimitatem incomparabilem; qualis olim ſacros V. Mtis ornavit anteceſſores, libera corda civium potentiùs obligare ſolita, quàm maxima fortitudo. In hoc igitur tam pellucido, tam veridico, neminemq; fallente ſpeculo me confidenter

ter contemplor: verùm advertens in illo mihi impressas maculas, ideò forsitan, quòd me officium & obligatio soli exposuerit, volo imprimis abstergere illas in fonte confidentiæ, qualis in filio erga Patrem requiritur, supplicoq; ut V. Mtas eas detegere dignetur, si quas ad Paterni cordis sui lucem deprehendit.

Semper ego venerabar etiam in privatiori conditione existentem Mtem Vram, nec unquam magnis virtutib9 & exemplis clarissimæ personæ me in Antagonistam vel Zoilum opposui, probavi obsequium meum hilariter & cum affectu serviendo Mti, Collega, Mareschalcalis Scipionis existens collegi vota populorum in campo Electorali, & in serã noctem protracta in personam Mtis Vræ combinavi suffragia. Nonne ego hac lingvâ & ore meo ad portas provinciarum Nomen Mtis Vræ à nobis liberè in Principem Electæ proclamavi? verùm ut ad antiquiores cum domo Mtis Vræ redeam obligationes; perennat adhuc per orbem memoria: quàm arctâ nec ruptâ unquam necessitudine & affectu magnus in hac Patria Parens Mtis Vræ cum Avo meo obstristus vixerit, idem velle & nolle pro libertatibus & Repub. uterq; habuerit, inq; cordibus suis hoc indissolubile vinculum conservaverit. Testis hujus est historia Polona, à magno Parente Mtis Vræ exarata: in qua Avi mei ejusq; facinorum digno & justo calamo consignavit memoriam: hoc igitur modo & arrhâ obligatus antiquitùs vivo servus Vræ Mtis magnæq; domûs venerator. Unde igitur mihi, qui procul ab omni semper ambitu, invidia, & assentatione remotus vixi, me in Zoilum degenerâsse; maleque velle domui Vræ Mtis; cui & magnas spes & posteris ejus sincero animo innumeras precor felicitates, idq; tales; quæ in solido amoris civium & affectuum Nobilitatis nitantur fundamento. Non existimet Vra Mtas me minus affectum esse prærogativis Majestatis, quàm libertati meæ; novi enim quod quemadmodum tota Reipub. hujus naturã in his fundatur polis, Majestate scilicet & libertate: utriusq; hujus autẽ librator esse debet intermedius ordo Senatorius; ita mihi sacri hujus juris custodiendi incumbat obligatio. Non ignoro, quid debeam imprimis Majestati Regiæ, tum etiam libertati meæ? duo enim hæc nunquã vel in minimo separo: ita sibi de me persvadeat; quòd si de Cardinalibus juribus Majestatis, in quibus honor, authoritas, justitia & securitas totius Regni ac Reipub. in persona Vræ Mtis feliciter modernæ vertitur, ageretur: opponerem me in facie totius populi ad ultimum usque mei exitium; ne quid primo Ordini id est Mti injurium contrariumque decerneretur: nam subverso primo extremo, hoc est, Majestate secundarium etiam id est libertas rueret, amissaq; paritate abiret in licentiam.

Quare in tali casu neutiquam Taciti aut Lucani accerserem exempla, qualia hic plures congerunt; etsi naturæ Reipub. nostræ nec comparari nec servire possint. Ibi enim una civitas orbis Imperium tenuit, reliquæ serviebant Provinciæ: undè non mirum, Provincias illum rerũ statum non abnuisse; hic vero Provinciæ, Palatinatus, & terræ Patriæ hujus æqualiter, quo ad omnia liberæ sunt, consequenter remotissimus quisq; Nobilis & universi pariter ad Rempub. pertinemus. Uterer potius pijssimi Poloniæ Historici doctrinâ grandiq; exemplo, qui memorandi sæculis de domo Tarnoviana Senatoris hascè comendat dotes: erat hic vir re magis quàm ostentatione popularis, spectabatq; de favore populi, probabat, sed quod populo utile erat, malebatq; de favore populi periclitari, quàm secundâ illius famâ rem populi malè gerere. Ideo alienus ab omni simulatione & ostentatione, sæpe numero pro re populi contra

 ipsum

A. C. 1688 ipsum populum sensit ac dixit. Ita & dignetur V. sentire Mtas, me similiter, si de juribus Mtis, ex qua petitur fundamentum authoritatis, *justitiæ*, securitatis, res foret; æquè illam ac libertatem defensurum. Reciprocè certus de benevolentia Mtis V. sum & affectu in libertatem ac Patriam, & ita suppono de Principe in eadem nobiscum libertate nato, minimè mihi indignaturum; si quandoq; scrupulos meos circa tam delicatã materiam libertatis nostræ confidenter Mti V. ceu Patri exponerem: quia in tam delicata materia uti dixi, nobilitaris libertatis suspicio & metus crimini verti nequeunt; quæ ne in liberis cordibus progerminent; necessaria est Ministris status, hoc est, nobis officialibus frequens, confidentialis & tempestiva ante consilia cum V. Mte conferentia: in qua semper priùs agitemus, quàm propositiones formentur, discernamusq; quid solidum? quid proponibile? quid adæquatum & non suspectum? ne magnum Nomen & rectitudo V. Mtis arcanis cordium humanorum obnoxium reddatur censuris, & Reipub. bonum diffidentiis perplexum fiat. Nam quando magis necessaria confidentia mutua ordinum Reipub. *est?* ac modò? quando inchoatum tam grande sæculorum opus, dexteræ Divinæ miraculum colligatio sancta & pretiosa dilatandæ fidei sacræ momenta supra humanam spem condita steterunt: de quibus (avertat DEUS) per socordiam dimissis gravis nobis DEO reddenda immineret ratio, quibus servandis ipsum cœlum invigilat, summus Pontifex supremus & incomparabilis Ecclesiæ pastor divinas & manus suæ suppeditat suppetias, Christianitatis Imperator im̃ortali ultra exemplum gloriâ & dignis nomine suo triumphis, quales nunquam spes Christianitatis sibi ominari potuit, constantiq; præit exemplo, Veneta Respub. integra ab ævo in Turcicis manibus desperata Regna recipit, nomenq; libertatis & virtutis suæ latè terrâ mariq; extendit: hæc verò omnia non aliundè promanant bona; præterquam ex Ordine & tempestiva cogitatione. Idẽ & nobis faciendum incumbit: verùm id sine plena Ordinum confidentia, applicatione, & cointelligentia fieri nequit. Neutrum verò sine consilio, consilium autem sine fiduciali & matura confidentia efficax nunquam formatum fuerit. Auderem igitur illam à Vra Mte expetere; vellet ante consilia nobiscum Officialibus & servis maturè conferre; ut intentiones piissimas perspectas habendo, illas ad com̃une bonum publicamque utilitatem dirigere, congruisq; consiliis & convenientibus cautelis Regiam eisdem viam aperire, parareq; possemus ad finis consecutionem. Quod interdum id non fiat, probè novi, non tam ex defectu voluntatis & providentiæ Vestræ Majestatis, quàm potius locorum & temporum aliarumque difficultatum procedere obstaculis: reducenda nihilominùs quantum possibile ad veterem normam, dum in aliquo deviat, Reipubl: forma est; uti alias semper sub sacris V. Mtis antecessoribus fiebat, quia in hoc potissimum felicitas consiliorum & Nominis Regni hujus vertitur. Non loquor hæc ex aliqua de Persona Regia mala contentatione, sed ex obligatione zelosi obsequij mei erga Mtem V, quam veneror tanquam Dñum, & amo tanquam Patrem: & quamvis manifestè sciam id Regiæ Mti feliciùs compertum esse; verùm quia ejusmodi natura est hujus Reipub: ut ex vi officiorum nostrorum ad unum idemq; collimemus bonum, adminiculemur, & si quid nocivum adverterimus, consilijs nostris caveamus & occurramus: dico ea, quæ debeo, quæq; pertinent ad declarandum obsequium Majestati, quæ deniq; obligatio & ministerium meum profari imperant. Necessitudines verò meæ cum magnis in hac Patria viris, vetustæ cum pluribus anti-

quitate

quitate invictis familijs colligationes, arctioresq; & indissolubiles amicitiæ; quas tam in senatu, quàm in Equestri Ordine habeo, non sunt (avertat DEus) in destructionem domûs vel Mtis V. diminutionem; sed quinimò ideò conjungimur, congredimur, cointelligimus; ut ceu fideles & veri V. Majestatis Servitores id duntaxat sentiamus, & indivisim intelligamus: quod V. Mtis Nomini, juribus & libertati Reipubl: ac concivibus domi residuis nec non indemnitati opportunum & necessarium judicamus. Merentur domus nostræ, quæ etiam Rempubl: componunt & formant, quæq; sangvine, virtute, meritis & opibus suis tot vicibus labentem sustentàrunt Majestatem & libertatem Reipubl: ut ab omni suspicione absolvantur. *A.C* 1688

Subit frequenter & inde dolor affligitq; animum; quòd iter meum ex voto ad limina Apostolorum, quam annis abhinc 18 Altissimo promiseram, sinistris interpretationibus coram Mte V. fuerit ventilatum. Non me ad illud induxit inconsulta quæpiam levitas; sed facti DEo promissi punctualitas. Memini illius S. Spiritûs Oraculi: Quidquid vovisti DEo; ne moreris reddere. Quocirca opportunum observans tempus, vacuumq; ab obsequio Reipub: destinavi hyemem pro eo itinere; quando Majestas V. incidentia Comitia de lege distulit. Valedixissem Ordinibus Reipub: sed quia sine Comitijs nulla earum erat facies, non nisi per literas Majestati V. de meo abitu significavi, fretus exemplo Antecessorum meorum, qui idem fecerunt. Mareschalcus Magnus ternis in annum vicibus invisit Italiam, alijque Magnates ex necessitatibus suis in exteras proficiscuntur Provincias. Constitutiones autem tantùm requirebant; ne absentia sua se quis à Tribunali in sua causa eximeret; item si quis forsan gratijs extraordinarijs Reipub: egeret; quibus ego non egui, nam etsi me plurimum elongavero, non tamen subterfugio in illa prætensione Nobilitari justitiam; quin vel remotissim⁹ existens omnem cuilibet consuevi satisfactionem exhibere. Profectus autem sum per ea Regna & gentes; quæ non tantùm de aliqua contrarietate vel inimicitia non suspectæ huic Reipubl:, sed imò sacræ Colligationis vincula & tam laudabiles universæ Christianitati grandium DEoq; gratorum operum nobiscum indissolubiliter sanxerunt obligationes, minimeq; suspectam correspondendi societatem (planè ac si in co͂muni Patria essemus) junxerunt. Fui apud Cæsarem bis tam in itu, quàm reditu; quem præterire mihi nefas visum est, quòd tam respectu domûs quàm officij nec ignorandum, nec excludendum à debita tanto primoq; orbis Monarchæ veneratione me censerem; cujus beneficia Parens meus non in detrimentum, sed auxilium jurium & libertatis in sua oppressione expertus est, & tota Respub: in necessitatibus suis non minorem sine ullius commodo obtinuit succursum. Fui postmodum apud Sanctissimum à quo magnam audivi nominis gentisq; Polonæ æstimationem; idemq; Pontifex testari potest: quo honore magnum Nomen Mtis V. apud illum prosecutus sim? Complures dignissimas circa bellum sacrum considerationes, admodumq; necessarias, quas mihi idem insinuare dignatus est, non vanam spem liberalitatis suæ faciendo, per literas adhuc ante legationem Episcopi Premisliensis Vestræ detuli Mti: sed nullum circa hoc retuli responsum. *Wolski*

Venetijs autem geminâ vice invisi Ducem Venetiarum, singulare exemplar prudentiæ, pietatis, & authoritatis, civiumq; erga se amoris; quem per respectum colligationis, quam V. Mtas cum Venetis conservat sacrosanctè, nostriq; Majores olim affectârunt, præterire nullo mo-

A.C. 1688 do licuit; uti & Reginam Eleonoram magnæ pietatis & virtutum Regiarum Dominam, illibato charactere Reginalis Poloniæ Mtis ornatam; quæ tantum Nomen & recordationem sui ob benevolentiam & gratias suas in pectoribus civium reliquit: idq; tanto amplius ob vinculũ proximæ consangvinitatis meæ cum piæ memoriæ Rege MICHAELE; tũ honor, memoria & gratitudo erga tantam consortem venerationem mihi imperârunt. Idem præstiti ex pari veneratione magno Generalissimo exercituum Christianitatis Duci Lotharingiæ; quem tantarum virtutũ & gloriæ Heròém, si debito cultu prosecutus non fuissem pro grandi reputâssem barbarismo.

Hoc præstito obsequio ijs Monarchis & Principibus, in quorum cordibus nihil aliud locum habere potest, præterquam sacrum, præclarum, & ingenuum, Patriæq; nostræ gloriosum & proficuum; sequitur meam apud illos diversationem non potuisse esse, nisi laudabilem: quia non apud suspectas nationes, quæ factionibus suis alienas & Christianas miscent Provincias; sed apud tales, quæ sunt vindices fidei sacræ gloriæq; DEI, ac gloriosis insimul V. Mtis sociatæ conatibus, consequenter cum honesti amantibus Patriæ hujus & Mtis V. servis sine suspicione convertibiles. Jam igitur Rex inclyte postquam me ita manifestavi Mti, ne ulterius privatâ justificatione actionum mearum tædiosus sim; accedo ad materias consilij, brevibusq; circa illas sensum meum aperio.

Et imprimis quo ad primum punctum propositionis; nequeo sine sum̃o doloris sensu incipere materiam ruptorum comitiorum; aut potiùs non consum̃atorum: ex quibus quanta momenta sustentationis belli sacri pendebant, facilè conjicere est: quando ex illis melior militiæ pars ob non soluta ordinaria recusat obsequiũ, reparatio peditatûs necessaria, sine quo nec oppugnare nec defendere fortalitia possibile, & aliæ solidæ fundamentalesque benè & efficaciter bellandi rationes perpendendæ & executioni mandandæ erant: sine quibus quanta hic & nunc in necessarijs rebus jactura sit; non nisi peritus belli arbitrari potest? Quis verò ruptorum comitiorum Author sit? mihi disquirere non competit: non mihi insimulare licet aut possum, sciens in hac Repub: concordiam animorum donum DEI esse, nec ullã sentiendi coactam necessitatem posse inferri. Nihilominùs hujus opinionis sum; eum potissimum rumpendis comitijs dedisse causam, qui tot comitiolis miro & insolente modo rumpendis Dux & Author fuit. Comitiola enim sunt, sicut rivuli vel fontes ad alveum comitiorum confluentes; quæ si in turbido oriantur, comitiorum etiam alveus turbidus sit necessè est, quod re ipsa factum est. Nam Palatinatus & terræ ad comitia, cum jam exorta diffidentia delatæ, videntes absentiam tot aliorum Palatinatuum ob comitiola rupta, tum etiam negatam activitatem tot & tantis Personis; imprimis majores conceperunt diffidentias; diffidentijs successerunt suspiciones; suspicionibus mutua sui vitatio & remoræ; quæ proh DEUM! extraxerunt legitimũ tempus consiliorũ: dum tandẽ ad punctum irremediabile valedictionis & digressûs sine ullo com̃odo deventum. Nam, ne novo exemplo conclave nuntiorum corruptũ fuisset; nevé sine illo consultatio supra in morem abîisset: satiùs visum est actum solvere, quàm in periculoso fundamento malæ subsistentiæ opera auspicari: ut quandoq; svevit peritus facere opifex; qui non adverso, se ex curvo aut putrido ligno incepisse figuram: dum undiq; illi non succedit, hinc obstante obliquitate, inde putredine in frustilla spontè abeunte, inchoatum deserit opus, melioremq; materiam in laboris sui assu-

mit

mit subjectum. Ita & modò prorsus factum est; quòd nuntij, quos non culpo, nolentes inconvenientia inconvenientibus addere, maluerunt patienter digredi; quàm malo & damnoso fine terminare comitia, satisfaciendo ita consilio Senecæ Philosophi, qui non malè in tali occasione cõsulit his verbis: Melius est, in universũ abire: quàm vitia virtutibus cõponere. Quibus omnibus pro pietate & prudentia sua Regia Mtas facilè prospiciet; si quantociùs (dum̃odo ratio belli permittat) nova indixerit comitia, feliciori utinam auspicio! quæ faciliùs, semper felici coronabuntur effectu; si V. Mtas civium animos bonitate, authoritate, & cõfidentiâ suâ Regali propensioneque in omnes occupaverit, & comitiola quæ fundamentũ sunt in fraterna charitate, concordiaque, suâ æquanimitate, providentiâ & activitate pro basi fortunata comitiorum fundaverit. *A.C.* 1688

Quod verò in secundo puncto propositionis suæ V. Mtas desiderat; qualiter cauterium aut ruptura Comitiorum Palatinatibus describenda sit, pro Comitiolis: optarem, ut ita procederet qualiter solent periti & prudentes medici, qui patientibus suis Comitiali morbo laborantibus non describunt morbum, nec illis referunt, quæ cum ijs acta fuerint, quantaq; passi sint symptomata; ne fortassis eâ notitiâ gravior consurgat paroxismus; sed duntaxat solantur illos, studentq; cor exhilarare. Ita & Vra Mtas ceu laudabilis præservator, magnusque conservator cordium civium, quàm præsentissimè leniet, plurimumq; efficiet boni cordialibus medendo. Quod innatum benignitati & providentiæ Vræ Majestatis esse scio.

Opto autem, ut quantociùs designentur Comitiola uno eodemque tempore, utque Palatinatibus simul innotescat necessitas publica & indefessa Majestatis circa bonum publicum cura: addantur in universali (vel si videbitur in specialibus literis) solæ tantummodò necessitates publicæ sine exaggeratione vel culparum vel errorum civium, quos magis occulere aut erubescere nobis necesse est: quævis enim inculpatio nonnisi passionata censeri potest, adjiciantur Palatinatibus media, quibus Patria in his conjuncturis salvari possit, qualiter priora retenta pro exsolutione exercitus sancita cogi & effectuari valeant: nam non consulerem novas contributiones sine Comitijs postulare; quin metuo magis exacerbationem, ne Palatinatus inquisitionem id interpretentur: semper enim (quantum inaudij) illi sveverunt esse quo ad hoc punctum sensibiles. Alterum modum à ruptis comitiis non video, præter hunc; ut antiqua retenta com̃endentur & exigantur. Nam quantumvis integra fuissent Comitia, nescio tamen, quomodo novæ contributiones decretæ suum sortitæ fuissent effectum, tantâ intercedente circa priores per Palatinatus difficultate.

Residentem Moschoviticum; ut Mtas Vra ad aulam suam retineat opto, suum vicissim ex Moschovia non revocet, & frequentẽ cum Czaris correspondentiam habeat; ut saltem videamus fructum tot Provinciarum, quas in bonum Christianitatis illis cessimus eo solummodo intuitu & pretio; ut Czari efficaciter contra inimicum Crucis bellare & ex æquo nobiscum sacri belli intenta promovere vellent. Electoris Brandeburgici officiositas & promptitudo erga Rempub. per declarata auxilia meretur omnem gratitudinem & gratias; verùm ijs sumptibus, qui sustentationi suppetiarum impendi deberent, totidem (uti ab alijs jam hic dictum est) authorari possent ex nostris (si ita est) frustraneum fatigare militem Electoris tantæ distantiæ itinere, qui ordinarè fractus &

A. C. 1688 & ad incitas redactus redire solet.

Cimelia Reipub. per Capitaneum Mariæburgensem advecta à præterito Thesaurario Regni, non videntur mihi alibi nisi in Comitijs recipienda, ad evitandam omnem quæ hinc oriri posset suspicionem.

Nihil æquiùs, quàm ut damna Palatinatui Volhiniæ facta ab exercitu, in singulari sint reflexione; concives autem illorum locorũ apud Rempubl: in respectu: exercitus verò à Ducibus ulteriùs deducantur. Materias omnes pecuniarias, valorem monetæ & alia thesauro servientia puncta ad informationem Thesaurariorum remitto. De coæquatione rei monetariæ cum vicinorum Principum Ministris habeatur conferentia, & decisio; ut quàm perfectissima circa id pro cõmoditate commerciorum, cõmunis cointelligentia detur. Exercitûs utriusq; gentis merita specialem sibi vendicant gratitudinem, ea commendo respectui Majestatis & totius Reipub. Primario autem Duces; qui indefessâ applicatione & heroicis conatibus non cessant constanter assistere Reipubl: in tam arduo bello, pro quo illis ex statione mea debitas solvo grates.

Et hic jam finiendo concludo meritissimo & justissimo puncto, hoc est humillimâ Majestatis veneratione & debitâ gratiarum actione pro tanta & tam gloriosa Mtis solicitudine ac labore, circa charissimam Patriam; quòd valetudinis suæ injuria eam exponere dignata sit tot in præterita expeditione periculis, & incõmoditatibus belli, supplico submissè; ut & imposterum ex amore in Patriam & primariò in fidem sanctam, in grandibus & infractis facinoribus suis persistere dignetur; quæ olim sera sæcula cum im̃ortali Nominis V. Majestatis gloria in ævum sunt narratura.

Gratias etiam ago Reginali Majestati; quòd seriâ solicitudine & sincero amore nobis exoptatam & necessariam tam Patriæ, quàm Rebuspublicis Christianis conservat valetudinem, simulque supplico; ut bonis & fidelibus famulis in Regio Majestatis corde benevola protectio esse velit.

Nequeo præterire debita veneratione Principem Regium glorioso genio Mtis V. sese informantem, pro heroica applicatione & conaminibus; quorum in præteritâ expeditione tam manifesta exhibere dignatus est argumenta: quibus dum ipse pro se loquitur, ego nonnisi sinceram ex statione mea exsolvo gratiarum actionem. Omnia verò domûs Mtis Vræ solatia candido semper prosequar corde, & affectu: velitque de hoc plenè esse persvasa; quòd ex inclinatione, debitoq; obsequio ad quod verè jugiter anhelo, V. Mtem æstimem censeamq; delicium & dulce decus meum præsidiumq; domûs.

VOTUM REGIS IN GENERALI CONSILIO GRODNENSI 24. Martij.

MUltùm ille malis jactatus & calamitatibus exercitus esse debuit; qui inde de doloris natura eruditus dixit: parvæ curæ loquuntur, ingentes stupent. Stupet merito universus orbis, nosque & nostra miratur consilia; stupet & urbs orbis & Christianitatis caput; imò ipsa natura stupet; quæ etiam minimum & vilissimum animal provida defensionis armavit modo: nobis solis non vis aliqua, aut inevitabile fatum; sed velut de industria artem nocendi docta illum invidet eripitque malignitas. O quantum olim stupe-

stupebit posteritas! à tanta latè per universum proclamata Sarmatici A.C. 1688
nominis nos gloria, æternæ (proh DEum) labi nec reparabili succubuisse damno. Dum igitur nos videmus sine medijs, & extra vel impares consilio esse, non fatis, quia Christiani sumus; sed uni & soli DEo Dno exercituum sortes hujus dilectæ Patriæ permittere & resignare condecet.

Aliquot diebus ante conversa ad nostram Personam voce dictum fuit, proque summo malorum remedio porrectum, velutique super vacante honore illata instantia; ne inter libertatem tam solenniter cum Majestate compactatam faciamus divortium, & ut illam ceu amissa foret restituamus. Juravi Dno & non pœnitebit me: manent nobis altâ mente reposta pacta conventa, meminimus eorũ quæ juravimus, quæque debemus Patriæ & libertati, in qua nati & educati sumus, cujus tutelæ toties salutem nostram immolavimus. Adhuc in teneris annis sangvis Majorum nostrorum innatos nobis excitabat ignes, illi ostenderunt nobis; quòd non dictis sed factis extendere famam, hoc virtutis opus. Pergat modo illuc qui hæc ignorat vel dubius istorum est, invisatque viam quam gloria ad immortalitatem stravit: adhuc ibi deprehendet hactenùs cruore rigata Tartarica itinera, desertosq; Valachiæ & Ucraniæ campos, audiet de sub terra gelidoque marmore sonoras voces, quàm dulce & decorum est pro Patria mori, ex me disce: leget ibi in cenotaphijs: *exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor*. Ita hi Heroës etiam à fatis libertatis decori affectum probant. Id ipsum satis exhibuit Parens meus quando & ante & post exemplo quaternâ vice Tribunitiam in hoc sacrario libertatis cum gloria & applausu gessit potestatem. His omnibus abundantiùs pacificationis testantur Comitia. Leget in illis grata posteritas olim, quis illius Assertor fuerit? quis illam reddiderit? ibi cuilibet incumbebat liberæ vocis zelum exerere: verùm hi zelantes cum grano salis nunc priùs circa illam, vocem suam elevaverunt: quamvis Bochnenses & Wielicenses salis fodinæ affatim salitæ fuerint.

Feliciùs hanc concionatoriam vocem convertissent ad eos Pseudo Theologos; qui etiam sine Episcopis divortia sanciunt, qui ambulant in levitate ut scriptura innuit, qui per fas & nefas appetunt aliena, quibus similium aures olim Prophetæ suis verberârunt clamoribus: *Adhuc quadraginta dies sunt & Ninive subvertetur*, cujus proh DEum! jam notabilia initia sunt: egisset contra Atheistas, de quibus hic satis dictum non est, qui DEum non agnoscunt, qui extenuant magnorum facta DEorum; censurâsset hypocritas qui sub pallio veritatis assumunt nomen Dni sui in vanum. Ego augures non interrogo, oracula non quæro, somnijs fidem non adhibeo, caballisticæ non studeo, sortilegijs egeant dubij semperque futuris casibus ancipites, me non oracula certum, sed sancta fides facit, quòd quidquid

A.C. 1688 quid ante sæcula cœlum prævidit, id in terris fiat necesse est, Revelabit propitium Numen, cui etiam occultissima cordium non sunt occulta, secreta etiam ea mysteria Regni appellata, quorum mentio facta est, quia potens & justus est. Demonstrabit de quibus liceat dicere, & consulere vivente Principe: quis ille altare contra altare erigere conetur? quis quærat DEOS alienos & vindicabit in eis Omnipotens?

Jam hic & ipse, si modo stupor loqui sinat, coram DEo, mundo, & universa Republ. protestor me libertatem nullatenus violaturum, pro ut illam recepimus, conservabimus conservareque volumus: nec me quidquam separare poterit, adeò nec ipsa naturæ monstrum ingratitudo abripiet. In argumentum hujus etiamnum promptissimè vitam nostram defensionis fidei sanctæ, Ecclesiæ, & sacrariorũ Dni libertatumque Patriæ intuitu deferemus; utique majorem dilectionem aut charitatem nemo habere potest; ac dum ponit animam pro populo suo.

Voluit hic plura Rex dicere in summa teneritudine prorsusq; ad lachrimas usq; universorum; sed Princeps Cardinalis precibus interrupit profusissimas testando gratias: quibus finitis Rex solitâ & summâ suâ prudentiâ terminavit animando omnes ad succurrendum Patriæ, si vellent, ut illud ipsis serviat: quos ingens evexit ad æthera virtus.

INFORMATIO CONTRARIA MANIFESTO PUBLICE ILLATO POST COMITIA GRODNENSIA.

NON licuit à Comitijs Grodnensibus malè de Republ: sentienti parti inferre manifestum; præjudicat enim id instituto & fundamento libertatis. Nam contra libera consilia & ordines ejusmodi protrudere manifesta nihil aliud est; quàm dissidiis fas dare, & intestino bello canere classicum: ut sic cuncta civilibus discordiis fessa sub unius abeant Imperium. Est id Senatores Nuntiosq; zelosiùs libertati & legibus studentes, quibus gratiæ deberentur, odio exponere, & malæ fidei suspectos apud concives reddere: quò imposterùm nemo mutire audeat, privatis Senatûs consultis publicorum consiliorum vim & æstimationem enervantibus. Hic fons est, in quo Grodnensia Comitia fecerunt naufragium: Quòd magni viri custodesq; legum, uti etiam aliqui Equestris Ordinis insensibili ad oculum eversione legum deprehensa iisdem præclarè rem gererent his potissimùm rationibus ducti. Videbant illi neglectis Comitijs plura contra cardines legum inscia Republ: in consilio ad latus Regis existentium agitari; quale illud imprimis fuit: in Gallias contra expressam voluntatem Reipub: magna legatio expedita est, vix dum sopitis ex occasione Mosztiniana disgustibus, (uti ex Novellis constabat) videbatur esse deprecatoria contra Mtem & Rempub: causavit illa diffidentiam apud Colligatos, quòd viderent vix dum inito sacræ Colligationis fœdere ad æmulum cum tanta submissione Legatum expeditum, qui simul privata domûs Reginalis Majestatis sub prætextu publicæ legationis tractaret. Ea dum piæ memoriæ Cancellarius Regni Magnus Minister pro integritate sua ad tractandum

dum assumere nollet, nec auderet, adeoq; rebus infectis rediret; erupit in illum ira & indignatio. Ne verò pro illibata in Rempubl: fide in publicis Comitijs aut commissa prodere, aut super iis jurare cogeretur; quod salvâ conscientiâ facere non poterat: Comitia ex suo termino demota de industria in alium dilata sunt contra jura: solâ privatâ authoritate senatûs, cùm tamen per prius integri Palatinatus, & terræ aut saltem universus Senatus & non privatum duntaxat consilium fuissent consulendi. Hæc nihilominùs dilatio nullo nostro emolumento stetit, quinimo detrimenti publici causa fuit: nam non ideò festinata expeditio fuit, sed primùm in Septembri cœpit nullo tanti belli progressu aut momento. In eandem expeditionem missus contra jura est Princeps Regius, eiq; potestas cum Imperio in exercitus concessa verendo exemplo ac præjudicato; quòd inhibeatur, ne domus Regum & Principum nostrorum Duces sub suo habeat Imperio, consequenter Romanorum exemplo perpetuam sibi vendicet dictaturam. Ne Regi Vladislao quidem, dum adhuc Princeps esse, cum imperio præesse indultum est: tum primum Imperatorem belli esse licuit, dum constitutio anni 1616 condita titulo de Moschis est, idq; his præviis præmonitionibus Principi Regio Vladislao circa jus, quod ad Dominium Moschoviticum habet, concedimus Rempub. ex parte Moschorum pacificare. Item constitutione anni 1632 titulo de Moschis expreßè additum est: verùm penes Duces imperium in omnes Exercitus esto. Hic verò & sine jure & sine ulla, quâ ad Czari Dominia, aut alia Regna prætensione Principi Regio jus Cardinale collatum est potestatis armorum Reipub. nullâ præviâ propositione in Comitiolis, nec formatâ super hoc lege in ullis Comitijs, quàm licuisset Reipub. annuere vel renuere. In altero item Senatûs consulto, non requisitâ Repub. tam in Comitijs quàm Comitiolis, aut saltem absente Senatu; sed absolutâ voluntate Princeps Regius æquè ac Rex in throno consedit, intendendo ita indirectè domum Regnatricem sine scitu fratrum firmare. Adinventa postmodum in tertio Senatûs consulto nova & inaudita praxis consilij, in quo absente Principe vice illius Luceoriensis Præsul Wytwicki præsedit, longoque tempore ejusmodi iteravit consilium sine ordine Regio. In eo verò nihil actũ est aliud, quàm quòd pri⁹ in Conclavi Reginæ agitatũ & imutabiliter conclusũ erat, quamvis pactis Conventis assecurati essemus; Reginam in materias statûs se non intromissuram. Indulsisset sibi & plura inconvenientia; aliaq; senatûs consulta; quæ ex ipsorum̃et perlectione probari manifestè potuissent: si non ob eam causam primùm protracta studio, tum etiam rupta fuissent comitia; ne tam per senatores, quàm nuntios hac super re expostularetur. Non cessarunt secretè in exitium sacri fœderis Tekielio quà pecuniæ quà consilia suppeditata per Dnum Betum; qui sub Pallio consangvinitatis cũ Regina habuit habetq; semper arcanũ charácterẽ legati à Rege Galliæ in fraudem recenter conditæ legis; quæ vetat: ne exterorum legati (exceptis Principum colligatorum) ultra sex hebdomodas suam in Polonia continuent residentiam. Ejusmodi igitur exorbitantias quà ex senatûs consilio, quà ex factionibus Gallicis in perniciem Reipub. & Christianitatis exortas probè perspectas quidam illustres & magni viri, senatores, Ministri statûs, custodes legum, beneque sentientes cives Equestris ordinis (quorum hic tacemus nomina) habendo; quòd tam damnosos procedendi modos ampliùs silentio supprimere per conscientiam & officium non liceret, voluerunt super his omnibus audacter inferre instantiam, & Regijs advoluti plantis ceu filij à clemente

A.C. 1688

A.C.1688 mente Patre confidenter eorum emendationem mendicare, quæ ex orbita legum decessissent imprimisque requirere: quam ob causam, quamvis Respub: tantas annuatim contributiones conferat, planèq; intuitu com̃unis boni eviscеretur; liberalitas insuper & pietas Pontificis Paternã admoveat manum, id unicè desiderans; ut tantis conatibus, inchoato bello sacro, intentioni pijssimæ hujus Reip. & nominis Regij magnitudini satis fiat: nihilominùs nullo fructu imò cum tanto Reipub. dispendio quinæ expeditiones in irritum ceciderint, exercitus periêrint, aut ad ultima redacti sint, nec satisfactũ totius de nobis expectationi Christiauitatis, hacten⁹ adhuc sub jugo Turcico totâ gemẽte Podoliâ & hærẽte in manibus Paganorũ Cameneco? cui impunè exiguâ suorũ manu hostis com̃eat⁹ infert Prorſ⁹ spe omni cecidim⁹ recuperationis ablatorũ. consilio circa illã salutari deficiente; quamvis Colligati nostri tã potentib⁹ Copiis tantisq; triumphis à nobis divertant hostẽ. Voluerunt prӕterea humillimè supplicare Regi, ut quidquid in pactis conventis Divino roboratum Nomine existit, ceu sacrosanctum vinculum nostræ in Principem fidei maneret illæsum penitùsq; intactum. Imprimis ut jura Nobilium, aliàs jura terrestria Mtas assecuraret ab exactionibus sive per se, sive per subordinatos pro Persona sua faciendis: quod est cardinale jus Reipub, in eoq; securitas cujuslibet Nobilis & jurium illius principaliter fundatur. De eo autem nobis ex parte non satisfit. Supplicaturi etiam erant, quòd ipse Rex in pactis conventis cavit; Reginam in materias statûs se non intromissuram: jam verò contrarium cernimus; dum non tantùm promovente Reginâ, quà Ecclesiastici, quà sæculares vacantes honores distribuuntur: sed etiam consilia privatim & separatim in antecessum formantur; antequam de illis Respubl, aut saltem senatus in publico edoceatur. Non minus & illud: mens erat cum Rege expostulare; quòd indebitè & præjudiciosè adinvento modo & exemplo decretis Tribunalis involvatur Nomen Majestatis cum civibus, uti non pridem in causa Notarij Campestris Regni factum est: quod est tremendum & formidabile libertati, dum causæ Majestatis & Personæ Regiæ, in Comitijs duntaxat idq; absente Principe judicari solitæ, Nobilitari juri non sine metu sociantur. Et quia Serenissimæ Personæ Majestatisq; prærogativæ ceu unicum & incom̃utabile sacrarium nostrum, ex vi liberæ electionis totius Nobilitatis descriptæ ad totum in unum Equestris Ordinis id est, omnium Palatinatuum & Terrarum, collectum cœtum æquè ac ipsa Electio pertinent; taliumq; punctorum, quæ circa individuum Majestatis versantur, nulla privata senatûs consulta, limitatam utpote solummodo in Cardinalibus decisionibus habentia potestatem, resolutionem sine plena Repub: dare possunt aut debent: volebant de tanta expostulare postpositione & contemptu residuorum concivium, ac requirere à Senatoribus tum ad latus Regis residentibus: cur privatâ authoritate præsertim non urgente talia æquanimi Majestate præsumpsissent invitare Principem Regium ad solium occupandum, & in eo collocâssent æquâssentq; Regi, non requisitâ Republ: quæ merebatur, ut ei hac in re honor deferretur? siquidem semper legitimè ipsa ad rem Mtis spectat: idq; tanto ampliùs; quòd id cum scandalo præsentium Moschoviæ Legatorum, qui duos Czaros in throno habent, nobisq; indirectè exprobrant, gestum esset. Hoc obsequium tam deforme, quia nec ipsi Regi placuerat (nam Principi Regio incompetenter requisito non concessit vocem, nec permisit dicere in consilio sententiam) voluerunt pro tam Paterna æqua-

æquanimitate æternis annalibus digna im̃ortales Regi tribuere gratias, *A.C.* 1688 & correctionem grandium aliarum liberæque genti damnosarum exorbitantiarum filiali apud Regem ceu benevolum Patrem mendicare confidentia non dubitantes; congenitam Principi bonitatem æquissimis postulatis prono animo effectum indulturam. Verùm comperta eâ intentione adversaria malignitas inimicorũ libertati subjectorum assumpsit audaciam, obstinavitq; animum ad rumpenda in Patria tot Comitiola: prout actu id executa est conquisitis & subdolis artibus tam in majore quàm in minore Polonia & M. D. L. de industria ideò solum̃odo rumpendo; ut totis Palatinatibus absentibus à Comitijs, Nuntijs etiam aliquibus qui in non ruptis Comitiolis Electi impedimento futuri timerentur, adinventis modis eliminatis sua intenta consequerentur, adeoq; expostulationibus prætactarum exorbitantiarum locus non esset, nec tam æquis pro Mte votis satisfieret. Circa quod punctum, cùm primùm insurrexissent in Personam Vexilliferi Dąbrowski, & eam iniquo mandato contra jura illato, quia in Comitiolis (ut leges obloquuntur) non repræsentato, per meram malitiam; ut non haberet vocem activam in ordine ad defendenda jura & libertates opprimere voluissent, effectiveq; eò redegissent, ut oppressus & inauditus in sua justificatione per vim potentiori adversario cedere coactus fuerit: protestationem in abitu suo intulit. Eâ indebitè non admissâ nec auditâ successit causamq; excepit oppressionis tam digni & consilio necessarij Nuntij ac stitit activitatem Pocillator Slonimensis Livoniæ Nuntius Tokarzewski: qui videns se quoque in libera voce oppressum cum protestatione discessit, interq; cedendum prævalentibus passionibus iteravit protestationem, quòd manifestè perspiceret, in dictis Comitiis non nisi procuratas fuisse civium vexas, ruptis in præjudicium libertatis coloratis de industria artib⁹ Comitiolis & sic causatâ tot Palatinatuum atq; Terrarum studiosè absentiâ. Cui illud non patuit, quòd in majori Polonia rupta primum fuêre Comitiola; tum ubi altera designata sunt, ne & ea finem sortirentur, furto sublatum est latori ad castrum proficiscenti Regium universale: ut ita sine invidia, à qua sibi metuebat, malignitas corrumpentium consilia, posset illegitimitatem actûs objicere, & consequenter tam magni Palatinatus liberis vocibus in Comitiis privarentur eo potissimum respectu: ne quis foret qui sessioni Principis Regij in throno cum Rege, (quòd destinaverant omnino exequi) contradiceret. Hinc conclave Nuntiorum tot Comitiolorum Nuntijs caruit, qui se huic articulo oppositurі erant: hinc ipsos præsentes Nuntios qui se ad contradicendum, requirendumque jura acriter parabant, per adinventa media eliminare conclusum fuit. At cùm hinc non tantùm Nuntij, sed etiam Ministri status, & quidam Senatores declarârent, quà privatim, quà publicè, se hanc sessionis Principis Regij novitatem insciâ Republ: impugnaturos, nulloq; modo assensuros: illinc verò in Conclavi Reginalis Mtis nova incessanter formarentur consilia, cuderentur artes, mediaq; adinvenirentur, inducerentur Nuntij, alijq; precibus, alij minis & terroribus ad propositum tentarentur, labente interim Comitiorũ tempore in disceptatione super Persona Dni Dąbrowski; demùm comperto quod viri fortes & constantes pro indemnitate Reipub., se nec precibus flecti nec minis vinci paterentur; conclusum in conclavi est extrahere tempus Comitiorũ, illudq; consumere sub prætextu complanationis Domini Dąbrowski; ut in hoc negotio terminus Comitiorum expiraret, nec deveniretur ad electionem Mareschalci. At quia pridie ejus diei, quo reinducti sunt re-

Aaaaa diê-

A.C. 1688 dieruntq; ad conclave Nuntiorum supra nominati Nuntij Vilnensis & Livoniæ, novum immersit in locum primi jam pacificati Comitiorum impedimentum: (nam Nuntij Sendomirienses non expectato reditu, qui promulgatus erat prænominatorum protestantium excesserunt ex conclavi cum protestatione contra totum actum Comitiorum, magno libertatis innixi fundamento exhibita insuper non contemnendâ ratione: ea Comitia imposterum ex vi statûs Reipub: & libertatis subsistere non posse; eò quòd conclave Nuntiorum nondum auspicatum esset condendarum legum activitatem, terminus verò comitiorum jam circa declivia foret: tantundem enim id futurum esset ac tollere Nuntiorum conclave, priusque verticem montis Rempubl: attigisse diceretur; quàm ad radices ejus fixisset pedem. In quo supposito fundati dicti Nuntij stiterunt activitatem & vale facto Collegis suis excesserunt cum protestatione (cùm nihilominus in sequenti die jam restituta activitate Dąbrowscio & Tokarzewscio mens esset electionem Mareschalci auspicandi, non nisi jam quinq; diebus ad terminum expirationis & conclusionis Comitiorum restantibus, spemq; omnes conciperent Sendomirienses Nuntios audito reditu protestantium ipsos etiam redituros, ac ad electionem Mareschalci accessuros: spes hæc in irritum cecidit: nam non tantùm prædicti Nuntij se redituros negârunt; sed imò tertius adhuc obex altera nimirum successit protestatio. Nuntius enim Podoliæ Makowiecki inhærendo jam factis protestationibus protestatus & ipse contra actum altà voce, expetiit à Mareschalco ut Cameræ valediceret. Videns igitur Mareschalcus irremediabilem conditionem Comitiorum posito scipione valedixit Nuntiorum conclavi ita speciosissimo fato rupta Comitia sunt.

REFUTATIO BREVIS ARTICULI CONVENTUS PARTIcularis Proszovicensis Palatinatus Cracoviensis Mense Novembri Anno 1638 celebrati contra Jurisdictionem fori Ecclesiastici apposita.

ORdo Equestris hunc articulum, & alios quosvis similes articulos contra Ecclesiam & Clerum ex defectu potestatis seu Jurisdictionis incompetenter & nulliter statuit. Explorati enim Juris est, personas Ecclesiasticas, & Bona Ecclesiastica gaudere omnimodâ exemptione à jurisdictione sæculari, & Principem sæcularem in Ecclesias non posse ullam authoritatem sibi vendicare. Catholicus enim Princeps filius est, non Præsul Ecclesiæ, & quod ad Religionem pertinet, discere ei convenit, non docere; quippe ad Sacerdotes DEI voluit DEUS, quæ Ecclesiæ sunt, disponenda pertinere non ad sæculi potestates c. *Si Imperator* distin. 96 unde in c. *convenior* 23 q. 8 cum dictum esset Imperatori licere omnia, ipsius esse universa, respondetur, *noli te gravare Imperator, ut putes te in ea, quæ Divina sunt Imperiale aliquod jus habere; noli te extollere, sed, si vis diutiùs imperare esto DEO subditus. Scriptum est; quæ DEI DEO, quæ Cæsaris Cæsari; ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesiæ, publicorum sibi mœnium jus commissum est non sacrorum.* Plena sunt hujusmodi testimoniorum concilia, quibus optimi quique Imperatores ac Reges assensum præbuerunt. Illustris est ea de re confessio Basilij Imperatoris in fine Octavæ Synod. *Non datum est*, inquit, *Laicis secundùm Canones jus discernendi quidquam de Ecclesiasticis causis; opus enim hoc est Pontificium.* Habetur & Theodorici Regis responsum profitentis: *Synodalis esse arbitrij in negotijs Ecclesiæ majoribus sequenda præscribere, nec aliquid ad*

ad se præter reverentiam de Ecclesiasticis negotijs pertinere, ut refertur post *A.C.* 1688
c. Concilia distinct. 17 contra Statum Equestrem idem est argumentum. Bona quæque Ecclesiarum, & Clericorum esse exempta à Jurisdictione Principis sæcularis magnâ Patrum consensione & vehementi in Laicos sibi in illa jus aliquod vendicantes increpatione declaratum est in Synod. Romana 6ta can. 16 & in concilio generali sub INNOCENTIO III c. *cum Laicis de rebus Ecclesiæ non alienandis*. Et hanc exemptionem esse de Jure Divino constat evidenter ex Tex. c. *Quanquam de censibus*. in 6. ibi. cum igitur Ecclesiæ, Ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum non solùm jure humano, quinimò & Divino à sæcularium exactionibus sint im̃unes &c. Non minùs de im̃unitate Ecclesiæ, Rota in causa Albanensis gabellæ seu onerum 28vâ Junii Anno 1670 coram Merlino. Unde sequitur, ut omnes leges civiles, quæ habentur in c. *De sacrosanctis Ecclesijs, de Episcopis, & Clericis*, & in Authent. *de Episcopis*, non valeant ex defectu potestatis, cùm de Ecclesiis, Ecclesiasticis personis & earum bonis specialiter loquuntur, etiamsi aliquæ leges civiles favorem Ecclesiarum respiciant, nisi ab Ecclesia acceptentur per expressum text. c. *Ecclesia S. MARIÆ de constitutionibus*, ibi: nos attendentes quòd Laicis (etiam Religiosis) super Ecclesiis & personis Ecclesiasticis nulla sit attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas, non authoritas imperandi, à quibus, si quid motu proprio statutum fuerit, quòd Ecclesiarum etiam respiciat commodum & favorem, nullius firmitatis existit, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum. Unde statutum Basilii de non alienandis prædiis rusticis vel urbanis, ministeriis, & ornamentis Ecclesiarum illâ reprobatum fuit potissimâ ratione, quòd authoritate non fuerit Romani Pontificis roboratum &c. Et c. *Cùm Laicis de rebus Ecclesiæ alienandis vel non alienandis* ibi. Volentes igitur super his indemnitatibus consulere Ecclesiarum, ac tantis gravaminibus providere constitutiones, & venditiones hujusmodi Feudorum, seu aliorum bonorum Ecclesiasticorum sine legitimo personarum Ecclesiasticarum assensu præsumptas, occasione constitutionis Laicæ potestatis (cùm non constitutio, sed destitutio, vel destructio dici possit, nec non usurpatio jurisdictionum) sacri approbatione concilij decernimus non tenere præsumptoribus per censuram Ecclesiasticam compellendis.

Insuper constitutio Apostolica, quæ Bulla Cœnæ Domini dicitur, §. 15 constitutiones sæculares Ecclesiis præjudiciosas condemnavit, & in conditores talium constitutionum pœnam excommunicationis, & anathematis fulminavit ibi: *quive ex eorum prætenso officio vel ad instantiam partis, & aliorum quorumcunq; personas Ecclesiasticas, Capitula, Conventus, Collegia Ecclesiarum quarumcunq; coram se ad suum Tribunal, audientiam, Cancellariam, Consilium, vel Parlamentum præter Juris Canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè vel indirectè quovis quæsito colore: nec non qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quævis alia decreta in genere vel specie ex quavis causa & quovis quæsito colore, vel cujusvis consvetudinis aut privilegii, vel aliàs quomodolibet fecerint, ordinaverint, & publicaverint, vel factis & ordinatis usi fuerint, unde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut aliàs quovis modo restringitur, seu nostris & dictæ Sedis, ac quarumcunq; Ecclesiarum Juribus directè vel indirectè tacitè vel expresse præjudicatur.* Causæ decimarum sunt purè & merè Spirituales, & ad forum Ecclesiasticum tantùm pertinent juxta claram dispositionem sacrorum Canonum Sacri concilii Tridentini, & constitutionem provincialium Statutorum antiquorum Regni, prout hoc

A. C. 1688 luce meridianâ clarius eſt.

Easdem cauſas Decimarum Illuſtriſſimi DD. Epiſcopi in Regno Poloniæ pro jure ſuo ab anno 955, aliàs poſt ſuſceptam fidem Catholicam per ſeptem ſæcula continuè, inconcuſſè, & non interruptè judicaverunt. Quomodo ergo in conſumationem ijdem Illuſtriſſimi DD. Epiſcopi jurisdictionem ſuam in cauſis Decimarum deſerere, & ſæculares eandem jurisdictionem declinare poſſunt? aliàs ſequeretur grande abſurdũ, & inverſus rerum ordo; ſi Eccleſia Polona jus ſuum proprium per annos ſeptingentos tentum & poſſeſſum jurisdictioni ſæculari dimitteret, & tota Chriſtianitas ſuper tantum abſurdum obſtupeſceret.

Et ex adverſo eædem cauſæ Decimarum juxta claram diſpoſitionẽ ſtatutorum antiquorum Regni ad forũ ſæculare nunquam pertinebant, nec pertinent; quomodo ergo nunc Ordo Equeſtris forum ſæculare in cauſis Decimarum prætendit, quod Reges Poloniæ abſoluti Principes usq; ad annũ 1550 non prætenderunt, nec ſibi aut ſuis ſubſelliis uſurpaverunt? Nec enim Reſpub: moderna Polona majorem poteſtatem habet, quàm olim habuerunt Reges Poloniæ abſoluti Principes, ſed in jus eorundem Regum Poloniæ abſolutorum Principum ſucceſſit.

Unde manifeſtè ſequitur, quòd per conſtitutionem anni 1635 forum in cauſis Decimarum contra expreſſam diſpoſitionem ſtatutorum antiquorum; & Brevis URBANI VIII. in judicio ſæculari incompetenter, uſurpativè, & nulliter eſt aſſignatum, quia Reſpub: jurisdictionem eam, quam à conſtitutione & origine Regni Poloniæ non habuit, ſibi uſurpavit, Eccleſiam verò Polonam eâdem jurisdictione ſpoliavit.

Cauſæ quoq; cenſuũ redemptionaliũ, & fundorum dotalium ex diſpoſitione Conſtitutionum Provincialium per Sedem Apoſtolicam approbatarum, & ſtatutorum Regni ad forum Eccleſiaſticum pertinent.

Ex mutatione fori in cauſis Decimarum, cenſuum, & fundorum hæc gravia incommoda & abſurda ſequentur.

1mo Illm̃i DD. Epiſcopi nobiliſſimã partem jurisdictionis ſuæ amittent, ſicq; jurisdictio Eccleſiaſtica jam antea, potiſſimum verò poſt confœderationem in favorem Hæreticorum tempore Interregni admiſſam ſenſim extenuata; nunc jam penitùs extenuabitur.

2do Paupertas extrema in Clero, contemptus illius, abominatio deſolationis Eccleſiarum, & diminutio cultûs Divini ſubſequetur, dum pauper Parochus ſumptu ad judicium Tribunalitium pro conducendis tribus executionibus deſtitutus impoſſibilitate, vel ſaltem difficultate, ſic ſuadente, intra parietes ſuos præ fame & inopia illacrymabitur, taliterq; ob paupertatem & indigentiam Eccleſiam ſquallidam & hiſpidam relinquet.

3tio Potentia Statûs Sæcularis contra Clerum ob præcluſum recurſum ad ſuos ordinarios, impoſſibilitatem verò aut difficultatem vindicationis in foro ſæculari conſurget.

4to Hæreſis videns jurisdictionem Eccleſiaſticam attritam, & extenuatam, Clerum exhauſtum, Eccleſias deſolatas, iterum caput eriget, & impunè graſſabitur: Poſt confœderationem verò Hæreſis ſemper ſataget ſuadente diabolo, ut fides Catholica in Polonia deprimatur, invadens Eccleſiam Polonam in duobus punctis maximo impetu, videlicet ut Jurisdictio Epiſcopalis eneruetur, & diminuatur, & patrimonium Eccleſiarum, Decimæ & alij proventus extenuentur.

5to Amiſſã jurisdictione, Eccleſia in cauſis Decimarum, cenſuum, & fun-

& fundorum; verendum est, ne Status sæcularis forū Ecclesiasticū etiā in causis fidei matrimonialibus, legitimitatis, juris Patronatus, & alijs purè spiritualibus invertat & ad forum sæculare usurpet, sicq; novissimus error fieret pejor priore, atq; jurisdictio Ecclesiastica taliter deprimeretur, concesso enim absurdo multa sequuntur. *A.C.* 1688

In mutationem fori sæcularis in causis decimarū, censuum, & fundorum Illmi D. Episcopi nullatenus consentire possunt absq; scitu Sedis Apostolicæ, quia hæc mutatio fori, & diminutio jurisdictionis suæ Episcopalis cadit sub alienationem; Non enim tantùm jura utilia, ut sunt prædia, villæ, decimæ, census &c: cadunt sub alienationem, sed multò magis jura honorifica, prout sunt Jus Patronatûs, Jurisdictio &c.

Admonendi sunt Proceres & Nobiles Poloni, ut se gerant juxta dispositionem Decreti sacri Concilij Tridentini Sess. 25. c. 20 videlicet, ut illi, quos DEus sanctæ fidei, Ecclesiæq; protectores esse voluit, svave jugum Ecclesiæ, quod Patres eorum portaverunt, in recognoscenda jurisdictione Ecclesiastica non excutiant, jus suum eidem Ecclesiæ restituant; Episcopos & Clerum, ut Patres & Pastores animarum suarum venerentur; Ipsi enim advigilant tanquam rationem pro eis reddituri, quibus dictum est: Ego vobiscum sum usq; ad consumationem sæculi.

De compositione super Decimis in Comitijs nihil tractandum est, quia hæc materia per Breve URBANI VIII. Reipub: non est commissa, sed Illustrissimis DD. Episcopis.

LXVI.
ANDREAS C. ZALUSLI EPISCOPUS KIJOVIENSIS AD REGEM 12 Septemb.

PRiusquàm relationem actorum Berezæ, quò me secutus Principes Radivilios pro septima currentis contuli, auspicer; impossibile imperare (hodie enim anniversaria dies est) obligato in ævum calamo ferias; ut ille non explicet devinctissimi cordis sensum instar primæ Classis festi eum diem celebrantis, quo Regia Mtas V. quondam incepit liberare Israël de manibus inimicorum suorum; cujus dulcem eòusq; perennaturam recordationem securus sum; quousq; mundus suis crescet & augebitur annis. Hoc enim die dextra Mtis V. unum firmavit orbem (faxit DEUS, ut tantum beneficium pro merito Polonia recognoscat) alterum commovit & consternavit. Humilio animam meam coram DEo, supplicans ut Mtas Vra tot nobis lætus & felix dominetur annis, quot Antessores cum successoribus suis numerarunt olim. Non esse autem extrinsecum duntaxat oris & lingvæ complementum; sed prorsus animi cordisq; vota, facilè Vra R. Mtas colligere potest altissimo judicij sui scrutinio: quo quamvis rem penetrare consvevit, ubi perpenderit: quid jam ante debuerim, quantaq; obligatio mea fuerit, cui novo omnibusq; prioribus superiore obstrictus sum beneficio.

Præcautiones Principibus & mihi datæ, de eo, quòd plurimum aliqui circa Principem Mareschalcum laboraturi essent, ut inchoata concordia per adinventos obices suum non assequeretur finem, nimium veræ fuerunt: Princeps enim ex natura sua ad taciturnitatem proclivior, tam disertum apud Carthusianos egit oratorem; ut rationes deficerent quæ illum convincere possent: adeò enim suas prætensiones ampliavit, ut Principi Pocillatori magnam partem substantiæ impendere necessè fuisset. Intellecto igitur, quid ille peteret, quid nos dare possemus; visum nobis potius non consumato plenè tractatu abscedere, quàm injusta, ini-

A.C. 1688 qua, & impossibilia annuere. Forsan Varsavia felicior erit; si illa compositionis deputetur colloquio: cessabit spero ibi tanta illius facundia. Illud duntaxat nobis minimè placere potest, quòd nobis pro mediatore & sine quo non, Thesaurarium Mgni Ducatûs Litvaniæ obtruserit: quia privata domus illius & æmulatio pro obice erunt uti jam modò experimur. Existimo ubi ea malignitas temporum desierit per gratiam Dei meliorem redituram mentem, & reflexionem: quâ intelligat se quidquid fecerit, in domûs suæ bonum facere, nam sic satis errorum ab una commissum est.

Ex qua occasione supprimere silentio mihi non licet, satis enim temporis stupori indulsi, quo hactenus attonitus fui. Perpendens quid actū sit, omnem extra dolorem sum ratione Principis Regii: quinimò primâ fronte hoc infortunio excepto gaudendum potiùs tantam levitatem in alterius devenisse manus, parem enim aut similem frustra propemodùm conceptus humanus meditari & adinvenire tentaverit. Id solùm me afficit, quòd id contingere non potuerit sine alteratione cordis Vræ Mtis, quod in materijs similibus delicatum admodùm (uti æquum) nominis magni intuitu sensum offensi honoris habere consvevit. Verùm confido cœlitùs nec eam turbationem in longum perseveraturam, nec incrementa viresq; sumpturam, novi enim animum Vræ Mtis his & alijs longè majoribus majorem. En enim facta est fabula mundi uti & hodiernâ die didici à Præfecto Stabuli Principis Pocillatoris consortis, Berlino reduce de quo quia mihi Princeps Anhaltinus satis lato stylo cum particularibus scribit, mitto ipsum originale V. Mti. Ex fide nihilominùs obstricta non optarem ut V. Mtas hac re supersederet, eiq; quodamodo indormiret; concernit enim etiam Rempub. trahitq; post se consequentias minimè contemnendas. Etiam olitor aliquando opportuna locutus est. Quā primum tempus huic rei accomodum svaserit, non deero nec intermittam ex senatoria obligatione promere, quod arbitratus fuero convenire obsequijs meis Mti Regiæ debitis: ad quam Deo dante feliciter ex ulterioribus Regionibus redux accelerabo, & humillimè plantis advolutus id ipsum probabo, quod animo & ore mihi profiteri necessè est quòd sim. &c.

COPIA LITERARŪ IMPERATORIS Ad REGEM POLONIÆ Viennâ 8. Novembris.

NE vel quicquam ex eo, quod ad sinceram veramq; amicitiæ, & fœderis observantiam spectare possit, à nobis desiderari videretur, Serenitatem Vram de venturo primùm Viennam Legato Turcico reddi certiorem, ac porrò cum adventasset per Ministrum illic nostrum confidenter adventum significare jussimus, ipsumq; tum de nuntianda Neo-Imperatoris sui inauguratione, tum de pace tractanda, in mandatis habere. Ut nullatenus à sacrosancta jurati fœderis tabula, cupimus discedere, ita vicissim hâc super re Serenitatis Vræ mentem requisivimus; verùm nihil hucusq; à Serenitate Vra vel à Ministro nostro nobis intimatum; dum interea Christianissimus Galliarum Rex, Viennalis armistitij lege turpiter fœdata, nonnullos Principes Imperij statusq; ne insinuata quidē contra Principum morem, causâ, repentinis invasit armis, ac urbes

bes & Emporia, Vormaciam, Spiram, Moguntiam, Heidelbergam, contra jus, fasq; occupavit, nec non fortalitium Phillipsburgum, aliaq; loca expugnavit. Nos, utpote quibus Imperatorij muneris gratiâ, sacri Imperij status, fœderatosq; indefensos relinquere turpe foret, Exercitibus nostris in diversa distractis, ab hoc sacro contra cõmunem Christiani nominis hostem, bello remoraturo, unde quanquã firmus nobis sit animus, nisi eæ fuerint pacis conditiones, quæ unanimi Confœderatorum sententia, omnibus placere possint, vires nostras pro omni possibili in prosequendam belli aleam impendendi, attamen quàm grave nobis quàmq; etiam Confœderatis nostris futurum sit perniciosum, cum post exhaustas ubiq; ærariorum facultates, tanta belli quaqua versum suscipiendi moles; debiliore brachio sustinenda sit, cum Serenitas Vra vel ipsamet dignoscere possit, compertumq; habeat, id juris gentium etiam rationem imprimis postulare, ut Principum Legati audiantur, debiteq; porrò dimittantur, atq; hoc imprimis Turcicus Legatus, jam urgeat, ac omni pacis ineundæ, jureq; jurando faciendæ, facultate se instructum asserat, Serenitas Vra facile viderit, quàm necessarium futurum sit, ut cum ex nobis solis, nihil tale subeundum velimus, Ministrum quendam probè instructum, huc ablegare non gravetur, qui cum nostris, ac fœderatæ Reipublicæ Venetæ Ministris, Oratoris hujus Ottomanici propositiones auscultet, quid Serenitati Vræ, ac Reipub. Polonæ nomine eã in rem visum fuerit, una respiciat. Cæterùm Serenitati Vræ. A.C. 1688

RESPONSUM S. R. Mstis Ad LITERAS SERENISSIMI ROMANORUM IMPERATORIS in Arce Zolkiewiensi 20. 9bris.

Nullam in hunc usq; diem, de legatione Turcica à Mtate Vra habuimus notitiam, oretenus tantum D. Schiemanski Mtis Vræ Residens nobis innuerat, adventare Legatum, quod ipsum publicâ ferente famâ cognoveramus. Jam verò recentibus Mtatis Vræ literis edocemur, non modò Viennam Legatum à Soltano advenisse, verùm etiam instanter sollicitare, ut propositiones, quas pro ineunda pace attulit, quantocius audiantur. Cum proinde Mtas Vra, veluti sacris colligationis tabulis congruum est à nobis quempiam eo fine expediri desideret, & ut unà cum Mtis Vestræ ac colligatæ Reipub. Venetæ Ministris, noster quoq; ad aulam Mtatis Vræ, hâc instructus facultate pergat, & audiat quæ nos Remq; hanc publicam, maneat satisfactio, qui non modò absq; ullo fructu tanti belli sustinuimus onus, sed etiam amplissimas Moschis concessimus Provincias solo ineundæ nobiscum, & cum Confœderatis nostris sacræ colligationis pretio, augendarumq; viriũ Christianorum intuitu. Porrò veluti inter Nos, magnosque Moschoviæ Duces, mutuo stetit juramento, ne pars una, absq; altera aliquem pacis amplectatur tractatum. Jus fasq; est, ut ipsos de hoc quid jã aga-

A.C. 1688 *agatur certiores reddamus. Interea dum Respublica pro Comitijs jam jam instantibus congregata fuerit, uberiores dabimus resolutiones. Caterùm magno doloris sensu, accipimus valida Mtis Vræ dis strahi arma, exorto novo, in Imperio & ditionibus suis belli incendio quod ut faventes Superi, clementer sopire dignentur, apprecamur.*

LXVII.

AMICO CONFIDENTI ANDREAS CHRYSOST: ZALUSKI EPISCOPUS KIJOVIENSIS Biała 31 Decembris.

Difficile est consilium, quod exquiris per literas dare; multa enim vos ante rem cognitam soletis incipere, & difficile est, quid velitis, animadvertere, quodque ego ignoro rectè explicare. Dico tamen, quod optarem, ut cæteri in eo, quod cœpisti, tua sequerentur vestigia, nam si eò recurrerent, multum suspicionis, multum curarum pectoribus nostris demptum foret. Bellum hoc cum Turcis egregio animo gereretur & præstaret, omnibus potiùs mori, quàm sævissimi Tyranni jugum gravissimum subire. Nonne audivisti infausta nova, ad initium Octobris introductum fuisse commeatum à Turcis Camenecum, vix non spectante id exercitu nostro, nec resistere audente, quod quidē summè angit Regem, quem nostræ angustiæ maximè premunt, unde ejus intimus in Patriam amor palàm est, nam illi tanta, & talia curæ; videns, quòd fortalitium hoc non tam ex eorum reditibus sustentatur, quàm ex nostris spolijs, & in hoc cogitationum salo fluctuat bonus Princeps quòd splendescere desinat lima, sed quin imo atteratur.

Viennâ scribitur præparare se Imperatorem contra Galliam, si illa Principem Fürstenberg sustinere voluerit in Electoratu Coloniensi, quòd Electores, Brandeburgicus, & Saxones fecerunt novum inter se mutuæ defensionis tractatum.

Cardinalis Pallavicini movit iter versus Italiam Varsaviâ die 2 Octobris & Palatinus Plocensis Prazmowski mortuus est, Palatinatus verò datus D. Krasinski Referendario Regni, Referendariatus autem Stanislao Sczuka Regenti Cancellariæ Regni.

Interim providendo indemnitati suæ Domus Radziwila de mutuo consilio, & post maturam deliberationem, protestationem fecit contra hoc Matrimonium Neoburgici Principis, ne scilicet bona hæreditaria in Ducatu Litvaniæ in manus extraneas transeant, quod publicè pugnat contra leges nostras; quis enim justitiam nisi malus persequitur?

Venerunt etiam literæ Deliberatoriæ ante Comitia, quæ imminent Varsaviæ, quibus acceptis resolutionem sumpsi, reddendi me ad Aulam, ut ibi mandatum reciperem, in ordine, ad benè serviendum & Regi, & Reipubl: in his Comitijs paratus exequi, quod Rex præceperit, & me observare voluerit, cujus cōmodis, cùm multis in rebus consulam, non dandis modo consilijs, sed rebus etiam gerendis, adeundisque periculis, nec honores, quos in Patria tenere possem, nec amplissimam spem præmiorum habendo. Javoroviæ tunc manentem reperi Regem, cujus vocem his auribus hausi, quòd scilicet Princeps Georgius Radziwił debebat eligi Mareschalcus Comitiorum, sed notavi, parùm ab eo alienum Reginæ animum, & in ipso statim principio videtur hæc destruere; favemus ad apparentiam, & tamen invidemus, tanquam fidere non posset huic Domui, quamvis injustè, cùm sit ratione tam proximi sangvinis ex integro alligata Regi; Ego nunquam magis desipere contendo, quàm

quàm dum hæc fiunt. Pater Gołembiowski 17 fecit prædicationem super amicitiam mundanam, & JEſu Chriſti. Ad primum dixit; quòd etiamſi ad connectendas amicitias vel tenaciſſimum vinculum ſit morum ſimilitudo, tamen in ea venimus tempora, ut periculum etiam ſit, & benè feciſſe. Quoad amorem, quem debemus Chriſto illud adduxit: Idcirco mundus factus eſt, ut naſcamur, ideo naſcimur, ut agnoſcamus factorem mundi, ac noſtrum DEum; ideo agnoſcimus, ut colamus, ideo colimus, ut im̃ortalitatem pro laborũ mercede capiamus, ideo præmio immortalitatis afficimur, ut ſimiles Angelis effecti ſummo Patri in perpetuum ſerviamus. Hanc ſummam eſſe dixit Theologiæ, quam Philoſophi non comprehenderunt, licet quælibet ſecta aliquid viderit; Sũmum igitur bonum in amore DEi ſtatuitur. *Timenti Dominum benè erit in extremis, & in die defunctionis ſuæ benedicetur.* Eccli. I. 13. A.C. 1688

Miſit Cardinalis Radzieiowski ſigillum Regni per Abbatem Boglewski in ordine ad expedienda Comitia, in quo multi varia dicebant. Abuſus enim eſt magnus, concredere hoc inſigne Regni, quod certè primi ex noſtris Anteceſſoribus, nunquam faciebant, cum magno ſcrupulo illud conſervantes, & facere contrarium non ſit fas, & pium.

Petrikowſcium Dapiferum, Rozanski factum eſſe Mareſchalcum Tribunalis Regni, Petricoviâ habuimus.

Fuerat difficultas circa Referendariatum ſpiritualem; duo enim prætendentes, Privilegia ſe habere gloriabantur; Joannes Pokrzywnicki Gneſnenſis Canonicus, & Joannes Przerembski; Secundo huic adhæſerat Rex; multa enim ab eo audit, & fabulator ordinarius vocatur Aulæ etiam Cherilo inter Pòëtas, ut Corchoro inter olera ſuus eſt locus.

Ultimis Octobris valedixi Mtibus cum intentione abſolvendi feſtivitatem omnium Ss. Jaroslaviæ, ut certè ibi fui, & cùm 6 Novembris venerim Białam ad conferendum cum Principe Georgio, in ordine ad Mareſchalcatum comitiorum, inveni triſtem Nuntium de morte Dnæ Przyiembska ſubdapiferæ Regni; Fœmina tantorum titulis illuſtris avorum, Soror Dnæ Caſtellanæ Vilnen. ex Domo Gąſiewska, illius famoſi, à militibus occiſi Theſaurarij Litvaniæ filiæ, mulieris verè generoſæ, & longiri vitâ digniſſimæ.

Habui amicam ab Aula præmonitionem, quòd iterum Reginæ animus contra me exagitari incipiat noviter, quòd Principem Georgium Radziwił omni ſtudio promoveam ad Mareſchalcatum Comitiorum, certo timore, incertâ ſpe.

Ultimâ autem Novembris habui ab aula, quòd 27 currentis declaratio facta fuerit ſigilli Majoris Regni Domino Georgio Denhoff Epiſcopo Camenecenſi, timens Regina, ne veniens Varſaviam ego, vel quis alius inveniat media adipiſcendi hujus honoris, quem illa omnino dicto Epiſcopo Camenecenſi, tanquam à ſe plenè dependenti procurare ſatagebat. Sed valeat, ut maximè opto, tuum priſtini de me judicis, & veri teſtimonium, quo me nihil ambientem, minimeque prenſantem digniſſimè exiſtimâſti; nihil mihi unquam carius liberâ Patriâ, nihil unquam clarâ rectæ modeſtiæ laude. Nonne tanquam Camillus privatim Ardeæ habito, tanquam Scipio abſq; moleſtia extra Aulam Literni vitã exigo, Ariſtidem recordor, Themiſtoclem non ſum oblitus, quorũ gloria exilio acta, aucta eſt. Annium Solonem in memoriam revoco, qui conſulto decennium à Patria (ut ego libens ab Aula) abfuit. Et ne quid eorum, quæ neque ad corpus, neque ad animum pertinent, ſentiam, & grave judicem, indignos hos caſus alacriter fero, quandoquidem nulla mihi

A.C. 1689 mihi optio vivendi meo arbitrio proposita est, nisi sicuti DEUS voluerit.

17ma Decemb. inceperunt Comitia, &, cùm Princeps Georgius non potuerit esse Mareschalcus, cùm Comitiola Volhiniæ, ubi Nuntius esse debebat, rupta fuerint, electus est ex Palatinatu Podoliæ D. Sczuka Referendarius Regni, qui me judice lingvâ lingvam Ciceronis adæquat.

Die 26 ejusdem tandem post multas, & varias difficultates, accommodatum est negotium Cardinalis Primatis, & Episcopi Culmensis. Erat cum aliquot nobis Episcopis, Cardinalis in Ecclesia S. Joannis, & ex condicto venit Episcopus Culmensis, in assistentia Cracoviensis & Posn: Episcopi, & cum Cardinalis obviàm duos passus illis processit, locutus est Episcopus Cracoviens: veniam petendo, nomine Culmensis, & pòst partes aliquam verbis restitutionem affectûs in integrum reciproci declarârunt, & immediatè omnes ivimus ad Regem, qui contentus satis erat ex illa facta reconciliatione.

In audientia, quam habuit Cardinalis apud Regem, dixit; rumorē publicum esse, quòd Aula prætendat rumpere Comitia, Confœderationem Nobilitatis facere, cujus Mareschalcus debet esse Curiæ Mareschalcus Lubomierski, & quod incursio in Silesiam fieri debeat, de qua re, ut nunquam Rex cogitavit, sic indignè certè hanc injustam accepit imposturam.

Accepi notitiam Bialâ Principem Radziwil summè infirmari, ex apprehensione, quòd scilicet impedimentum habuerit pro assequendo Mareschalcatu Comitiorum, quæ ita illum confecerunt, ut voluerunt ij, qui eum de sua prætensione detruserunt. Resolutionem ergo sumpsi, relictis omnibus meis commodis, eundi Bialam, cum medicis ad succurrendum sanitati infirmi, quod Rex optimè accepit. Inveni Principē satis periculosè ægrotantem.

LXVIII.

AMICO CONFIDENTI ANDREAS CHRYSOSTOMUS ZAŁUSKI EPISCOPUS KIJOVIENSIS, ET CZERNIKOVIENSIS

28 Februarij Varsaviâ

SI verbis contendere velim ad affectûs tui contestationem, quo me obruis, idem erit, ac si impetitus sagittis, festucis dimicem. Facienti itaque tanta, rependi quidquam gratius ab accipiente non potest, quàm si gratum accepit. Nihil ergo de his ad ea, quæ & te affligent. Augebatur in horas malum Principis, Georgij Radziwil Pocillatoris M. D. L. cujus Mater post aliquod spatium naturali dolori corā Ssmo. protestationem fecit offerre se eum tanquam Abraham obtulit suum unigenitum, & quòd voluntatem DEi, quæcunq; demum fuerit, receptura est eo animo, quo recepit David, miscebat interim lachrymas cum pane suo, & sic:

Mors Georgij Radzwill. 3tiâ Januarij vicit malignitas morbi fortitudinem corporis ejus, & cum summo dolore, & luctu totius domûs mortuus est, tertiâ horâ post mediam noctem. In vigilia mortis venerant literæ à Rege, cum Privilegio Palatinatûs Trocen. pro Principe, & magno in me affectu; sed hæc non profuerunt; tædiosus essem, si tibi desolationes totius domûs, lachrymas, luctus, querimonias describerem; novisti hunc Principem, concludes dignum amore, dignum lachrymis.

Venit 4. Princeps Jacobus visitans & corpus demortui, & suam Amitam, in quanto dolore invenerit, & Matrem & uxorem faciliùs divinabis

vinabis, quàm ego ſcribere poſſum. Vocor Varſaviam ad promovendũ meum intereſſe, ſed non licuit relinquere, in recenti vulnere, & minus habui mea. Interim acceſſiſſe ad concurrentiam pro ſigillo, & quidẽ fortiſſimè Boguslaum Leſczynski Epiſcopum Luceorienſem reſcivi. A.C. 1689

Venerunt etiam Anna Potocka Palatina Kyovienſis, Succameria Vielunen. & multi alij cum perſvaſione, & ardentiſſimis precibus S. Mtis ut Princeps triſtem hanc reſidentiã relinqueret, & Varſaviam ſe transferret, quod tandem cum ſumma difficultate evicimus.

Ego veni Varſaviam optimè ab utraq; Mte exceptus, & in ſummo angore ob mortem tam inopinatam inveni, hac eâdem die relictum ſigillum, poſt Cancellarium Wielopolski, redditum Canonico Taranowski publicè in ſenatu.

Interim certamen fuit magnum ſpirituale, dum amici Boguslai Leſczynski Luceorien. Epiſcopi, quotquot media inveniri poterant, nulla intermiſerunt, pro impedienda declaratione publici ſigilli Georgio Dẽhof, ſed difficile fuit evincere, Reginâ fortiter tenente.

Comparuit Varſaviæ Princeps, Soror Regis, cũ uxore defuncti Principis.

Reddidit Cardinalis ſigillum minùs, & cùm ſolitâ ſuâ ambitione prætenderet, ut tota Reſpublica gratias ageret ipſi pro benè adminiſtrato Magiſtratu; quod nec Regi, nec pluribus placuit; contradixit publicâ voce Martinus Oborski Palatinus Podlachiæ, & novum hoc impedivit præjudicatum, &, quando ſaltem à Rege id fieri voluiſſet, dixit publicâ voce Magnus Mareſchalcus Lubomirski, quòd in antiquitate omnes Dij loquebantur per oracula, ſolus Jupiter non loquebatur, qui non verbis, ſed re, & effectu exprimebat ſuos ſenſus, accommodando id ſilentio Regis; longa fuit diſputatio ſuper hoc punctum in Senatu, Palatino Poſnanienſi urgente, & Podlachiæ negante, & jam inceperat dicere Joannes Malachowski Epiſcopus Cracovienſis, ſed interrupta vox, & non eſt permiſſum ulterius procedere. Sic poſt longam diſputationem medium hoc inventum, ut Cardinalis ipſe parcendo tempori, nolle ſe eum honorem per moderationem animi declarâſſet; & ſic ſopita hæc materia.

Reddita pòſt fuerunt ſigilla; Magnum Georgio Denhoff; parvum Carolo Tarlo Palatino Lublinenſi, & cùm pro more, & jure vocati fuiſſemus ad dicendos ſenſus noſtros in hac materia; ego dixi; hæc eſt Rota juramenti noſtri Senatorij; in judiciis rectè ſententiam dicam; non poteſt difficiliùs eſſe negotium, quàm judicare, & pronuntiare dignum hoc ſupremo, & hoc delicato miniſterio. Quia verò hæc manus, quæ cor Mtis Vræ portat, eſt infallibilis, cujus diſpoſitioni nemo contraire poteſt, nec debet, monſtravit potenti ſuo digito Epiſcopum Camenecenſem, & Palatinum Lublinenſem, & ego captivo libenter intellectum meum, certus, quòd Mtes ſuas non fraudabuntur judicio ſuo, &, quòd hi Domini deſtinati bono Eccleſiæ, & Patriæ obſequio Mtis Vræ, & votis populorum reſpondebunt.

Inceperunt pòſt, vota Senatoria, & habuit publicè in Senatu ſermonẽ D. Nuntius Cantelmi, cui à Rege Cancellarius, à Senatu Primas, ab Equeſtri Ordine Mareſchalcus pro more reſponderunt.

In craſtino fuit apud me idem Nuntius, petijtq;, ut perſuaderem Regi, quatenus ſcriberet fortes literas ad Imperatorem, & ad Regem Galliæ, pro ſtabilienda pace in Europa, ut vires non dividerentur in bello, quod eſt effectum contra Turcas. Fuit etiam Zierowski Ablegatus Cæſareus, cum ſummo dolore incuſans, quòd Regina denegaverit ei audientiam, &, quod literæ ejus intercipiantur.

Inte-

A. C. 1689 Interim cùm Nuntij Senatui jungerentur, interrupta sunt vota Senatoria, & non nisi aliqua Episcoporum expedita; hic enim mos est, si tempus advenerit, jungendi se Nuntijs cum Senatu, tunc cessant vota, & activitas Nuntiorum incipit. Quod & tunc factum est, una intercessit publica Regis declaratio, super duobus punctis: *Primò*; Quòd Mareschalcus Equestris Comitiorum accederet ad legendas Constitutiones jam in conclavi Nuntiorum laudatas. *2dò*: Quòd negotium Margraviæ inferius haberet, & quòd nullatenus vellet Rex agitari illud, in his Comitijs, habendo satisfactionem particularem ab Imperatore, quòd scilicet in eo se justificaverit, non fuisse in causa; quo contenta est Sua Majestas.

Indigenatus Nihilominus tamen incepit hæc materia zelosissimè tractari, disputando, utrum habeat indigenatum Princeps Neoburgicus? & ne unquam Respub: permittat, ut extraneus bona hæreditarea possideat. Unichowski, Zydowski, & alij valde ferventer hac in materia dicebant; Senatus autem silebat.

Interim in crastino habuimus sessionem Episcopi apud Cardinalē Primatem in materia Articuli terribilis Nuntiorum Cracovien: qui omninò volunt evincere, ut Constitutio anni 1635, quæ nunquam fuit in usu, ad executionem in præsens deducatur, cum maximo Ecclesiæ nostræ præjudicio, & contra Statutum anni 1541 disputavimus multùm; sed nihil conclusimus, quid sit agendum? Debebat fieri audientia Nuntiorum ab exercitu, sed est dilata propter disputationem Kierski, cum Wielokurski, qui puerilia quædam sibi objiciebant.

Mitto tibi ea, quæ in his Comitijs in materia Neoburgica, quæ omnia negotia occupat, dixi; D. autem Lesczynski Palatinus Posnanien: dixit contra Reginam, quòd scilicet sit supra sexum audax, cujus omne studium discordias spargere in Republ: pro modo ingenij, ambagibus innutrita, & mutabilis, & quòd non habeat curam sanitatis suæ, & quod multum in rebus publicis, quas evitare posset, solicitudinis impenderet, ac laboraret, etiam cum præjudicio tam pretiosæ valetudinis suæ, quod ex negotio crumenali faciat criminale, quòd satiùs esset spolia ex Turcis, quàm ex Principe Neoburgico quærere; Ejusdem est nolle, qui potest & velle. Post hæc fuit apud me Episcopus Luceoriensis, cum Abbate Koszanowski persuadendo mihi, ut cum illis jungerer, qui vindicare omninò volebat prætermissum se fuisse in distributione sigilli Regni, sed ego absq; omni ceremonia dixi tàcens, non obstans, imò manifestans; non me posse assistere in his, quæcunq; & pacem publicam turbare, & Regi vel in minimo præjudicare possunt.

Relatio legationis Ultimâ Januarij, & tribus consequentibus diebus fastidiosissimam faciebat relationem Joannes Zbąski Episcopus Varmiensis, legationum suarum tam Romæ, quàm Venetijs, & Viennæ, qui postquam continuis tribus diebus locutus fuisset, tandem juramentum præstitit, ut moris de lege, clamârunt Nuntij, ut potiùs tantos sumptus, è publico pro his legationibus restitueret, & juramento abstineret.

7mâ Februarij fuit solennis ceremonia funebris pro Principe Georgio in Collegiata Varsaviensi, ubi Episcopus Livoniæ prædicavit super textum: Tuba mirum spargens sonum (tubæ enim arma sunt Principum) & quidem doctissimè, & cum satisfactione omnium.

Interim Michaël Raczinski, qui fuerat Ablegatus Viennam, præmonet, posse Imperatorem, & fortè velle pacem facere, si nos non mittemus Plenipotentiarium. Destinatus fui, ut præsiderem Sessioni exulum,

lum, quam, cùm uno die apud PP. Bernardinos finire non potuissemus, & interim in Senatu compellatus fui, ut facerem relationem, respondi, facere me non posse, donec finiretur, & ut illo tempore legantur Senatus consilia eo nomine facta, uti patebat, quòd Rex nihil suum credit, quod publicum non sit, &, quando bono prospicit publico, deest suo, &, sicut in privata fortuna se gessit, ut nemo audiverit, nec querelas tantùm malorum, sic eò magis nunc, dum DEi voluntas suprema Regimẽ Reipub: totius in manibus ejus posuerit. *A.C.* 1689

Princeps Dominicus Radziwilius Procancellarius volebat legere quasdam prætensiones, quas contra Domum Sapiehanam habet, sed nullatenus Nuntij Partis adversæ id facere permiserunt, ita, ut dixerit, sua accusans fata pariter, ac publica, quòd præteritis Comitijs prohibitum fuit, ne loqueremur, his ne legamus, consequens est, ut futuris prohibeatur, ne scribamus. Interim tamen ego omnia, quæ in manibus teneo, pro informatione, & Reipubl: & totius orbis imprimi faciam, &, quàm iniqui sint bonis DD. Sapiehæ Civibus, ostendam.

Accidit hac eâdem die, ut Casimirus Opalinski Episcopus Culmen: ex occasione causæ suæ, quam cum Thorunensi (uti dicunt prudentiores vexatoriæ) habet, post multas, quas nemo intellexit, extravagantias his conclusit: Aut regnare desine, aut rectè judica; unde murmur, pòst magnus strepitus. Cardinalis Primas acceptâ voce condoluit Regi, & illi admonitionem dedit, dixerunt & alii Episcopi; ille, dum dicere voluit, non est permissus, ivit ergo ad thronum, & nunquam se intentionem offendendi Regem habuisse dixit, & exivit inter sybilos, & murmura. Palatinus Belzensis Maczinski ex inordinato zelo erupit coram Rege in throno stans, cum verbis læsivis totius Collegii Episcopalis, dicendo; pellendos esse ex Senatu, & mittendos Romam, sed ego illi modestè, sed intelligibiliter reposui, ut consideret, quæ dicit; Nos esse non natos Episcopos, sed primò Nobiles, & quòd illi contra Ecclesiam præcipuè loquuntur, qui nec minimum pro Ecclesia contribuerunt; Rex interim manu meâ acceptâ, negotium hoc in puncto sopivit.

Vocatis nuper nobis aliquot Episcopis, dixit Rex, ut Culmensis scriberet ad Cardinalem, vel quemcunq; voluerit ex Collegio nostro, ut nomine ejus deprecaretur Regem, & id publicâ voce exequeretur. Hæc Cardinalis per Nuntium Episcopo proposuit, qui id fecisset, sed impeditus fuit à Raphaele Leszczynski Palatino Posnaniensi violentiora svadente, & occasione hac oblatâ libenter utente. Rex interea ex summo dolore voluit declarare ore Cancellarii, quòd, quoniam id volunt nonnulli, libenter regnare cessabit, & abdicabit. Sed nos petiimns, ne ea fieret declaratio. Interim in publico voto Castellanus Sendomiriensis Biedzinski dixit; febrim malignam puto habere Rempub. ac proinde emissio sangvinis omnino esse debet. Episcopus verò abiit Varsaviâ, missis ad omnes amicos suos copiis illorum, quæ dixit in Senatu.

Incepit judicium Lyszcinij Athei, contra quem egit Instigator Litvaniæ; additus est illi Patronus.

Feci relationem Deputationis meæ, & dixi, quòd anseres quondam salvârunt Capitolium, & Romam, & nos plus per anserum calamos, quàm per ferrum perdimus; fato donata est nobis sors, ut sæpiùs bellis victores, semper tractatibus vincamur. Dixi multa contra Legatos in Moschoviam, ut merentur.

Cùm infirmaretur Mareschalcus Comitiorum, non est permissus substitutus, qui fuit Capitaneus Brecensis Szembeck, ut legeret consti-

A.C. 1689 tutiones, quia non est juratus; & hoc fuit ex motivo Zydowscii Collegæ. Nuntius Apostolicus convocaverat Collegium Episcoporum ad se, ego non adfui, cùm me non præmonuerit, & Stanislaus Dąbski Episcopus Plocensis scripsit Episcopo Cracoviensi, quòd Nuntius non haberet jus convocandi nos, quod soli Archi-Episcopo Gnesnensi competit, in qua Sessione proposuit nomine Pontificis, quòd non deberemus permittere in materia Religionis sæculares ad judicium. Sed hoc evincere quomodo possemus stantibus Comitiis?

18. Fuit disputatio utrum judicari possit Lysczynski, cùm non fuerit citatus, non habet ergo terminum, cùm sit nobilis.

19. Destinatus fui ad excipienda quædam puncta D. Zierowski nomine Imperatoris, cui imprimis legi literas aliquas Raczynscij asserentis, quòd prætenderetur pax concludi etiam sine nobis, si non missus fuerit Plenipotentiarius. Monstravi literas à Czaris Moschoviæ, quòd vellent scire de his tractatibus, cùm ad colligationem pertineant. Sed Zierowski multùm disputavit, quòd Moschi nō sint in Colligatione cum Imperatore, tantùm cum Rege & Regno nostro; ac proinde non teneri Imperatorem expectare eos, in casu alicujus pacis tractatûs, supra quod habui aliquam cum eo contestationem, cùm scilicet in puncto tractatûs Viennensis sit, quòd quisq; ex Colligatis potest attrahere alios Principes ad hanc colligationem. Unde concludi debet, quòd & Moschi, quamvis nobiscum tantùm colligati sint, sed quia pro causa publica Christianitatis nullatenus amoveri debent à communi pace. Mittendum ergo quantociùs Plenipotentiarium conclusum, cui consensit Rex, sed insuper omnino voluit, ut à tota Republica scriberetur instructio, memor, quòd ipsi acta Legatorum Moschoviæ adscriberentur, quamvis eorum sit innocentissimus?

Disputatum iterum in Senatu, utrum remittendus esset Lyszczynski ad forum spirituale, uti in dogmate fidei, sed evicit major pars, & Rex conclusit, quod habeat terminum, procedat.

Destinata est Sessio ad scribendam instructionem pro Plenipotentiario, qui iturus est Viennam, ad tres personas, hoc est Episcopum Posnaniensem, me, & Stanislaum Godlewski, laboravimus, &, dum lecta est, placuit.

Legatus ab Hano Tartarorum proposuit per Palatinum Belzensem, quòd conducibilius esset Poloniæ; si pax cum Turcis per Hanum tractaretur; multa etiam in rem Reipublicæ facturum promittebat; sed hoc à Rege est rejectum; Religiosè enim observat puncta colligationis. Voluit Cardinalis accom̃odare DD. Sapiehas cum Aula, sed citra effectum hodie Michaël Raczynski venit Viennâ cum hac declaratione, quòd dies 18 expectabit Imperator Plenipotentiarium nostrum; quòd si non venerit omnino tractatum pacis incipient cùm Turcis. Hodie etiam finita est causa Lysczynski per decretum convincatur criminaliter, & ego finio.

LITERÆ Ab ABLEGATIS TURCICIS 15. Martij.

Quintus jam labitur mensis ab adventu nostro citra omne tamen emolumentum, cum categoricum adhuc nullum accepimus responsum in punctis & propositionibus pacem concernentibus, quas si confirmare contigerit, à Cæsarea Mte Legatus ad fulgidam Portam expediendus erit, sin minus citra moram nos

nos dimittendi. Cum autem inter Regna ab antiquis usque ad hæc A.C 1689
nostra tempora, duplici ratione pax coalescere soleat nempe per aliquam aut tempore belli acquisitam restitutionem ac reliquorum cessionem, delinitis contrahentium Regum pacatisque quoquo pacto cordibus, firma pax inter eos, aut stabilis componitur amicitia, ita ut futuris temporibus nulla diffidij occasio suboriatur, aut si firma per aliquam restitutionem pax, minus placeat, relictis occupatis in eodem statu in quo sunt, subditorum in miseram conditionem misericordiâ ita exigente, cessat bellum, & præstituto temporis termino fœdus initur. Alterutrius istarum rationum seligendæ optionem Dominationibus Vris commisimus assensum ad ipsarum libitum præbituri, planè si res penitius introspiciatur, utriusque prædictarum rationum commoditas, & merita manifesta & clara videntur; in prima quidem ex occupatis aliqua restituuntur, verùm determinatis & positis limitibus, sublataque in posterum omni diffidendi occasione, stabilitur amicitia, qua quisque intra confinia ditionis suæ quietè fruitur, in secunda verò alterum ex contrahentibus dominijs privatur quidem occupatis aliunde ditionibus, verùm nullâ factâ formali cessione, quasi conservato juris honore, ea animi accommodatione acquiescit. Cum igitur excelsum Othomanicum Imperium, ab Ortu usque ad Occasum in vastissima Regna dominetur, atque à quadringentis & quinquaginta annis continuò rebus feliciter gestis, ad cujuscunq; belli finem victoriâ & intento, potitũ sit, etiam si intra spatium aliquorum annorum, propter defectum bonæ directionis, incommodi quidam eventus acciderint, nullatenus tamen fieri potest, ut statim à principio, simul & semel tot occupatarum ditionum, cessioni consentiatur juxta clausulas, & conditiones declaratas, in propositionibus nostris, ante hac in aliqua puncta distinctis & traditis utrique prædictarum pacis rationum, acquievimus, & assensum nostrum præbuimus, præterea ante & post pronuntiationem propositionum nostrarum, easdẽ prout requisiti fuimus, ultimarias esse affirmavimus sincerè atq; observabimus nihilominus post lapsum integri mensis, datæ ab ipsis propositiones, etsi dubiæ atque ambiguæ sint, attamen inter propositiones nostras & responsiones vestras quod constat immensum intervallum deprehenditur, dum scilicet fulgidum Imperium, ad stabiliendam firmam, cum Cæsarea Mte pacem, restitutionem aliquam occupatorum velit, Vestræque Dominationes nullâ declaratâ pacis specie, quæ ipsis placere possit, ad Regnum Hungariæ spectantium, & ab eodem dependentium, eique annexarum, prout putatur ditionum, & ad annexas ditiones pertinentium territoriorum, evacuationem & cessionem, & ultra Moldaviam etiam res prætendant. Et sanè si cum fulgida Porta firmæ pacis rationem instituendam esse subintelligunt, inter aliquam occupatorum restitutionem & petitio-

 nem

A.C. 1689 nem ditionum, quæ in excelsi Imperij potestate sunt, quàm immensa distantia, quamque impossibilis confirmatio propositionum, tanta intercapedine dissitarum atque vicissim oppositarum. Quo ad alterum, ad præfixum temporis terminum cessante bello, ratione fœderis, quæ reliqua est, in ea utrumque paciscens dominium in eodem statu in quo reperiuntur acquiescere, jura Statuum esse nemini latet. Rei sum̃ã ita colligim⁹ si dubia & ambigua delectant, ea nemini deesse, cũ autẽ alienis dubijs, & ambiguis propositionibus, nihil concludi possit, cũq; à nobis ultimariæ propositiones expetitæ fuerunt, ante declaratas, nostras propositiones, ut definitivas traditas fuisse, & præter eas, nullas planè alias superesse nobis, si itaque assensum præstare Dominationibus Vestris placebit, reliqua si quæ ad fœdus, & mutuã amicitiam pertinere videntur, convenienti ratione contractentur. Sin minus, quando verna jam adest tempestas, Serenissimo Augustissimo & Potentissimo Imperatore Dno nostro, ad Regia sua commigrante tentoria, & faustis sub auspicijs iter aggresso, postquam expensis infinitis thesauris iter suscipietur, & convocatis atque coactis innumeris copijs, universalis, & generalis fiet exercituum congregatio, manifestum est, difficulter propositione permanente in eodem statu regressum Imperiali Majestati persvadendum. Intra paucorum itaque dierum spatium, categoricum nobis dari reponsum necesse est, & inaniter non intermissis diebus negotio finem imponendum esse sincerè declaramus.

LITERÆ TURCICÆ AD EXTRAORDINARIUM ABLEGATũ Poloniæ 1 Aprilis.

Gloriosissimi inter Christianos Principes Regis, & Reipub. Poloniarum extraordinario Ablegato viro inter conspicuos nobiles Christianæ Gentis Illustrissimo Amico nostro Michaëli Raczynski, cujus finis bene terminetur. Hæc amice significantur. Cum ante, circa pacis articulos, propositiones aliquæ à nobis traditæ fuerint, modò pro responso, ad nostras propositiones, conditiones aliquas proposuistis, quarum sensus nobis constitit. Verùm enim verò antequam hinc ipsa discederet, quæcunq; habito congressu prolata fuerint, in memoriam suam reducere velit. Categoricas nempè & ultimatas, à nobis de pace propositiones expostulastis, propterea hos quoq; tam secundùm veterem Excelsi Imperij consuetudinem procedentes, tum pro desiderio Vro morem gerentes, quasdam propositiones pro fœderis fundamento pronunciamus. Si amicitiam inire placebit, illarum propositionum pensitatis emolumentis nobiscum de modalitate illarum contractabitis, sin minùs à re perquam alienis propositis, id tantummodo fit, ut inani labore animi defatigentur, atq; tempus teratur, quisquis proposita ab excelso Imperio, cum Dominationibus Vris bonæ, correspondentiæ fructus, haud quaquã

agnitus

ANNOTATIONES PRO PACE.

AD stabiliendam Pacem inter Augustissimum & Potent: Romanorum Imperatorem, ejusq; Confœderatos, Seren: Regem & Rempub: Poloniæ, tum Seren: Rempub: Venetam, ex una & Seren: ac Potent: Turcarum Imperatorem, ex altera parte, sequentes Conditiones, à Ministris Plenipotentiarijs Polonis, in ordine ad hoc negotium delegatis, pro responso ad propositiones per Ablegatos Turcicos die 19 Februarij exhibitas reponuntur.

Cum Seren: Regis & Reipubl: Polonæ antiquæ, sed oblivioni non abolitæ ad fulgidam Portam exstent prætensiones, visum est eas in capite libri, tam recentioribus, quàm ad factas Ablegatorum Turcicorũ propositiones, responsioni præmittere.

Ima In anno 1489 cum CASIMIRO JAGELLONIDE Rege Poloniæ, per Bajazetem Solimanum pactis sancitum est, ut subditi Portæ, scilicet Tartari, ex Polona parte Cosaci pacatè se gerant. Idem & sub SIGISMUNDO I. confirmatum est, & quotquot postea fuerunt renovationes pactorum, si memoratos subditos suos, in officio pacatos non continerent, tenerentur, ad refusionem damnorum per illos parti læsæ illatorum. Unde cum ille Solimanus repeteret satisfactionem pro illatis ad Oczakoviam per nostrates damñis, Seren: Rex & Respub: Poloniæ, volentes firmam amicitiam conservare, ad crebras instantias Turcarum & multas de Tartaris coercendis promissiones, fortalitio & arce, supra Borysthenem, exstructa Czodak dicta, Cosacos pyraticam in Ponto Euxino exercere solitos & Constantinopolim usq;, in Europa, Trabesuntum in Asia excurrentes, velut injecto fræno ita occluserunt, ut quietis ille impatiens populus, & Martiali æstuans fervore, cum non daretur exitus in mare in propria S.R.Mtis & Reipub: regurgitaret Imperia, quod diluvium cum Portæ Ottomanicæ subjecti Tartari coercere debuerint, junctis contra Poloniam armis, in tantum auxerunt, ut Respub: per 30 prope annos, innumeris exinde calamitatibus afflicta, sentiat adhuc Zoltavidenses, Korsunecen: Pilavicen: Zbarozien: Berestecen: Bustovienses, & ultimo insolentis Lomsenij clades, quæ omnes ita Rempubl: afflixerunt, ut juramento præfati Solimani refusionem damnorũ ab illo tempore per Tartaros illatorum inter justissimas ponat prætensiones.

2da Damna quæ ab illato durantibus induciis bello erepto Cameneco & Podolia, datâ Cosacis protectione, perpessa est Respub, multas millionum excedunt centurias, quæ ómnia debita satisfactione pensanda sunt, si pacem Porta desiderat. Ne verò quid simile inposterum accidat, bonaq; amicitia perturbetur, Crimenenses, qui tanta damna, & nobis, & communibus amicis, Moschis, qui eodem nobiscum nunc tenentur fœdere, inferunt Nahaiecenses, Oczakovienses, Bialohorodenses Ordæ Tartaricæ, partim trans mare in Asiam, partim trans Danubium in Thraciam transferatur, Crimea verò Moschis, & Seren: Regi, Regnoq; Poloniæ, quidquid Terrarum inter Borysthenem, & Danubium, tum arces & castella, nulla juris cujuspiam prætensione manente cedant cum Valachia ac Moldavia.

3tia Inhærendo Pactis Zoravienfibus, quibus hac in parte, contraventum est, loca sancta, quæ sunt in Jerusalem, tam intra quàm extra civitatem & in Carname, utpote sacrosanctum Christi sepulchrum, sacri Cantuanæ & Sion montes, nec non locus in Bethleem, ubi natus Salvator

A. C. 1689 vator Christus, tum Ecclesia superior, cum omnibus pertinentiis, aliaq; sanctuaria, per Serenissimas, quondam Mtes Regni Siciliæ, scilicet Robertum & Sanzam, septem millionibus, à Soltano magno Ægypti empta, atq; Romanæ Ecclesiæ, ac Religiosis fratribus minorib9 de observantia tradita, & applicata, jam verò progressu temporis à Græcis erepta, (prout obloquitur instrumentum certum, per Aliagam in anno 1097 formatum, antiquis Possessoribus videlicet latinis Religiosis instituantur atque rescriptum imperiale eisdem à Soltano Mural in anno 1045 concessum renovetur, & executioni mandetur.

4ta Ut liberum sit, fidei sanctæ exercitium omnibus Christianis, & Catholicis per omnes ditiones Imperij Turcici, cum facultate pulsandi campanas, erigendi novas Ecclesias, & veteres restaurandi, fundos pro Ecclesiis coemendi, atq; in prædictis Ecclesiis, omnibus gentibus liberũ sit, & inviolabile asylum seu refugium. Tributa de novo imposita & in dies magis excrescentia tollantur, utq; omnibus peregrinis & itinerantibus, ad sacra loca tutus sit, & sine gravamine passus, imò etiam terrâ mariq; commercia, gentibus Christianis libera sint & tranquilla.

5ta Captivi ex utraq; parte, sive per Turcas, sive per Tartaros capti, existentes, liberati & propriis Dominis bona fide restituantur.

6ta Camenecum ab Ablegatis Turcicis petra scandali appellatum amoveatur, sed uti Polonis ereptum idem restituatur, præsidium fortalitio deducatur, armatura bellica in integro ibidem relinquatur, ita ut præsidium præter sarcinas suas & arma propria, secum nihil abducat. Civitas verò prout est sine dolo in integro reddatur, tum & Podolia cum omnibus suis dependentiis.

7ma Prætensioni supra Cosacos & Ukrainam, tanquam injustè acquisitæ & ab alienis subditis oblatæ, Porta Othomanica omnino totaliter abdicet.

ANNOTATIO. Quæcunq; in supra dictis Conditionibus Generalibus sunt comprehensa terminis, in articulis Ratificationis exprimere, & inserere necesse est, ideo de omnibus & singulis in specie, tractandi, & concludendi liberam sibi reservant Plenipotentiarij Polonici facultatem.

ANNOTATIONES.

1ma. PAcem hoc modo conclusam Ablegati & Plenipotentiarij Turcici, à Serenissimo & Potentissimo Imperatore & Dño suo ad formam hic mutuò placitam, rati habitum iri, seque infallibiliter præstituros, ut solenne ratihabitionis instrumentum intra spatium triginta dierum à die subscriptionis computandum, aut citius si fieri poterit hic reciproce recteque cõmutetur, se obligant dictæ ratificationis suum adventum hic præstolantes.

2da. Pax ista quamvis secundùm propositas conditiones conclusa tum demum, robur obligationis, & debitæ observantiæ vinculum, accipiet & inducet, cum in omnibus ac singulis quæ de locis evacuandis, & tractandis, atque etiam de confiniis per Deputatos ab utrinq; Cõmissarios constituendis, secundùm præmissa, stipulabuntur, & acceptabuntur plenariè executioni, demandata fuerit, qua in re ad accelerandam pacis executionem, & publicationem, sistendam humani sangvinis effusionem, placuit utrinq;, ut designatis ad terminos Dominiorum ponendos, & exequendam pacem, ab utrinq; Cõmissarijs, spatium bimestre præfigatur, cujus decursu cònfinia prout conventum fuerit, statuant, evacuanda tradant, & articulos pacis juxta sibi cõmissa exequantur.

3tia

3tia. Quia omnia, quæ ſupradictis conditionibus propoſita fuerunt, individualiter & localiter, conceptis hujus pacificationis articulis, exprimere & inſerere neceſſe eſt, ideò de omnibus & ſingulis in ſpecie tractandi & conveniendi liberam ſibi reſervant Deputati Cæſarei facultatē. *A.C. 1689*

4ta. Nefandum Tekelij Proditoris & rebellis improbiſſimi hujus cruenti belli Authoris, & execrandi impoſteris caput, ſecundum juris gentium naturalem obligationem, quondam à Turcicis ſuſceptam, & malè obſervatam, ſemota omni tergiverſatione, poſt pacem concluſam, mox extradetur, ad ſumendas de eodem meritas pœnas, & ſtatuendum violatæ fidelitatis exemplum, interim captivato eodem pace concluſa fideliter conſignanda ita ſe ſecuros reddent Ablegati Turcici, ut & Deputatis Cæſareis, ſecuram & ſinceram ſtipulatorum executionem oſtendere & perſvadere poſſint. Quæ annotatio cæteris omnibus in tractatu præponenda, & de illa bona fide, priuſquam cætera, pertractandū, conveniendum erit, cum ſit conditio, ſi qua non.

EJUSDEM FRANCISCO CANTELMI NUNTIO APOSTOLICO 25. Octobris.

Appromiſſio ſuffragiorū

VIxiſſet utinam, longiori certè dignus vitâ Sanctiſſimus noſter, cujus tota in throno ſuo vita, continua in Chriſtianitatem, amoris, & liberalitatis profeſſio fuit. Placuit cœlo, ideoq; terram præmaturo fato ſuo, & præcipuè ſanctam Eccleſiam, ſummo, quia juſto affecit mœrore. Non deeſſem debito meo in tam benevolum Patrem, cujus gratia poſt DEum, id ſum, & mandatis Excellentiæ Vræ, in literis dedata 8. 7bris; mihi expreſſis, ſolenni obſequio, cum tota Diœceſi, manibus ſanctis precarer, ſed hujus in manibus Schiſmaticorum maxima pars, in meis, vix aliqua eſt, ut tamen & officio, & obſtricto affectui reſpondeam, quod in mea eſt poteſtate, brevi faciam, cum Jarosłaviam, vel hoc ipſo intuitu iter inſtituendi, in animum induxerim, ut in illa collegiata, cui indignus præſum, publico voto, ſanctæ huic animæ, cum toto clero meo vota fundam. DEUM interim maximum humillimè precor, ut optimo ſuccedat optimus, qui in his difficillimis temporibus Eccleſiam DEI, regere pergat, uti bene inceptum eſt. Cum his me perenni gratiæ Excellentiæ Vræ, debitâ cum veneratione recommendo maneoque.

LXIX.
SANCTISSIMO PONTIFICI ALEXANDRO OTTOBONO VIII ANDREAS C. ZAŁUSKI EPISCOPUS KIJOVIENSIS Jarosłaviæ 2 Novemb.

ſubmiſſio neo Electo

POſt oſcula pedum Sanctiſſimorum, ad quos nuperrimè bene ominata alite, claroque nimis cœlitum ſuffragio orbis procubuit univerſus, filiale cor Sanct. Vræ, gratulabundus effundo, Benedictus DEUS, qui non amovit orationem Eccleſiæ ſuæ, & paſtorem ei talem providere dignatus eſt, qualis decebat, ut eſſet, ea præſertim temporum ac hominum iniquitate, ubi dum viririm ſollicitâ prece, gravibusque ſuſpirijs optimos cœlis evocamus Athlantes, quorum ſacris humeris cœlum Eccleſiæ tuto incumbere poſſit. Tu Pater Beatiſſime, ad orbis vota, Romanæ Eccleſiæ gloriam, ad populorum ſalutem, ſingulari dono Superûm obtigiſti. Favebat beneficijs ſuis cœlum, & quod per fauſtiſſimam, deſideratiſſimamq; Sanctitatis Vræ Electionem, orbi Catholico

A.C. 1689 lico ſolatia dedit maxima, concedat diuturna. Antequam porrò ſacris præſens, quòd aveo, accidam plantis, per Andream Olſzowski Decanũ meum Kijovienſem, cultu reverentiſſimo facio.

EJUSDEM AD CONGREGATIONEM ROMANAM 6. Novembris Zołkwiæ.

Informatio de Epiſcopatu Kijovienſi

HOC erat in votis, ut poſt expletum Epiſcopatus mei quinquennium, juramento facerem ſatis, & in perſona mea, ante Eñmas Dignitates Veſtras, in quibus cardo Rei Catholicæ vertitur, venerabundus comparerem, niſi Generalia Regni Comitia, Varſaviæ indicta nuperrimè, aliò meas curas avocarent. Sicubi enim indemnitati Eccleſiaſticæ, vel maximè invigilandum, certè in Regni Comitijs, ubi ſtatus ſæcularis per hæreticos, aut tepidiores Catholicos, non raro jura impetit Eccleſiæ, gabellis & contributionibus præjudicioſis clerum onerat, eò audacius faciliuſve, quò pauciores in illis conſpiciet, qui obſtent & ſe pro domo DEi opponant, Epiſcopos Senatores. Quod ergo per me ad præſens præſtare nequeo, per Eccleſiæ meæ Decanum reverenter facio, breviſſimèq; Eminentias Veſtras & ſedem Apoſtolicam, de meo informo Epiſcopatu, cujus partem viceſimam (cætera enim Moschus tenet) vix poſſideo.

Poſt expeditionem Bullarum factus DEi & Apoſtolicæ ſedis gratiâ Epiſcopus, in id omni conatu incubui, ut naufragas Epiſcopatus mei tabulas in unum quoquo modo colligerem, & in eum qui eſſet poſſibilis ordinem redigerem. Erat animus conſtituendæ Cathedræ, Bialocerkviæ impetrato ad hunc finem Mtis Suæ, gratiſſimo conſenſu, nam loco huic & fortalitio, Fauſtovia cum attinentiis ſuis, ad menſam Epiſcopalẽ pertinentibus opportunè vicina ſunt, quorum partem non contemnendam, congruè reſidentibus ad Cathedram præfatam, quiq; eam repræſentarent impendere deſtinabam, Quocirca titulos etiam Prælatorum, qui obſoleverant reſuſcitavi collatos perſonis genere, juxta ac virtute, eruditioneq; conſpicuis. Sed conatibus meis per occulta DEi judicia non is, quem animo præcipiebam, reſpondit eventus. Bello enim contra Turcas ſuſcepto, pars bonorum creberrimis Tartarorum incurſionibus miſerè deſolata, pars à rebelli Coſaco Pally dicto violentèr occupata; Edictis Regiis, & ſupremi Exercituum Ducis, nec quidquam proficientibus, haud vana tamen ſpe erigor, ubi bella infeſta quieverint, me ad mea poſtliminio rediturum, proq; virili in rem Eccleſiæ meæ libenter liberaliterq; eadem impenſurum, ad quem etiam finem ultimis cum Moſcho tractatibus evici certam ſumam apud Rempub: ex qua in Miſſionarios non nihil derivo, quos ex Ordine Prædicatorum, PP. Societatis & Carmelitis habeo, Operæ pretium etiam non leve, me in Rem Eccleſiæ facturũ judicavi, ut cum plura hic & nunc pro mea particulari facere non poſſem, univerſali prodeſſem in comune. Habemus in Polonia, ſupremæ poteſtatis ultimæq; inſtantiæ Tribunal Regni, judicium ex ſæcularibus & Eccleſiaſticis compoſitum, ab annis prope centum, ſeu Anteceſſorum meorum minore cura, ſeu alio quodpiam fato, non admittebatur ex Capitulo Kijovienſi judex Deputatus, quò autem plures ex ſpiritualibus Tribunal præfatum ingrediuntur, eò felicius, ſecuriusque res currunt Eccleſiaſticæ, non abſq; grandibus impendiis, & difficultatibus, ego tandem evici, ut more aliorum Capitulorum, meum quoq; Capitulũ quot annis

annis daret ijsdem Generalibus Regni judicijs Deputatum. Et jã per DEi gratiam sextus absq; omni Controversia, de meo Kijoviensi Capitulo hodie Tribunal Regni ingreditur. *A.C.* 1689

Quanti porrò fructus spirituales per prænominatos Missionarios in meo fiant Episcopatu, loquuntur Schismatici, ad Romanæ Ecclesiæ gremium reducti, fideles ad frequentiorem Sacramentorum usum adducti. Animi plurium ex antiquo inter se dissidentes reconciliati &c: quod non mihi, sed DEi gratiæ & PP. Missionariorum adscribendum laboribus. Ad hæc, in Polesia Officialem meis sumptibus conservo, qui aliquot curatis beneficijs superintendat, ad quæ vix pretio justo cõducere possum Sacerdotes, ob viciniam hostilem tractumque periculosum. Ardet cœlo terrâq; teste animus, plura pro DEi gloria, & Ecclesiæ Romanæ agendi, nec pigeret dum tempus, & uberior facultas daretur. Nihil tamen interim eorum quæ mei muneris esse reor, aut prætermisi, aut prætermittam. His pro meo officio ac in sedem Apostolicam devotione explicatis, DEum humillimè precor, ut Ecclesiam Romanam quàm florentissimam, ac per omnes orbis plagas diffusam videam, & in mea cũ animarum pretioso Christi sangvine redemptarum congruo fructu laborem. Cum his me Eminentiarum gratiæ favoribusq; humillimè cõmendo, quarum & omnium & singularum mandata nutusq; præstolor, ad omnes intentus, & promptissimus.

LXXI.
EJUSDEM AD CARDINALEM RADZIEJOWSKI ROMAM
7 Decemb.

IDem diverso respectu non rarò hinc dolorem, inde uberiore fonte ampliora consvevit disponsare solatia. Nihil æquè faventium & sincerè amantium corda acerbo sauciare assolet vulnere: ac dum se procul ab ijs positos vident, quos in intimis medullis gestant: & tamen hæc eadem amantium distantia id sibi proprium vendicat; ut quidquid oculis ablatum est, id cordi & vivaciori altiùs infigat memoriæ, arctiùsque amantem amato agglutinet: amor distantia jungit. Fateor id ingenuè Eminentiæ tuæ, me mensium aliquot desiderio ob tui absentiam ferendo imparem, non tam calamo quàm præpete evolare affectu. Etiamsi ergo lætissimi Natalis Dominici circumstantia me ad scribendum non stimularet (cujus ego dulcissimam festivitatem animitùs tuæ Eminentiæ gratulor) esset aliud, quòd me traheret, actuq; trahit constans fraterna tuæ Eminentiæ observantia; ut anhelum præsentiæ tuæ pectus respiret in literis. Gratum audire fuit, quâ pompâ, quo nostræ gentis honore tua Eminentia Romam ingressa sit, sed id inter nova non censui. Celsissimus enim suiq; memor animus tuus, non potuit infra magnitudinem suam in illo orbis universi comparere amphitheatro. Eminebas ubique Primas Primusq; Princeps. Audiat igitur ibi purpuratus agnus debitos sibi applausus, quia dignus est accipere honorem & gloriam: nos autem solitâ gratiâ faventeq; dignetur memoriâ. *Officiosa*

EJUSDEM AD CARDINALEM DENHOFF
7 Decemb.

EUM, qui in corde Eminentiæ tuæ magis, quàm in stabulo Bethlemitico suum celebrat natalem, veteri & constante Eminentiæ tuæ gratulor affectu. Spero, aurea olim affulgebit hora, quâ coram Emi- *Apprecatoria*

A.C. 1689 Eminentiæ tuæ purpuram licebit venerari: modò uti Nomini nostro Polono (quod in illo orbis exaltas compendio, & universis ad pretium & gloriam in tua exhibes persona) Patriæq; nostræ gratulor: quòd Eminentiam auspicatâ cœlitùs horâ in mundi lucem & admirationem ediderit: ita DEUM, precor, ut suis faveat beneficiis, & si non perpetuitatem saltem sæculo parem addat longævitatem.

COPIA LITERARUM AD REGEM EJUSDEM
Bialâ 15 Decemb.

Gratulatoria Natalis Christi

NON id facio, quod per Christianum orbem consvetudo imperat, aut saltē si id ago, non consvetudinis gratiâ gloriosa Natalis Dominici Festa constantissimo subjectionis meæ grutulor affectu: sed ut nunquam satis, (dum superi indulgebunt vitam) exsolvendam Mti Vræ tester obligationem. Tam enim altè incomparabilis Mtis Vræ bonitas & Regalis gratia in corde meo egêre radices; ut illas nulla, etiamsi fractus illabatur orbis, succusserit rerum vicissitudo. Demùm tempus id aliquando ostendet: nunc verò ad Altissimam Mtem Divinam, quæ benevole, (& quia voluit) nimiâ in hominem inclinata charitate ad usque viles sese demisit fascias, supplices tendo manus: ut nobis & universo Christiano, tot novis, quot jam in antecessum propitius iudulsit, annis, renasci velit Regiam Vram Mtem: ut cum rosis olim sub hoc tempus in Jericho efflorescentibus efflorescat salus populorum, salus Principis: quam ante meam pono salutem, & vitam: proque meis computo fortunis felices Vræ Mtis successus. Proximum huic & individuum votum: ut ex Serenissima prole ea olim V. Mtas experiatur solatia, quæ Paternum Mtis cor sibi ipsi precari & vovere potest, ipsa verò in tantum meretur: ut maxima exhibere magis quàm polliceri videatur, exosculor subhæc manum Regiam &c.

LXXII
EJUSDEM AD PRINCIPEM ANTONIUM OTTOBONI
15 Decembris.

Gratulatoria

NON unum ad hæc tempora gaudium Excellentiæ tuæ pectus inundat, sed illud princeps est, quòd proximum Excellentiæ tuæ sangvinem, summum Christi Vicarium in terris, & successorem Petri ter beatum, octies bonum, sub triplici adoratum diademate proprijs usurpare oculis, Excellentia sua meruerit. Secundum tenet locum, è veroque secundum est, filius Cardinalis, & magnus Sanctissimi nepos, qui jam orbis universi lumina, in se convertit, ac ingentem de Eminentia sua fundavit expectationem. Neque illam pro innata virtute, præclarisque suis dotibus fallet unquam, nisi superando. Hanc ego geminam felicitatem, Excellentiæ Vræ eo quo par est animo, studijq; mei propensione liberalissima gratulor, diuturnamq; innubes inter soles voveo. Renascantur, & revirescant, ad lætissima DEI hominis natalitia vires, & firmior in dies Excellentiæ tuæ valetudo, ut filium Eminentissimum, quem S. R. E. cernis purpuratum post centum aristas videas lætus vegetúsve, gloriâ supremâ & annorum honore coronatū. Me interim &c.

COPIA

COPIA LITERARUM ILLUSTRISSIMI NUNTIJ Ad SERENISSIMUM REGEM. A.C.1689

Cum jam tantum temporis elapsum sit, ex quo D. Wybowski contumaciâ hactenus cum nimia lenitate tolerata perseverat, æquitas & officium meum non patitur, ut ulterius contra illum opportunis differam remedijs procedere, ad illam ab eo erga S. sedem obedientiam exigendam, quæ à quolibet fidei professore debetur, cujus crimine contumaciæ, me non solùm iste lacessivit, inhibitiones meas contemnendo, & id quod non decet temere attentando. Sed & M. Vræ, non aperte Regijs justissimis ejus Imperijs, de hujusmodi attentatis recedendo minus obtemperans. Unde ego confido R. quoq; M. V. sensus illos exhibituram, quos tam scandalosa requirit audacia. Benè jam noverit Regia V. M. quàm mitis erga illum hactenus fuerim, & quàm abundanter in hoc, humillimæ devotionis meæ partes impleverim, ad hunc proinde finem per longũ tempus à Patre Mirecki in Abbatem S. Crucis à Sanct. Sua nuper confirmato fidei professionem recipere distuli, sed cum tandem intellexerim omnem inanem esse conniventiam illamq; tantum ad fovendam inobedientiam inservire, debitum justitiæ negare non potui, prædictam Professionem recipiendo, ut Pater Mirecki præfatus, ad Abbatiæ professionem valeat promoveri, ad hujus favorem Regiam M. V. benevolentiam suam adhibituram confido, quatenus alter suis irreverentibus ausis, illius prorsus incapax & indignus evasit, sic amaritudo parùm mitigabitur, quam S. Sua adversus D. Wybowski actiones concepit, cum eadm profitetur, quando cum omni sollicitudine debitum suum non agnoscat nullum se respectum habiturã, occasione aliarum vacationum, aut provisionum, ut procul dubio in his casibus habuisset, ob vehemens, quod gerit R. M. V. satisfactionum desiderium, id totum igitur R. Msti Vræ exponere volui, firmiter sperans Regiam ejus justitiam, cum hac sensuum meorum æquitate conversuram, & dum humillimum eidem obsequium meum reverenter submitto R. M. demisse veneror.

LXXIII.

EJUSDEM AD CONSTANTINUM BRZOSTOWSKI EPISCOPUM VILNENSEM. Bialâ 18. Octobris.

Domina Cancellaria non ignara affectûs tui in me, à me in sua causa expetijt; ut per instantiam meam dilationem à te impetrarẽ, quam ob maximas rationes concessibilem esse judico. Facio id tantò libentiùs; quantò mihi gratiùs foret; si hanc exiguam moram lucratæ partes ad meliorem redirent mentem, & in pristinam coalescerent concordiam: uti defacto illam animitùs opto; nec ex hac parte ullam difficultatem video, quæ est petitæ abesse unioni posset: velis modò ipse etiam, satagere & Cancellario M. D. Lit. dignum ipso hujus facti persuadere affectum. Quid enim lucri ille speraverit? quod toties nigra

sepia

A.C. 1689 sepia tum ejus, tum hujus nomen non jam ad gloriam, sed labem inscribet fastis, mutuis utraq; pars se concidet litibus, tantasq; domos cum reputationis jactura subsannationi & opprobrio exponet? quin potiùs inter privatos parietes ea felicem finem accipiant; quæcunq; ad reciprocam partium spectant contentationem? Rogo te, nolis ipse parcere labori; ne pars hæc videatur id ipsum per abrupta optare sibi: nam uti video respondere parata est. Nulla hinc cõmoda mihi spero, nec id eorum studio facio: amicitiæ id piè defuncti Cancellarij Regni dandum censui, summæq; felicitati duco; quòd etiam à fatis illi in sangvine ejus me probare amicum possim: nec enim contractam necessitudinem, ea, quæ vitam finit, finivit Parca, aut immutavit. Donet id etiam sibi Cancellarius: nam crede mihi hoc negotium magnis illum involvet difficultatibus, nec tam facili claudetur fine, quàm facili initio cœpit. Non sine ratione scribo. Habes ibi apud illum Præpositum Mscibowiensem hominem, ut mihi videtur, præclarum & versatũ: illo utere & ad concordiam svaviter devictum inclina. Illud etiam tanquam certum tibi affirmo, Cancellariam nostram ab amicorum interpositione non abhorrere. Crescet inde, si privata hæc in herba suffocaveris, Nomini Tuo gloria, mihi autem obligatio obsequendi tibi, cujus sum constans &c.

LXXIV.

ALEXANDRO VIII. OTTOBONO SUMMO PONTIFICI,

EPISCOPUS KYOVIENSIS gratulatur festa Natalitia CHRISTI Dñi.

QUI Sanctitati Vestræ claves Petri & universalis Ecclesiæ ad mille votis expetitam Suæ Sanctitatis Electionẽ, nuperrimè gratulat⁹ sum, hodie Divina Christi Natalitia ad beatissimos provolutus pedes gratulor, & certè minus festa, lætaq; festa hæc ageremus, nisi post luctuosa, ac sanctissima INNOCENTII fata pendens trepidusq;, quo modo caderet orbis Christianus, Suæ Sanctitatis innocentissimo exciperetur sinu, nec injuria, qui enim futurorum metu præmori sibi videbatur, in Tua Sanctitate, omnia bona sortitus renascitur. Dent boni Superi OTTOBONO Maximo, annos Petri, qui claves dedêre, quibus etiam claudat, miserabilem in modum hians Jani Christiani templum, orbi quietem, populo pacem suo apperiat. Sic felicibus Sanctitatis Vræ auspicijs, Christiani Principes, optatas jungent in fœdera dextras. Sic sub OTTOBONO Porta ruet Othomanica, & sanctissimo ALEXANDRI gladio, JACOBUS Rex afflictus, cumq; eo, fides Catholica erigetur. Hæc sunt orbis vota, hæ non dubiæ bonorum omnium spes, quas me vate D. O. M. felicissimo exitu per Sanctitatem Vram coronabit.

LXXV.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISCOPUS KIJOVIENSIS AD EMINENTISSIMUM CARDINALEM PETRUM OTTOBONI

Gratulato-ria purpura

EXplicari calamo nequit, quanto lætitiæ sensu acceperim Vaticanã purpuram, ad amiciendos Principes Eminentiæ Tuæ humeros, deproperasse. Quanquam si benè Eminentiam Vram ejusq; incomparabiles animi dotes video, non tantum non properavit, sed etiã sero venit, indeque erubescit Purpura, quæ tantis etiam, ante annos Eminentiæ tuæ meritis, & dignitati debebatur. Quæ enim singula maximos cõsecrant, & absolvunt heroas, felici compendio, unus tenes ad miraculum Princeps Eminentissime, in quo orbis Dna, & amor Roma raro admodum

dum ligata fœdere videt ver annorum, autumnum virtutum, canam, & cuivis negotiorum moli parem prudentiam. Fruatur bono, ac felicitate sua, urbs septicollis ad annos seculares, Christus autem natus, faciat Ecclesiæ suæ, & orbi Catholico gaudia diuturna, qui in Eminentiæ suæ provectione, nobis dedit maxima. Nec pluribus & innocentem Eminentiæ tuæ palpebram fatigo, unum supplex oro, atque obstestor, ut me omnibus titulis suum Eminentia tua noverit, ad omnes nutus expeditum. Cujus Eminentissimæ gratiæ, ac favoribus submississimè me commendo. *A.C.* 1689

COPIA LITERARUM EPISCOPI CUJAVIENSIS AD EPISCOPUM KIJOVIENSEM. Laznowo 19. Februarij.

NON ullum præsentius pharmacum humano cordi, ac Numinis voluntas; in qua quia tua fundas vota, certus esse potes: quòd illa omnes præscindet laqueos & factionis aulicæ contagio emorientes spes resuscitabit. A meo discessu Varsaviâ in bivio stetit Respub, vel salutis vel interitûs callem electura. Video hactenùs necdum ceßant diffidentiæ, discordiæ, & æmulationes; quæ nos hostibus faciunt opportunos; superat major libertate servitus, ademerunt nobis adversa fata consilium, præsidium & ærarium: metuendus miles realem expetit stipendiorum solutionem: perversissimũ dogma seu potiùs insania negat DEum: differimus & seponimus maturam futurorum eventuum providentiam: colligatos ex amicis experimur inimicos: erroneæ semiCatholicorum conscientiæ Ecclesiam pacatam nolunt, Clerumque liberum: Comitia abiêrunt in convicia. *Status Reipub. malus*

Unde jam spes aliqua affulgeat? dum vitamus portum. Expectabo nihilominùs nec desperabo feliciora à te nova, supplicando interim Majestati Divinæ, ut mala nostra interrumpere dignetur, & fatiscentem Reipubl: navem ad tranquillioris statûs dirigat & appellat litus. Maneo &c.

LXXVI.
RESPONSUM EPISCOPI KIJOVIENSIS ad dictas Literas datum Varsaviâ 24 Februarij

OPtarem mihi ultimo literarum tuarum puncto ita respondere, ut tu & boni vovemus omnes: optarem inquam, me posse scribere quassatam Reipub. ratem ad meliorem & tranquilliorem divinitùs applicuisse statum: verùm quia hæc res voti magis est quàm spei, bonitati duntaxat Divinæ tantùm relinquere opus necesse habeo: novit illa, modò velit difficillima etiam facilitare, & impossibilia ad statum possibilitatis reducere: verùm est, quòd ad miracula respicere non competat civili prudentiæ; at siquidem DEus eam im̃isit vertiginem, ut nec mala nostra nec remedia sentire velimus; fateor tibi non tam animosũ me esse ac te: pronior in desperationem quàm in spem meliorem ex præmissis & ex præsentibus inclinarem.

Ne Bacchus (ut olim in convivio Deorum) res confunderet; totum illi triduum indultum est, vacavit Senatus, ut vires instillaret tempestiva quies. Verùm ex hesterna sessione evidenter patuit, quamvis Mareschal-

A.C. 1689 schalcus auspicatus fuerit, tempus acceptabile tempus salutis invocando; temporum quidem intervenisse mutationem; sed non hominum: mutatos cibos non stomachos, nisi quòd forsan adhuc cruditates carnis indigestæ in illis residerent.

Voluit Rex horam unam & alteram in throno perseverans vacuis Senatoriis Curulibus judicare legirupam, impudentem, impurum & inverecundissimum: sed deerat instigator Litvaniæ; forsan ex incomoditatibus æger, item Mareschalcus Litvaniæ sub cujus custodia hic Deicida existit ab actu feriæ tertiæ (quia eo vespere per manus Cardinalis Primatis in Palatio Præfectus Stabuli Regni cum Principe Palatina Belzensi in præsentia Majestatum fuit copulatus) nondum quiete sumptâ comparere non potuit. (*Josephus Lubomirski*) Præterea Substitutus Mareschalci Nuntiorum, quia aliquot Palatinatus prolongationem Comitiorum ad eum duntaxat diem extenderant, cavit, & admonuit; visum igitur materiam Berlinensem circa quam omnia naufragant consilia publica, renovare; quò satisfieret his, qui eâ solummodò conditione in prolongationem consenserant. Satis eam sustentavit & egregiè Palatinus Belzensis explicuit, nisi se læsos sat vivaciter quidam monstrâssent; nihilominus vera pro gratis locutus; dum allegavit nullum jus Ducibus esse in hæreditaria alicujus bona, nisi illis à Repub. detur: consequenter propriâ authoritate fortalitiis præsidia imponere non posse. Illud etiam insinuavit, quòd ij suspiciones ut plurimùm movent, qui ipsi suspecti sunt. Palatinus Posnaniensis modestiùs adhuc rem absolvit, non contradixit directè huic causæ; sed tantùm zelum ostendit vindicandæ injuriæ DEI, & continuationem judicii svasit. Idem Palatinus Sieradiensis sensit præfatus paucis, se non scire quomodo loquendum esset, siquidem liberæ vocis abrogatur activitas, nec licet in hac materia esse disertum. Subsecutus Dominus Czarnkowski, Nuntius Majoris Poloniæ; qui præparato sermone & inde quòd nimis elegans esset de alieno conceptu suspectus, dedit vindicias Episcopo Culmensi commemorando cujusdam vocem, voluisse quendam caput ejus pedibus subjicere Majestatis (quamvis ut fatear præsens existens toti tragœdiæ inter tot tristia id non audivi. In his disputationibus dies in vesperam declinavit: eodem die ruptâ non sine strepitu glacie aperta Vistula. In prorogatis Comitiis D. Vniechowski voce suâ sat fusè produxit, nos externis confundi consiliis, sibi compertis indicijs (puto requirentur ab eo illa) concludendo nisi securitas interna sanciatur, se sistere activitatem. Grodnensis Nuntius Alexandrowicz ubi ad declarationem ventum, contrarium sensit; se, si ea materia agitata fuerit, itidem activitati restiturum: sic dies inter disputandum abiit. Soluta sessio. Judicia in feriam sextam pro hora nona dilata, instructionis Viennam scriptioni pro concludenda pace hodiernus dies intimatus. De discessura persona illuc non constat. Multi quidem curant sed fama publica Castellanum Sendomiriensem destinat nescio utrum ad pacificationem. Hâc brevi synopsi simplici & verò stylo exaratâ ad primum punctum literatum tuarum, quia illud in corde meo ultimum est, quod nullo commodo boni publici est, non respondeo, præterquam quòd hic rē possim habere integram, si modò DEUS inclinet cor tuum efficaciter, & assentiaris mihi positivè quatenùs evincere effectum liceat. Est id absolutè in manu tua, cujus ego quomodocunque sors ceciderit, sum &c.

UNIVER-

UNIVERSALE REGIS PRO COMITIOLIS RELATIONIS Anni 1689. post rupta Comitia. A.C. 1689

P*Ost titulos.* Ab extractis inaudito modo publicis Grodnenſium Comitiorum conſilijs, cùm vix dum elapſo ſemeſtri, omiſſo valetudinis noſtræ reſpectu altera indici & deſignari Comitia mandâſſemus; ſperavimus non vano omine, tam impenſæ Paternæ noſtræ ſolicitudini felicibusq; eorum initijs non minùs fortunatum terminum & finem reſponſurum: at iterum deluſi ſumus: dum, ac ſi una non ſufficeret calamitas improſperæ libertatis; repetere veſtigia tam neceſſaria bono publico rumpendo Comitia, obſtinata nocendi (quod meminiſſe rubor vetat) à ruptis illis ſuper materia ſecuritatis bonorum terreſtrium ab oneribus militaribus, præſens per Varſaviam ceu glorioſo gaudere ſcelere, mortuisq; inſultare conſilijs ruptoris audita eſt jactantia. Hic infelix auſus ſi in medio altæ pacis & plenitudine tranquillitatis noſtrâ deprehendiſſet Rempubl: ſatis inde in illam redundâſſet etiam tum diſcriminis; quòd jam quintum annum Comitialium Conſiliorum deſtituta fulcro, etiam in ulteriora tempora ſui quodammodo impos relicta fuiſſet: quantò magis nunc innumera computemus oportet pericula; dum majorem in conſilijs & ordine publico bellum cum paganis exigit cautelam: dũ invitatio ad incertam cum Turcis pacem (uti ex recentioribus literis conſtat) non aliter felicem ſucceſſum nanciſci poteſt; quàm ſi prævisо in utramq; partem mediorum apparatu inſtruamur & præmuniamur: dum miles tam numeroſi exercitûs ſuâ exſolutione toties fruſtratus, omni illicio inanis, & ſine emerito ſtipendio Martium horrere campum, nihil aliud quàm infallibile occaſionum bellicarum ſubterfugium, tum etiam velut rupto aggere inſupportabilia Palatinatibus minatur onera: dum gloria gentis noſtræ Europam ultra, in fines uſq; orbis ſeſe proferens, in ſiniſtra publicorum conſiliorum exiſtimatione naufraga apud externos in ludibrium abit & contemptum; in hoſte autem audaciam & ſuperbas ſuſcitat iras: dũ quidquid in campo Martio ſangvine & heroicis factis egregiè partum eſt, id in Comitijs verborum vanitas & à bono publico longè devia decoquit & perimit facundia. Dum igitur ab hoſte pericula; à vicinis ſugillatio & cenſura imminet: dum fidem apud Colligatos amittimus, dum nulla rerum gerendarum certitudo à non exſoluto milite præſumi poteſt: dum copiæ Moſchoviticæ adhuc in Martio vi ſacræ colligationis in hoſticum progreſſæ nos etiam ad eandem non ſine periculo offenſionis invitant, & evocant promptitudinem; dum theſaurus nec pecunias, nec modum illarum contrahendarum tam violentis illas neceſſitatibus exigentibus habet, nec ſe intromittere vult poſt translationem oneris exſolvendi militi ad Palatinatus: quid faciendum ſit, & quæ belli arripienda media, quomodoq; pro-

A.C. 1689 propulsanda pericula? filialis Vestra in Patriam & bonum publicum charitas ponderare tenetur, simulq; providere: qualiter nec zelosos Majores nostros degeneri confundamus socordiâ, nec seræ posteritati posthumam malorum seriem relinquamus. Nos quantũ in nobis virium, cogitationum, Paternæq; curæ superefit, ex eo, quem erga Patriam habemus & usq; ad suprema fata conservabimus amore, illò convertemus; ut quidquid humanitùs mediorum esse potest, saluti publicæ vel cum detrimento valetudinis propriæ litare non omittamus. Vestræ etiam Dilectiones quidquid optimum & perfectissimum in eo casu esse intellexeritis, providere, cavere, vestrosque sensus aperire non negligatis, certi; quòd quantum omnes pro Patria & Ecclesiis Domini optimis profitebimur conatibus, tantum auxilij ab adjutrice dextera Numinis sperare possimus. Quibus ardenter & impensè commendatis vobis, eo fine Comitiola in loco N. pro 16 Maji anni currentis designamus, hocque universale, quò ad omnium notitiam perveniat, per Castra & Parochias publicari mandamus.

DECRETUM CONTRA ATHEISTAM LYSZCZYNSKI.

SAcra Regia Mtas cum Senatoribus & Consiliariis Regni & M. D. L. lateri suo assidentibus, Nuntiisque Terrarum ex gentibus ad Judicia suæ Regiæ Majestatis Deputatis attenta inculpati Lyszczynski per Delatorem G. Brzoska Dapiferum Braclaviensem cum sex testibus sibi genere similibus coram Deputato ex ordine Senatorum & Judicis Terrestris Varsaviensis convictione pro tam execrando crimine & nefando Atheismo contra existentiam Divinæ Mtis, Sacrosanctamque TRINITATEM, ac Beatissimam Virginem Deiparam MARIAM manu propriâ inculpati in vulgum edito dogmate pœnas eundem inculpatum plus quàm criminales incurrisse, adinvenire, & decernere dignata est. Quatenùs primùm scripta ejusdem inculpati Atheistica in manu ejus dextra in theatro eminentiori ad id extructo in foro publico antiquæ Varsaviæ per executorem justitiæ comburantur, ipse verò inculpatus Lyszczynski extra Varsaviam eductus rogo incenso vivus concremetur, & in cineres convertatur. Pro cujus decreti executione feriâ secundâ proximè ventura peragenda S. R. Mtis cum Senatoribus & Consiliariis Regni & M. D. L. Nuntiis terrarum exigentibus ad judicia S. R. Mtis Deputatis partes ad officium civile antiquæ Varsaviæ, inculpatum verò ad præsens ad carceres, quousque suppliciatus non fuerit, remittere. Bona verò convicti per medium Delatori & Fisco dividenda, confiscationi subesse salvis Juribus uxoreis ante institutam actionem præsentem contractis. Curiam quoque, in qua ibidem convictus residebat, & eadem nefanda scripta manu sceleratâ compilabat, uti vesanam Officinam demoliendam, terram autem ipsius residentiæ ad perpe-

perpetuam rei memoriam desertam & sterilem debere manere, de- *A.C.* 1689
clarare. Delatori verò G. Brzoska Dapifero Braclaviensi omnem se-
curitatem in persona, rebus, bonis omnibus mobilibus & immobili-
bus, ubivis locorum, existenti & occasione præsentis actionis ab om-
nibus personis præsentandam & observandam præcustodire dignata
est.

LITETERÆ REGIS AD PRINCIPEM ANHALTINUM 10 Februarij

Consolatoria

Acerba lex fatorum, quæ Illustrißimum Georgium Principem Radzivillium M. D. L. Pocillatorem nepotem meum desideratißimum è vivis sustulit, æquo vulnere nostrum, ac Serenitatis Vræ cor, animumq; sauciavit, indeq; ad consolandam Serenitatem Vram lentè festinavimus, quòd contumax sit in solatia recens dolor, & quòd lachrymas Serenitatis Vræ cumulare noluerimus. Enim verò veluti Serenitas Vra Illustrißimam Principem Dilectam Filiam suam, amantißimo conjuge, se verò veneratißimo genero orbatum dolet. Ita nos Regiæ Domus nostræ ornamentum, gentis prosapiæq; suæ decus, magnam omnium expectationem, brevesq; Patriæ amores tam præcociter, una includi tumba, luctuosè ferimus. Divinæ tamen hoc in passu, religiosè obtemperandum est voluntati, & pro Christiana pietate imponendus lachrymis modus. Cæterùm, quod eandem viduatam Serenitatis Vræ filiam, nostram verò charißimā Cognatam concernit, persvasum sibi Serenitas Vra habeat, nihil Nobis magis curæ, cordiq; futurum, quàm ut propensißimam voluntatem, affectum, respectumq; nostrum, ævo temporis ac occasionum momento, abundè experiatur, nostraq; arctis in negotiis suis fruatur protectione. Quod superest, votiva solatiorum auctoramenta ex animo apprecamur.

COPIA LITERARUM EPISCOPI CUJAVIENSIS, AD EPISCOPUM KIJOVIENSEM Niesulkoviâ datarum. 13. Februarji.

Causa abitus ex comitiis

QUO zelo retines constantem erga me affectum, ejusdem etiam à me certus esto, & reciprocæ promptitudinis meæ ad correspondendum prorsus securus age; illibata illa in quovis loco mutuam tibi reponet vicem. Discessum meum Varsaviâ insperatum, quia non denuntiatum, causavit notabilior Ordinum discordia, diffidentia & turbatio Reip: tanta, ut supremam, avertant superi, eidem metuam ruinam. Præterea afflicta admodum valetudo mea, incommoditas hospitij, distantia gravissima subditis, intuitu victualium advehendorum, metus gravioris sub id tempus recidivæ in solitas affectiones meas, demum consummatio juxta expressum jus sex hebdomadarum Comitiorum invitum coegerunt, publici comitij ut me subtraherem campo.

A.C. 1689 Desiderium tuum & meum, ut non gauderet comprehensione rei: arcanis rupibus & obstaculis id imputandum, ad quæ intentiones nostræ naufragärunt. Nolo explicare, imò nec insinuare, quantum huic negotio sagittariæ malorum lingvæ & impedimentorum tela obfuerint. Videns manifestè nullum intentis nostris respondere effectum, eâ cautelä egi, ut saltem quo ad manutentionē reputationis nostræ non errarem, néve frustraneâ utriusq; nostrûm solicitudine ludibrium malignantium & lætitiam provocarem. Discessi igitur hoc negotio in voluntatem DEi resignato, quæ si istius operis author & auspex est, necessariò aliquando optato coronabitur effectu, etsi vel portæ inferi insurrexerint, & in obicem ejusdem conjuraverint. Conscius ipse sum, nec te posse esse ambitûs & excessivæ curæ, nec me negligentiæ & negationis reum. Cœpimus & perfecimus, obstante contrariâ politicä factione. Mihi ex mea parte potentiùs intendere non licuit utpotè suspecto ad aulā, quamvis (uti DEo meliùs cognitum est) nullâ societate indignâ me maculaverim, neque ullius damnosæ factionis labe asperserim, sciens, quòd Principi facta injuria in ipsum redundet DEum, præterquam quòd circa Cardinalissimum jus liberæ electionis perseverabam: unde hanc spartham in te devolvi, ut tibi ipse Author esses & efficax promotor. Scivi & illud, quòd cuidam intuitu contentationis & in vicem non obtenti sigilli, meus si fato fungerer, determinatus fuerit Episcopatus: unde me in numero viventiū non computabam, omneq; opus meum existimabam mortuum. Nolo meminisse aliarum in hanc viam conjectarum spinarum, quas removere non erat mearum virium; nunc verò scripto veridico easdem tangere foret odiosum. Nihilominùs quæ latent majora putanda. Te verò hac in parte viriliter agere & hæc incommoda ferre intento in arbitrium DEi oculo uti gaudeo, ita spero tibi minimè alios ita præituros honore, ut ipse postremus agmen subsequaris: præscindet melior fortuna laqueos, tuæq; contentationis obices expediet.

Deliciæ Venetæ ut restitutione summæ satis infirmo ærario compensentur nihil injustius esse judico; ita canales illi navigio inter syrtes tentandi erant, unionesque calcandi: ut non essent pœnæ tam magni afflictæ & inopis Patriæ sumptus, non dubito & Moschoviticam Commissionem simili relatione suâ cuivis peperisse fastidium, nā & ibi nihil rectum, nihil in rem Patriæ.

Berlinensis causa grandis hactenùs ad removendum lapis esse perseverat. Vereor, ne ea internam succutiat securitatem, & pacem. Optimum factu foret, eam tantisper suspendere & per spem feliciorum tempore differre. Gloriosior etiam actus hic Regi foret, in quo universus orbis majora miratur; si magnum & liberum à vindicta animum exhiberet. Injuriam condonare vindicare est. Non vanus tuus metus est, ne pacem cum Turca paciscatur Cæsar exclusis nobis,

bis, gentis nostræ odio. Magna hujus rei apparentia est, urgentibus assiduè imperij Principibus & Hollandis. Notabiliter Germani nos contemnunt, & intolerabili fastu suo deprimunt tanquam huic colligationi prorsus inutiles. Nihil acerbius obtingere posset, quàm si nos à fœdere pacis cum hoste excluderent, & tam à defensivi quàm offensivi belli societate removerent. Verùm nos ipsi causa sumus, qui nec armis nec consilijs valemus, unde vilipendimur. Maneo &c. *A.C 1689*

LXXVII.

RESPONSUM EPISCOPI KIJOVIENSIS AD DICTAS LITERAS. VARSAVIà 16 Februarij

SPeciali id tuæ gratiæ debeo, quod conjuratâ undiq; in me calamitate sæviente tuum non mutes animum, nec stylum: continuas bonitatis tuæ argumenta. Exhibes hoc beneficium illi, qui in omni fortuna constantissimus est, & erit, nunquam desideria, nunquam promptitudinẽ ad obsequia mutaturus. Non latebant & me, etsi in plenam illarum notitiam non deveneram hæ dolosæ rupes; verùm ut fatear, tantoperè illas non apprehendi, quòd scirem, qua illæ in officina coaluissent, in ea nimirum, in qua flere parati sunt cùm lætantur; ridere cùm dolent. Ipse longâ experientiâ discere potuisti, quibus artibus creverit, & quas modò exerceat hic homo, qui oblitus characteris sui & forsan etiam DEI, non quærit nisi sua lucra, & aliena damna. Est profectò DEUS, qui quæ nos facimus & videt & audit. Huic vindictam. Eundem obicem diversis artibus insidiosè absconditum positumq; mihi reperi apud Regem: apud quem tentavi non perfunctoriè, sed consultò planè tractavi nixus fundamento beneplaciti tui, possumq; assecurare me non obstantibus quibusvis oppositionibus sat gratiosum & positivum obtinuisse verbum, quo declaravit se, si modò de inclinato tuo in id animo constaret, non denegaturum manum. Non scriberem id tam audacter, nisi realiter huj⁹ certus forem: in barbam igitur malitiæ, quæ Majestati fidelem servum, mihi optimum invidet Patrem, res hæc coronari potest, dum & quando tibi placuerit ipsi, & è re tua esse videbitur: nam hoc genuinè cõmemorato patienter præstolabor arbitrium Numinis in tua voluntate expressum, cui me meaq; planè & perfectè resignavi. Faciat ille, quòd ex majori illius gloria & mea certiore salute fuerit, non enim est pretium, quod desiderio operandi salutem propriam præponderare deberet. Supplico igitur quàm humillimè, ut de me ita sentire velis, prout re ipsâ est. Testis mihi DEUS utcunq; ea alea ceciderit, feram æquanimiter sive ad Aram, sive ad aratrum: sive propitia sive adversa fortuna evenerit, sufficit mihi gratia tua & gratissima confidentia. A discessu tuo cùm multum laboraverimus, in eodem statu sumus. Frequentamus quotidie Senatum; verùm frustra verba perdimus, contentionibus, sarcasmatis totum tempus absumitur. Orationem Episcopi Culmensis inimicasque contra illam voces, nata ex illa in statum nostrum odia, minas, improperia, discessumq; illius, uti & alia quæ circa hoc objectum acta sunt, existimo innotuisse, proh DEUM! quòd ipse elocutus sit, nos interim universi tam à zelosis circa Majestatem in personis nostris, quàm ab alijs furentibus in nostro patimur charactere. Jam octo elapsæ sunt hebdomodæ, nona elabetur; nihil interim illis agentibus vel aliud. Adscriptum cuipiam fuit: octennis cùm sit nondum dentes edidit. Hic quidẽ

Comi-

A. C. 1689 in Comitijs octo hebdomadarum dentes exhibiti sunt, sed non ad defendendum bonum publicum, verùm ad vexandos alienos honores: rarus enim dies, ut novum par velut choreâ in orbem ductâ non vapulet.

Heri judicium inchoavimus de accusato Atheismi. Etsi hæc causa *Causa Athei* fidei juxta expressum jus ad forum spirituale decidenda spectet; ita nihilominùs huic rei sæculares fuêre contrarij, ut nec declarationem loci ordinarij, quòd scripta sint Atheistica, scriptor autem Atheus, legi per potentiam concesserint. In causa, quæ nulla digno patrocinio indultus Patronus, & intervallum tridui. Nescio quid ex hoc judicio, cujus testes erunt cœlum, & terra, futurum sit. Ego etsi libenter vellem, ut convertatur & vivat: timeo tamen, ne hic & nunc ad speciem formidine pœnæ pœnitens iterum redeat ad vomitum, graviusque pereat ipse, alios verò perdat. Nudiùs tertiùs & heri relationem expeditionum præteritarum & gesta Galasij audivimus. Mareschalcus Nuntiorum ægrè valens substitutum habet Capitaneum Szembek, nulla nobis adhuc constitutio lecta est. Sub hæc deficiente literis chartâ me ad tuas demitto plantas &c.

COPIA LITERARUM PALATINI SIERADIENSIS Ad Episcopum Kijoviensem Kozieradis 16. Octobris.

HAbui inter prima vota crastinâ luce humillimè venerandi Principem Celsissimam, eiq; reddendi mea obsequia unà cũ consorte mea. Sed quia urgens necessitas Mielnicum hodie evocat; ut præparatoria faciam pro judicijs, quæ hic per castra incipient feriâ secundâ; intentum meum mihi differre necesse est in feriam tertiam; quâ certò certiùs submissione nostrâ Principem venerabimur, Te autem fraterno stringere licebit mihi amplexu. Rogo igitur hanc moram cultûs mei excusare velis. Is, qui ab hinc hebdomadâ mihi scripserat, certò certiùs fato suo defunctum esse Thesaurarium, heri aliam mihi dedit notitiam, eum resurrexisse; & in favorem istius resurrectionis brevi adfuturum. Sed meliùs Tu fortassis hæc ipse nôsti; ad me enim ejusmodi notitiæ non nisi per octavas & decimas personas perferuntur, Tu autem ex ipso fonte derivas, quòd rectâ novellæ ad Te deveniant. Scribunt mihi & hoc sparsisse famam, quòd solicitè ambiam favorem aulæ, semperque rejiciar. Ego verò gratias DEo ago, quòd remotior ab illa sim: quia ejusmodi mansio ex propinquo me conquassare posset: nunc autem per gratiam DEi valeo, speroque tantum mihi virium impertietur Altissimus; ut quamvis exuli & nubilo tempore, tamen in Comitiis proximis spectare liceat & gaudere luce Successoris; & si non promptorum & vivacium, saltem claudorum & cæcorum vice Colonellum agere. Quamvis id retroactis temporibus non fuerit; ut tale quid intraret senatum: nunc quia plenus ille debilibus est, apparet, quòd appropinquet Regnum Antichristi quia particulariter claudis & cæcis promissum.

Non difficile erit invenire medicum in comitijs, videbimus quæ Apotheca, & recepta erunt efficacia, præsertim pro ijs, qui re-

center

center nupserunt. Plura ad significandum non habens solitæ me gratiæ &c, reddo maneoque &c. A.C. 1689

LXXVIII.
RESPONSUM EPISCOPI KIJOVIENSIS AD DICTAS LITERAS Bialâ 17 Octob.

QUantum tibi optavisti Bialæ esse, tantum sibi optavit Biala te venerari, ego imprimis, qui jam liber à Principe Præfecto stabuli paro iter ad Jaroslaviense ovile meum, diemq; destinavi discessui feriam secundam. Forsan tamen, à momento acceptarum literarum tuarum prolongabo incolatum meum hic ad feriam tertiam; quò mihi frui liceat tuâ dulcissimâ conversatione. Princeps ipsa ut te, sic tuam consortem sincero exspectat affectu, quâcunq; horâ & die veneritis, grati venietis hospites. Timeo, ne mortuus hic in cujus favorem revixerunt comitia, eadẽ nobis interimat; necdum enim genethliacon absolvimus, & jam audivi in pluribus locis illis requiem cantari. Dij meliora! vox populi vox DEI. An divulgatum sit, te reconciliationem quærere cum Mte, hactenùs nescio: hoc scio, si sinceré quæreres, non rejiceretur ad triduum. Et quis scit; an non ejusmodi ingruent tempora, quibus si invitati non comparuerint, nos debiles etiam ad nuptias inducemur? dum̃odò interea vestem nuptialem procuraverimus: nam ego utpote spiritualis tenebras inferiores amare non debeo. Ego & sub comitia & post comitia non elongo me ab his; quibus scio, quantum debeam, & si forsan sensu ab aliquo dissentio: (nam in materia duntaxat fidei captivare se addecet) nihilominùs amicus Personæ semper esse consvevi, quoties amicum causæ sensus meus rationis minister esse non concedit. Et fateor, me per experientiam eam agnovisse amaritudinem; quæ separat ea, quæ dividi nequeunt: honesti enim ut ajunt se ex pilo nôrunt. In favoribus existẽs consvetudinem non habui hypocriticè agendi, sed recto tramite cum faventibus benè, cum non faventibus non malè processi: ab his corruptionem non metuens, illos corrigere intendens: & certè hunc tritum callem non deseram, prosperis æquè ac adversis rebus cuivis idem. Si claudis promissum Regnum cœlorum: profectò paratus sum amittere pedem; quamvis doctus Evangelio cogitaverim esse Unichowski. Ex occasione medicinæ, Apothecæ, & receptorum venerunt mihi in mentem quidam pro futuris comitijs conceptus, quos DEO dante oretenùs explicabo. Interim quia sermones mei jam typo editi sunt, & eos præ manibus habeo: recordatus cæci Męcinscij, mitto tibi unum libellum demissè rogans; ut tanquam veteranus errata velis corrigere, & me juniorem docere. Non sum admodum tenax sensûs mei, aut ut diligentes sui solent, admirator. Magnum præstiteris favorem, si pro affectu tuo, de eo quod tibi non videbitur, me admonueris. Bis errare non licebit. Expectabo cum sum̃a impatientia adventum tuum, expeditis curribus hic manebo: quia sum & ero semper tuus &c.

LXXIX.
STANISLAO GODLEWSKI CAPITANEO NURENSI REGENTI CANCELLARIÆ REGNI, ANDREAS C. ZAŁUSKI EPISCOPUS KIJOVIENSIS. 26 Maji.

REM facilem à me requiris, dum informationem de adaucto portorio in Prussia, habere vis; nullo enim negotio accipies, cùm eam in relictis Avunculi mei scriptis invenio, tibique libens remitto.

STA-

A.C. 1689 STATUS CAUSÆ AC DEDUCTIO JURIS BREVISSIMA IN PUNCTO PERCEPTIONIS ADAUCTI PORTORII.

An Civitates Regiomontanæ, ut ab ipso Portorio, ita etiam ab ejusdem auctione, & accessione tertiam suam portionem jure exigere possint ac debeant? Et posse ac debere ex sequentibus patet rationibus.

I. Ex transactione cum Ordine Crucigero Aō 1443 inita. Civitates enim ex Privilegij Culmensis præscripto, ab omni telonei exactione immunes (vid. Priv. Culmen: §. Absolvimus. pag: 3. à Casp. Schütz in histor. Pruss: pag. 110 seqq.) tandem post longam disceptationem & annorum decursum, Rdm̄is tunc Episcopis, aliisq; Prussiæ Statibus intervenientibus, ita cum supremo Ordinis Teutonici Magistro Aō 1443 transegerunt, ut unus ex Fratribus Crucigeris, & unus ex Consulatu Portorium simul percipere, ex eoq; percepto duæ portiones Ordini (nunc Seren: Electori) una verò portio Civitatibus in proprium cedere debeat usum. Vid. Schütz pag: 151. b

II. Ex antiquissima & perpetua observantia. Ab immemorabili siquidem tempore ita observatum fuit, ut Portorio, quotiescunq; & quantumcunq; aucto, Civitates Regiomontanæ, absq; ulla contradictione portionem tertiam ex transactione superius allegata sibi debitam semper perceperint, jam ultra ducentos fermè annos.

III. Cum S. R. Mtas Vra ad humillima Civitatum Regiomontanarum, Internuntiorum petita Aō 1629 ita clementissimè responderit: Civitates pro quota sua tertia à portorio, necessitate ita urgente augendo, excludi non debere.

IV. Licet non ex conventione, sed jure Regalium Portorium Principi debeatur (quod superius allegatæ rationes non admittunt) nihilominus tamen regulariter tertia portio illi deberetur Civitati, ubi Portorium illud solvitur. text. in l. fin, & ibi Bald. Salicet. c. de vectigal. & commiss. vid. Sixtin. 2. d. Regal. 6. n. 55.

V. Et hoc bene consideratum: Civitates Regiomontanas, eo ipso quod portorium est adauctum, in veteri sua portione defraudari. Quia ob augmentum portorij sive Gabellæ, non pertranseunt tot Mercatores, ut transire consveverunt, alio enim iter suum vertunt. Menoch. consil. 34. n. 14, aut etiam à Mercatura planè abstinent. Cum itaq; ex augmento damnum sentiant Civitates, ex eodem etiam lucrum & compensationem habeant.

VI. Cum accessorium (auctio scilicet portorij) sequi debeat naturam sui Principalis, id est ipsius portorij, adeoq; Civitates uti de ipso Portorio, ita etiam de ipsius accessione participare.

VII. Civitates Regiomontanæ ipsæmet in angustiis constitutæ de ære alieno exolvendo quod tempore belli Prussici contraxerunt, sunt sollicitæ, adeoq; legitimos acquirendi modos sibi eripi jure meritoque non patiuntur.

VIII. Civitates Regiomontanas ad exolvenda præsidia Mariæburgensia, quo portorij auctio impendi dicitur, non tenentur, uti olim, etiam ad præsidia Mümmelensia exolvenda non tenebantur. In ipsis etiam induciarum pactis cum Regno Poloniæ, vel etiam cum Gedanensibus, nullum de eo verbum habetur.

Contra Seren: Elector ac Magnifici Regentes opposuerunt.

1. Civitates Regiomontanas gratioso Antecessorum Principum indulto, tertiam portorij veteris portionem, quam etiamnum illæsam retinent, certo sub onere retinuerunt, quæ Principis gratia, non etiam ad aucti-

auctionem extendi debet. Ad hanc objectionem respondemus *imo* negando ex Principis gratia nobis tertiam portionem obvenisse, nec ullibi hoc edoceri poterit, sed ex transactione tum cum ab omni telonei exactione planè immunes essemus, illudq; Privilegiū sangvinē & bona nostra profundentes nobis acquisivissemus. (vid. 1ma ratio pro Civitat: 5.) *2do* Dicimus, nullo sub onere alio tertiam illam portionem integri portorij nobis obvenisse, quàm ut eo in Civitatis usum & comodum utamur. Vid. Schütz d. loc. Nec ex eo tenentur Civitates ad portûs reparationem, cum nimirum vigore literarū reversaliū Alberti I. Ducis Prussiæ solus Prussiæ Dux, pro ejus reparatione sumptus facere debeat (vid. Lit. reversal. p. 39. b. §. **zum dritten**) hodieq; pro portûs reparatione Seren: Elector duas partes; Civitates verò unam tantùm adeoque proportionaliter pro perceptionis quota sumptus conferunt. Tandem dicimus nos non percipere integram Portorij portionem tertiam; cum ad ejus integritatem etiam adauctio pertineat. *A.C. 1689*

2. Objiciunt; Inducias pangi non potuisse, nisi locorum permutatione vel sequestratione factâ, permutatio autem vel sequestratio non, nisi constaret, unde sumptus pro alendo præsidio in locis sequestratis depromi deberent, adeoq; hinc factum, ut & S. R. Mtas, & exterorum Regum Legati Seren: Electorem ad Portorij auctionem remiserint, qua declaratione Civitatibus Regiomontanis etiam merito acquiescendum est.

Respondemus. Civitatibus Regiomontanis non constare, quibus modis induciæ vel pactæ sint, vel etiā loca permutata ac sequestrata, nec etiā putant S.R.Mtē vel etiā exterorum Regum Legatos ita Seren: Electorē ad portorij auctionē pro alendis præsidiis remittere voluisse, ut inde Regiomontanis sua de jure debita portorii portio eriperetur, aut minueretur, sed si quod hic indultum, id omnino salvo tertii jure accipiendum est. Quid quod hujus pacti vel concessionis, ne verbulo quidem, vel in ipsis publicis induciarum tabulis, vel etiam in transactione cum Gedanensibus mentio fiat. Imò ipse Regni Sveciæ Cancellarius hoc nomine requisitus rescripserit, nihil de hoc negotio actum ne dum inter Comissarios tractatum esse.

3. Objiciunt in tractatibus istis de percipiendo ac augendo portorio nullā civitatū Regiomontanarū fieri mentionē. Respondemus. Eò esse pejus, rogavimus quippe Serenissimum Electorem, nobis Internuntios nostros, qui de jure nostro vigilarent, in castris habere ut liceat, sed rescripsit Serenissimus Elector, sibi curæ fore res Regiomontanorum, ac omnem navaturum operam, ne quid damni Regiomontanis in puncto portorii creetur. Cum itaq; nulla nostri in tractatibus facta est mentio, id certè nobis præjudicio esse non debet, nec potest.

4. Civitates Regiomontanæ minora onera præ aliis, vel nulla potius tulisse objiciunt. Respondemus. Civitates Regiomontanas longè majora præ alijs Statibus omnibus tulisse, quia pariter & unà cum reliquis statibus & ordinibus contributiones laudatas solverunt; deinde auctionem portorij pro exsolvendis copiis Electoralibus ex speciali consensu suo certis cum conditionibus soli solverunt. Tandem pro defensione sui proprium militem proprijs sumptibus aluerunt.

5. Objiciunt Civitates Regiomontanas adaucti portorij participationem meri lucri causa adfectare. Respondemus. Nos non meri lucri causa participationem istam adfectare, sed partim ut jus privilegiumq; nostrum, sartum tectum (de quo in primo & quarto argumento

pro

A.C. 1689 pro civitatibus egimus) conſervemus, partim ut damnum, quod ex adaucto portorio, comerciorumque iminutione nobis obvenit (de quo in argumento quinto pro civitatibus) ſarciamus, partim ut habeamus unde egeſtatem noſtram quoque (de quo argumento ſeptimo) ſublevem⁹.

6. Objiciunt S. R. Mtem totam auctionem Gedanenſibus concedere. Reſpondemus. Hoc argumentum inverſum pro nobis omninò facere. Si enim S. R. Mas totam auctionem Gedanenſibus concedit, de quo tamen nihil nobis conſtat, idq; ut habeant, unde impenſas factas ſarciant, ac militem ſuum alant, quid ni ergo etiam Sereniſſimus Elector, qui nihil plus juris in civitates Regiomentanas ſibi vendicare poteſt, eodē modo ne dicamus totam portorij auctionem, ſed ſaltē tertiam ejus portionem de jure debitam, eundem in finem concedere debeat?

7. Objiciunt Anno 1627 & ſeq. novum quoddam tributum vel portorium adauctum pro alendis copiis Electoralibus fuiſſe laudatum ac perceptum, non tamen ad ejus participationem civitates Regiomontanas fuiſſe admiſſas. Reſpondemus. Anno 1627. Ordines Ducatûs tributū illud laudâſſe ad decem præcisè menſes, & civitates Regiomontanas, quoque, quarum vel maximè intererat, certis conditionibus, ut nimirum trecenti milites civitatenſes ex publico ærario alerētur in id cōſenſerunt. Cùm autem menſibus illis exactis Seren. Elector, à percipiendo portorio adaucto non abſtineret nec ſtipendia pro militibus civitatenſibus ſolverentur, hoc nomine ad S. R. Mtem delatæ ſunt querelæ, ubi S. R. Mtas Seren. Electoris præſentibus Legatis, ita rem decidit Aō 1629, Rem ad antiquum uſum, ac privilegiorum præſcriptum reduci debere ea cautione adhibita, ut quando urgente neceſſitate auctionem iſtam, comunis Ordinum conſenſus inſtituerit, à portione & quota civitati Regiomontanæ de jure debita, eadem non excludatur. Cum itaq; id, quod non participaverimus antehac, in noſtri præjudicium allegari videamus, eò magis certè participationem adaucti portorij ex jure & S. R. Mtis reſponſo ac deciſione nobis debitam urgemus, ac jus noſtrum nobis, poſteritatiq; noſtræ integrum reſervare ſtudemus.

8. Objiciunt. Auctionem portorij nec ipſum Seren. Electorem indixiſſe, nec ex beneficio S. R. Mtis & Reipub. habere. Reſpondemus, nos non videre, quid inde concludi poſſit, nos ad portionem noſtram, nobis de jure debitam admitti non debere: quin potiùs ita inde concludimus, quicquid hic ab Extraneorum Regum Legatis actum vel tranſactū eſt, de quo tamen nihil hactenus nobis, vel etiam S. R. Mti conſtare poteſt, id ita accipiendum eſt, ut fiat abſque præjudicio tertii. Si quæ ſunt, quæ adhuc objici poſſent, ad ea ſimiliter ſufficienter reſpondere, juvante DEO parati ſumus.

Cum itaque S. R. Mtas adauctum illud portorium, de quo nobis nunc controverſia intercedit, ſequeſtrari bis, terve demandavit, finalem verò ejus deciſionem in hunc uſq; terminum diſtulerit; Sereniſſimus etiam Elector plenam ſuam informationem tranſmiſerit, uti ex nonnullorum relatu accepimus, utiq; S. R. Mtem quàm humillimè rogamus, ut expenſis hinc inde rationibus ac jurium fundamentis, de jure nobis debitam portorij adaucti portionem, unà cum duorum annorum proventibus perceptis, qui ſequeſtrari debuiſſent, Civitatibus Regiomontanis adjudicare, ac huic quoq; controverſiæ finem imponere clementiſſimè dignetur.

AMICO

AMICO CONFIDENTI 7. Aprilis Varsaviâ. *A.C. 1689*

TE tanquam me ipsum diligo, si tu me æquè diligis, imò quia diligis pauca hæc accipe, cùm sæpius repetas duo verba sufficere, quibus tibi constet te non negligi aut contemni, utinam tempora & conditio mea præsens permitteret, ut minus longè à te essem, & non literis solùm benevolentiam hanc foverem, sed colloquijs & aspectu. *Acta in comitiis*

Redux D. Raczynski Viennâ hoc Imperatori publicum dabat testimonium, quòd sit Patriæ nostræ satis affectus, sed Ministri non item; Propositiones Turcarum sunt in terminis generalibus. 2dâ autem Martij declaratus est pro magno legato & Plenipotentiario Vladislaus Łos Palatinus Pomeraniæ, cui octo millia Imperialium declarata, & Ablegatus additus est ei idem Raczynski, cui tria millia Imperialium destinata. Interim in sessionibus negotium Neoburgicum semper agitabatur, nec Sapiehæ sunt tam potentes, ut crediderunt. Ex Transylvania venerunt etiam nova, suntq; illa: unum Ablegatum, Chiasum vocant, Turcarum cum expeditione nova ad Legatos Viennæ degentes venisse, ut scilicet meliores pro Porta conditiones facerent, mutantibus se conjuncturis. Credo, vana fides, meritò dubito, imò nec dubito.

Vocavit nos Senatores aliquos Rex, & postquam dixisset, quòd ipsius pro Republ: facta præcepta sint, & verum est, quia dum aliquid tacitus facit, quid agere debeamus, innotescit, consilium à nobis requisivit, si revelare deberet ea, quæ geruntur, & cur geruntur contra Rempub: in his Comitiis. Episcopus Posnaniensis ejus erat sententiæ, ut durantibus Comitiis dissimularet Rex, ego autem qui nunquam servilis sententiæ Author fui, extrema mala extremis curanda remediis judicavi; felix necessitas, quæ propellit ad salutem, & in memoriã reduxi Comitia Colligationis, ubi omnia feliciter, & ad invidiam successerunt, si Rex non prodidisset molimina, nunquam Comitia finita fuissent; quidquid altè se sustulit, opportunum est ad casum, quod & Rex approbare visus est, sed in crastino ex consilio aliorum, quod postea doluit, declaravit Rex in Senatu supersedere se omninò propter bonum pacis à constitutione contra Neoburgicum. Sed hoc nihil juvit, imò contrariæ factionis superbiores reddidit, iis qui ad contentionem se vertunt, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio.

Fuit supplicatio publica in Ecclesia S. Joannis, seu deprecatio Divinæ Mtis pro peccato tam gravi Łyszcynij, in qua ego prædicavi, & post locutus sum eidem Łyszczynski, sed video, quòd homo hic plùs suum corpus, quàm suam amet animam, de quo ego valdè timere cœpi.

Interceptæ erant literæ Secretarij Mareschalci Regni, qui mihi locutus est, precatusq;, ut eas Rex non promulgaret, quòd iste non sit in causa, sed tamen severius allegans, quod nihil sit mali habere correspondentiam cum exteris, cùm etiam Cancellarius præsens habuerit nuper literas à Duce Lotharingiæ. Magna fuit contentio in publico, sed optimũ Regem circumvenerunt, per Nuntiũ Apostolicum declarârunt permissuros se omnia, modò Rex subticeat; sed irritæ fuerunt pollicitationes, tensos quippe in omni via funiculos difficilè vitare. Quod dum concessit, Mareschalcus Magnus petiit publicè à Rege, ut literæ interceptæ legerentur publicè, ut Rex monstraret Reipub. si quid contra eum habet: hæc item petierunt alij, cùm essent securi Regem id non facturũ, & vix jam levis eorum, quæ facta, timor accedit, & ego haud scio, quid ad hæc dicendum est, nam ut boni à perversis superentur, quænam ci-

A. C. 1689 vitas, quæ Respub: id ferre posset? Dici deberet, hic innocens in lacum missus est, cùm testes simus, quid egerint jam videmus, conscij sumus, quid & nunc agant. Nam potest de illis; sicut quondam de illo filio: Protervus est, & contumax, monita nostra audire contemnit, cùm Regis è contrario nec ullum quidem verbum, quod illis constituturũ se esse promiserat, irritum fuit, sed rebus completa sunt omnia.

Vocavit me Rex cum Palatino Belzensi, & monstravit primo literas Mareschalci subinde scriptas Cancellario Stratman, quibus authenticatas, quas Secretarius ejus scribit in cifris monstravit tractatum Ablegati Neoburgici in quo promittit 60000 florenorum Rhenen. Sapiehis, ut defendant causam ejus etiam armis, monstravit literis cujusdam Marankowscij terribiles contra Regem, quem denigrare conatus est & Rempublicam.

10. Publicam revocationem fecit in Ecclesia S. JOANNIS Atheista Lyszczynski in theatro publico, postquam legit coram sedente Episcopo Posnaniensi professionem fidei, postquam aliquoties ab Episcopo percussus disciplinâ, absolutionem habuit, & post descendens ex theatro publicè misericordiam DEI imploravit, & populo dixit: non credite diabolo, nam is me, & vos decipit. In operibus DEI non simus curiosi, non est nobis necessarium ea, quæ abscondita sunt, videre oculis nostris, nec quæramus, sed credamus potius, quid veritatis lateat.

Atheista Lyszczynski

11mâ. Destinavit Rex Deputationem, in qua statim debebat Secretarius Mareschalci examinare cifras, sed dum in crastino eam incipere vellemus, Mareschalcus non posse se absq; licentia Nuntij statuere accusatum, cùm sit actu Presbyter, tandem Episcopus Posnaniensis tanquam loci ordinarius ivit, & illum adduxit, sed hic primò dixit, combussisse se clavem cifrarum. Ita qui in parvis rebus delinquere assvevit, facile ad majora facinora impellitur, pòst abnegavit scripsisse se quidquam contra Regem, vel in præjudicium Reipub. sed tantum significabat, quod Sapiehæ sint satis amici Neoburgicæ Domus, & svadebat omni meliori modo illos in eo confirmandos. Facta est relatio pòst ab Episcopo in sessione, sed non erat ex illa contentus Rex: magis enim inimicis favere visus est, quàm suæ Mti. Quæ videns semper oriri majores difficultates circa constitutiones, quarum titulus erat confidentia, & securitas interna, declarationem dedit per Cancellarium; ita nec sol quietem, nec bonus Princeps capit; quòd semper consecrare solet sangvinem & vitam bono publico, sic & nunc honorem & reputationem suam sacrificat, modò sit bene Patriæ, & cùm coronam in capite non minùs, quàm salutem omnium gestat in animo, nihil reliqua curat; ô bonum Principem, qui sic facit! O Statum felicem, ubi id facit! nihilominus affectus ejus sincerus, quò magis patebat, eò magis inimicos ad nocendum incitabat.

Datæ sunt à quodam publicè duæ conditiones Thesaurario Litvaniæ, ut nunquam resideat Varsaviæ, & ut semper maneat cum uxore, scis quid hæc significent? Gimecocratia (ubi fœmina gubernat) evitatur.

Venit notitia de morte Reginæ Hispaniæ, & de coronatione Principis Auriaci in Regem Angliæ.

Interim Cardinalis & Nuntius Pontificis nomine mediationem obtulerunt, cui consensit Rex, quanquam inglorium rebatur fœdus hoc, verbis facere, quod fato rumpi debebat, uti patuit, nam & ipsi à Sapiehis elusi, ita mala aurea in lectis argenteis dicuntur, vir gloriosus & promissa non complens, nam clarè patuit, nihil eos prætendere, nisi ut hæc rumpan-

rumpantur comitia secundum promissa, quæ Viennæ fecerunt. *A.C.*1689

Expeditus est Ablegatus Tartarorum injunctumq; ei est, ut possit tentare Hanus Dominus ejus pacis conditiones, quas possit prius Rex examinare. Interim disputationes circa constitutiones continuabantur cum summo animi angore Regis, & quamvis rationibus contradicentes apertè convincebantur, tanta nihilominus eorum obstinatio fuit, ut nihil boni in rem Reipub, concludi potuisset.

Princeps Anhaltinus Pater derelictæ Viduæ Radziwiliæ venire se significavit; volebat Rex in Palatio Regio assignare ipsi aliquod cubiculum, sed Regina eodem momento abituram se ad Czerwinsko dixit, prætextus erat, quòd impediverit nuptias Principis Jacobi, veritus, quòd sit parùm amicus cujusdam personæ, intelligis me. Quare & audientia ejus, quem in domo mea recepi, dilata est.

Palatinus Siradiensis multum dixit, quòd scilicet non sit libertas liberè loquendi, quæ dum refutavit Godlewski Gubernator Nurensis, & indirectè tetigit Episcopum Culmensem, Palatinus Lenciciensis frater ejus exarsit, & eundem Goldewski adulatorem, mendacem palàm nominavit. Respondere is durius voluit, sed ego impedivi precibus, ne privatæ offensæ publico nocerent.

Habuit tandem apud Regem audientiam Princeps Anhaltinus optimè receptus, sed non item apud Reginam, quæ illam in lecto recepit, & immediatè post audientiam surrexit, & in Comœdia fuit. Dixit mihi Rex, ut ego insinuarem illi Principi, ut se apud Reginam expurgaret, & pòst omnes honores Rex illi præstare paratus est, sed ille absolutè se excusare noluit, cùm se nullius rei conscium constanter asseruisset.

Post multas controversias, tandem 31mâ Szulkowski protestatus exivit, sed iterùm rediit, declarans nihilominus, quòd non nisi crastinum diem permittat pro valedictione Regi.

Primâ Aprilis incepit sessio primâ horâ post meridiem, duravit usque ad duas horas post mediam noctem in qua nihil actum, nisi continuæ missiones, ut Szulkowski rediret, quem nullus invenire potuit. Misit Rex ad Palatinum Vilnensem, per omnia sacra rogando, ut consuleret dicto Szulkowski, quatenus rediret & restitueret activitatem Comitiis, inventus est, & respondit nescire se omninò, ubi nam sit ille, & quòd tres dies illum non vidisset, cùm tamen sciretur pro certo hac eâdem nocte apud eum fuisse, ita quippe ille omnis causa est ruptorum consiliorum, & initium & finis evulgatus, plerumq; pudor non societatem sed majus incitamentum adfert. Tandem Thesaurarius Litvaniæ promisit se illum ducturum, sed quando abiit, ampliùs nec ipse reversus est. Dum ergo serò esset, venit Castellanus Samogitiæ ad Dąbrowski Succamerarium Vilnensem, persvadendo ei, ut aliis persvaderet Collegis, ille autem nominavit eum Legatum Regium, quo audito Episcopus Vilnensis dixit ipsi: Semper mi Domine es contra Regem, unde ille offensus, verbis læsivis aggressus Episcopũ, ut furens, quod sciri non potuit, nec videri in tenebris, à verbis ad manuum impositionem ventum fuerat, unde magnus, quia majorem nunquam memini, tumultus in senatu, quo vix sedato habuit vocem Cardinalis, exprobrando disordinem, & parvum satis Reip. respectum, dicendo: Culmen juris & æqui ruit, dum tantum Nuntio illi licere creditum est, quantum posset. Unde in crastino per omnes Ecclesias fuit declaratum interdictum, talia non possunt opprimi peccata, nisi peccante

 cor-

A.C. 1689 correcto, ſed negotium propter honorem partium fuit tandem ſopitum. Tanto tempore cùm non potuiſſet inveniri Szulkowski, viſum eſt in craſtinum differre publicam Nuntiorum valedictionẽ, quod & factum.

2dâ autem monſtravit nobis Rex ſchedam, quam perdidit Wichert Miniſter Brandeburgicus, & inventa reddita fuit Regi, ubi ſcripſit Sapiehas optimè rem agere, & quòd jam illis aliquam pecuniarum numeraverit ſummam, quòd Zewuski multum laboret in hoc ipſo intereſſe, quòd Princeps Anhaltinus magno ſit adjumento, homo magnus & occupatus in magnis, quia multa penetrat. Hac eâdem die valedixit Nuntiorũ Mareſchalcus pathetico ſermone; petitus eſt Rex, ut non permitteret manum ſuam ad oſculum Dąbrowſcio. Multi Nuntij poſt finita Comitia proteſtationem fecerunt contra Theſaurarium Litvaniæ.

Conſilium incepit 4tâ, in quo inter alia puncta fuit, ut Cracovia fortificaretur, ſed ne aliquid imperiales ſuſpicarentur, remotum eſt. Habui longam conferentiam cum Regina, quæ mihi dolorem ſuum expreſſit, quòd ſigillum alij ceſſerit, ſed ad quid hæc? Rex juſſit me ſcribere Raczynſcio, ut ſignificaret Viennâ, quid diceret de nobis, & de hac Comitiorum ruptura & an pax fieri debeat independenter à nobis?

Cùm ſit ſeptimana ſancta, devotioni vacandum &c.

LXXX.

AMICO CONFIDENTI ANDREAS C. ZAŁUSKI EPISCOPUS KIJOVIENSIS

SUperiori anno jacta fuêre ſemina, quæ hic criticus in publicam & privatam protruſit & maturavit calamitatem. Præluſit ſiniſtris Patriæ fatis privata domûs unius clades, ſecuturis deinde alijs quæ publicis malis honorem veluti per comitatum ſuum habebunt. Princeps Georgius Radivilius Regis inſtinctu, ut ſuam obſequijs in Patriam ornâſſet juventutem, totus in eo fuit; ut primum ex comitiolis Voliniæ in Terreſtrem evaderet Nuntium, tum in comitijs Regni Mareſchalcus Equeſtris ordinis juberetur: nec fruſtratus ille fuiſſet ſuis intentis; niſi in Reginam pro Antagoniſta impegiſſet, quæ concepti ſemel livoris, an iræ in domum Radivilianam tenax, ejus peroſa incrementa vota præclariſſimi viri eluſit & evertit, rupta per factionem ejus comitiola virtutẽ merito fraudârunt honore. Ingemuit ſe tam indignè præteritum florẽtiſſimus ut ætate, ita & qualitatibus Princeps; tantæq; repulſæ impar, juſto quidem ſed nimio dolori permiſit frena; qui ex animo in corpus effuſus longiore digniſſimum vitâ confecit. Intereram tum comitijs; cùm triſtis mihi afferretur Nuntius, per apprehenſam interverſæ dignitatis injuriam, certo lethalis diſcriminis præfatum Ducem laborare morbo: non morandum ratus, ipſomet id expetente Rege, qui declarato mihi ſuo favore, tam literas manu propriâ ſcriptas conſolatione pleniſſimas ad ægrum, quàm privilegium pro Palatinatu Trocenſi tum vacante dedit; aſſumptis medicis me Białam contuli. At jam ſerus adventus meus fuit; invaluerat jam malum, medicorumq; artem & mea ſolatia ſuperabat: eadem conditio ferè Principis Viduæ erat; quæ etſi raro exemplo, conformem Divinæ voluntati præferret animum, & in preces ad aram proſtrata proteſtaretur; ſe Abrahami inſtar Iſaacum ſuum Dei cõmittere arbitrio, nec aliter à ſe accipiendam cladem, ſiquidem ita de Filio ſuo decretum eſſet, ac olim à Davide accepta fuit: renuebat nihilominus cõſolari

Georgij Radivilij mors

ſolari anima ejus; Materniq́ affectûs nimia non niſi à lacrymis & votis A.C. 1689
fruſtra petebat remedia. Nam tandem 3tiâ Januarij 4tâ matutinâ dilectus hic Princeps, & ſeros annos per qualitates virtuteſq́ tanto nomine dignas meritus humana liquit, quo dolore Magnæ Domûs? difficile dictu eſt; rarus etiam per Poloniam fuit, qui ſi modò noviſſet virum, à lacrymis ſibi temperaverit. Adfuère mox ab obitu Regius Princeps Jacobus ingenti luctui adhibiturus ſolatia, tum etiam Palatina Kijovienſis Senior, alijs compluribus comitata; quarum inſtantiis tandem Princeps Vidua ceſſit, Varſaviamq́, ne identidem præſentis funeris aſpectu in Maternos affectus recideret, ſe contulit. Parentalia in 7. Februarij dilata ex amoris menſura magnificè & ſplendidè perſoluta. Erectum doloris caſtrum mole, formâ, & opibus viſendum, triumphale de victa mortalitate ferculum crederes, non mortuale feretrum: panegyris ab Epiſcopo Livoniæ Popławski habita, aſſumpto themate per reſpectum ad avitas Radiviliorum tubas: tuba mirum ſpargens ſonum. Hinc triplex tuba ſecundùm numerum relucentium in ſtemate, naturæ prima, altera fortunæ, 3tia gratiæ inſonuit. Hanc Radvilianæ domûs cladem publica deinde non longo interſtitio excepit. Redux Varſaviam poſt fata prædicti Principis graviſſimis inter ſe diſſidentes odijs comperi Luceorienſem Epiſcopum Leſzczynski & Camenecenſem Denhoff, quorum prim9 privatim ſimultates exercere non contentus, paſſionem ſecutus, ſua mala in publicũ effudit, concitato Terreſtrium Nuntiorũ conclavi eo eventu; ut reddendorum Cancellariatuum actus, pro quo jam deſtinatum tempus erat, ad aliquod dies differendus fuerit. Reddidit verò majus ſigillum à Wielopolſcio Canonicus Cracovienſis Taranowski, minus ipſe Cardinalis Primas, prætendens; ut tam Regis quàm Senatûs nomine pro bene adminiſtrato Magiſtratu ſibi gratiæ agerentur. Obſtitit poſtulato huic Caſtellanus Podlachiæ Oborski, interruptoq́ Epiſcopi Cracovienſis ſermone prorſusq́ inhibito, omninò negandum cenſuit. Excepit Caſtellani verba plurium indignatio & obliqua ambitûs Cardinalitii cenſura, donec Regis nomine Mareſchalcus Regni extemporaneus quidem, ſed ſecundus Orator inconditæ confuſionis voces his paucis compeſcuit dicens, in tempeſtatibus omnia loqui oracula excepto Jove; quòd tum in Comitio ſinguli non tam verbis quàm fulminibus loquerentur excepto Rege. Inventum deinde medium; ne gratias eas prætenderet, ſed potiùs deprecaretur Cardinalis intuitu negotiorum Reipub. quibus pretioſa temporis momenta per longa verba peritura erant. Reſedit ita tumultus intempeſtivâ ambitione Primatis quieſcente: non tamen ſigillorum diſtributio extemplo conſecuta eſt; quòd Leſzczynij quà clientibus, quà amicis ſubnixi per potentiam obniterentur, & mihi & ſibi futuri injurii. Jam ante mihi declaratus is honor fuerat, indubiè mihi conferendus; niſi ipſe precibus Regiis ceſſiſſem ultrò. Nam 20. Januarij ad balneum vocatum inſtanter rogavit Rex, præſtarem illi gratiam quæ intra poteſtatem meam eſſet, ſineremque mihi elabi de manibus, quod jam tenerem. Manifeſtus erat in vultu & geſtu ſummus Principis affectus; cui aliter mihi reſpondere viſum non eſt, ſed nec licuit: niſi proteſtando me ad nutum Majeſtatis uti hactenus fuiſſem, futurum. Non contentus hoc reſponſo Rex compluribus mecum egit, promitterem, me præſtiturum, quidquid id gratiæ foret, quod poſtulaturus erat: tandem arctiùs ſibi applicitum ſtrinxit & in hæc verba locutus eſt: meminiſti utiq́ ſpem tibi à me factam Cancellariatûs Regni, & certè ob merita & dignitatem tuam verbo Regio non deero; niſi tu

Diſſenſiones

A.C. 1689 ipse mecum dispenses. Nôsti jura Matrimonialia, nec ignoras quàm impotenter Regina velit, quidquid vult. In manibus ergo tuis est, ut vel inquies inter assidua cum muliere jurgia vivam, vel sine his quietus agam: Jam illa alteri suum addixit suffragium, cui nisi munus contulero, indubiè ne habitare quidem mecum voluerit. Te verò eum esse existimo qui pro affectu tuo in me occasio esse nolis tristi de me per universum fabulæ: quin imò indulgebis mihi; ut id mihi facere liceat, quod invitus facio. Certus interim esto, brevi tempore post, me id tibi in quadruplo compensaturum. Accidi Regi ad pedes declarando, me non tantùm id, quod necdum tenerem; sed etiam in cujus possessione jam essem paratum sacrificare nutibus Majestatis. Excepit summo affectu Rex responsum meum, iteratoq; amplexu, sub egressum ex balneo his verbis affat⁹ est: tu eris author tranquillitatis meæ. 21. igitur Januarij ad ad thronum convocatis compluribus sensum de candidatis (erant ij Camenecensis Episcopus Dönhoff & Palatinus Lublinensis Tarło) exquisivit; ubi me ordo dicendi tetigit, in hæc verba meum sensum exposui: juramus Serenissime Rex nos in judiciis rectè sententiam dicturos: non est autem difficilior arbitratu causa, ac dum judicandus est; quis tam gravi & delicato officio dignus sit? quia nihilominùs ea manus, quæ cor Vestræ Mtis gestat infallibilis est, frustra quis ejus dispositioni contravenerit? unde, quia illa potenti digito in Camenecensem Episcopũ & Palatinum Lublinen: intendit; captivo & ego intellectum meum minimè dubius, non frustrandum judicium esse Mtis V. in prædictis Proceribus. Ii enim illi sunt, qui bono Ecclesiæ, & Patriæ, obsequiis Vræ Mtis, votisq; populorum respondeant. Reddidit ab inde utrumq; Cancellariatum Mareschalcus Regni elegante admodum oratione; cui à novis Ministris responsum quidem datum: sed quod reddentis verba non æquaret nullo audientium affectu nulloq; plausu, præterquam quòd recentes Cancellarios ex stylo æstimantes, non ad gustum suum esse præ se ferrent. Datum post hæc initium votis Senatûs ultra quatuor non processuris; quia mox Nuntij Terrestres per conjunctionem cum Senatu obsistent. Episcopus Posnaniensis proposuit Hollandiam tractatum commerciorum nobiscum inire velle, semel pro semper, declarando fl. 150 pro sexagena modiorum siliginis ea conditione; ut vicissim se obliget Respubl: facultatem alterius panni vendendi per Poloniam præter Hollandicum non futuram. Procul dubiò, si ea res conclusa fuisset ingens bono publico emolumentum paritura erat: verùm ut aliæ materiæ sic & hæc per neglectum nostrum & in propria commoda minorẽ affectum evanuit. Data 13 Januarij publica audientia Nuntio Apostolico Cantelmi; à qua singulos adiit Senatores persuadendo Regi authores essent, quò officia sua & authoritatem interponeret, ut sancitâ inter Imperatorem & Regem Galliæ pace totius Christianitatis vires in cõmunem hostem converterentur. Legatus etiam Cæsareus Zierowski adivit singulos cum infestis Reginæ querelis, ob negatã ab illa audientiã, literasq; ex aliquot Cursoriis interceptas. Cessavit inde à votis Senatûs; quod Nuntij Terrestres elapsum jam esse tempus obtenderent, urgerentq; ut ad lectionem constitutionum Mareschalcus accederet.

Collatio utriusq; Cancellariatus

Commercia Hollandica

Et quia gravissima ac difficillima in ijs Comitiis initio statim se obtulit materia de bonis Radiviliæ Principis Marchioni ante Brandeburgico, postea Neoburgico nuptæ; Rex quò faciliorem illam redderet, per Cancellarium declaravit, sibi propositum non esse; ut obice aliquo ardua redderentur Comitia; unde quandoquidem Cæsar excusaret minimè

Bona Radiviliæ

nimè per se stetisse, quò minùs Regio Principi Jacobo dicta Marchionissa in Consortem obtingeret, contentum se futurum; si satisfactionem Ministrorum quispiam, qui huic obfuerunt Neoburgicum promovendo, exhibuerit, adjecit insuper, quoniam intuitu boni publici Senatus à suis cessässet votis; se quoq; indulgere, ut Mareschalcus Nuntiorum ulteriùs procedat. Ventilata ergo causa Neoburgica inter diversa prout quisque affectus aut corruptus erat, studia, promoventibus alijs, alijs negantib⁹ Neoburgicũ gaudere posse bonorũ possessione, nisi ante indigenatũ obtinuisset. Plura de hoc in orationib⁹ meis typo datis. Habita tũ etiã sessio apud Primatẽ Episcoporũ omniũ super puncto Nuntiorum Cracoviensis Palatinatûs qui volebant; ut præjudiciosa Ecclesiæ anni 1635. constitutio in executionem, quâ hactenus caruerat, deduceretur contra statutum anni 1541. Interea in conclavi Nuntiorum dissidiis & altercationibus tempus terebatur; in Senatu autem Palatinus Posnaniensis Leszczynski præviè compassus continuis laboribus Reginæ conta jura (uti asserebat) hactenùs exantlatis, illatâ instantiâ enixè petijt: ut imposterum fatigationi parceret ejusmodi: perstrinxit deinde Mtem, ac si ex causa criminali Principis Marchionissæ crumenalem facere vellet, melius utiq; facturum; si non tam ex illa, quàm ex Turcis spolia appeteret. Graves hi boli concoquendo Principi fuère; quales complures illi adhuc ingesti fuissent; si invitantium in partes transivissem. Inducere me Episcopus Luceoriensis & Abbas Przemecensis præreptum sibi Cancellariatũ pro injuria reputantes nitebantur; ut illis accederem, debitamq; bono publico & Mti affectum in privatæ unius aut alterius vindictæ, studium comutarẽ: at rejeci postulata, indignum ratus furenti aliorum ambitioni per dolorem Uncti Dni medelam facere, apertisq; verbis declaravi; nihil me tale, quod offecturum bono publico crederem, unquam attentaturum. Et destiterunt hi quidem à suis per passionem conceptibus, nõ item alij, qui identidem tristi alternâ, jam hunc, jam illum, jam denique ipsam Mtem sagittariæ lingvæ in scopum destinârunt; ac si ad Comitium velut ad campum Martium convenissent, in quo, si alter deesset hostis, bonum publicum seq; ipsos conversis in vulnera verbis, veriùs telis conficerent. Primus impetus in Episcopum Varmiensem Sbąski factus. Is legationis suæ rationem toto triduo reddidit, jamque uti jura exigunt, pro juramento super fide gesti officii se accingebat; cùm Nuntiorum vocibus obrutus pro gratiis audiit: satiùs pro iuramento pecunias legationi impensas restitueret. Alter in ipsum Regem vertit; nam dum Relationem legationis Moschoviticæ quidam expeterent, obstitit Palatinus Sieradiensis asserens legendum priùs prædictarum legationum fundamentum id est Senatûs consilia; ex quibus legationes ejusmodi decerni solent. Incredibile est, quàm graviter id adverterit Principem: evidens enim erat, peti Majestatem de tam pudendo cum Moschis tractatu; cùm tamen illa extra culpam esset, soliq; Comissarij, qui jam omnes humanis exempti de tantis avulsis supremo omnium judici reddiderant rationem, culpari possent. Certum enim illud fuit (nam ipse præsens eram) Leopoli inter jurandum super pacta cum Moschis sponte Regi oculis lacrymas cecidisse, quotiesq; se obtulisset occasio, cum sum̃o dolore negotii illius meminisse, totâ culpâ in Comissarios devolutâ. Respondi tũ temporis Palatino; Regẽ nihil suũ credere, quod publicũ non esset, publico sæpe de suo prospicere, qualẽq; in privata fortuna se probâsset; ut nec querelas bonorũ quispiam audierit, nec calumnias improborũ: talem etiamnũ esse, nec imposterũ alium futurũ. In eadem sessione Princeps Dominicus

A.C. 1689

Præjudiciũ Ecclesiæ

Pacta cum Moschis

A.C. 1689 minicus Radivilius Procancellarius Litvaniæ conatus legere prætensiones, quas ad Sapiehas habebat, per potentiam clientûm adversæ partis inhibitus fuit: quam injuriam his nequicquã verbis ultus est: in præteritis comitijs vocis activitas infirmata fuit, in præsentibus vetatur lectio, in futuris forsan etiam scriptio negabitur in favorem Sapieharum; qui uti aliàs semper sic nunc turbant Rempub: quomobrem typis mandabo; ut publicum fiat, cui in publico audientia negatur. Accidit insuper casus in Senatu per præcipitem lingvam Episcopi Culmensis Opalinski, qui infestus Thorunio sub prætextu Religionis, nimium quantum eam vexaverat civitatem, & quò injuriam vindicâsset mansuetudinis prorsus oblitus, totusq; vindictæ, ad diversa illam subsellia pertraxerat. Is inter alia extravagantia, quibus suam condire seu potius corrumpere consueverat sententiam; hoc inpræsentiarum adjecit: aut regnare desine aut rectè judica: hinc ingens in Senatu motus, clamorq; pro affectu varius, contendentibus aliis, ut Præsul de sub scipione deprecationem Mtis offensæ faceret; aliis contra nitentibus. Intervenit Cardinalis Primas plura publicè per compassionem in doloris Regii lenimentum locutus, cujus dicta simili altera oratione Episcopus Cracoviensis excepit: quin ipse Culmensis Præsul pœnitentiâ lapsum correxit ad Thronum accedendo, declarandoq; nullam sibi fuisse intentionẽ lædendæ Mtis, abiturum proinde ex Senatu; ut expiet domi silentio delictum injuriæ in publicum lingvæ, uti re ipsâ mox excessit ex Comitio ingenti sibilo pro plausu comitatus. Ex hac occasione non nihil mihi etiam simultatis cum Belzensi Palatino Maczynski intercessit; qui præpostero in Principem zelo, unius culpam in omnes refundens, singulosque ex uno æstimans, gravior Episcopis lingvâ suâ incubuit, asserens Romam remittendos esse: reposui perpenderet enimverò quid diceret? nôsset utiq; nos prius Nobiles natos esse, quàm Episcopos: alios Ecclesiæ sustentandæ ne baculo quidem suffragatos, nunc autem eam oppugnare. Certatum etiam ampliùs verbis fuisset, nisi Rex me apprehensum manu his formalibus tranquillâsset: ne vos ultra lacessite, nostri utiq; estis. Actum deinde de satisfactione Regi ab Episcopo danda, quam etiam ipse Nuntius Apopostolicus urgebat, satis indubiè habituro Principe; si vel per literas duntaxat veniã expetiisset: verebatur enim meritò, gnarus utpote facillimæ ad talia lingvæ dicti Præsulis, ne iteratò, si offensam coram deprecaretur, à proposito deviaret, & relapsu culpam augeret. Verùm spem reconciliationis hujus Episcopus abstulit, discessu suo, ne salutatâ quidẽ Majestate, sparsis duntaxat copiis dictorum in Senatu; sive quòd vultũ offensi Regis se ferre posse diffideret; sive quòd & ipse metueret, ne rursum casu quo perstringeretur per intemperantiã lingvæ peccaret. Frustratus igitur satisfactione Rex jam intenderat; ut Cancellarius publicè declararet, siquidem sibi dictum fuisset, cessaret regnare; sese abdicaturum Regno: nisi id Castellanus Sendomiriensis, postmodum Palatinus Bidzinski propositum discussisset, dicens Poloniam malignâ febri laborare, maloq; huic aliud medium non suppetere; nisi missionem sangvinis. Hæc tum facies Comitiorum fuit, cùm frameis non liceret, verbis res agebatur.

Ad ea Capitis à suismet vulnera, novum ab exteris accessit. Pocillator Wielunensis Raczynski cum charactere Ablegati Viennam expeditus per literas significavit nostras de pace propositiones non admodùm acceptari: hinc obliqui sensus, & quæ jam aliàs satis per se robustæ erant, diffidentiæ in domum Austriacam ampliùs à novo invaluêre alimento. Nec illud minus: ad audiendos exules designatus fui, compertoq; plus

papy-

papyri quàm pecuniarum superesse, quibus afflictis satisfieri posset; rationem comissi muneris in hunc sensum reddidi: per Romanos anseres olim Capitolium stetisse; nunc verò nos plus per anseris calamum, quàm ferrum amittere: fato nobis donatam sortem; ut sæpius bellis victores, semper tractatibus vincamur: exagitavi deinde Commissarios uti merebantur. Motus sub hæc in Nuntiorum conclavi quantumvis levior, statimq; sopitus intervenit. Mareschalco Nuntiorum ex ægritudine decũbẽte, supplere vices gemini affectabant: Capitaneus Biecẽsis alter, alter Andreas Zydowski Vexillifer Cracoviensis, vir emeritus dignusq; honore; nisi jura obstarent, nam quia Capitaneus primus ex Palatinatu Cracoviensi Nuntius erat, ipsi scipio adjudicatus fuit; utut Vexillifer obtenderet inhabilitatem in ordine ad legendas constitutiones; quòd juratus non esset, prout requiritur à Mareschalco. Judicata deinde impietas Lyszczynscij & mors Atheo mille mortes merito decreta; ex qua occasione, quia causam hanc sæculare forum sibi arrogaverat, Nuntius Cantelmi (frustra obsistente Episcopo Plocensi Dąbski, qui datis ad alios Præsules literis authoritatẽ Nuntij in dubiũ vocaverat, eiq; jus esse convocandi alios Episcopos, ceu illud soli Primati competeret, inficiatus fuerat) sessionẽ habuit, in suo palatio: in qua cum lachrymis nomine Pontificis congregatos Patres obtestatus est; ne causas Religionis foro sæculari arbitrandas permittendo, nostra privilegia perditum iremus: grande præjudicium factum esse, decretum Episcopi Livoniæ, ne quidem lectum fuisse. Sancitum enim erat; ut criminaliter DEI & naturæ hostis convinceretur, quod & factum est. Adjecit Leopoliensis Archiepiscopus dignum esse; ut quemadmodum impius testamento cavisset sibi de in publica via sepultura; ita in publica via cremaretur, sepulturâ omni cariturus. Visum est ordinario loci publicas instituere supplicationes ad divinam deprecandam Mtem; ne tantis, quà verbo quà scripto blasphemijs debita ira in totius Gentis verteret discrimen; quòd non ignoraret unius quandoq; culpam populum luere universum. Celebratæ illæ fuêre cũ magna solennitate in Ecclesia S. Joannis, habitaq; à me concio contra Atheum 6tâ Martii; uti & votum in Senatu dictum jam dudum lucem vidit. Invisi subinde hominem salutis illius avidus, frustraneo labore, sive quòd per assvetudinem scelerum sensum virtutis amiserat, sive quòd negato DEO consequenter de im̃ortalitate animæ alteriusq; vitæ præmiis nihil sani sapiebat. Emollitum nihilominùs postmodum cor illius adamantinum fuisse dicitur, & victâ (quæ clementia Numinis est) obstinatione serò sed seriò pœnituisse. Admotus deinde supplicijs fuit, in lingvam & os primùm sævitum; quibus in DEUM crudelis fuerat: tum exusta manus deformissimi partus instrumentum, crematæq; chartæ blasphemiarum, tandem ipse monstrum sui sæculi, Deicida & legirupa piacularibus flam̃is, si tamen illæ tantum nefas lustrare poterant, absumptus. Hic finis scelesti hominis fuit, utinam & sceleris! quod altas radices in animis quorundam egisse fama tulit, indubiè in germen erumpturum; nisi manifesta infamia & tristes pœnæ ceu hyems vetarent.

A.C. 1689

Lyszczynski Atheus.

Causa ejus fori spiritualis.

Supplicium ipsius.

Necdum comitia per dissidia & altercationes, quarum una alteram ceu in catena annulus annulum non interruptâ serie excipiebat, in præceps abierant: dum binæ literæ, alteræ à Dno Raczynski Viennâ; à Czaro alteræ redditæ sunt. Prioribus intimabatur, Cæsarem cum Turcis meditari pacem, urgereq; ut ex parte nostra plenipotentiarii ad hoc opus expedirentur, idipsum expetebat memorialibus suis Dnus Zierowski: Moschus autem postulabat, ut ratio sui etiam haberetur: siquidem contra

tra

A.C. 1689 tra Turcam nobiscum iniisset fœdus, ad comunem pertineret pacem, ac proinde Legatus illius pro tractatu expectaretur. Renuit Ablegatus Cæsareus, nec expectandum fore affirmavit: quòd non cum omnibus Colligatis simul, sed cum sola duntaxat Polonia Czarus pepigisset. Idem Moschi Cursor periculum Principis Gallicini retulit; quem ex palatio suo profectum in publica via de fæce miles aggressus arreptum barbâ jamjam pereinpturus erat; nisi in tempore famuli succurrentes violentam manum inhibuissent. Raptus in quæstionem parricida quadringentos superesse, qui ob negatum justum stipendium in necem Principis conspirâssent, asseveravit; quare manus quidem unas evasisse, verùm ægrè aut vix tot aliorum evasurum nôsset. At hæc nihil ad nostra Comitia spectant. Ex occasione literarum Viennensium Rex & Respub. destinavit me; ut cum Dno Zierowski expostularem, quò Cæsar memor obligationis in tractatibus colligationis expressæ, nullatenùs sine nobis pacis negotium agitaret. Annuit Ablegatus, suiq; Principis nomine pollicitus est; enixè nihilominùs petendo: ut quantocius nostrum mitteremus plenipotentiarium, nec mora: designatus pro eo munere Vladislaus Los Palatinus Pomeraniæ; Episcopus verò Posnaniensis, ego & Nuntiorum Mareschalcus pro scribenda instructione designati publicè legenda, per rationem; ut à se omnem Rex suspicionem averteret, nec iterum immeritò tale quid imputaretur, quale in Moschoviticis tractatibus ipsi evenerat. Imminentibus sub hæc bacchanaliis à consiliis feriari placuit; ne Bacchus ut olim in convivio Deorum quidpiam turbaret: quanquam & sic à sobriis satis tumultuatum. Interim fama attulit Cameneci Baszã à Janczaris strangulatum ob dilatam solutionem, ejusque Thesaurarium ad eam præfecturam admotum. Resumptis deinde Sessionibus Palatino Belzensi vox data est, quam potissimum contra eos exeruit, qui suspiciones movent, suspecti ipsi: directeque tetigit Palatinum Vilnensem, quòd ille in bonis hæreditariis Principis Marchionissæ præsidia locâsset, eoque sphæram activitatis suæ excessisset, quòd locare præsidia nonnisi in bonis Regiis Duci exercituum competeret. Hinc Rex etiam in throno discursûs gratiâ de jure Sapieharum in eas possessiones disseruit, nullumque illud esse ostendit: quòd non aliter pertinerent ad sucessionem, nisi per caput Principis Janusij Radivilij; qui quia Sveticarum partium fuerat, abjudicatus ab omnibus, exercitui bona sua cedere debuit: ea postmodùm à Principe Boguslao redempta quidem; verùm ad eum Sapiehas se referre non posse, affirmavit. Vidit Polonia sub tempus horum Comitiorum Ablegatum Tartaricum expetentem colloquium; in quo proposuit: ut per Hanum de privata pace cum Porta Othomanica agere placeret, promittens magno id nobis cõmodo futurum, & sine dubio multa ad instantiã sui Principis Turcam concessurum: affirmare non ausim, an non ejusmodi tractatus fuissent acceptati? nisi Dominus Raczynski intervenisset, & redux Viennâ de constanti affectu Cæsaris Regem edocuisset, non sine offensa Reginæ; quæ domui Austriacæ iniquior, prædicti Ablegati fidem partium eum Austriacarum asserendo elevabat: at frustra; nam Palatino Pomeraniæ, cui octo millia imperialium in eam legationem assignata fuêre, pro socio additus datis illi tribus millibus imperialium; sumptibus tantis mox in cassum abituris. Turcæ enim Legati præsentes Viennæ ludere duntaxat Christianitatem terminis generalibus, propositiones formare pacis, imò deinde superbiùs illas proponere; quia Cursor Turcicus cum aliis expeditus propositionibus advenerat, seditionemq;

Violentia in Gallicini

Plenipotentiarius pro tractatu pacis

Ablegatus Tartaricus

nemque contra Imperatorem Turcarum motam cessasse attulerat: hinc superbiores illi, pensi propemodùm pacis tractatus habere videbantur. Nec lætiora interim apud nos Comitijs non tam in exitum quàm exitium vergentibus; quæ Rex in cassum felici fine terminari desiderans, aliquot ultra decem de fidelioribus Senatoribus ad se accersitis proposuit, consiliumque expetiit: præstarétne ad retundendos malevolorum impetus, qui Comitiis, quò minùs finirentur obfuturi credebantur, illorum molimina & factiones in exitium Patriæ meditatas in publicum proferre. Dissimulatio & conniventia Posnaniensi Episcopo; mihi contrarium placuit: nec enim unquam servilis sententiæ author fui, censuiq; extrema mala extremis mediis curanda. Memini præjudicati in Comitiis Colligationis, quæ nunquam felicem exitum sortita fuissent; nisi Vitrianæ cifræ cuneus cuneo pellendo intervenissent. Moderatus tamen sententiam meam, dandum aliquid bono pacis nec omnino extrema tentanda suasi: præsertim quòd Mareschalcus Regni suum posthaberet Secretarium; cujus literæ in præjudicium Regis & Reip. scriptæ interceptæ fuerant, jamq; ipse in custodiam datus & quia Sacerdos erat, Nuntii Apostolici jurisdictioni resignatus erat. Patuit deinde fortiorem non suaviorem victuram fuisse sententiam. Nondum quidem serum erat; cùm Rex adversô non alterum præsentius medium finiendi Comitia superesse, ac si clandestina quorundam Magnatum in publicum effunderet consilia; jam eò mentem flexerat: ut revelaret abscondita; verùm obstiterunt Sapieharum artes, quibus præventus, seu potiùs circumventus à proposito destitit. Per Nuntium illi Apostolicum declaraverant, non se difficiles futuros in constitutionem confidentiæ, veriùs diffidentiæ nominandæ: si modò vicissim Rex facilis foret, sequentique die tantisper differret suum in Senatum adventum, quatenus denuntiationi Comissorum tempus non suppeteret. Datum id illorum votis: at frustrata intento Majestas, quodque mirum etiam imposterum ejus facilitas alios de se æstimans his artibus ludetur. In me etiam tum Palatinus Vilnensis suum convertit telum, Episcopum me in partibus esse objiciendo; sed quod promptis pro clypeo excepi verbis; reponendo: sanarum me partium Episcopum esse & fuisse, tumq; Antistitis partes utcunq; sustinuisse; dum ipse Dux exercituum pro Martia arena bellicoq; sudore sudatorium olivæ elegisset. Dederat præterea Cancellarius Litvaniæ suâ manu subscriptam attestationem Regi de conjuratione contra illum facta; quam uti & alia indicia de Mareschalco Regni, Palatino Vilnensi & Thesaurario Litvaniæ, Rex nobis exhibuit. Inter alia literæ Mareschalci fuêre, mox apud Cancellarium à me authenticatæ; Itali cifræ (secretarius is Mareschaci erat) tum etiam tractatus Originalis Ablegati Neoburgici, in quo 60000 Rhenensium Sapiehis declarabantur, si bona Neoburgicæ Principis vel armis defenderent. Ad instantiam igitur diversorum Deputati revisores documentorum istorum, Cardinalis Primas, Posnaniensis Episcopus, & Ego, Castellanus & Palatinus Cracoviensis, Posnaniensis, Calissiensis, Lencicìensis, & Vitepscensis Palatini, Vilnensis & Samogitiæ Castellani. Fuerunt quidem aliquæ contradictiones; verùm Mareschalcus Regni pro ea Deputatione gratias egit, ratamque habuit: Cardinalis autem Primas ad clementiã recurrit. Suscitatâ deinde iterũ de Secretario Mareschalci quæstione Nunti⁹ Apostolic⁹ de Jurisdictione spirituali, Posnaniensem Episcopũ tanquam loci Ordinariũ compellavit; ut ipse hoc negotium excluso sæcularium strepitu arbitraretur; ad quem cum præfatus Secretarius venire detrectâsset, discedendum ad illum

A.C. 1689

An factiones publicanda

A.C. 1689 illum Episcopo fuit, & ex custodia qua tenebatur ad competens forum sacerdoti deducendus. Porrò nihil ab illo expressum est, negavit sibi clavem ad cifras superesse, utpote jam igni à se datam, nihil autem scripsisse quod præjudicare posset Regi & Regno, idq; solùm intimâsse Sapiehas non favere Comiti Palatinæ asseruit. Relationem deputationis Palatinus Posnaniensis fecit; quæ cùm non satis exacta videretur, compellatus à Rege illã iteravi ad clementiam sub finẽ appellando. Secuta Relationem dissensio inter Palatinum Sieradiensem & Castellanum Czerscensem, quorum alter incurius lingvæ verbis complures pupugit, primas dignitates turpibus actionibus dedecoratas sugillans nec satis exardescenti ad ea Cardinali ceu sibi dicta fuissent putanti à Palatino Paprocki & Koialowicz allegati. Sub hæc Litvaniæ Thesaurarius scriptũ quoddam, se authorem illius sive ex vero fassus publicè ceu nobilem partum legit; hinc tumultus ingens exortus, divisiq; in diversa animi; donec D. Unichowski suâ illud manu scriptum esse recognoscens, veniam publicè à Rege petiît: ab alijs verò supplicatum Mti, ut casu quo, constitutioni adversarentur, confœderatio circa Regem & libertatem decerneretur, daretur exitus Comitiis, & per Comitiola indicia spargerentur. Nec scomatis parsum; ut sunt in malis fœcunda ingenia: Palatinus Belzensis Vilnensi Palatino infestus eum Gallassio comparavit, dedicatiq; illi panegyrici meminit libri extrinsecæ elegantiæ, fronte, tergo, lateribusq; splendidi, sed laudum inanis, & intrinsecè candidis duntaxat vacuisq; referti paginis; quarum singulæ præter titulum (acta Gallassii) nihil aliud referrent. Quis itaq; vultus Comitiorum fuerit, ex hactenùs dictis seris olim constabit posteris? nec verbis nec lacrymis satis deplorandum fuisse, Comitiali omnibus quodammodo morbo laborantibus, quo & ipsi & Comitia & Patria deinde ruet. Desiderabatur jam ratio & modus, qui furorem sisteret & mederetur furentibus. Ultimum à se ipso petiît remedium Rex demissâ Majestate nihil omninò effecturus. Mandavit Cancellario, Nomine suo declararet honorem suum sibi infra Patriam esse, famamq; bono publico sacrificare, non se ulla vel minima lucra inde prætendere; quinimò polliceri, quoadusque viveret Regno suo de securitate se prospecturum: nihilominùs intimatum velle; si filij iniquitatis in suis intentis perstiterint secundùm projecta sua non futurum in sua potestate impedire mala, quæ inde quisq; eventura ominari posset. Exortus ab ijs verbis in Sapiehas tumultus. Nec Rex satis habuit ea publicè declarâsse, privatim insuper, quæ mitem Principis probarent pronumq; in clementiam genium, affirmavit: se paratum Thesaurario Litvaniæ condonare, quidquid id offensarum quantumvis gravium esset; geminas modò impleret conditiones: primò ut nunquam Varsaviæ habitaret; secundò: ne ullò sine Consorte se conferret. Receperat Cardinalis in se negotium Neoburgicum cum Sapiehis transigendum, nec dissensuros quoad constitutionem assecuraverat, dummodò veniâ Rex commissorum illos dignaretur. Nihil facilius persvadebatur Principi ac clementia dos Principum: at iterum Majestas ludibrio habita Nuntio Alexandrowicz faventiore Sapiehis, quàm bono publico, dum ad rem venisset, nullatenùs consentiente. Dies ergo alter alteri deterior successit, donec per tot litigia non interrupta rupta Comitia sunt. 31. Martij fatalis publico consilio fuit, Szołkowski nullatenùs cõsentire volente in relectionem constitutionis, adeòq; cum protestatione exeunte, ex instinctu indubiè Sapieharum; qui uti procrastinationis authores ante, ita ruptorum Comitiorum postmodum habiti sunt. Moderatio-

Litera cifrica

Scriptũ Unichowscij

Scommata

Tumultus in Sapiehas

Ruptorum comitiorum authores

derationem quidem ille aliquam præferre visus, restitutâ activitate: at & hic fraus intervenit; dum illa nonnisi in crastinum concessa, ut valedicere Regi liceret: ipse autem, etsi Cardinali promiserat, se reversurum, pensi habito verbo suo, sequenti die disparuit, quæsitus ubiq; missum etiam nomine Reipub., qui illum apud Palatinum Vilnensem requireret: at ille præ fenestra fistulans ceu lætis rebus (sic illum repertum Ablegati retulerunt) nihil aliud reposuit præterquam: Num custos fratris mei sum? Thesaurarius verò Litvaniæ promiserat Senatui; à se illum inveniendum & reducendum: at ne ipse quidem ampliùs in Senatum rediit. Imminente verò nocte, cùm non liceret ad candelas de Repub. agere per leges Patriæ; Castellanus Samogitiæ Grothus accessit Dnum Dąbroski mitiora & saniora svadendo: verùm actum egit, insuper per contemptum acceptus sugillatusque Senator Legati Regis nomine. Non tulit Episcopus Vilnensis Brzostowski Collegæ sui contemptum, verbis nequicquam honorem asserere conatus vix non verbera à Dąbrowscio retulit: adeò non tantùm oculos, sed & animum cæcus furor occupaverat; ut nec Senatorij Ordinis, nec Episcopalis characteris dignitatem adverteret. Tristis inde tumultus Comitium aliquantum tenuit, qui ubi interventu plurium conquievit; patheticè Cardinalis sortem Reip. explevit, interdictoq; totam Varsaviam subjectum iri in crastino declaravit. Nec aliter factum; clausa toto triduo universa fuêre tẽpla, nec nisi tertio die aperta unius criminis pœnâ in singulos redundante procul dubio etiam in amplius extendendâ: nisi Pastori suo ovis de se satisfactionem exhibuisset. Sequenti protestationem die iteratò quæsitus Comitiorum Ruptor in cassum; nam jam cum gloriosi sceleris (ut vocant) conscientia sive in incognitas latebras se abdiderat, sive aliò, ne quærendi spes superesset, evaserat. Jam ergò meditandum Mareschalco Nuntiorum de valedictione Regi facienda fuit: quam priusquàm exsolveret, quædam intervenêre, quæ notitiæ posteritatis surripienda non judicavi. Orta quæstio; quis Residentes legere deberet? certabant inter se Notarius Supremus Thesauri Regni Kurdwanowski & Notarius Litvaniæ Gelgut: postremi partes tuebatur Cardinalis & Cancellarius Regni; Rex verò in priorem inclinavit, eiq; id muneris decrevit. Alterum fuit. Vocatis ad se aliquot Senatoribus Rex ostendit literas, quæ casu Residenti Brandeburgico Wichert in conclavi regio exciderant, de malis nostris exteri hujus lætitiâ fœtæ. Contenta fuêre Sapiehas egregiè obligationi suæ respondisse, adeòq; dignos promisso penso, nec Dnum Zierowski quidquam omisisse; quod in commodum Principis Marchionissæ esse credidisset, imò nec laborem nec pecunias desideratas ab illo fuisse. Ex Principe quoq; Anhaltino (qui sub finem Comitiorum Varsaviam delatus fuerat, in arce ex designatione Regis habiturus indubiè hospitium, nisi Regina obstitisset; quæ per respectum ac si dictus Princeps Jacobi Regij Principis impedîsset connubium, viro huic obliqua, præfractè hunc honorem habendum negavit, siq; secùs fieret Czerminscum migraturam se minitata fuit) grande momentum Neoburgicæ causæ accessisse; quòd multa facili ingenio penetraret. Obsignata ea epistola ab inventione & relectione fuerat, & publicè pleno Senatu in man⁹ Cardinalis resignata: hinc ansa tumultûs in Thesaurariũ Litvaniæ, à quo complures Nuntij exigebant scriptum, quod legerat in manum Primati restitueret: ipse quin Cardinalis chartam eam postulavit, sed in cassum: excusare Thesaurarius redditionem scripti, polliceri tamen se suo tempore cuiq; libuisset cum interpretatione vera redditurũ. Voluerat A.C. 1689

Eeeee inter-

A.C. 1689 interpellare Dąbrowski; verùm negata vox homini, supplicatū quin Mti; ne manu regiâ ad osculū illū dignaretur. Clausit inde valedictio Regi exsoluta turbulēta Comitia, à qua cōplures Nuntii ad castrū se cōtulerunt; ut protestationē contra Thesaurariū Litvaniæ facerent, quod scriptum à se publicè lectum Primati reddere noluisset, Senatûs deinde consilium feriâ 3tiâ majoris hebdomadæ inchoatum; etsi quibusdam visum fuerat ultra Pascha differre, cui etiam Episcopus Culmensis, Vilnensis & Sieradiensis Palatini interfuêre, jam ad modestiam compositi, exceptô; quòd cum Castellano Vilnensi non nihil dissidii illis fuerit. Nunc primum Reginam pœnitentia subiit; quòd mihi Cancellariatum invidisset, de quo dolorem suum testata demandavit mihi; ut ad Ablegatum Viennam scriberem, quatenùs in Cæsarea Aula expostularet, culpamque ruptorum Comitiorum in Dnum Zierowski devolveret. Graviter apprehensum à Majestatibus est; perperam à Posnaniensi Episcopo (uti Cracoviensis Antistes retulerat) sibi impactum fuisse, acsi ruptis Comitiis ansam dedissent: unde patheticè Rex præsentem Posnaniensem ingratitudinis accusavit coram aliquot Senatoribus; qui cùm aliqua inficiaretur, aliqua tamen negare non potuit (testis enim Præsul Cracoviensis aderat) quare ad deprecationem conversus veniam dictorum à Rege expetiit. Princeps verò Anhaltinus præviis concertationibus quibus prætenderat, ut filia illius à fatis Georgii Radzivilii Vidua in possessione Capitaneatuum præsertim Czluchowiensis permaneret; cùm id per expressā legem vetantem, ne Capitaneatus confiniorum in manibus fœminarum relinquantur, non liceret, obtinuit à Principe Præfecto Stabuli Lit: 200000 tymphorū in specie pro filia; itē cimelia omnia, quæ illi donata fuerant à Principe Matre, argentum mensæ, aulæa & aliquot sexigas equorum: ipsa vicissem retrocessionem fecit Capitaneatuum; Czluchowiensis Rabstinensis, & Guldinensis & vale dicto Mtibus cum Principe Parente Berlinum discessit; quo etiam Residentem suum Wichert Elector Brandeburgicus revocavit; ne præsens offendiculo foret ob literas supra memoratas, de quibus satisfactionem omnimodam se daturum dictus Elector pollicitus fuit. Destinatus sub hæc Nuntium Apostolicum & Bonesanam irrito labore adivi: nam postulanti Regis nomine pro reficiendo peditatu, novoq; legendo milite pecunias nonnisi negatio respondit. Quare, cùm nec à Pontifice nervus suppeteret, nec subdapifer Regni Przyjemski sum̄am à Moschò pro exulibus datam concredere vellet: Rex ex bonitate sua 200000 imperialium præviâ Senatûs assecuratione mutua dedit, assecuravitq; se im̄inenti expeditioni in persona interfuturum. In eodem Senatûs consilio innuit Rex se optare; ut maturè in Valachia & Moldavia de com̄eatibus provideatur: verùm opposuit se nuntius manifesto inde indicio, Cæsarem absolutè nolle; ut fructum aliquem de tantis sumptibus & laboribus nostra ferret Polonia. Quamobrem ad Palatinum Pomeraniæ Rex literas dedit; ut super hoc puncto cum Aula Cæsarea expostularet. Interea adulto Aprili Ablegatus Galliæ Grawel Varsaviam delatus est, dissimulato charactere; velutiq; per speciem curiositatis duntaxat: sed mox patuit, de industria à Rege Galliæ expeditum: ut tanquam Inspector Marchionis de Bethune, qui per obnoxium nimis Reginæ animum in diffidentiam illius aulæ inciderat, esset. Secutus quin etiam alter ejusmodi Pædagogus sub prætextu legationis Anglicæ dict9 Tellier. Is ex consilio Dni Morsztyn nuper Regni nostri Thesaurarij tum Parisiis manentis specie quidem petendi succursûs pro Jacobo Rege Angliæ expeditus erat, re ipsâ autem; ut ejus adventus Marchioni de Bethune

ne verteret in contemptum. Nec acceptandus quidem hic Ablegatus omnium judicio fuerat; quòd credentiales nonnisi Celsissimi & Excellentissimi Principis titulum præferrent: verùm nimia eo tempore in res Gallicas inclinatio tantam honoris injuriam suppressit. Nova ex inde duplicia, tristia una Reipub., læta utcunq; altera Regiæ domui Viennâ Dnus Raczynski transmisit Mtibus deferendo: hinc nullam quidem spē pacis apparere; inde verò optare Cæsarem, Princeps Regius Jacobus Germanam Imperatricis in vitæ Consortem assumeret, vicissimque Regia Princeps Neoburgico cederet, quod alteris etiam literis confirmavit. Variata ea postmodum fuêre. Nam 25 Junij re nullâ, quæ in Reipub. cōmodum esset, peractâ, redux cum Raczynscio à legatione Palatinus Pomeraniæ asseruit: Regiam Principem à Cæsare pro Filio Rege Romanorum optari, Alexandro Archiducissam Austriæ offerri, Cardinalatum autē Regio Principi Jacobo, quæ omnia sequentia tempora aperient, vana imò nulla fuisse. Hic finis comitiorū; hic consilij & aliorū intentorū fuit, nec expeditionis bellicæ felicior. Imīnebat Cameneco cū exercitu Palatin⁹ Russiæ cert⁹ hoc occupare fortalitiū; si arti, quā ad vires adhibuit, respōdisset evēt⁹. Parata omnia erant, quæ expugnationem facilitarent: verum deprehensâ ab hoste arte totus conatus in irritum cecidit. Demùm ne aliter desineret annus, quàm inceperat per tristia & minantia tempestatem, finem accepit, Palatinus Sieradiensis Regi gravis, non contentus oretenus cū pluribus egisse, calamum etiam strinxit, sparsisq; literis latè per Poloniam factum Principis accusavit: quòd inaudito more à fatis Cancellarii Wielopolscii relicta illius authographa & alia adversaria revideri mandâsset. Concivit ea res grandem in omnibus Regi invidiam; quin Vidua Cancellaria destinatos ad revidendum, Principem Czartoryski & Krajewscium ne admisit quidem, idem Palatinus Sieradiensis sparsit Electorem Brandeburgicum, dum post Colligationem initam de Regis in Cæsarem affectu Ministri ejus referrent, dixisse: impossibile esse ut cor manum im̄utet. Designata deinde Comitia pro 16 Januarij Varsaviæ futura, quibus prævia Comitiola majoris Poloniæ sinistro omine fuêre rupta; demandatum duntaxat in illis Senatoribus; ut rebus Palatinatuum providerent, ex qua occasione Posnaniensis Palatinus ad Regem literas dedit postulando primò: ut Rex sopitis diffidentiis antecedenter seminatis, plenâ confidentiâ cum statibus agat. 2dò ut restituat liberam vocē in antiquum vigorem, honorificè recipiendo in Senatu Episcopum Culmensem. 3tiò ut nulla tractetur materia in Comitiis; quæ non proposita fuerit in Comitiolis non contraveniendo legibus, & amovendo occasiones Nuntiis non instructis & ut prorogationes tam tædiosæ Comitiorum præcidantur. Hæc inter annus hic Poloniæ abiit felicior aliquantum Germaniæ & Christiano universo: nam à fatis INNOCENTII XI in Cardinale Ottoboni novum accepit caput, supremumq; Pontificem, Germaniæ verò per Ducem Lotharingiæ Moguntia primùm, deinde etiam Bonna de manibus Gallorum restituta, à Duce autem Badensi Turcæ insigniter cæsi & capta Nissa auxêre victorias. A.C. 1689

Subjungo hic reliqua, quæ mihi parerga visa fuerunt, adeoque de industria seposita: ne catenam, sive seriem rerum publicarum interpolando confunderent. Vacante sub Bacchi ferias Comitio ipsâ dominicâ Quinquagesimæ Nominatus Luceoriensis Leszczynski à Cardinale Primate in Ecclesia S. JOANNIS in Episcopum consecratus, eodem die celebratæ nuptiæ à Capitaneo Szczurowjecensi Cetner cum Justina Gąsiewska Capitaneide Koszanensi, secutæ feriâ 3tiâ alteræ inter

A.C 1689 ter Mareschalcum Litvaniæ Carolum Dolski & Principem Wisniowecciam Palatinam Belzensem, Matrem Ducum Janusij & Michaëlis. 29. verò Maij Lublini inter Capitaneum Crasnostawiensem & Campestrem Regni Notaridem Czarneciam Connubium contractum, quò & mihi eundum fuit; quòd invitatus essem ad gratias pro domicella concessa referendas. Nec illustrium funera defuerunt: sub ipsa Comitia D. Wilkotarski vir prudentiæ aliarumq; dotum præcipuus, Nuntiiq; munere semper pro dignitate functus naturæ legibus concessit. Majus deinde Thesaurarium Regni Zamoyski extinxit non ingratâ Aulæ morte; cui infestus jam esse cœperat, Thesaurariatus ab obitu Palatino Belzensi, Palatinatus autem Castellano Haliciæ Zamoyscio datus. 31. Julij vitæ mortali valedixit, cùm jam antè mundo valedixisset, Vilnæ in domo Tyrocinii Societ. Jesu Thomas Vieyski qui honoribus Ecclesiasticis Kjioviensiq; Episcopatu, cui aliquot ultra decadem annis præfuerat, abdicatis Societatem ingressus, ex suis illis latebris evasit illustrior, demùm præclarè gestis & sanctæ vitæ conformem imposuit coronam. *Vti pluribus in ejus vita, quæ non pridem lucem vidit, videre est.* Abstulit Augustus Reginæ nuper delicium, meorum malorum iliadis partem magnam & authorem Dñam Federbe, opes suas 200000. florenorum Reginæ reliquit. Initio Septembris Electrix Brandeburgica Vidua concessit fatis, obiit etiam Castellanus Czechowiensis Kochanowski per prudentiam & dexteritatem famam promeritus.

Mors P. Ujeyski

Jucunda lectu aliis res hæc, quàm subnecto accidet; mihi verò doloris plenissima fuit. Laborabam dolore dentium; Marchio de Bethune suum ad id Chirurgum obtulit, utcunq; peritum artis asserens, facilique negotio suâ moturum sede & sublaturum dentem spondens. Nec abnuere Chirurgus, quin suam jactare peritiam, jam tum malè me mihimet ominante, ne per præsumptionem illius nec prius malum cessaret, & alterum insuper accederet; uti re ipsa factum est, petieram ab illo, videret primùm, pronúsne foret eruendo; quòd satius ducerem, ægrum pati, quàm acerbos cruciatus, qui si non rectè eximeretur, contingere possent, cumulare. Viso dente Gallicâ fronte reposuit; peritiæ ipsius crederem, me ne sensurum quidem: at nimium sensi, ubi à fractura medius duplicato dolore remansit. Non tamen dolor superavit patientiam; modestè cum illo expostulavi: cùm is positâ quodammodo fronte, qui ante artem jactaverat retrò temonem vertit, professionis suæ esse negans, dentes de suis sedibus vindicare. Patientia hæc mea Regi admirationi fuit, quòd impudentem hominem pro meritis non tractâssem.

De Dño Unichowski fama fuit, ferialibus diebus Palatini Novogrodensis titulum pro subscriptionibus usurpare, festivis autem Palatini Trocensis.

Comes Wielopolski ad duellum provocavit Dnum Zydowski Vexilliferum Cracoviensem; sed is quia Sabbatum erat, ne illud violaretur duellum renuit &c.

AMICO CONFIDENTI ANDREAS C. ZALUSKI EPISCOPUS KIJOVIENSIS & CZERNIECHOVIENSIS. 26. Junij Varsaviâ.

De Legatione Viennensi, Ablegato Moschovitico, aliisq; actis

Literas has ex itinere accipe, ut meâ diligentiâ excitem te quoq;, quanquam monitione non eges ad memoriam mei. Explicare non

non possum omni amicitiæ ac submissionis jure colende & amande frater, quantas sæpe etiam in difficillimi operis cursu vires afferat amicitiæ contemplatio, cùm & illis studiosius scribamus, quos ardenti amore diligimus, & placere cupientibus multa se se nunciandorum copia subministrat.

Venerunt literæ Viennâ, in quibus nullam esse apparentiam pacis videmus, cùm sint conditiones admodùm duræ propositæ, & tales, quales Victores victis in extremis proponere consveverunt.

Michaël Raczynski scribit mihi Viennâ, quòd aula illa desideret strictiorem amicitiam cum nostra, proponiturq; dextrè matrimonium inter Principem Jacobum & sororem Imperatricis Neoburgicam, quo casu in pignus dandum Principatum Ratiboriensem promittunt, super quo assecuratio dotis fieri etiam possit,

Episcopus interim Culmensis per continuam interpositionem meam integrè se reconciliavit cum aula, quamvis interceptæ literæ à Palatino Posnaniensi, ab hac submissione, quam ille fecit, eum avocabant.

Venerunt ad me D. Nuncius & Ablegatus Cæsareus cum summo dolore expostulando, quòd illæ suspiciones, quæ Viennæ contra aulam nostram habentur, non sint omnino sine fundamento, quod ipsi didicerunt, nihil discendum putant, cùm tres in aula Gallici Ministri videantur, qui magnas pecuniæ summas in Hungariam transmittant, & quod vicina ab ijs contagio hunc äerem inficiat, petieruntq; ut non tantùm illud cum solita circumspectione deferrem Regi, quantumq; vel authoritate vel gratiâ valerem, precibus experirer, neq; enim aliquando fui in sermone adulationis, sicut sciunt, & causam publicam in eo præcipuè juvarem, ut non pateretur, & nascentibus indies diffidentijs occasio tam evidens non suppeditaretur, non enim illis credere possunt, quos malitiosos, quos fallaces, quos parùm amicos sciunt, & quos minimè tolerandos putant.

Fuit etiam Ablegatus Moschoviæ nomine Principalium suorum, declarans, quòd velint solidi aliquid hac æstate incipere, ego addidi & perficere: petiit etiam copiam instructionis datæ Palatino Pomeraniæ Viennam, habens id punctum expressum in tractatu colligationis cum Moschovia nostræ, in quo puncto ad Cancellarium eum remisi.

Monstravit Rex literas Imperatoris, quibus suppetias petit contra Gallum.

Invitatus ad dicendam orationem panegyricam, gratiarum scilicet actionem nomine Dñi Potocki Capitanei Crasnostaviensis pro filia Dni Czarnecki Campestris Notarij Regni: excurri Lublinum, ibiq; benedictionem Sponsis dedi, & orationem dixi, pro qua aliquod donativum mihi præparatum scivi, sed non esse vendibilem lingvam meam apertè dixi, nec accipere quidquam volui, divitiæ meæ sunt, alij divitiarũ sunt. Unde primis Junij excurri cum Dño Principe Carolo Bialam, & pòst redij Varsaviam, ubi Rex monstravit, quòd matrimonium illud cum Principe Neoburgica si fieret, certè majora commoda & utilitates pro se, quàm pro nobis prætenderentur. Eâdem postâ habuimus natũ fuisse Electori Bavariæ Filium, & intra unum & medium diẽ mortuum.

Judicata fuit causa inter Godlewski & Ciecis zewski, & in Capitaneatu Mielnicensi, primus uti vir dexter, & jura Patriæ optimè sciens, voluit secundum uti Juvenem supplantare, sed non successit, Rex enim justitiæ amantissimus secundo adjudicavit.

Misit me iterum Rex ad Nuntium cum expostulatione, quod Vi-

A. C. 1689 enna nihil pro nobis facere vellet, unde animus cadit ad fortiora, respondit D. Nuntius, quòd & Ablegatus interveniens Cæsareus confirmavit, non esse mirandum, cùm plus quàm evidens sit tot Ministros *Gallicos* occasionem diffidentiarum præbere, non consideret interim sua Mtas, quæ scribuntur, sed ad essentialia procedat, & hanc æstatem fortibus impendat actionibus: ad quæ Rex: miserum sanè & fatuum quoddam genus, te nudare ut alium vestias.

Venit notitia 17 currentis fatis cessisse Martinum Zamoyski, Thesaurarium Regni.

Quæsivit à me Rex, quem crederem huic officio idoneum, ego referendo me ad summum Regiæ Mtis judicium, id tantùm dixi, quod è re ejus credidi, scilicet interesse Mtis suæ, ut ministerium hoc honesto imprimis viro, & sincero Mtis suæ amico deferretur, per quod etiamsi non nominaverim expressè, Marcum Maczynski Palatinum Betzensem intellexi: festinavi ad persvadendum maxima ex fama, quæ de eo fuit, & talibus utroque oculo Jupiter annuit, tanquam Mercurius dirigeret.

Redierunt Palatinus Pomeraniæ & Raczynski Viennâ, & *nihil se* fecisse in rem nostram confessi, pacis ex parte Turcarum in aliud tempus tractatus dilatus. In secreto tamen Regi dixerunt, quòd fieri posset, ut Rex Hungariæ in uxorem accipiat Filiam nostri Regis Princeps Alexander Archiducissam, & ut Princeps Jacobus Cardinalis fieret, qui non tam facile id faciet, quàm libenter ipsi vellent.

Princeps Radzivilia Soror Regis abivit Bialam, & ego etiam vidēs novas contra me machinationes, & infensum animum Reginæ; haud scio, an cum ullo mortalium unquam ita actum sit, ad abitum, *ne tamdiu* videar illis morderi quamdiu sentio, me resolvi, dumque *licentiâ* sumptâ Abbas Wyzicki quæsivisset, utrum mihi scribere posset? respondi ipsi, quòd nec scribere cuiquam, nec ullas à quoquam recipere literas desiderarem, & quòd vivere in privato cum omni tranquillitate prætenderem: nec velox tempus mihi videbitur, nec incredibilis cursus apparebit, sive quia non otiabor; & in solitudine admoveri lineas sentiam, sive quia attendere cœpi & computare damnum meum. Quid te torques? & maceras? in quiete & solitudine abierunt tædia, & offensiones. Hodie igitur abeo. &c.

LXXXI.

AMICO CONFIDENTI ANDREAS C. ZALUSKI EPISCOPUS KIJOVIENSIS Bialâ 13 Decemb.

Antequàm abirem scivi Cardinalem Primatem petiisse à Regina promotionem in favorem Korniakt ad vacantem Capitaneatum Belzensem, sed directè illa respondit, mirari se non satis posse, quòd D. Korniakt eò audaciæ procedat, ut in concurrentiam hanc intret, quòd pessimè accepit Cardinalis, tam leviter amicitiâ Reginæ perfungi volens, & vindicaturum se dixit, sed non timetur, paucos enim amicos habet, quid possit, nemo quærit, nec scire laborat.

Visitatâ per aliquot dies Abbatiâ meâ (O quid solutis est beatius curis!) rogatus à Principe Radzivilia veni 11 Julij Bialam, ubi rescivi Thesaurariatum, ut optabam, Regni datum fuisse Palatino Belzensi, Palatinatum Fratri defuncti Castellano, Castellanatus autem Belzensis Koniecpolscio cessit. Debui excurrere Brzestam Litvaniæ pro accommodando negotio inter Principes Radzivilios; quo defunctus abivi Człuchoviam, cùm ea bona à Principe Radziwilio teneam enumeratâ

ratâ certâ meâ ſumâ, ubi per aliquot dies moratus pro conſtituenda re œconomica excurri Gedanum, ubi inveni Buzynſcium, virum doctum & in tranquillitate Varmienſi tunc degentem, qui mihi dixit legiſſe ſe in certo manuſcripto, quòd poſt mortem Zolkiewski nolens ſigillum Regni dare Zbaraſcio, conſilium petiit Rex à Gembicki Archiepiſcopo Gneſnenſi, cuinam illud dare deberet, & iterum poſt mortem Trzebinſcij iterum à Lubinski itidem Archiepiſcopo conſilium à Rege circa hanc diſtributionem petitum. A.C. 1689

Redij Bialam 21 Auguſti, ubi inveni notitiam de morte ſubita Federbæ confidentiſſimæ fœminæ ſuæ Majeſtatis Reginalis. Dici poteſt quòd Dijs inimicis nata fuerit hæc mulier; nihil invenitur fœminâ pejus malâ. Venit etiam notitia de morte Patris Uieyski famoſi, erat hic Epiſcopus Kijovienſis: vir verè magnus, & ſuprema quavis in Rego dignitate dignus, hic non citra difficultatem Româ obtinuit facultatem reſignandi Epiſcopatûs, Abbatiæ, & aliorum beneficiorum & ingrediendi Societatem JESU, quod & fecit, & per annos aliquot cum ſumma ædificatione vixit, & non ſine opinione ſanctitatis in eadem Societate mortuus eſt.

Scriptum etiam eſt pòſt Berolino Electricem Viduam Brandeburgicam itidem mortuam.

Camenecum expugnari debuit arte quâdam, quæ & ſucceſſiſſet, niſi tardius noſtri & ſine ſtrepitu, quàm neceſſe erat, comparuiſſent, ac proinde Turcæ præmoniti, & cautiores redditi ſunt.

Palatinus Sieradienſis dixit mihi, quòd poſt mortem Cancellarii Wiełopolski, curioſa aula cùm vellet ſcire, an ſcriptum illud famoſum contra illam non poſſet inveniri inter derelicta ſcripta dicti Cancellarij Wielopolski, dederat com̃iſſionem Dño Warſzycki Palatino Sendomirienſi & Dño Krajewski Regenti Cancellariæ Regni, ut ſcripta omnia reviderent; nullum eſt, ut opinor, quod ſit propter ſeipſum factum, ſed quidquid omnino fit, ad uſum aliquem fieri neceſſe eſt. Quis eſt enim vel tam ineptus, vel tam otioſus, ut aggrediatur aliquid facere fruſtra, ex quo nullam utilitatem, nullum coinmodum ſperet. Qui domum ædificat, non ideò ædificat, ut tantummodo domus ſit, ſed ut in ea poſſit habitari. Similiter cætera quæcunq; fiunt, non utique in ſupervacuum, ſed ad uſus aliquos utiles elaborantur. Scis quid velim, & cur nominati Com̃iſſarij facere id voluerint, quod nec fas, nec æquum in libera Repub. omnes credunt.

Sed derelicta etiam vidua Cancellaria non tantùm id non permiſit, ſed venientes illos Com̃iſſarios peſſimè tractavit, domoq; vix non ejecit.

Venit Nuntius de electione Cardinalis Ottoboni ſub nomine Alexandri VIII. in Pontificem, & morte Cardinalis Ranuci, quem ſum̃è dolui, ille enim eſt, qui mihi ſubdiaconatum contulit.

Jaroſlaviæ ſolennes exequias inſtitui Innocentio XI. ſub cujus Põtificatu Epiſcopatum Kijovienſem habui, & poſt veni Zolkviam, ubi Caſtellanatus Siradienſis poſt mortem Grudzinſcij collatus Stanislao Mała-chowski. Receptus optimè à Mtibus, & Rex confidit in proximo eſſe, ut contractus matrimonialis Neoburgicæ cum Principe Jacobo finiatur.

Neſcio, an ſignificaverim tibi Cardinalem Primatem acceptâ notitiâ de morte Innocentij XI Romam excurriſſe, in via ciſtam cum duobus millibus Hungaricorum perdidiſſe, & poſt Electionem factam Alexandri VIII. (qui in illa proxima cœlo ſede incredibili Cardinalium omnium conſenſu, in quo perſpicua Divini numinis voluntas apparuit collocátus) in urbe comparuiſſe.

D. Nunti-

A. C. 1689 D. Nuntius Cantelmi abivit Viennam, D. Teill locum prætendebat habere ante fratrem Reginæ, unde multæ querelæ & jurgia, ita in consilijs infelicibus optima videntur, quorum tempus jam effugit.

Rex jussit me adire & colloqui cum Principibus Radzivilijs, ut scilicet aliquam personam mitterent totius Domûs nomine v. g. Raczynscium ad tractandum cum Principe Neoburgica, proinde redij Białam ex mandato ejusdem Mtis, ubi inveni Ignatium Diertens Visitatorem Societatis JESU, & inde scripsi ex bona parte præmonitionem habens Regi, ne consilium indiceretur circa Matrimonium Principis, scivi enim multa fore eo nomine impedimenta, Comitiola interim primis Decembris pro iminentib⁹ comitijs fiebant, Palatinus Posnaniensis scripsit Regi, ut cũ plenâ confidentiâ secum ageret, se juberet, quid agendum, abjectis omnibus diffidentiis præteritis temporibus seminatis. 2do ut restitueretur libera vox ad suum antiquum vigorem, mediante reinductione honorificâ Episcopi Culmensis in Senatum. 3tio ut nihil tractaretur in Comitiis, quod non fuerit propositum in Comitiolis secundùm instituta legum, tollendo contradictiones, quas formare deberent Nuntii non instructi. Expeditionem misi Raczynscio ad videndam Principem Neoburgicam in negotiis domûs Radziwilianæ. Interim Comitiola majoris Poloniæ rupta esse scribuntur, sed Senatores ejusdem curam & sollicitudinem rerum in se sumpserunt, obligando se in solennissima forma, nihil unquam permissuros, quod contrarium libertati esse deberet.

Raphael Leszczynski

Palatinus Siradiensis scripsit mihi magnam fuisse querelam inter juvenem Comitem Wielopolski & Zydowski, qui in duellum provocatus, noluit comparere, dies enim Sabbathi erat.

LXXXII.

AMICO CONFIDENTI ANDREAS C. ZALUSKI EPISCOPUS KIJOVIENSIS & CZERNIECHOVIENSIS. I. 7bris Białâ.

Modicum illud, quidquid residuum est vitæ meæ, Patriæ libens impendo, sed non minus tibi obsequi magnificum duco.

Respondeo ergo mandatis tuis, & defero, quòd post peracta festa Paschalia transivi per Lezaysko, imaginem B. V. M. miraculosam visitando, & pòst per Tarnogrod, ubi conferentiam necessariam circa publica negotia cum Martino Zamoyski Regni Thesaurario habui, qui mihi communicavit certa scripta in materia indigenatûs & Thesaurarij Prussiæ quæ & ego pariter tibi communicanda credo, & pòst redij Białam, ubi rescivi Lyszczynscium Atheistam captum fuisse ex mandato Palatini Vilnensis, quod non bene audivit apud nobilitatem, captum fuisse ante decretum. Legem illam, quæ popularis est, non tangatis.

Rex Grodnâ abijt rectà Vilnam cum magno mœrore Reginæ, quæ Varsaviam rectà ivit, ubi verusne an falsus morbus? subest disputationi; quidam enim forte maligni scholasticum vocârunt, ut scilicet impediret, ne Rex redeundo Grodnâ transiret per Białam videndæ sororis suæ causâ, quod quidem facere non potuit, ne ei displiceret. Quamvis nullus sit tam felix, cui valetudo sine noxa contigerit. Cœlum ipsum nubibus obducitur, astra laborant, elementa turbantur. Quid ergo, si in infirmitate aliqua sumus? natura jubet, vices istæ ferendæ sunt. In corpore fieri cogita, quod in domo solet. Nunc tegulæ frangũtur, nunc murus hiat, nunc trabs fatiscit; sed utitur fabri operâ Paterfamilias, ne cum mora damnũ crescat, tempestivè sarcit ædes. Paria verò sunt mala

la nostra in capite, pectore, ventre, totoq; adeò homine ægritudinis, doloris semina. Fuit maximus strepitus primis diebus Maij, ex occasione cujusdam scripti, quod contra Electionem Piasti formatum, & à multis Senatoribus subscriptum dicebatur, ubi multos innocentes involverunt, præsertim Principes Radziwilios, qui nunquam id in mente habere poterant. Illud ego credo esse scriptum, de quo tibi aliquot ante menses mentionem feci, ad quod subscribendum cum omni fervore sollicitabat me defunctus Cancellarius Wielopolski, sed ego nunquã manum meam, multò minus cor contra Majestates impendere volebam. Graviter hoc tulit Rex, cui non est inventus similis in gloria, nam plura illius opera sunt in occulto, quis opera justitiæ enarrare potest, quis investigare magnalia ejus, virtutem magnitudinis ejus quis annunciare? Grave ergo erat pati hæc, & vidi literas ejus Episcopo Posnaniensi scriptas, ubi declarat convocaturum se nobilitatem integram, & potius abdicaturum Regno, quàm talia amplius passurum. Currebat interim pessimum scriptum sub titulo Phœnicis contra Reginam, quod vix legere incepi, statim combussi, neminem id ausum scribere scio purioris, DEUS nulli magis præcepisse videtur illud: nosce teipsum; quàm ei, qui sit alium vituperaturus, nam fieri solet, ut juxta Sophoclis dictum, ubi verba temerè fundens, cùm quæ volens dixisti, vicissim ea ipsa nolens audias, cùm præcipuè sciamus Authores hos trabeatos. *A.C.* 1689

Nonâ Maji consecravi Ecclesiam Patrum Reformatorum in Biala, petitus eo nomine à loci Ordinario & ibidem prædicavi.

Rogatus à Principibus Radziwilijs, ivi cum illis Niesvisium, visitavi imaginem miraculosam Zuroviæ. Fui apud Patres Carthusianos Bierzæ loco certè pulcherrimo, & postquam visitassemus Korelicze, Mier, NiesWież, & res œconomicas satis bene constituissemus, transivimus per dominium Principis Radziwilij Mareschalci, cum intentione accõmodandi privatas quasdam domûs differentias, sed hoc non successit. Non omnes capiunt verbum DEI, sed ij, quibus datum est: habuit penes se certos duos amicos, de quorum quolibet dici poterat, quòd nec Oedipus quidem, qui Sphyngi interpres fuit, illos, si reviviseeret, intelligeret. Ita tardius hæc fiebat concordia, quàm ut nos desideraremus.

Redijmus Bialam 29 Maji, ubi invenimus notitiam de morte Electoris Friderici Vilhelmi Brandeburgici, venit sum̃a dies, die carens, sola nequit gravi virtus interitu mori, & sese tumuli viribus eximit. Evectus in Electorem Fridericus III primogenitus.

Inveni etiam literas Patris Vota nomine Regio expostulantis, & seriò petentis, ut, si quid scirem circa illud præfatum scriptum, suæ Mti deferrem, respondi ergo, quòd non sim oblitus juramenti, quidquid nocivum scivero, & certè id facerem, si certum aliquid scirem, sed manus Domini est cum Rege, & semper inimici ejus confundentur. Interim ego iniquum credens delationibus parare virtutum præmia, nolo esse accusator fratrum, & fortunam meam super ruinas aliorum fundare, nihil proinde super hoc puncto scribere illi possum, nisi quod palàm & evidenter omnibus occasionibus zelum pro Majestatibus non segniter, neque perfunctoriè monstrabo, nunc verò nihil ex nihilo existere, vera sententia est, cui nemo unquam veterum refragatus est.

Venit interim notitia Principem Anhaltinum potentem esse in Aula Brandeburgica, ubi Casimirus Bielinski Capitaneus Mariæburgensis multa & bene agit in favorem matrimonij Margrabiæ & Principis Jacobi, sed nonnullæ & forsan insuperabiles occurrunt difficultates, & læta

A.C. 1689 ta principia forte sequentur infelices exitus. His etiam diebus sine strepitu ullo combinavi divisionem inter Principes Radziwilios quam in castro Mielnicensi uterque roboravit.

Interim Princeps Carolus ingressum suum ad Capitaneatum Premisliensem facere intendens, petiit me secum, quod & libenter feci, volens eâdem viâ & Jaroslaviam meam visitare. 20mâ proinde Junij in suma frequentia nobilitatis fecit ingressum. Rediimus post 29mâ Bialam.

Varsaviâ habuimus Regem jam hoc anno non iturum in castra, cui mos facere tuta, eoque tardiora.

Accepi mandata expressa Regis, ut venirem Varsaviam, volentis absolutè accommodare negotium meum cum Regina, sed omnia differri debuerunt, cùm aliquot diebus pessimè valui. Tandem perfecit Rex, quod promiserat, & in palatio Casimiriano dicto, ubi præcessit prius consilium super negotium Electoris Brandeburgici, si scilicet deberet recipi succursus, quem hoc anno secundùm tenorem Pactorum novus Elector offert, & conclusum non acceptandum, cùm jam tardiùs possit venire, & magis transitu nocere subditis nostris, quàm prodesse contra inimicos. Differendum ergo ad annum futurum conclusit Consilium. Quæsitum etiam, si admittendi sunt Plenipotentiarij ad juramentū super pacta? & quis mittēdus ad assistēdū pro more, & jure iminenti homagio à Prussia Electorali reddēdo, sed hæc materia ad Comitia dilata. Erat aliqua causa, quā Rex judicare volebat, & inimici mei secretiores tātò magis instabant, quod longo tēpore durare debuisset, & per id negotiū perfici meū nō potuisset, sed Rex huic plus omnibus intentus, exivit ex consilio, & me ad Reginam duxit, ubi plurimæ Dominæ fuerunt præsentes, ut scenam hanc viderent. Ego inclinans me Suæ Mti his similia dixi, sicut hodierna Sancta (incidit enim festum Divæ Magdalenæ) postquàm tot peccatis offendisset DEum, unâ submissione suâ ad pedes Salvatoris, pœnitentiâ delendo crimina non tantùm remissionem omnium obtinuit peccatorum, sed etiam tantam ex ore Christi audivit approbationē, quantam nullus ex innocentissimis Sanctis prætendere majorem potest: sic & ego agnoscens culpam, non me excusans, sed comparens cum una exceptione facti, quòd scilicet scripserim aliquas literas; ad quas me dolor, & doloris impetus traxit; credo firmiter, quòd dum me pedibus Mtis substerno, eandem inveniam facilitatem, præsertim, quòd prætendam fidelitate meâ inconcussâ hunc errorem corrigere. Post conversus ad Regem dixi: humillimas & Mti Vræ defero grates, quòd me adimplere dignata est lætitiâ cum vultu suo. Fui nuper tenebræ nunc autem lux in Domino. Deducit me Mtas Vra ex his tenebris ad visionem beatificam, in quas me infortunium meum intruserat. Ergo nihil superest, nisi id, ut non verbis, quæ condigna invenire non possem, sed totâ vitâ meâ loquar bonitatem Mtis Vræ; exaltabo te Domine, quia suscepisti me, nec elevasti inimicos meos super me. Optime Rex me suscepit; Regina nihil respondit, tanquam se in corde arguens de injustitia, quam sum expertus, nam is, qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur, sinistrè id inimici mei interpretati. Abiverunt Majestates pòst Vilanoviam, & ego in cœna apud D. Marchionem de Bethune cum Cardinale Primate fui.

Aliquot dies in lecto infirmitatis debui manere, scripsi tamen aliquam schedam Reginæ, quòd servire ad oculum nequeam, excusando me, quod quidem optime exceptum fuit.

29. Julij absoluta est ceremonia juramenti ex parte Regis & Reip. nostræ

nostræ, præstitit Juramentum D. Felkelzam Palatinus Czerniechoviensis, & Dnus Bonaventura Krasinski Regni Referendarius, is, qui in jus succedit alterius, eo jure, quo ille, uti debet, ex parte Electoris Comes Donau & D. Wichert, factis adinvicem pro more protestationibus fuit post prandium, quod Rex nobis exhibuit, & cùm voluisset habere etiã Cardinalem Primatem, Principum nullus adfuit, magnum affectum tunc mini testatus est, quem magis inimici mei voluerunt impedire, quàm potuerunt. A. C. 1689

Fuit notitia Berolino omnia Principem Jacobum fecisse, quæcunq; fieri poterant, ad devincendum sibi Margrabiæ affectum, & quòd sit aliqua spes boni eventûs, quamvis annulum, quem Princeps offerebat, acceptare nullatenus volebat.

Ultimâ Junij expedivit me Rex Bialam, injungens, ut omni possibili modo persvaderem Principissæ Sorori ejus, ut rediret ad Aulam, cui & Regina sũmas expressiones fecit; & ego feci, quod debui, fuiq; Regi obediens, sed nihil effeci.

In fundamento bonæ spei Matrimonij Principis Jacobi, missum est Privilegium Dno Bilinski Succamerariatûs Regni, quem omnino Sigismundus Denhoff Vielunensis Succamerarius sperabat, sed

24 Augusti scivimus à Principe Dominico Radzivil Pro Cancellario Litvaniæ matrimonium peractum, & finitum fuisse Principis Margrabiæ, cum Principe Palatino Carolo Neoburgico Fratre Imperatricis, & sic spes nostræ elusæ, cùm rem quasi certam haberemus, Rex nihilominus minimè his turbatur si fuisset Laban ingresso in Domum suam Jacobo, DEUM & omnem benedictionem intrasse credidisset.

31 ejusdem habui magnam instantiam à Palatino Siradien. rogante enixè, ut Scholisteriam Kijoviensem vacantem post Przerembscium conferrem Dno Szembek, uni ex nepotibus suis, quod libentissimè feci.

Habui ab eodem Domino Palatino 1mâ Septembris schedam, ubi mihi gratulabatur, sibi gaudebat de reconciliatione mea ex qua non video meruisse laudem, culpâ caruisse arbitror. In argumentum trahi nequeunt, quæ propter necessitatem aliquando fiunt, novos augurabatur Aulæ favores, utq; sim memor ejus, rogabar. Respondi ipsi, imprimis gratias agendo pro affectu, & cùm ipse favores novos apprehensos perennaturos mihi gratulabatur, ego respondi: quòd nihil sit in mundo perpetuum, nec duraturum, satis est, quod meo remigio rem geram. Est profectò DEUS, qui, quæ nos gerimus, audit, & videt. Cùm verò dixisset, nihil superesse pro illo: reposui inexhaustum esse thesaurum gratiarum. Cõmemoravit etiam, quo Rex Achis laudavit Davidem: Bonus es tu, sed Satrapis non places: tanquam Rex mancipium esset Satraparum, sic boni ideò non placent in aulis, quia boni. Dum verò petijt, ut monetæ levioris sim memor (alludens ad suum Pieniązek nomen) respondi, quòd eum tanquàm pretiosum æstimem metallum: & exhortatus sum, ut, quod perpetuum fecit, bene mereri de Rege & de Repub. pergeret, nec deerit intercedentium dignitas, authoritas, gratia. Cæteris animantibus sese ignorare natura est, hominibus verò se non noscere, vitium. Nosco merita, scio quid debeatur illis, ac proinde mearum obligationum non oblivíscar, nam si infortunia moderatè ferre scivi, sic certè felicitate, si quæ venerit, nam eam serviliter quærere non cogito, non corrumpar. Desine ergo nunc ulteriores opes quærere, quòd pretiosissimum genus divitiarum est, amicos invenisti: &c.

Non adeò bene valeo, & finire cogor.

DIS-

A. C. 1689 DISQUISITIO IN QUÆDAM JURA TERRARUM PRUSSIÆ ad decisionem Comitijs Varsaviensibus in 26. Januarij incidentibus per Nobilem Regni porrecta anno 1651.

QUantis difficultatibus & moris publicorum consiliorum cursum elapsis proximè temporibus negotia Prussiæ impedierint; testis esse potest triste interregnum, convocationis, electionis, coronationis & ordinaria ac extraordinaria Comitia cum extrema planè Patriæ pernitie illorum intuitu rupta. Avertat DEus! ne & imminentia Comitia pacificationis exorbitantiarum justorumque Palatinatuum desideriorum (in quantum securitas & integritas Reipub. suprema lex populi indulgebit) antiquitùs designata, in quæ omnes præteritæ difficultates velut agmine facto devolvuntur, in exemplum veniant. Cui malo occursurus & facilitaturus sat intricatas materias, existimavi bonum factum; si præcipuis instructionis Mariæburgensis assumptis ad reflexionem punctis, domi æquum discernerem ab iniquo, & ostenderem tam ex jure Regni, quàm Prussiæ quid in opinione, non in lege fundetur: ne imposterum Prutheni immeritò Rempublicam turbent. Initium sumam à communi motu, de quo ut Polonia (quemadmodum jam incepit) in Comitijs imprimis agat, æquissimum est, ita de illo scribunt: indubitatum est quod hæ Terræ ad Generalem expeditionem bellicam ultra limites suos obeundam non sunt obstrictæ. Quæro quæ ratio hujus inæqualitatis Nobilitatis Regni cum Pruthenis in Repub. per omnia æquali? ut qui nuper ad quodvis indebitè dominãtium Imperiũ equum ascendere obligabantur; nunc unius Patriæ filij ejusdemq; Reip. cives dũ illa & Mtas sagum induit, ipsi soli togati persistere velint. Polonia quoties postulavit necessitas, omnibus viribus & opibus suis illis opem ferre non dubitavit, digna proinde; ut in tam manifesto periculo suo ab illis non deseratur; cum qua illis jugum æqualiter trahendum esse æquiore jure & rationibus, quàm quas ipsi allegant, decerni potest. Constitutiones apertè illis contrariantur uti constitutio anni 1621: à cõmuni motu & expeditione generali nemo unus, qui bona terrestria in ditionibus nostris possidet, exemptus esse debet. Sancita ea expeditio fuerat contra Osmanum in remotas admodum, ut res manifesta est, à finibus Prussiæ terras: jam tum tam in Nuntiorũ conclavi quàm Senatu sua Prutheni habebant subsellia: cur tum temporis in illis Comitiis, dum ea constitutio conderetur, jura sua non allegarunt? cur se ab hoc servitio bellico, si illis nulla incumbebat obligatio, & sive per officium, sive per ordinationem Reipub. excepti erant, non exemerunt? cur insuper, si Comitia legis modum excesserunt in contra non sunt protestati? sed quemadmodum in illis, ita & alijs Comitijs, dum toties quoties ea materia tractaretur, & de ea decerneretur silentio approbarunt? ad quid inter exceptos à cõmuni motu Melchior Weyer Castellanus Elbingensis œconomus Mariæburgensis ob graves causas & præcipuè ob arcem illius loci ac pecunias ex Prussia provenientes, si jam ante, ex quo Pruthenus & Prussiæ Senator Officialisq; liber fuit, positus erat? ad quid id, quod jam jure & sorte nascendi illi obtigerat, per Nuntios Prussiæ expetiit? apparet; non fidebat ille juribus Crucigerorum cum suis legislatoribus jam altè sepultis, quæ si aliqua fuerunt, tanquam juri communis Regni contraria, verso harum terrarum statu valorem amiserunt. Et meritò, quòd in tali causa, quæ capitis infamiæ & amissionis bonorum pœnam post se trahit, futuri providus Senator

nator nunquam satis timeri posse putabat. Rectiùs & prudentiùs ille sibi consuluit; quàm ij qui inconsultè recusatâ ad communē motum expeditione nunc primum contraria pro parte sua per civitates inquirunt & mendicant documenta. Verùm ex propriis illorum privilegiis luculentè ostendam, illos onus communis motûs effugere non posse. In privilegio Divi Casimiri Regis hæc de illo legimus: hoc duntaxat pro nobis & Successoribus nostris excipiendo & reservando; quòd quilibet Dignitarius & Terrigena Terrarum Prussiæ ad bellicam expeditionem, quotiescunque necessitas exoptaverit illam, per nos & successores nostros indici; armis & equis decentibus, quilibet juxta continentiam privilegij sui & tenorem, aliàs qui careret privilegio, secundùm facultatem bonorum suorum, servire erit obstrictus & obligatus; prout & alij incolæ Regni nostri ad hoc ipsum obligantur servitium. Ex quo privilegio facilè liquet, magis Pruthenos cōmuni motui subjacere; quàm Polonos: hi enim perpetuâ lege sibi caverunt; ne sine sancito Comitiali & prævia in Comitiolis propositione illum indicere possit; isti verò quotiescunq; necessitas exoptaverit, ad primum classicum Regis (ut Culmense privilegium sonat) tenentur accingi, nimirum: quicunq; 11 mansos possidet, is cū plenis armis & dextrario aperto, ac armis talibus competenti, & alijs duobus ad minus equitare; qui verò pauciores habet mansos, cum Plata & aliis levioribus armis, & uno equo ad arma talia competente, in expeditionem, quoties requisitus fuerit, pergere debet. Profectò satis mirari nequeo; cur Reges nostri tam claro jure habito, Pruthenis tamdiu condescenderint? nunquā adhuc computavi; quantus ex tali expeditione consurgere posset exercit⁹: tetigerim forsan nihilominùs, octo propemodùm millia non defutura. Est & altera obligatio adhuc, meæq; assertionis argumentū, in juramento à statibus Prussiæ dicto Regi circa subjectionē exsoluto; cujus hæc formalia sunt: promittimus Domino Casimiro Regi, & suis successoribus Regibus Poloniæ in omnibus felicibus, adversis, & quibuscunque casibus ope, præsidio, consilio & auxilio fideliter contra quoscunque hostes & adversarios corpore, animo, & rebus & cum effectu assistere, & bonum utile, commodum, honestum, quidem Regis & successorum suorum Regum Poloniæ juxta vires ac potentias nostras extremas efficere, dirigere, & procurare: quæ obligatio jus Crucigerorum putatitium fulcrum articuli supradicti (cives nostri ab omnibus expeditionibus, cùm Pomerani ulteriùs meritò timendi non fuerint, sint exempti: ad defensionem tamen terræ, videlicet usq; ad Vistulam, Ozzā, & Drewanciam procedere tenebuntur contra quoslibet terræ invasores ipsâ suâ generalitate) posterioritate sua diruit ex fundamento. Nunquam regnum Principibus suis hoc modo ad cōmunem motum se obligavit, nec illi à Repub. tantam obligationem requirebant; non recusārūt tamen, quoties Patria salva esse non poterat sine ejusmodi expeditione, ex beneplacito illam assumere, quam Prutheni ex debito negant. Exiguum quid aut nihil hostibus furore rabidis terroris incussissent suo illo ad Drewantiæ ripas motu, imò ludibrio fuissent, si à periculo centum milliaribus remoti, extrema Patriæ expectassent, Rege interim & Repub. de universa Regni fortuna cum Cosacis & Ethnicis decertante. Debuerant saltem; ut effugerent rigorem juris ad ostendendam qualemcunq; promptitudinem suam, etiamsi serò se præsentare; dum nostri de victis gratiâ DEI hostibus triumphales laureas in Ecclesias deferebant. Nec in hoc defectus ullus Cancellariæ Regiæ imputari potest; uti se multi excusant, nam maturè satis literæ restium editæ æquè ac Polonis redditæ sunt. Verùm quia malebant de apicibus legum cum Mte, & inter se de privatis

A.C. 1689

A.C. 1689 quàm de ſalute Patriæ & cum com̃uni certare hoſte; ita de induſtria extraxerunt tempus; ut non tantum Tyram non biberint, ſed ne quidem in confinibus ſuis fluentem amor illorum in Rempub. fluvium deguſtaverit. Quare ipſi dijudicent, non expleto eo ad quod obligabantur, & ad quod obligari ſe ipſi fatentur; utrùm non diſcretioni Regis & Reip. ſe ſubmittere debeant. Forſan jam pro hoc exceſſu tributum parârunt Principi: Rempub: verò precor, ut magis Pruſſiam præ oculis habeat, & ſi illa difficillimo belli tempore Remp. curaverit, optoq; ut totum Pruthenis condonetur, pro quo rigida judicia acerbiùs punire ſolent. Auget crimen, quòd Prutheni vendicatâ ſibi indebitè, quæ non niſi ſupremæ authoritati competit, poteſtate condendi nova jura, velut còequati Mti & Reip. ſub tempus illius expeditionis generalis univerſale jus in Comitijs ab omnibus communi conſenſu ſancitum laudo (ſi Diis placet) Comitiolorum Graudentinenſium aboleverint, manifeſtâ præſumptione Mtatis: per lauda ſcilicet Capitaneis Officialibus & dignitariis limitato ultra limites etiam in obſequium Reipub. egreſſu, ſub prætextu vani à vicinis metûs, extra confinia excedere vetando in quo puncto Principem ipſum & Rempub. ſupergreſſi ſunt; ex qua occaſione meritò opinionem eorundem de laudorum poteſtate cenſuravero, & Reip. oſtendero: cùm ſibi tot lauda condant in vim legum, præferendo ſe; Comitiorum approbatione non egere: tantum ſibi interim indulgent, ut breve intra tempus tot lauda procuderint; quibus ne muli quidem aliquando ſufficient, niſi CASIMIRI III. illos ſtatutum domuerit: nulla conſtituta faciemus ſine Comitiis: conſonat huic Alexandri Radomiæ: impoſterùm nihil ſanciri debet ſine communi conſilio & conſenſu Nũtiorum Terreſtrium. Item Sigiſmundi: novas conſtitutiones non faciemus ſine conſenſu conſilij Nuntiorum Terreſtrium in Comitijs. Reges exiſtentes tunc temporis hæreditarij ſpontè abrenuntiàrunt huic; quod etiamnùm Pruteni manu tenere volunt. In Comitiis ſine unius Senatoris vel Nuntij conſenſu nihil concludi poteſt; quantò magis, ſi quid ſine toto Senatu, Nuntijs Regni & Litvaniæ aliquot Senatores Pruſſiæ per factionem famuli ſui, electis Nuntiis Mariæburgi vel Graudẽti ſancitum fuerit, illegitimum erit. Dum ſub Imperio Prutheni eſſent, ante acceſſum ad Regnum; ſine Rege nihil novi conſtituere poterant: quantò magis, dum Reipub. pars facti ſunt, nihil ſine illa & capite ejus laudare & conſtituere poſſunt? Quæ videntes ipſi, ſe laudis ſuis regulare, nec illis circa minora officia in Capitaneorum vel Palatinorum diſpoſitione exiſtentia, niti auſi ſunt. E. G. ut Notarij Caſtrenſes & Cancellariæ Regentes eſſent poſſeſſionati; conſtitutionib⁹ Regni firmari oportuiſſet. Sed quanta hac in re inconſtantia, ut ab annuis ſubſcriptionib⁹ liberi eſſent, exoranda fuit Reſpub. ut verò à com̃uni motu im̃unes eſſent, ipſimet per lauda nuper excogitata licentiam conceſſerunt. Articulum in inſtructione de hoc habent: inter alia com̃endatũ ſibi habebunt Nuntij; ut harum terrarum lauda pro bono eorundem ſancita in debito ſuo conſerventur robore, néve in derogationem eorum quidquam in Comitiis Regni conſtituatur. Æquum eſt; ne Reſp. in id tanquam juri communi contrarium conſentiat; ſed quinimò totum & propter ſimiles abuſus de integro tollat, cùm in Patria noſtra, quemadmodum una eſt officina legum, Comitia ſcilicet; ita eſt unus Legislator Rex cum Rep: De Theſaurario Pruſſiæ talia ibidem com̃endantur: Magnifici ac Generoſi Nuntii noſtri omnimode promovebunt; ut officii Theſaurariatûs his in terris priſtina conſervetur dignitas, & authoritas; néve Illuſtriſſim⁹ Terrarum Pruſſiæ Theſaurarius ulli alij præterquam Statibus & Ordinibus terra-

terrarum Prussiæ rationes reddere ſtringatur. Ex quo verò id funda- mento aſſeritur? non ex alio utiq;, niſi quòd de communi motu fuit? nam ſtatus Prusſiæ talia ſibi conſtituerunt lauda tempore proximè præterlapſo, de hoc officio; qualia ex privatis reſpectibus ipſis placuerunt. Præcipuus Chronicorum Poloniæ author ſcribit de illis: quòd ante inſtitutam cum Repub coadunationem peculiare conſilium publicum, peculiares leges, peculiaria judicia & Comitia, ærarium & belli gerendi formam à reliqua Polonia habebant diverſam. Verùm poſtmodùm, ubi Poloniæ adjuncti ſunt, ceſſarunt ea omnia, vetera tranſierunt; facta ſunt omnia nova. Judicia illorum extra curiam translata ſunt ad Tribunal, Comitia Varſaviam, Jura permiſſu Reip. alia ſublata, alia correcta ita; ut abhinc in commune cum Regno conſulant contribuantq;. Theſaurũ & Theſaurarium proprium non habent, titulus illis tantùm & nomen officii relictum eſt; vis verò amiſſa, quæ antiquitus juxta citatum hiſtoricũ in eo conſiſtebat: ut Theſaurarius harum terrarum omnem pecuniam & rationem à Præfectis & Adminiſtris Regiorũ bonorũ & proventuũ, atq; etiam tributorum exigeret & adminiſtraret; quod modern9 Theſaurarius Prusſiæ & Anteceſſores ejus à tempore reincorporationis Prusſiæ Regno arrogare ſibi auſus non eſt. In Theſauro Regni rationes redditas eſſe, recenti tenemus memoriâ. Nec exiſtimo à Theſaurario Regni hoc honoris, moris, & ſtatûs refragantibus rationibus omiſſum eſſe. Statib9 Prusſiæ nõ cõpetit adminiſtratio contributionũ publicarum, ergo nec calculatio ſive ratio. Intuitu aſſignationũ Theſaurarii Regni juxta antiquas conſvetudines erogantur: igitur reddenda ratio eſt Theſaurario Prusſiæ: vel ſi Theſaurari9 Prusſiæ à Regni Theſaurario independens fuerit; æquato munere in uno, citò in omnib9 uti affectat certare volet; ut quemadmodum Theſaurari9 in Regno vacantes occupat, & eos ad collationẽ uſq; à Rege factã tenet nobis donatarijs reſignat, quartã agrariorũ & quidquid ex Regalibus redituũ provenit, recipit; ita & Theſaurari9 in Prusſia vi officii ſui adminiſtret. Quod libenter ij præſertim, qui per talia Theſaurariatûs Pruthenici fundamenta, Capitaneat9 & dignitates ſumas in ijs terris, deſperato aliàs indigenatu, ebrij ambitione ſomniant; econtrà modeſtiores amanteſq; boni publici, ut in ſuis terminis dictum officium maneat, eorumq; Theſaurari9 Regni Theſaurario rationẽ reddat, ex moderna diſtributiva, quantũ damnũ Theſaurc Reip. inferatur modificantes, videnteſq; ab ipſis in merã Reip. neceſſitatem cũ lachrymis & onere populi pauperis congeſta, in privatas largitiones, ſalaria famulorum ejuſdem Theſaurarii, & in ſolita Nuntiorũ viatica inconſultâ nobilitate profundi, ægerrimè id ferentes plurimùm optant; ut vel invito ſuperintendens relinquatur. Nec mirum cupido dominandi cunctis affectibus flagrantior. Habet inde non tantùm authoritatem; quia eſt munificentiâ ſummus, ſed etiam utilitatem extotſummis pecuniarijs, quas, quando, & quomodo libuerit exſolvit, rationes ejus audiunt Officiales, clientes ipſius: ſi quid occultius hæret exquirere illicitum, anceps, nec ideò aſſequare. Ipſe in Senatu inter primarios præumbrante faſtigio ſedet, vel contra notariũ ipſius quidquam dicere nefas. Duorum millionum rationes in ultimis Comitiolis (uti inaudij) inter aliquot precationis Dominicæ recitationes redditæ ſunt Nuntijs ſumariorum illius; ſcilicet ne evulgetur arcanum Imperij, quantum ſtatus Prusſiæ theſauro intulerint: at re ipſâ ne expenſa innoteſcerent, denegatâ notitiâ, ſi honeſta ſunt, quæ facis, omnes ſciant. Hic addam punctum ratione coæquationis, cujus tenor talis: quòd ſi à terris hiſcè coæquatio contributionum requiſita fuerit; Nuntij ſedulò præcavebunt, ne in volumẽ legum ex parte terrarũ Prusſiæ nota ali- *A.C.* 1689

 qua

A.C. 1689 qua initæ cũ reliquis Ordinib⁹ Regni coæquationis in constitutionib⁹ inferatur. Nolle coæquationẽ & comẽdare Nuntijs; ut contributiones æqualiter thesauro inferantur, sunt duæ res sibi cõtrariæ. Quo jure id volunt ab alijs; quod ipsi nolunt. Arduum est eradere ex constitutionibus status Prussiæ cũ Ordinib⁹ Regni nõ semel coæquatos: cujus jam etiã sub feliciter moderno Principe extant in volumine legũ argumẽta; non autẽ debere coæquari nullũ jus ostendẽt. Sufficit Pruthenis (de quib⁹ adhuc semel Authorẽ nostrũ audiam⁹) plebeij in Prussia neq; à bonis terrestrib⁹ neq; à Magistratib⁹ & honorib⁹ neq; à sacerdotijs, neq; à publico cõsilio arcentur) non anteferri illibatæ Nobilitati: civitates autẽ inaniter coæquationi cõtrariantur; ad quã æquè, uti etiã ad Comitiales consultationes nõ pertinent. Accisa quæ dant nostris Cerevisiariis corresp̃õdẽtia, indebitè & cum magno Reip. damno in censum tributorũ vix ad dimidiũ in Thesaurũ venientiũ veniunt. Reliquus est indigenatus Prussiæ materia hactenus suorũ uberrima, hic & nunc (nescio quo fato obit error in instructione memorat⁹: de quo nec ego pluribus agã. Defacto quidẽ juri obloqui erubesco. Nõ inficior in privilegio CASIMIRI Regis hæc verba esse: Castra, Tenutas, civitatum & locorum in terris Prussiæ nulli Extraneo aut forensi; sed proprio indigenæ juxta observantiam aliarum terrarum conferimus. Verùm, quia per adjunctionẽ Pruthenorum ad cives Regni, eo ipso exspiravit hoc jus; quia hi qui ante erant extranei, aut forenses, per hunc nexum facti sunt fratres & indigenæ; indigenatus Regni norma Pruthenici ex æquo & bono remisit; quocirca & hic, si illo fatiscente imposterũ virere debuit, non ex scriptis privatis, sed speciali Reip. cautione pactorum confirmatione eguit; sensim in desvetudinem abijt. Jã autem officia & bona Reip. non tam indigenis, quàm bene meritis, ijs scilicet; qui bello vel pace juvant ornantq;, ex prima fundatione competunt; nam generari & nasci fortuitum. Quod ex Prussia in comitiolis alij agant; faciunt id ex obligatione: accipiunt enim primùm mercedem suam. Etsi indigenatus extraneo datus facit illum universi Regni civem: cur ij qui in illo ex avis & proavis clari per virtutem agunt, minùs habebunt juris? Prutheni Capitaneat⁹ in Regno tenuerunt, & tenent: concives Regni verò in Prussia qui vetantur? indiget indigenatus Prussiæ hominibus; ob quam causam & ij ipsi sæpè illum transgredi coguntur, qui maximè illi patrocinantur. Mirabiles enim verò sunt; quòd Regiæ Mti rem sibi concessam tantopere vetare velint. Capaces bonorũ & natalibus & meritis, qui in ea Provincia inveniuntur, præmijs non indigent: meliúsne, quòd ibi plebeji Capitaneatus pro pecunijs teneant, nobiles Regni etiam per virtutẽ & merita eosdem consequi prohibeantur? multum circa hoc verborum est etiam inter ipsos Pruthenos; qui effectum hujus indigenatûs metu Oligarchiæ jam invalescentis non desiderant. Nec expedit Reip. omnia castra inter finitimos ab una gente teneri, præsertim quando tam apertè molitur separationẽ: nam si Prutheni obtinuerint, quod desiderant, novã in antiqua Rep. Remp. habebunt; sed nos nullũ solatium & cõmodum inde, (quia nostra comitia turbare non desistent) consequemur. Quibus omnib⁹ à Rep. statuendus modus est in futuris comitijs, decernẽdumq; dictos Pruthenos; ut probatum est tam ad cõmunẽ motũ quàm ad coæquationẽ æquè ac nos pertinere, nec quidquam juris in sciscendis laudis, ultra Palatinatus Regni habere, obligatumq; esse Thesaurarium Prussiæ Thesaurario Regni reddere rationẽ. Constitutio publica & lex perpetua super hoc facienda, declarãdũq; omninò; ne imposterùm negotia Reip. perplexitatib⁹ involvãtur, & nova cupiẽtib⁹ desint causæ. Nõ aliter ratio cõstat quàm si uni reddatur.

VOX

VOX LIBERA DE COMITIOLIS, INDIGENATU ET THESAURARIATU PRUSSIÆ 1651.

A.C. 1689

Conscientia satisfiat nihil in famā laboremus: sequatur vel mala, dum benè merearis Seneca.

DUæ res sunt, quæ nos potissimùm fatigant; indigenatus & rationes thesauri; ille is est, ut egeat correctione: hæ verò ejusmodi sunt, ut liberationem exigant. Hæc duo assiduè nos versant, conceptus gignunt, formant lauda, quorum jã plena curia Thorunensis est. Dũ existimamus jã nos tenere portum, & impensis sumptibus respondere lucra; adhuc hæremus in alto, frustraq; speramus finem, syrtibus & rupibus minantibus exitiũ. Cur verò id nobis contingat? crediderim infelicitati nostrorum consiliorum id imputandum, pauci Reip. curâ merent, Comitiola nostra, quæ jurium & libertatum domicilium remediumq; exorbitantiarum esse debuerãt, ipsamet perniciosè exorbitãt: convenitur salutandi magis & valedicendi gratiâ, quàm consulẽdi: rari in illis cõparent, & si qui intersunt, ex aliena libidine fluctuãt, uti eorum, qui dominãtur eis, voluntas fert, ita bonúm ve malúmve publicũ existimantes. In Generalibus potentiũ certamina vigẽt, cõtentiones atq; tumultus sæpe numero, propter trium hebdomadarũ Mareschalcatum: contrariari illorum intentis frustraneum, nec tutum; alium cominantur locum: id videntes boni jurisq; & Patrij statûs periti, quòd pro modestia ac pudore vis ac ambitio regnet, malunt absentes esse, civitates tacẽt, intenta mala quasi fulmen optant, dumodò se non attingat: nostra interim consilia ut navem amisso clavo per pelagus venti & tempestas jactat. Qui hæc ignorat meminerit Comitiolorum & laudorum, quæ status Prussiæ sub tempus præteriti interregni, quando ad universã Remp. & non ad partẽ aliquã par potestas more suo semper viduata recurrit, & in ipsum Principem ratione Pucensis Capitaneatus ac Brodnicæ; & in Thesaurariũ Regni ratione contributionum Prutenicarũ scripserunt: cognoscet facilè vanitatẽ consilij nostri, grandẽq; contẽptũ in Regno de pensionibus Pucẽsisibus, Brodnicẽsi merissimo dono, & Thesaurariatu quãtæ curæ & labores! nec tamen adhuc sapere didicimus, iterũ sumptus publicos profudimus in Comitia præterita duarũ hebdomadarum, in quibus mens erat solummodò prospicere Patriæ, & nutantẽ ab Ukrania Remp. sustẽtare; nobis verò aliter visum est, expedivimus sub tempus infortunii publici Nuntios, qui Principi molesti essent, negotia difficultarent; quo verò lucro? vento tumentes spes ruptæ sonuêre, parum de indigenatu ob privatum quorundam bonum actum est. Tertiò misimus Nuntios ex Comitiolis; quæ ideo limitaveramus, relationis ad Regẽ: quis effectus fuerit hujus legationis? quo sensu acceptus? quam laudẽ tulerims? iñ recenti adhuc viget memoria. Jam autẽ, quia Nuntius Regis ad terminum limitationis non perstitit in hospitio, nõ licuerat celebrare Comitiola; licuerátne autem limitationẽ prolongare? profectò insignis ea imprudentia fuit, quæ celerẽ nobis pœnitẽtiã attulit, sed eandẽ seram & inutilem! nósne enim soli in Regno existentes sine concivibus Regni habemus absolutum cõtra Principẽ & concives, quidlibet statuẽdi arbitrium? nobisné impunè abierit? quòd à Rege designata transtulerimus Comitiola? inter publicas calamitates negotiationes cum distracta Patria fecerimus? periclitãti Reip. subsidiariam manum subtraxerimus? ea à Principe postulaverimus? quæ nemo ne à privatis quidẽ desideraverit; scilicet: ut mutaret verbum metricæ incorporatum, reciperetq; quod in Prussia glorioso contulit civi. Fuit equidẽ indigenatus iste toti cõmunis Regno secundùm illud statuti: dignitates, Castellanatus & officia in universis terris Regni nostri personis benè meritis, ætate, intellectu, & prudentia benè vigentibus & indigenis distribuemus, dabimusq; dignitatem illi personæ; quæ ibidẽ, ubi dignitas vacabit, habuerit hæreditaria bona; ut viã murmuri & displicentiæ præcludamus. Ob quam causam etiã nobis incorporatione idẽ cautum est, & mu-

nitum.

A.C. 1689 nitum: dignitates & officia hactenus consistentia & imposterum constituenda, item castra & tenutas civitatum & locorum in terris prædictis videlicet Prussiæ nulli extraneo aut forensi, sed proprio indigenæ juxta observantiã aliarum terrarũ Regni nostri conferem⁹. Verùm quia statim successit murmur & displicentia ob inæquales reditus: in Regno enim vacantes alij exiguũ quid, alij plus inferunt: res justitiæ repugnare visa est, ut tamdiu benè meriti sine præmio essent, donec congru⁹ illis vacaret honor: sustulit id Resp. Regisq; placito comisit distributionẽ vacantiũ. Quòd autẽ respondem⁹ constitutione nostrum privilegium non potuisse tolli, quia illo tẽpore nondum nos obligabant constitutiones: habebam⁹ enim nostra Comitia singularia, in Comitiis primũ Lublinensib⁹ 1669 simul cum Regni concivibus & Senatu consedim⁹. Sine nobis ergo nostra violari jura nõ potuêre; tã enim sancta sunt æqualitatis jura, ut nõ tantum contra totã provinciã; sed ne quidẽ in pauperrimi nobilis exitium vel injuriã etiã cõplures Palatinatus nihil ejusmodi constituere valeant, nec queat hæc cõpages convelli, sine convellentium exitio. Aliàs necessariò cessaret illa, quâ corã orbe gloriamur paritatis prærogativâ, tyrannisq; succederet, paucorum potentiâ occupante, quod plurium erat, deprimenteq; minores quocunq; prætextu; qui nõ difficilis adinventu foret. Idem & ego censeo melius fore dispari libertate unum esse servientibus, cui obsequeremur. Nihilominùs videtur mihi nos illa scribendo lauda id non consideràsse privatis occupatâ mente ej⁹ considerationẽ non admittente; & etiamnũ nimio affectu in jus nostrũ abreptos non perpendere statum Reip. qui olim fuit, & qui nunc est: quid usus Reip. fecit inutile; quodq; illius ævi observantia mutata amplius apud nos observari non potest. Nã quid id aliud esset; nisi in æquali Repub. esse & inæqualẽ esse? nobis liceret aliquã obtinere in Polonia possessionem; non liceret econtra Polonis apud Pruthenos: quis plus meruit, liberatores an liberati? unde ob id ipsum etiamsi aliæ deessent rationes, quãvis inviti privilegium nostrum constitutioni subdamus necesse est, si forsan necdum subjecimus, nec hâc prærogativâ nostrâ cessimus. Facti enim cum Rep. unum corpus & individuũ, ac à fatis D. nostrorũ juris Mtis participes, apud Successores Reges ut non nisi Pruthenis in Prussia tenutas & Capitaneat⁹ conferrent, per pacta conventa, cùm tamen tum maximè advertere oportuisset, non cavimus nobis; quin imò adversâ injustitiâ quo ad id, quod bene meriti præmijs defraudandi essent, de industria præterivimus; uti defacto ab ipsa incorporatione nõ fuimus in usu illorum, non interpellatus Indigenatus, obtinuêre tenutas concives Regni, Capitaneatus, Castellanatus, etiam Palatinatus in Prussia; nec declaratio Regia derogabit juribus nostris. Verùm nos ipsi quomodò servamus indigenatum nostrum, quantiq; pendimus? vilioris fortunæ homines, quibus utcunq; collecta pecunia pretiũ facit, æstimamus, in Comitiolis primo loco & voce honoramus, admittim9 etiã civitatẽses ad honores, officia ferè omnia Castrensia, alienigenis quos provincia ceu cerevisia feces ejecit, concredim9 nosmet ipsos, illis confidẽter aperimus, negligim9 interim in generalib9 agere per Mareschalcos; ut indigenis officia Castrensia comendentur. Illos in Deputatos Nuntiosq; deligim9, quod nõ oritur (uti defunctus Werda in scripto pro indigenatu sibi blandiebatur) ex humanitate nostra, sed vel ex defectu, quia dignos non habem9 vel quia nolunt esse serviles animæ & in Comitiolis præter mentẽ ad gratiã loqui. Advenæ potiores: quia servitio prompti. Meo arbitrio hoc sufficit pro indigenatu, esse & vivere nobiles, prodesse velle singulis & universis ingenio, voce, consilio & opere. Benè meritus à conspectu Principis tristis non recedet; liberalis illa manus est, quæ nuper horrendam ignibus, fulminib9 & suprema Patriæ pernicie fœtam nubem dissipavit, suoq; Horyzonti

ryzonti

ryzonti reddidit ſolem, decus, vires, & pacem. *A.C.* 1689

De Theſaurariatu legimus apud Bielſcium, Caſimirum Magnum, receptum Mariæburgenſem Capitaneatum à Sciboro Culmenſi duobus contuliſſe; ut unus reditus inſpiceret, alter fortalitio præeſſet: inde penes Oeconomum Mariæburgenſem Theſaurariatus etiam Pruſſiæ in multos annos fuit. Nam quidquid notarius Theſauri ordinarij à ſeſqui millibus florenorum accipit; quidquid quietationum (ut alia exactionum nomina præterea) itemq; illa, dum cuipiã officiali venienti cum aſſignatione pecuniaria, obtenditur pecunias deeſſe; cùm promittit partem occultè Theſaurario ex Oeconomia: id totum ante alijs cõmunibus neceſſitatib⁹ deſerviebat. Multùm indoleo huic tam prodigæ publicarum pecuniarum diſpenſationi. Neſcio qua de cauſa notario continua ſolvi neceſſe ſit diaria; non utiq; ſemper in functione eſt, non in Theſauri gratiam ulli ſe cõmittit itineri, niſi forſan ad milliare Skarzewios, & illuc quam ob rationem proficiſcitur? ſi forſan propter illa decreta contribuentium & quæſtorum, qui cõmuniter ante cõtra omnes, parcendo nomini, retentores in indicem inferre ſua nomina cõſveverunt, & ſic nemine nominato cum notario Theſauri poſtmodum cõnivente efficiunt; ne apud ullum executio fiat, & id ipſum à Subpalatino obtinent per decretum, quo ſe etiam ille inter dandum rationes excuſat. Exiguum hæc ipſius ſolicitudo profuerit. Verùm ut redeamus ad Theſaurariatum, de quo titulo adhuc in Cancellaria Regni lis eſt; vel eſt officium privilegiatum? vel non? ſi officium eſt, antiquitus eſſe debuit, locumque habere in Senatu, nec cum Dignitariatu inſimul ſtare potuit: ſingulis ſingula munera curare rectè difficile eſt, plura nemo poteſt. Verùm quia cum dignitariatu conjungitur, nec in Senatu locum habet, & ab initio officii hujus in Pruſſia Theſaurarii Pruthenici in Theſauro Regni rationes reddebant: ſequitur eos etiam à Theſauro Regni ſuam habere dependentiam. Quod quia ita eſt, fruſtra ſubterfugimus ejuſmodi rationes, fruſtra fatigamus cerebrum, cudimus & recudimus lauda, quinimò (ut omittam illa centum & decem millia, pro quibus novi, quid & cui Thorunij comparaverimus, ſed non dicam) pro qualibus pecunijs in præteritis duarum hebdomadarum Comitijs Cenidrobum emere voluimus? illud tacere nequeo, quia commodum Reipub. ſpecto; ut Theſaurarius Pruſſiæ quemadmodùm ante rationes reddebat in Theſauro Regni, ita & impoſterùm reddat, Theſaurum non adminiſtret, plura non computet, quò plura in ſua lucra expendat, huic aliquot centenos florenos, illi aliquot millenos non deferat, pecunias contributionum in exſolutionem ſuorum famulorum non adhibeat, nec ijſdem utatur; ut alios in ſuam partem pertrahat, emptiſque vocibus pro ſe in Comitiolis agat (egregios enim verò amatores Patriæ venales animas) néve fratres & concives noſtri tantum contribuere cogantur, aliàs niſi quo ad id cautiores fuerimus, & ſi quantum pauperum eſt, venire illuc ac ſibi pecunias petere cœperint, ſinguli nunquam exſatiabuntur, Reſpublica autem deficiet.

COPIA LITERARUM CARDINALIS RADZIEJOWICIJS 15 Novemb.

EManârunt Literæ ex inopinato circa ultimos Septemb. ab Epiſcopo Culmenſi ad me ejuſmodi ſtylo & atramento ſcriptæ, quali non jam Epiſcopis ad ſuperiorem ſuum ſed vix de fece homo & medias inter militares tabernas educatus ad ſuum contubernalem ſcriberet. Viſum mibi erat compati magis, quã ſuccenſere homini paſſionum ſuarum mancipio; & ideò contentando me literaria intra characterem admonitione, volebam ob honorem communis cum ipſo characteris hæc abſurda altã diſſimulatione ſepelire. Prout re ipſa facilis apud me moderatio fuit; nam diebus aliquot ab acceptis literis hoſpitanti apud me Radziejowicijs

A. C. 1689 *jowicijs Cardinali Pallavicino ne minimam quidem ejus rei mentionem feci, nolens ut tam malam opinionem de Polono Episcopo Romam secum deferret. Tantâ itidem cura Illmum Nuntium Cantelmi de hac re celavi, ut admiratus fuerit tantum silentium, & de eo mecum expostulârit. Verùm quandoquidem Episcopus Culmensis quod ego tanto studio supprimebam, tanquā rem gloriosam in vulgus tantâ celeritate transmisit, copias infamis scripti in omnes dispersit partes, hactenusq; de pudendo projecto capit oblectamentum: forem characteri ac dignitati meæ injurius, sacro Purpuratorum collegio injuriosissimus, & Vobismet ipsis; si rem ulterius silentio premere vellem. Priusquam ergo ea injuriæ vindicandæ arripio media; quæ mihi Canonici gradus ac dignitas suggerunt, per prius dolorem in fraternum tuum depono sinum eundemq; consulo, quomodo tot vesanos impetus hominis hujus, quotidiana scandala ejus & violentias, de quibus omnium civitatum Prussiæ flebiles mihi deferuntur querelæ sistere, quomodo pacem publico Collegio Episcopali decoremq; pristinum restituere liceat. Et quia imminentia comitia plurimas alias abundè subministrant occupationes: optarem, velles hebdomadâ saltem anticipare comitialem congressum hicq; comparere Varsaviæ; ut sic tam in hac causa quàm in alijs ad statum nostrum & integritatem Ecclesiarum pertinentibus plenè collegialiter conferre & consulere possimus.*

Querela ob scriptū infame

RESPONSUM AD DICTAS LITERAS EPISCOPI KIJOVIENSIS

Literæ Eminenriæ tuæ 15 currentis Radziejowicijs datæ in favente & debitam Metropolitanæ dignitati recognoscente venerationem corde justum suscitarunt dolorem, præsertim quòd perpenderem tristiorem Ecclesiæ Sarmaticæ conditionem, quæ nuper in pulchritudine pacis in tabernaculis fiduciæ florentissima fuit, unius labij veluti vox: nunc verò in illa tantæ scissiones, quæ non tantùm scandalum in statu sæculari, sed & præjudicium grande ex hac pariunt divisione, quando ij quibus incumberet ex vi characteris extingvere flammam, eam accendunt magis, quando juniores senioribus insultare, verbis punctivis perstringere, publicè obloqui, quando alienam inumbrare lucem, ac si illorum faces in istius præsentia lucere non possent, atroci aculeo delicato honori grave infligere vulnus; quando odio & malo affectu cor occupatum priorem se pati nolens, quem divina voluntas, supremum in terris judicium, gratia Mtis suffragantibus proprijs meritis supra communem extulit dignitatem, & in primo duplici titulo collocavit gradu, suas repræsentare iras: quando in sole indagare maculas, rosam in spinas, mel in fel, triticum in zizania transformare: quando denique eò sine discretione, parum sui, parum characteris memores effrenatam passionem sequi, quò rapit impetus, pro oblectamento ducunt. Est profectò cur potiùs publicæ totius Ecclesiæ indoleamus infelicitati, quàm tuo intaminato honori, cui nulla in Cardinalitia Eminentia inferri possunt detrimenta: nam impetus eorum, in quorum conspectu stellæ non sunt mundæ, pungunt sed non perforant, suntq; similes sævientibus in æquore ventis, qui Celsissimas feriunt cautes ipsiq; retunduntur, nullo invictæ rupis detrimento. Quemadmodum fluctuantibus aquis augetur spuma; ita fortuna crescente invidiâ etiam suis surgit incrementis. Incidit tua eminentia in hoc fatale magnis viris & incomparabili virtuti monstrum; verùm inde solatium sume, quia dignitas tua est supra læsionem, gloria supra infamiam: nihilominùs cùm tua Eminentia memor, illum cujus vicariam in Polonia refers potestatem, zelosè honori suo studuisse, (honorem meum alteri non dabo; item recogitans Apostolicam resolutionem: bonum est mihi mori, quàm gloriam meam quis evacuet) hūc suum dolorem, & universæ Ecclesiæ Sarmaticæ in tua Persona injuriam, in sinum collegij Episcopalis effundere, inque defensionem Cardinalitiæ & Primatialis Dignitatis invocare dignatur; libenter & ego pro termino determinato ad locum designatum accelerabo, minimè dubitans: omnes nos perlecto jure de honore Metropolitanæ dignitati debito, ad id collimaturos; ut inveniantur media ejusmodi quæ læso honori plenam possint afferre satisfactionem. Nunc calamum constringo, animum omni tempore, cùm id debitum meum omni titulo tuæ Eminentiæ obligatum & occasio postulaverit, ad obsequia pronissimè laxaturus.

LXXXIII.
AMICO CONFIDENTI ANDREAS CHRYSOSTOMUS ZALUSKI EPISCOPUS KIJOVIENSIS.

PRiusquam publicis hujus anni actis calamum admoveam; unũ per prius attingam, quod de Rege nostro non quidem per ullã culpam, sed ut in tanta rerum farragine evenire non raro solet, per divisam in plura memoriam excidit. Alterum etiam non omittam; quod cum tempore natum æquum censui, ut suo illud tempori in principio planè anni tribuerem æternum pietatis in Eucharisticum DEUM populiq; rudis commodum, dum Poloniæ sacra & vera constabit Religio, monumentum.

Præliũ ad Parkanum A Castellano Vilnensi Exercituum Campiduce Litvaniæ, qui Parkanensi prælio improsperè gesto interfuit, percepi; Regem accepto indicio ad Parkanum non magno numero hostem versari: dum eò movisset, moxq; ex alijs didicisset non jam ut antè paucos, sed complures copias, quibus impares futuri videremur, adesse; alijs metuentibus intrepidè dixisse ad dictum Castellanum: non quæramus quot sint, sed ubi sint. Præclarè id & fortiter dictum fortuna deinde destituit, incusata præceps audacia: at frustra; minimè dubia fuisset victoria, aut saltem æquo Marte ex arena discessum esset: nisi novus quispiam belli Imperator (de Senatu fuisse dicitur, cujus per honorem nomen suppressum) velut de imperio Principis alterum stitisset cornu, quod facili negotio si se aliquantisper circum egisset, inclinatam jam alteram partem exercitûs secundo succursu restituturum fuisse judicatum fuit. Verùm non diu lætari licuit hosti eâ victoriâ: à clade enim delatus in consilium vel cum vitæ suæ dispendio ultionem decrevit, paratumq; se occumbere, declarans prælilium in proximum sabbatum an Dominicam indixit eventu lætissimo: nam cladeş pensata clade hostiumq; sangvine, quo ipse Danubius intumuit, ignominia, si quæ illa fuit, favente cœlo eluta.

Fundationes à Principe Radzivilia Alterum quod huic tempori debetur est gemina fundatio à Principe Vidua Radivilia facta, una Nesvisij; quæ cultum absconditi in EucharistiaDei perpetuaret, assignatis in censum 30000 florenorũ Polonicorũ ut Moniales Ordinis S. Benedicti ad normam Virginum Sacramentariarum perenni per ordinem alternâ, genu flexæ latentem DEum adorarent. Alia 30000 assignata pro Missione PP. Basilianorum Bialæ; ut constanter vicos pagosq; obirent, & rudibus fidei rudimenta instillarent. Dubites quod alterum altero sanctius factum sit: hic DEus sub speciebus, ibi in animis colitur: at dubitare nefas, uti cæleste utrumq; fuit, sic cœlestibus jam dudum Principi repensum præmijs esse. His præmissis jam iterum ingredimur difficile illud consiliorum æquor; quod motibus animorum ceu fluctibus toties agitatum aliàs non rarò velut ad scopulum allisit Rempub. & à tot naufragijs nomen accepit. 18. Januarij aperuit Comitia, in quorum statim initio Mareschalco priorum contradictum; quod ea comitiola, ex quibus se Nuntium Ablegatum ferebat, rupta fuissent. Processum deinde ad Electionem Mareschalci, quod munus quinq; affectabant concurrentes; Galecki Archimagirus, Bilinski Succamerarius, Wessel Incisor Regni, Lipski Ravensis, Dzialynski Bratianensis Capitanei. Adverso Rex, postremo æquiores animos & faventiores Nuntiorum esse, vocatos ad se concurrentes omnes ad concordiam induxit, seq; in favorem Capitanei Bratianensis inclinare ostendit: uti de *Initium Comitiorum*

A.C. 1690 facto tertio ab inceptis Comitijs die Regis votum probantibus Nuntiis nemine contradicente officium dictus Capitaneus occupavit. Aliquot postea dies insumpti in censura & lustratione quà Nuntiorum, quà Senatûs, an omnes legitimè activitatem suam exercere possent? 25 demum die secundùm deprecationem, quam Episcopus Culmensis ingenitâ levitate, & erudita vanitate Regi super offensis perorans fecit, moxq; etiam cum Episcopo Cracoviensi in pristinam gratiam rediit, in senaculo pro more disertissimâ oratione Mareschalcus Nuntiorum Mtem salutavit; alteràq; rursum post responsum à Cancellario datum ac manûs Regiæ osculum, solennissimè gratias Regi egit; quòd omnia amoveret obstacula, differentiasq; sopiret; quæ Comitia ardua reddere & difficilia possent: repositum à Cancellario; Regem nihil aliud quærere nisi satisfactionem universis & singulis, sperareq; felici exitu terminanda Comitia; si quidem animi omnium in unum conspirarent. Sub hæc Mareschalcus Regni veluti præfationem habuit, dicens: moris olim fuisse; ut articuli Mareschalcales legerentur, qui quia jam in volumen legum inserti essent, se lectione morari nolle, sed eò quemq; remittere: præmonitos tamen velle, ne siquidem in prioribus Comitiis multa extra orbitam facta essent, ejusmodi disordinationes iterarentur; aliàs indubiè, cùm ad se circumspectio talium pertineret, rigorem legum à se extendendum. Lecta deindè pacta conventa; Senatûs autem consilia post vota rejecta secundùm constitutionem anni 1641 fuère. Votum meum fuit de cogitationibus pacis, quod non omnibus placuit: at pensi habui aliorum placita, conscientiâ meâ pro me militante: dicenda enim vera sunt, nemo quantumvis probet. Interea Litvaniæ Cancellarium Oginski vixisse innotuit. Vir is dum Palatinus Trocensis esset, dignus visus, ut olim Romanus Galba imperio: verùm officiũ virum probat, occupato per saltum, præterito Dominico Radivilio Procancellario, Cancellariatu inventus est minus habens, nomen quod habuit tractatu Moschovitico per detrimenta Patriæ concluso detrivit & perdidit: viduus verò honor 26 Februarij postea in Dominicum Radivilium Procancellarium, quem ante præterierat, nequicquam obstante Reginâ collatus est. At in Nuntiorum conclavi graviter tumultuatum contra externorum Principum legatos; desideratum etiam, ut Litvaniæ Cancellariatus circumscriberetur, quod effectu caruit, Principe Præfecto Stabuli reciprocè exigente; ut Ducalis clavæ potestas eandem subiret vicem, & similiter per circumscriptionem in ordinem redigeretur. Nuntius Belsensis Glogowski cum protestatione exivit nullâ ratione prævià; nisi quòd suspicarentur ab Ablegato Gallico Grawel per Musicum quendam Sacerdotem Giertrandum, quẽ brevi pòst Posnaniensis Episcopus in arestum accepit, corruptum, utcunque ea res fuerit; contendentibus inter se quidem Galliæ Ministris (tres ij fuère de Bethune, Grawel, & Tellier) sed in nostra mala concordibus, tertioq; quantumvis expeditio data jam esset, etiam se rediturum ad Principem suum negante, actum erat de Comitiis, necdumq; in altum provecti fecissemus naufragium; nisi insolentem Nuntium Rex promisso Vicecolonelli officio apud Principem Jacobum, & sex millium pensione ad saniora & mitiora traduxisset. Restitutâ ergo activitate judicium exercitum in Thesaurarium nuper Regni Morsztyn ratione cimeliorum, juramentumq; ejus in scripto transmissum assertorium ea & nõ alia esse, quæ sub custodia sua habuisset cimelia, fuit acceptatum. Judicium hoc excepit relatio Palatini Pomeraniæ de Legatione Viennensi; ex qua patuit spe hactenùs vanâ nos lactatos, imposterum ne sperare qui-

Dzialynski Mareschalcus

Oginski Cancellarius Litvaniæ.

Circumscriptio Cancellariatus frustra urgetur.

Protestatio Glogowski.

Juramentũ Morsztyn.

Relatio Legationis Viennensis.

quidem aliquid in rem nostram debere. Successit relationi iterata contra Gallicos Ministros querela, notatusq; imprimis Grawel; cui etiam à totâ Repub. indicta profectio, sed pertinacia se vinci non sivit: quin Regis minas, quas illi per Thesaurarium Regni intentaverat, denuntiato in judicium citandum contempsit & derisit, & quò securiùs discordias nostras aleret, in cœnobium pro asylo secessit, sacri loci latebris ad rimanda publica nostra, & sanctitatis domicilio in perniciem charitatis, si succederet, usurus. Habita tum etiam sessio Ecclesiastici Senatûs; quòd tam Duces exercituum, quàm alij auctionem hybernorum à nobis prætenderent: conclusum in ea, negarentur majora hyberna, quàm fuissent; pararetur defensio, ablegarentur ad Regem, qui protectionem ejus postularent, nec mora; amplexus causam nostram Princeps est, & Ablegatis in hæc verba pronissimo animo respondit: se nunquam vitæ suæ & sangvini pepercisse, quò Religionem & Ecclesiam defenderet: nec nunc defuturum, paratum etiamnum esse simili modo eandem protegere. Ablegati etiam ad Duces fuêre. Destinatus deinde pro sessione cum exercitu præter alios & ego fui; in qua de mediis consultatum, per quæ fieret, ne miles pro hybernis stativis in Poloniam redire necessum haberet. Post multam deliberationem tandem repertum hoc; ut bona etsi Nobilium pro pecunia in arendam acquirerentur, & in ijs exercitus locaretur. In consilio autem bellico, cùm Palatinus Russiæ difficultates proposuisset, rationibusq; invincibilibus probâsset, impossibilitatem oppugnationis Cameneci, & ingressûs in Valachiam, subintulit Thesaurarius Regni: domi igitur maneamus, nec pedem extra limen Poloniæ efferamus, nam non nisi alterutrum horum facere possumus. Sub hæc Episcopo Cracoviensi Pontifex characterem Nuntii Ordinarii ad aliquot dies usurpandum detulit; quare ut Nuntius exceptus fuit, publicamque in Senatu audientiam habuit; in qua ad concordiam universos est exhortatus. Secundis auribus audita ea oratio fuit: non item ad gustum Majestatis accidêre, quæ ex Hispania & Portugallia deferebantur vergentia in aliquot Regiæ domûs sive detrimentum, sive dishonorem. Affirmabatur enim tam Hispanum quàm Lusitanum moliri; ne Connubium Principis Regii Jacobi cum Neoburgica effectum sortiretur. Alterum tum etiam accidit vilis sed versuti hominis adinventum, procul dubio gentes & Regna collisurum; nisi sagacissimus Princeps fraudem deprehendisset. Ruthenus Sacerdos Cosacus genere & gente ad Regem venit, cum charactere Ablegati ad speciem, ut apparuit à Duce Mazeppa expeditus, ingentes copias Cosacorum deferens & Kijowiæ aliarumque civitatum ac terrarum subjectionem; si modò vicissim Rex dictum Ducem de protectione contra Moschos assecuraret; diu Rex hominem in conspectum admittere renuit, tandemque viso responsum negavit; nec tamen hoc modo à se repellere potuit: insecutus Majestatem etiam Varsaviam est, sumeq; importunus longè ardentiores prioribus literas eidem reddidit; verùm suo modo deprehendit dolos Princeps, repertum sigillum, quod fallacissimus homo videns artes suas indagari, terræ insepeliverat; patuit etiam imitatum fuisse manum & characterem Ducis, quò sic evinceret & eliceret à Rege universalia, quæ infallibiliter ad Czarum detulisset, resq; nostras deteriores fecisset. Ob has causas acceptus in arestum, & postmodum in Moschoviam remissus est. Quò ad comitia verò iterum à Nuntio Belzensi Glogowski turbatum fuit, iterum cum protestatione exivit, ægre à nobis deinde reductus. Intervenerunt aliæ etiam tricæ: Palatinus Pomeraniæ Los resuscitare conabatur

A. C. 1690

Grawel Gallus discordias alit

Ecclesiasticorum querelæ de auctis hybernis

Impostor sub nomine Ablegati

A.C. 1690 actionem contra Tribunal Radomiense & defunctum Thesaurarium Regni Zamoyski; verùm per contradictiones supersedere coactus est. Disputatum insuper de loco tribunalis Radomiensis Duces evincere volebant, ut Leopoli illud absolveretur; alij contravenêre præsertim Palatinus Podlachiæ Oborski, qui obstinatissimè contra dixit per rationem justi timoris de nimia Ducum potestate; ne illa forsan in Reipub. vergeret præjudicium. Offensus his verbis Palatinus Russiæ Senatu excessit, breviq; post Castellanus Cracoviensis Potocki Campidux secutus, claro argumento conventum inter illos fuisse hac de re, graveq; accidisse audire illis veritatem, quod tot expeditiones per eos in nihilum recidisset. Adivi utrumq; sequenti die nomine Regis invitando ad Senatum; verùm recens adhuc dolor medelæ impatiens erat: tertiâ tandem die reconciliati Regi iterum in comitio comparuerunt, quo etiam die scriptũ ad Archivum datum ad trutinandum; in quo quinq; puncta à Cancellario proponebantur, *primò*, quantum exercitum pro sequenti expeditione habere possemus. *2dò*, casu quo pax fieret quantus numerus exauthorãdus. *3tiò* prosecutio belli ut sit cum fructu, qualis esse debeat. *4tò* sexaginta millia florenorum danda hæredibus, in quorum bonis locabitur exercitus, unde desumenda. *5tò* Unde pecuniæ suppetent pro novo milite in supplementum authorando. Graves circa hoc scriptum fuêre difficultates sed tandem tranquillatæ. Quidam tum etiam Episcopi me incusârunt, quòd contra illorum sensum suasissem pacem; quibus reposui me neutiquam sensûs mei tenacem esse, dixisse me quæ conscientia dictâsset, contrariumq; bello non esse; si Pontifex & Imperator alijq; Colligati ulteriorem prosecutionem belli optarent; providerent etiam, ut modus & media non deessent illi continuando, cogitarentq;, ut non tantùm onerosum, sed etiam fructuosum illud Poloniæ foret: respexi deinde votum meum, quod sufficientibus rationibus impleveram in eadem sessione conclusum, proponeretur Regi, ut aliquis Viennam expediretur ad expiscandum in illa aula, num Moldaviâ & Valachiâ Imperator cessurus sit? quò sic saltem aliquod illicium ad continuandum bellum daretur post tot sumptus ultra centum milliones, ejuratosq; tres Palatinatus in partem Moschi; unde jam ægrè spiraremus ob tantas contributiones, tum etiã ad expostulandũ cum domo Austriaca, quòd contra pacta cũ Gallo bellũ inceperit, nec tantũ exercitũ habeat, quantũ ex obligatione deberet. Grãdis deindè tẽpestas Clero incubuit. Episc. Cracov. declaravit octoginta millia pro publico; at contra protestatus Plocensis Episcopus nolens, ut Cracoviensis Episcopat[9] tanto oneri subjaceret. In ijsdẽ Comitijs Dnus Belzecki cum Dno Skarbek protestati sunt: cùm verò Dnus Skarbek ebrius restituere activitatem per impotentiam lingvæ non posset; inveni modum induxiq; illum, uti confessarij agonizantem solent, ut in signum voluntatis suæ mihi manum comprimeret, quo facto vocem nactus nomine illius restitui activitatem, demumq; persvasimus ut ob reverentiam Parasceves in feriam quartam à festis differretur sessio. Sub hæc Abbatia Oberensis post fata Abbatis Episcopo Livoniæ Poplawski cessit: 29 autem Martij sigillum minus M. D. L. Reginâ multum antecedenter contrariatâ Principi Præfecto Stabuli per Principẽ Matrẽ Rex declaravit, circa quod negotium multũ difficultatis exhausi cum Sapiehis, ut in id consentirent. Nec alia inquieta defuerunt ingenia, quæ cum publico prodesse debuissent, publici incuriâ ac si campum nacta essent ostentandi se, in privatos stylum exercuerunt. Iterum Nuntius Belsensis Glogowski notorietate geminæ protestationis clarus gravibus excessib[9] meruit

Scriptũ ad Archivum

Joannes Malachowski

Stanislaus Dąmbski

Iudicium in Glogowski

meruit; ut ad judicium citaretur. Judicatus absente Rege in Senatu: Rex ut clementiam & æquitatem suam ostenderet, me cum aliis duobus Senatoribus destinavit ad faciendam instantiam; in qua cùm in spiritū vitrioli, dubio ludendo verbo, omnia devolvissem: judicium quidem sepositum, decretum tamen primò, ut ide sub scipione Mareschalci ante inchoationem sessionis Regem pleno Senatu, Rempub., & omnes quib⁹ offendiculo fuerat deprecaretur. 2do. ut Mareschalcus Regni justā illi admonitionem daret. 3tio ne in ullam rem se imposterùm intromitteret, nec tumultus cieret; si secus faceret, nosset judicium, sibi à quo modo desisterent, reservari. Satisfecit his conditionibus. Designatus deinde fui pro sessione cum Ablegato Cæsaris Zierowski, qui fabulas nobis potiùs narrare; quàm aliquid recti & boni declarare videbatur: asserebat enim Moldaviam nobis Cæsarem cedere, Valachiæ autem cessionem pendere ex decisione summi Pontificis, missurum etiam ad Moschos Legatum ad excitandum illos, ut imposterùm fortiora agerent. Interim gravi dissidio inter se Castellanus Vilnensis Slușzka & Notarius Campestris Litvaniæ Crispin exarserunt, ventum in ea altercatione ad quæstionem de nobilitate; in cujus probationem aliquot hebdomadæ insumptæ: de Radomiensi verò Tribunali conclusum; ut illud alternatim Radomiæ & Leopoli absolveretur, Destinati deinde ad audiendum homagium Brādeburgico Electori à Prussia præstandum, quæstioq; exorta, an exigenda foret à prædicto Electore satisfactio in tot prætensionibus? conclusū ut hæc omnia differrentur ad Commissionē̄m, usurpato illo versiculo, quo aliquando in simili Primas Wydzga usus fuerat: jam mea non mea sunt; sed erunt aliquando. Successerunt aliæ alijs quæstiones, uti de quietationibus Thesaurario Litvaniæ datis, quibus Mareschalcus Curiæ Litvanæ Dulski contradicebat; etsi postmodum propter bonum pacis à suo proposito recessit. Intervenit similis contradictio quietationi Zamoyscij; in qua propemodum fuissent rupta Comitia, nisi 20000 tymphorum à me mutuo data successoribus negotium pacificâssent. Ultimum fuit: Palatin⁹ Russiæ Dux Supremus exercituum, tam per se, quàm per amicos suos apud Rempub. institit, ut summam centum millium super Capitaneatu Janovisiensi obtineret, jamq; omnes consenserant: cùm solus obstitit Castellanus Krzeminensis idq; ex ea causa, quod Dnus Granowski Capitaneus Zylomirensis, publicè illi objecerat: terram eam fœcundam necessè esse, quæ tam magnum scurram edidisset; cumq; idem Castellanus dixisset, in corde suo DEum, Regem, & Rempub. benè locutos esse respondit ille, pessimam eam locutionem esse. Hæc & similia improperia ita obstinaverant animum dicti Castellani, ut neq; Regis voluntate & authoritate, neq; totius Reipub. precibus se flecti siverit. Totâ nocte in Senatu in tenebris & disordine nos detinuit: nam non nisi circa sextam matutinam finem acceperunt Comitia septimâ Maij: post quæ in sacello cantatum te DEum laudamus. Secundum hæc existens deputatus ad ordinandas constitutiones cum aliis, seriò huic labori me impendi. In post-Comitiali deinde consilio recenter nobilitatos ad juramentū admittere contēdebant aliqui; verùm me opposui intuitu Dni Schröteri alteri⁹ Religionis. Eodē die Ministri status in eo cōsilio perorârūt, quod tandē à Senatorib⁹ finitū præviâ manifestatione solitâ in subscriptionib⁹ cōstitutionū. Solus Dnus Leszczinski Palatinus subscribere noluit, quamvis à Senatu Deputatus ad eas fuisset per rationē; ut evinceret, quatenùs cōstitutio contra Mercatores insereretur, de qua mētio nulla in publico intervenerat. Habitum etiam bellicum consilium super eo, quòd Tartari Russiam invasissent

A. C. 1690

Dissensiones inter Slușzka & Crispin.

Lubomirski & Sczuka

Scommata

*A.C.*1690 vasissent & hostilia exercerent. Non rarò sub hæc ostendit suum dolorem Rex de collato sigillo majore Episcopo Denhoff; quòd vino nimium obnoxius esset, per quod fiebat ut negotia publica non pro dignitate tractaret. Vratislaviam post hæc me contuli cum Principe Procancellario ad componenda negotia cum Principe Carolo Neoburgico &. Principibus Radiviliis; verùm iter hoc irritum fuit: non enim potuerunt ea Vratislaviæ finiri. Inter redeundum inde literæ Varsaviâ mihi allatæ sunt, contractum matrimonialem inter Principem Regium Jacobum & Neoburgicam conclusum, & subscriptum ab Episcopo Posnaniensi, Palatinò Russiæ, & Thesaurario Regni: inter alias conditiones erat & hæc, ut Carolus Neoburgicus cum uxore sua sororem deduceret Częstochoviam usque ad dandam satisfactionem in eo, quod factum fuerat Berlini in præjudicium Principis Regii Jacobi. Misit tum etiam Cæsar ad Regem intimando Turcam se declarâsse velle ad tractatum pacis accedere; at contrarium postea patuit. Metus id expresserat ab Imperatore, quòd non ignoraret Hanum Tartarorum privatam omninò nobiscũ voluisse sancire pacem, quod ne fieret, inani generalis pacis spe nos Austria lactabat. Nam brevi post eques Melitensis Proski ante in Turciam Ablegatus, tum verò cum eodem charactere Viennæ residens, literis suis edocuit, quidquid ante à Cæsare de Valachia nobis promissum fuisset; id totum suspendi ad Comitia Hungariæ, ab illisq; expectandam decisionem: præterea illam notitiam de reassumendo tractatu pacisque universalis spe nullo fuisse nixam fundamento, Aulam Viennensem nostræ instantiæ id concedere nolle; ut ex Transylvania exercitus noster commeatum habeat, Moschum non pertinere ad tractatum pacis, quamvis cum illo Colligationem fecissemus, in cujus pretium & vim tantas cesseramus provincias. Rescriptum fortiter Cardinaliq; Radziejowski Romam ituro injunctum, ut Viennæ de hoc potenter ageret: Episcopus tamen Posnaniensis nimium Austriam defendebat & complura in favorẽ illi moliebatur, quo factum ut indignationem Regis graviorem incurreret. His tristibus alia accesserunt: Tartari excursione facta quadraginta vexilla nostrorum in prædam & captivitatem abduxerunt: mecum etiam non nihil turbatum est; Nuntius Sancta-Crucius Varsaviam delatus 25 Junij apud Regem audientiam habuit; in qua quòd ob æstum Rex detectum habuisset caput, deindeque à Principe Regio Jacobo non sat pro dignitate susceptus sibi videretur dictus Nuntius, mihi adscriptum fuit: verùm per mediationem Principis Viduæ Radiviliæ inanes postmodum posuit suspiciones, pleneque mihi satisfecit. At non defuêre alij, qui quiescente extero in meum collimarent caput; quod cum probè Rex nôsset per otium aliquando mandavit indicem inimicorum meorum conficerem; deprecatus sum eum laborem cum veneratione, supplicaviq; vicissim, vel unum mihi faventem ostenderet Princeps: nec id per factionem petij; inimici enim multi, invidi ferè omnes erant. Emicuit deinde quà clementia quà æquitas Majestatis, qua jus gentium iniquius sibi visum correxit, misso mandato Puckum; ne imposterùm bona naufragorum Dño fundi adjudicarentur sed possessoribus suis restituerentur, indignum enim existimabat Princeps, augere calamitatem, & afflicto addere afflictionem. Operæ interim in Wielicensibus salis-fodinis laborem-perosæ ingentem suscitârunt tumultum, gravia indubiè post se tracturum damna: nam in consortium sceleris etiam Academicos Cracovienses invitaverant, pœnarum metu; nisi maturè malo occursum fuisset. In Moschovia autem in arestum acceptus Residens noster

Aula Viennensis non favens

Tartari infesti

Bona naufragorum

Tumultus circa salis fodinas

prætensaq;

prætensaq; definitio limitum, ex qua occasione habitum consilium & in tempore oppressus ignis. Episcopus Cracoviensis reprotestationẽ contra Plocensem fecit ostendens, licere sibi octoginta millia dare in levamen pauperum; sed illi nullatenùs licuisse se adhuc vivente Præsule assecurationem vacantis Episcopatûs Cracoviensis accipere. *A.C.1690* *Residens in Moschovia arestatus*

Hoc anno Regina Jaroslaviense negotium componere volens citari mandavit Koniecpolscium; quia verò in coronatione Rex diploma dederat, quo Jaroslaviensia bona exemptibilia esse declarabantur, ex consilio juris-peritorum in favorem hujus causæ ante omnia judicata fuit necessaria cassatio diplomatis, quam ægrè Rex annuere voluit. Meo hoc in negotio usa Regina obsequio est; feliciterq; Lublini octavâ Novembris Jaroslaviam & Tarnopolim evicit. Sub tempus Residentiæ hujus Lublinensis Thesaurariam Litvaniæ arcanas quasdam chartas Reginales Regi dedisse allatum fuit, quas sibi concreditas in secreto habuerat: hinc diffidentiæ & dissensiones aliquæ exortæ, quæ tamen mox sopitæ fuêre. Alia præterea venerunt, sed tristia: Belgradum à Turcis receptum per Tartarorum excursionem deventum usque Zloczowiam; actum fuerat de Rege, nisi Lublini existens de intentis hostium edoctus maturè eum præmonuissem; ut Zloczowiâ migraret. Expeditio militis nostri eodem, quo aliàs effectu, id est, nullo finita est. Constitutio de coæquatione hybernorum per contradictionem Palatini Cracoviensis tam Varsaviæ in comitijs, quàm Leopoli in Cõmissione hybernali, quòd is diceret, nimium sibi impositum esse, cum magno præjudicio pauperum concidit & invalidata est. Ingens locusta cis Tyram in Voliniam delata totam implevit Poloniam cum grandi quaqua versùm damno. Quin Wysocko nuntiatum (Rex eò tum temporis diverterat) in culcitra repertam vivam lacertam, tergo murinam, ventre flavam, & tres ranas in conclavi Reginæ: pro portento ea habita. Fuit deinde Zolkviæ Senatûs consilium; in quo decreta oppugnatio Cameneci ineunte vere sub conditione; si Roma pecunijs succurreret: sed frustra ea consultata fuêre: sic instructum Camenecum erat, ut nec arma, nec famem timeret, satis illi provisum fuit de cõmeatu quem 60000 Tartarorum induxerant. Post cõsilium prandimus apud Regium Principem Jacobum, ibiq; nostra nomina Connubiali contractui cum Principe Neoburgica subscripsimus. Ex occasione invectæ in Poloniam locustæ Dnus Sein Usain correspondens Procancellario Regni pro remedio porrexit modum illas extirpandi, qui aliquando in Gallia 1640 usurpatus fuit: nimirum assignatum præmiũ, qui fiscellam locustis plenam attulissent, quo factum est; ut ea perniciès grassans brevi tempore à pauperibus collecta ignibus consumpta fuerit. Claudo hunc annum jam inito contractu Connubij inter Principẽ Jacobum & Neoburgicam; missa fuêre xenia Neosponsæ per Dnum Leszczynski Capitaneum Camnionacensem. Alia ne memoratu quidem digna, sunt innuam illa tamen. Literis Plocensis Episcopus Dambski, & Cancellarius Regni itidem Episcopus, inter se reciprocè certârunt stylo calami, quem gladium diceres, ultra characterem & modestiam acres. Causa litis ambitio: vivebat adhuc Præsul Cracoviensis, & jam ceu de vacante honore confligebantur. Supprimo illorum epistolas posteritati cõsulto, ne scandalum nostri ævi ad Nepotes transeat, At etsi indigna calamo vanitas est; non tamen illam mihi præterire visum, cui suũ permisit affectum imò & calamũ Episcopus Posnaniensis, etiam alia ejusmodi imposterum ad disgustum orbis Poloni imò universi daturus, non acsi illi suffragarer; sed ut posteritas erudiatur ex ætatis nostræ judicio, cave-

Jaroslaviensis negotiũ

Tartarorũ excursio

Locustæ

Lacerta in culcitra

Modus extirpandi locustas

A.C. 1690 caveatq; vanissimorum titulorum passionem. Is igitur dictus Episcop⁹ porrigens per oblatam instructionem suam de finiendo Matrimoniali contractu Principis Jacobi hos præfixit titulos: veniens personaliter ad acta Reverendissimus in Christo Pater Dnus Stanislaus in magna Witwica Witwicki, Episcopus Posnaniensis è primarijs Regni Poloniæ Senatoribus & Principibus nec non Princeps Slupuczcensis, & Dux Krobensis obtulit. Altera item vanitas, sed ab alijs paucis verbis Przerembscio multorum titulorum Canonico inscripta: Canonico per totã Poloniã. Convertor jam ad parerga quæ sive in Polonia sive apud exteros evenerunt. A sacris incipio 5ta Martij Episcopus Cracoviensis Suffraganeum suum Stanislaum Szembeck in Episcopum consecravit, duodecimâ verò ejusdem Luceoriensis Episcopus itidem Suffraganeum suum Mdzewski ordinavit. Dum Franciscus Barbarini & Laurentius Altieri in consistorio Cardinales crearentur hæc formalia dixit Cardinalis Laurea: (æquum & justum est quòd etiam juvenes, quando virtutibus sunt præditi, sacro Collegio Cardinalium aggregantur: quandoquidem Christus operationum nostrarum exemplar etiam S. Joannem Juvenculum & S. Paulum adolescentem sacro apostolatûs consortio aggregavit. Post hujus anni Comitia ex Russia fama tulit Carum Moschoviæ se etiam spiritualibus immiscere.

A Patribus Piarum scholarum apostatavit Anselmus Religios⁹ mox etiam à fide apostaturus, reliquit is vestes religiosas cum adjecta charta, in qua scriptum erat: non tam castitas mea DEo, quàm mihi uxor necessaria. Longè ante supra memoratos Cardinales in Martio an Februario creati fuêre Cantelmi & Janson Cardinales. Connubia etiam celebrata fuêre virorum Illustrium ab initio ferè Comitiorum; Capitaneus Chelmensis Capitaneidem Leopoliensem Cetnerownam in Consortem assumpsit. Princeps Stanislaus Radivilius Mareschalcus Litvaniæ per meam instantiam expetijt tam à Mtibus, quàm Parentibus in vitæ

Connubia sociam majorem natu Filiam Marchionis de Bethune, facilèq; obtinuit: verùm quia magnæ difficultates domesticæ ei cum Principe Proẽcellario intercedebant, eas primùm composui. Rex in nuptiale xeniũ tria millia imperialium sponsæ pretiosasq; materias mundo muliebri & thoro servituras obtulit. Celebratæ eæ nuptiæ fuêre 21. Maij, quas aliud connubium 14. Maij, antecesserat Vexillliferi Lublinensis Orzechowski cum domicella Regina Szumowska promissoCatholicam fidem se amplexurum: at postmodum promissis fidem non præstitit nemini magis injurius quàm sibi in sua secta occubuit. In Principis Radivilij nuptijs orationẽ habui redditoriam sponsæ.

Succedunt funera. Comitiorum initio Castellanus Sieradiensis Ma-

Braun Medicus. Jachowski German⁹ Episcopi Cracoviensis obijt. 15. Martij Dnus Braun principalis Regius Medicus homo & honestatis & experientiæ multæ fatis concessit. Regis adhuc Casimiri tempore in aulæ obsequiis fuerat, cui dum Rex Colonellum Cosacorum Nalewayko secretæ morti, intuitu evitandæ rebellionis Cosacorum adjudicatum obtulisset, ab eo desiderans; ut eum occulto veneno de medio tolleret, cum reverentia renuit in hæc verba: servio Mtati Vræ, ut sanem & vivificem, non ut enecẽ.

Patriarcha Moschoviticus. Circa hæc tempora in Moschovia Patriarcha illorum diem suum obiît. Is non satis habens de Cathedra pestilentiæ, dum viveret in Romanam Ecclesiam sparsisse virus, etiam de mortuali lecto illud evomuit Caro svadéns: cum Tartaris iniret fœdus, nec libertatem Romanæ Religioni in suis ditionibus indulgeret. Hoc epiphonemate inveteratus malorum orationem

orationem vitæ ſuæ clauſit pro plauſu planctum alibi inventurus. Feliciora fata fuiſſe crediderim Caroli Principis Lotharingiæ; quem glorioſi labores pro Chriſtianitate ſuſcepti etiamnum immortalem reddunt, vitamq; illi etiam, poſtquam vixit, prorogant & prorogabunt. Remiſit etiam Nuntium caducis his rebus Caſtellanides Woinicenſis Skarſzewski in ipſo flore juventæ per virtutes & humanitatem dignus habitus; ut in ſeros annos vixiſſet. Brevi hunc ſecutus eſt Suffraganeus Leopolienſi Gizicki. A.C 1690

Varia jam permixtim habe. Sub tempus Comitiorum Dna domo Sapiehana primitùs Lubomirſcio nupta, deinde Lipſcio, vexillum militum in bonis ſuis hæreditariis ſubſiſtere volens ludibrio habuit; nam non contenta expuliſſe etiam ſigna & ænea tympana ceu prædam tulit, quibus in craſtino uti in contemptum militum placuit. Invitatis illis ſequenti die ad prandium, uni de honorarijs domicellis ſuis demandavit, pulſaret tympana, alteri vexillum more militari agitaret & evolveret. In ijs Comitijs didici verba hæc, ſiſto activitatem, primùm uſurpata fuiſſe à Dno Breza Palatino Poſnanienſi.

Cœperat incendium ſub eadem Comitia in conclavi, in quo Pater Vota ſua authographa & ſcripta depoſuerat, quibus amiſſis Reginæ affirmavit: gratius ſibi futurum fuiſſe, ſi centum millia perdidiſſet; dummodo ſcripta ſua integra manſiſſent. Allata deinde Regi inſcriptio fuit opus Mareſchalci Regni ad inſtantiam Belloti; qui ſtatuam D. Virgini in ſuburbio Cracovienſi erexerat, fuitq; talis: hanc fecit Bellotus, qui fuit ægrotus totus, Virginem ſine ſedili DEus parcat ſi vult illi. Allatum etiam votum Regi, quod Caſimirius Rex Leopoli fecerat; defenſurum ſe ſemper pauperes DEo promittens, nec permiſſurum ut opprimerentur, quod tantæ efficaciæ deinde fuiſſe conſtitit; ut brevi pacificata fuerit Polonia. In declivio Comitiorum captus Coſacorum Colonellus Palej dictus homo ad nocendum natus, & Poloni nominis imprimis hoſtis, verùm brevi poſt è vinculis elapſus, dum præter Camenecum duceretur non ſine ſuſpicione pretio corruptos fuiſſe cuſtodes. Jam hòc anno circa finem Maij ſpargi cœpit Electorem Brandeburgicum affectare coronam, Regiumq; titulum: Principem autem Hanowerenſem Electoratum. Hoc anno item bona Kozietuly dicta pro parata pecunia emi. Dnus autem Naramowski abjudicatus à Capitaneatu Vyſcenſi, quamvis protectione Cancellarij niteretur. Hoc anno Dux Sabaudiæ ſe contra Galliam declaravit. Fama etiam detulit Generalem Valdeck cum Hollandis feliciter pugnâſſe. Item 10. Junij victoriam navalem de Gallis, an à Gallis relata. Tum cladem accepiſſe Jacobum Angliæ Regem Campique Mareſchalcum Schombergium defunctum. Eundem verò Regem Angliæ exemplo Imperatoris Ottonis tam cum Dublino civitate, ut ſe hoſti traderet, quàm cum exercitu diſpensâſſe, ne, ſiquidem infelix eſſet ſangvis, impoſterum ſui causâ funderetur. Quare Dux Orangius remoto æmulo in Regem ſe coronari juſſit.

Reſcivi etiam Regem JOANNEM III. natum anno 1629, Principem verò Radiviliam Viduam 1634. Per lectionem verò didici Joannem Zamoyski Ducem exercituum poſt fata Vxoris ſuæ Radivilianæ toti exercitui lugubres veſtes dediſſe.

VOTUM

LXXXIV.

VOTUM ANDREÆ ZALUSKI EPISCOPI KIJOVIENSIS ET CZERNIECHOWIENSIS IN COMITIIS GENERALIBUS VARSAVIENSIBUS 28 Februarij.

OPportunum minus duxerim esse Serenissime Rex, quòd eo tempore contingat mihi publicum promere sensum, dum præposterum tempus fastidium audientibus affert. Ordiri itaque illud à benevolentia expedit. Supplicando Mti Vræ, reliquos verò Reip. ordines exorando, ut exoneratis tædio auribus, cogitationibusq; suis audire dignentur, quodcunq; mihi pro hac statione dicenti, publicus dictaverit zelus.

An Comitia sæpe indicenda

Difficile hoc problema est Serenissime Rex quid magis ex tenerrimo in Majestatem Vram & comunem Patriam, sit optandũ affectu; an ut sub felicissimo Regimine ejus generalia frequentius celebrentur comitia, an ut ab eorum frequentatione desistatur. Sigismundus Augustus septies tantum idque magno compendio temporum usus, status Reip. convocaverat, attamen ægrè id latum, exaggeratumque fuit, quòd Populus per Conventus publicos, attereret opes. Succedens illi in Regnũ Henricus, non ideo ut evitaret frequentiam Comitiorum, verùm ut declinaret subscriptiones illi molestissimas, unica tantùm indixit Comitia, tempore ultra non suppetente. Stephano quatuor, Sigismundo III (ut recentiores taceam) plus uno triginta celebrata sunt Comitia. Iste qui nõ optaret Comitiorum frequentiam dicere posset, quod crebra medici invocatio, pessimum signum sit periclitantis ægroti, continuus in curiam concursus indicium sit violenti Reipub. motus, & impositionis contributionum recentium: pari modo frequentem Comitiorum indictionem, indicare ardua, perplexa & inextricabilia Reipub. tempora, utinam his (quantum jura sinunt) carere liceat, utinam vivere unicuiq; pacatè & confidenter, sub vite sua, sub ficu sua, apes eo tempore optimè valent, dum obstrepunt, ex murmure bene valere intelliguntur. Econtra fit in nostræ Reipub. statu, in qua plus verborum quàm rerum, plus murmuris quàm melificij est. Utinam ita crescat, ita assurgat moles felicitatis nostræ, sicut illius celebratissimæ structuræ, in qua omnina sub silentio, & sine strepitu facta, procul abfuerunt, malleus, & securis, & omne ferramentum. Ego nihilominùs affirmativam opinionem sequor, & opto Comitiorum frequentiam, sub felicissimo Serenitatis Vræ Principatu, non tantùm eo fine, ut inde habeat Patria salubrem consiliorum effectũ, reparationem sui (nam vetus ædificium, ne corruat sæpius reficiendum est) vel quod potius vellem, conservationem legum, libertatis & avitarum im̃unitatum. Non ideo tantùm ut filij capiant voluptatem ex frequentiori obtutu Paterno, non tantùm ideo quòd Mti Vræ duxerim esse gratissimum, intueri subditos, & filios suos, quanquam non raro videas, unum manum protendere, alterũ conqueri sine data causa, alium irritamenta inter alios ciere, *Filij sicut novellæ olivarum in circuitu &c.* Verùm propterea etiamsi non celebrentur Comitia, tantùm juxta præscriptũ juris elapso biennio, cuperem quàm plurima celebrari, sub felicissimo Majestatis Vræ dominio, nam si successerint adhuc quinquaginta, Majestatis Vræ centum annos complebit Imperium, exæquabit diuturnitate Piastum, qui electus anno ætatis suæ 70, Regnavit 40 continuis annis. Vovere tenetur diuturnioris adhuc spatia vitæ Mti Vræ, quicunq; & Patriæ & sibi beatitudinem optat, nam in incolumitate tua, in manibus tuis

tuis sortes sunt nostræ. Veneror hac in parte summi Ecclesiæ DEI capitis oraculum, id est Sanctissimi Domini Nostri, qui dum recentissimè, sermones conferret cum Eminentissimo Cardinali Regni nostri Primate in eo, quomodo effrenata Ottomanica licentia, invenerit obicem suo furore validiorem, nemo Mtis Vræ felicitatem, quando factis, quàm auspiciis fortunatior tulisti fastigium in pericula caput, tantæ Christianæ rei obtentu, tulisti nomen tuum barbaris indeclinabile, magnorum nunc in Christianitate successuum grande initium. Hanc summus & optimus Pastor superaddidit ipso effectu infallibilem conclusionem. Quòd sicut Camillo manente Roma capi non potuit, ita nisi Mtas Vra obstitisset, plus hucusq; esset Romæ Bassarum Turcicorum, quàm Cardinalium. Igitur quando caput nostrum celebrat Mtis Vræ memoriam cum laudibus, cur et nos consimili veritate fateri non debemus & exclamare. Quoties Patriam videmus toties beneficium tuum videmus. En stamus adhuc ipsis suffulti casibus, hoc verò cui tribuendum est, sub pondere tanto succubuisset orbis. Si non Mtas Vra, qui non tantùm invicta dextrâ tuâ unũ cohibuisti, aliud confirmasti imperium: qui non tantùm Patriæ, ob amorem profundis tua, ut publicâ tuearis, munificentiâ præveniendo desideria populorum, & in difficilibus Reipub. temporibus non cessando, imò verò laxando manus liberales, quidquid humanitus fieri potest, facis abundè.

Non suppetit tempus Serenissime Rex ut ego ad deprædicandam magnitudinem tuam indiga eloquij ora resolvam, nam licet in quovis nutu tuo, invenit quisque panegyrim, verùm in quavis panegyri, nemo satis verborum. Non eges Serenissime Rex laudibus qui victorijs orbẽ implesti, & testem virtutis tuæ habes hostium conscientiam tuorum, taciturnitate frui potius mavis, quàm ostentatione. Absolvis omnes impossibilibus votis, unicum requiris, ut tibi non tam verbis: quàm rebus id exhibeamus, quod jurata promisimus fide. Sed magna ipse de te loqueris, dum spectaris, ut omnis sermo Regia magnitudine vinceretur, & minus esset quod diceremus, Affectus Serenitatis Vræ in hanc Patriam est adeo manifestus, ut mensuram ejus ex laboribus, sudoribus, curis, & circa nos solicitudine, colligere volentibus nequaquam mensurabilis esset, semper in exercitio fixus: quando nolens Principatu magis excellere, quã labore, non segnior gerere, quàm jubere, nunquam otiaris, quis cernere curis te vacuum potuit? quando & nunc sincere boni publici accensus amore, comitia hæc indicis centuriata, quibus dilatabitur cor tuum, si videris Patriam habituram præsidium, cives satisfactionem, in tota Reip. œconomia ordinem bonum. Pro his tantisq; omnibus beneficijs & gratijs in publicum profusis Ego non rependo grates: nam verborum ad grates agendas, non tantùm meum exile, sed etiam cujusvis summum eloquium, nequaquam parem inveniret apparatum. Si quid dixerimus, tua magnitudo stupefaciet facundiam, vel obruet. DEUM tantùm sentiendo copiosiùs quàm loquendo, indignus exorator imploro, ut multiplicentur dies anni vitæ, in hoc voto reliqua includuntur.

Eadem gratitudo consimiles appendit apprecationes & Serenissimæ Reginæ Dominæ Clementissimæ, majore voto, quàm splendore verborum exoptando, ut quemadmodum virilibus curis, sexum exuens, suorum populorum incrementa procurare consvevit: Ita omnipotens DE⁹ has vices longitudine dierum recompenset. Quo diutissimè voluptatem capiat ex hac benedictione Divina, quæ coruscat pulcherrima, ut hæc Serenissima proles, sub flore fructum alens, semper recentibus obtutũ, &

A.C. 1690 & cor tuum Regale nutriat delicijs.

Serenissimo Principi Jacobo tanta voveo, ut nequeam ampliora, minimè dubius, quòd cùm habeat ante oculos vivendi normam, Parentis vitam, quando illius studia accendit Patriæ virtutis imago, monstratâ arduâ semper ad magnos ausus à puero mente, erit DEO auxiliante ingeniorum labor & sudor, Patriæ delicium, solatium non tantùm Serenissimarum Mtatum, sed & omnium nostrûm optimè voventium.

Dixeram Serenissime Rex me frequentiora optasse comitia, verùm talia, qualia nobis exempla, & instituta Majorum reliquerunt. Petricoviæ Anno 1649, novem tantùm diebus duravêre comitia, attamen adeo gravis, paucorum eorum dierum visa tradita est promulgatio, ut passim fatua ea comitia vocitarentur.

Quod verò esset, Majorum nostrorum de comitijs præsentibus judicium. *Comitia sunt diæta* Comitia Latio & Hetrusco sermone nuncupantur diætæ, idque propterea, quia ut à diæta dependet humana salubritas, pari modo comitiorum consilia, sunt basis & fundamentum salutis publicæ. Moderata diæta est optima rerum, qui illam servare noluerit, aut ignoraverit, celeriter periclitatur. Et quanquam nulla sit (ut fertur) diæta lethalis, tamen prolongata damnosa. Comitia ut nobis improspere succedunt, per longas, tædiosas, sumptuosas & nocivas, ex omni parte prolongationes, id optimè novimus ipsi, nec id ego exaggerare voluerim, omnium sensibus est subjectum. Convenimus, ut id quod ad ruinam vergit fulciamus, quod corruptum est, resarciamus, quod dissipatum est, colligamus: quod saucium est, curemus. At evenitne istud? nimium supra modum in id incumbimus, parum verò perficimus, multum seminamus, & ut Prophæta inquit parum aut nihil colligimus. Obvertit cara Patria in nos suum obtutum, subditi nostri manus protendunt succlamantes, tanquam illi Ægyptiani ad Josephum salus nostra in manibus vestris. Intuimini nos ne pereamus. Nos verò quid ad hæc? nihil pensatis calamitatibus, & angustijs, nam nihil fingi potest mali, quo non urgeamur, tamen cum his omnibus decertamus magis quàm decernimus, quod illis & nobis prodesse potest. Nimirum ad omnia vacamus, præterquam ad salutis negotium, tanquam illi Athenienses, qui quod esset rectum sciebant, facere tamen negligebant. Quotiescunq; Serenissime Rex reflecto me supra comitia nostra, venit in memoriam mihi illa vetus ab Herodoto & Plutarcho comemorata, in Regno verò Babyloniæ usu impleta lex, *Infirmi Babylonici* quòd dum aliquis ægrotasset, deferre illum sangvine, aut amicitiâ juncti, in publicum forum tenebantur, ibiq; nemo hominũ præterire poterat, qui non approximaret, & causas inquireret morbi, & si occurrisset aliquod remediũ, sub pœnis cogebatur illud palàm facere. Contigit ergo ibidem, ut non unus, infortunio suo inciderit in manus medici, aut ignorantis, aut discretione uti nescientis, quanquam æger non quærebat medicum eloquentem, sed sanantem. Et hic invertit cerebrum garruli Doctoris loquacitas, uti olim Alexander Magnus incusabat: Medicus garrulus, ægrotanti alius morbus est, namq; id sonare est, non sanare. Eveniebat quoq; plerumq; id, ut alius non bene perpensa origine morbi, incognitas etiam applicaret medicinas. Si vis sanari de morbo nescio quali, accipies herbam, sed nescio qualem, vel quam pones nescio, quo & hinc concluditur sanabere nescio quando. Levi morbo, graviora alius Chimica medicamenta adhibuit, quæ non sunt tuta, citò curant, citò perimunt. Desperatum morbum citius alius in mortem impulit, quanquam Hyppocrates prohibeat desperatis adhibere medicinam.

Teti-

Tetigit alius nimium gravi manu vulnus, quod melius non tetigisse fuit. Alias morbi causas incusabat ægrotus, diversa verò applicabantur remedia. Hieronymus verò Sanctus comune facit, nolo cures, quæ sana sunt, vulnera medicare. Non trutinato causarum latentium nexu, non interpositâ aliqua morâ, absque reflexione alius consilium dedit, jam verò nemo peritus in transitu curat, quin imò incumbit malo, & medicã manum admovet. Extrinsecos alter lenibat defectus, nunquam radicitus originem morbi, & ulteriores ejus progressus expendebat oblitus doctrinæ illius, quia nunquam ex integro sanus erit, cujus morbus superficialiter curatur, nec ad mali fontem descenditur. Indiscretus nullam habuit compassionem erga infirmum, jam autem medicus qui non fert infirmitates, curare nescit: & qui non fuerit cum infirmo infirmatus, nõ potest conferre sanitatem. Quidam velociter mederi voluit, & intempestivum dedit remedium, ast magno in morbo, nunquam certior imminet interitus, quàm dum remedia intempestivè adhibentur: vel etiam spatium dedit, ut morbus assumeret vires, cum malum inveteratũ non facile pellatur, Principijs non obstabat & interim per moras invalescebat malum, & medicam omnem artem superabat, ubi invaluisset. Differebat utiles præscriptiones, & ecce procrastinatione remediorũ, plus virium morbo accessit, igitur tales fuerunt Babylone (uti in confusione lingvarum curationes, in publico foro expositorum ægrotantium, quid inde secutum? non unus conquestus est. Centum me tetigere manus, Aquilone gelatæ, non habui febrim, Symache, nunc habeo. A.C. 1690

Quid aliud sunt Comitia nostra, si non publica morborum expositio. In Comitiis deberet esse triplex medicina, servare, cavere, mederi. A Comitijs speranda esset secura & diuturna salubritas, si quidem DEus per Prophetam inquit, ubi multa consilia, ibi salus. Curandi essent graves Reipub. morbi, qui prope ad eorum qualitatem accedunt, quos olim Belgium incusavit: Ægritudo mea, & morbus supra curam. Velut Hydra est alia ex alijs symptomata, tanquam capita subnascuntur, nam absque blandimentis fateri verum possumus, quòd vivam⁹ magis, quàm valeamus, quando propalàm videmus, non ita ægram Rempub. ut consvetis remedijs sanari pòssit. Nolim ego hoc loci, tædiosa computatione retexere sonticos morbos, hos præterea, quibus efficacia remedia adinvenire, tempus non permittit, siquidem etiam non suppeterent, tot medicamenta, quot medicanda, neque horum fecerim reminiscentiam, qui ab imaginatione oriundi, non tam dolore, quàm doloris opinione vexant, neque illos quibus consimiles, in nonnulla sunt circumscripti è civitatibus, nunc quidem novo quodam morbo civitas moritur, ut cum omnes ea quæ sunt acta improbent, querantur, doleant, apertè loquantur, etiam clarè gemant, tamen medicina nulla affertur. DEO à quo omnis medela, has nostras, non ad morbum modò, verùm ad interitum quoq; causas comendo, quandoquidem periere Salamonis de curatione omnium morborum libri, quia medelas inde accipiens populus nihil faceret, nunc ad DEum confugiamus, petamusque curationes. Sacræ Regiæ Mti verò secundùm DEUM, cui arbitrium nostræ fortuna salutis tradidit, & qui certè tuam credis mercedem, ægroti sanitatem, suppliciter curam ulteriorem morbidæ Patriæ è loco meo recomendo, quanquam sciam, quia ut non est in medico semper relevetur ut æger, ita & Serenitatem Vram minus profuturam, dum ipsimet amore Patriæ, non permovebitur. Quandoquidem à capite bona valetudo, in nobis verò non est extrinsecum malum sed intra nos est, in visceribus ipsis sedet, & quidem depe-

A.C. 1690 rimus amore (& ſi ſciamus, quòd ſanus fieri nequeat, quem delectat ægrotare) iſtos noſtros, quanquam moleſtiſſimos paroxiſmos, quibus procul dimiſſis, unicum tantùm eumque graviſſimum Patriæ morbum cuperem, ut in modernis generalibus Comitijs ex integro curemus. Inviſens Ageſilaus ægrotantem Apellem, clàm ſuppoſuit capiti ejus aliquot auri talenta, brevi interim poſt abſceſſum hoſpitis, ijs compertis Apelles exclamavit: agnoſco manum Medici, nam ille ægritudinis meæ vim, ex pulſu probè cognovit, quia magis marſupii quàm corporis affligor malis. Duo vetuſtiſſimi quaſvis Reſpub. afficere ſolebant morbi, divitiæ & paupertas. Primo caſui DEO volente ingemiſcimus minus, nam omnis opulentia, præſertim ad publicum ſpectans procul à nobis exulat, & nihil magis fatigat, quàm pecuniæ conquiſitio, verùm huic poſteriori caſui ita obnoxij ſumus, ut omnino ignorem, quomodo ulterius in hac ærumnarum ſerie ſit vivendum, quando ipſa ultima calamitas, ſine voce vocalis deſolatæ Poloniæ deplorans fortunam, non adverſam tantùm, ſed penitus everſam, continuas amaritudines, & ejulatus, ita exprimit, ut quaqua verſum exaudiatur, ac proinde ut illa hiſtorijs celebrata ſimulacra, iminentibus publicis calamitatibus ſudabant, movebantur, manusque contorquebant, ita nos, columnas licet mutaq; ſaxa induiſſemus, vocem haud premeremus, contuendo præſentium malorum crudam imaginem, conſiderando quibus fluctibus jactamur, cum nullum malum ſit, quod noſtra calamitas non involvat, cum eò deventum ſit, ut multi nos plebis opprimendæ cauſâ veniſſe opinentur, nonne manus nobis forent non tàm contorquendæ quàm explicandæ ad ſuccurrendum ijs, quorũ gemitus aures verberant, quorũ ſangvineæ lachrymæ cœlos penetrant. Vox mœrentis Patriæ auribus inſonat, nec quieſcet vox ejus à ploratu, nec oculi à lachrymis, quouſque in hiſce comitijs efficacia inveniamus media, ad refovendos ultimos ſpiritus exhauſtæ, magnitudine onerum fatiſcentis, & jam pene ultimos ſpiritus egerentis, Patriæ de quibus quo intenſius cogitamus, eò minus nobis occurrunt. Res adverſæ conſilium adimunt. Unus tantùm mihi occurrit modus illius ſalvandæ, qui etſi hujus conſilij ſit (mihi præcipuè) periculoſa libertas S. R. Mti Vræ, & Ordinibus Reipub. futura reſpiciens, præteritorum memor, ita propono, ut potius videar noſtræ neceſſitatis index, quàm conſilij Author, ſi minus placuerit, non agam illum Græcum gigantem, qui jamjam caſurum ſupra quandam civitatem montem, lacertis capiteque ſuo voluit inhibere, verùm & ipſe contritus, & civitas ruinæ ſuccubuit. Suffecerit iſtud, quod intuendo univerſam Patriam plorare non ſecus ac mulier illa in cujus gratiam Apoſtoli ad CHRISTUM dixerunt, dimitte illam, quia clamat poſt nos, non parvi pendamus ejus ploratum, timeamusq; ne omnibus deſtituamur, ne eundo ad extrema, eamus in præceps, perpendamus, quòd nulla ſit ſalus belli, quodq; Medici ubi uſitata remedia non proſunt, tentent extrema, opto metu majoris mali, & conſulo, ut ſervatis omnibus cum Colligatis noſtris gradibus, pacem procuremus.

Demiſerat ſe ſe quiſpiam in cavernam, & evaſit incolumis, detruſus eſt alius, & cervicem fregit, multum intereſt an delapſus ſit in puteum, an demiſſus, ſatius duxerim ut nos ipſi ſenſim deſcendamus in hanc voraginem, quàm ut nos poſtea præcipitent fata. Quando ſteriles tranſimus annos, quando quot annis ſola tantùm manent irritæ veſtigia ſpei, intereſt ut provideamus, quo infelix Patriæ navis prorâ non poteſt, lateribus naviget. Utiq; vetus eſt nautarum præceptum, per ſagaces circuitiones cautus portum petet, qui Regiam tenere viam non potuit

tuit. Multo tempore piscatum est, quanquam Divinæ legis imperio tot annis laborantes, nihil cepimus, satis inquam piscatum est, tempus instat, ut retia exsiccentur. Prosperiores ulterioris belli eventus nescio q uo pacto sperandi, nihil boni divinat animus, quandoquidem propter peccata nostra, quibus barbari fortes fiunt, dedit nos Dnus in manum, de qua non possumus surgere. Apprehendimus Scytham, & dimittere nos non vult, potest fieri, quòd in tanta luce alium singuli videant solem. Id quod mihi conscientia, quod ratio statûs, quod futuri timor, & tam longi incommodi recens memoria svadet, dico & cuperem ut omnes id seriò pensitemus, quomodo jam & domi lachrymas & apud vicinos commiserationem perdiderimus. *A.C.1690*

Legamus in sacra scriptura simplicem ad speciem at eminentẽ conceptũ & similitudinem œconomicam. Diligens Paterfamilias multum spei in labore collocans, labor improbus omnia vincit, vult arte agriculturæ naturã prævertere, destinat sibi portionem terræ, agrum aliquem obsitum uliginosum, desudat, vertit illum, evertitq; aratro, colit, reparat continuò, enervatur, magno conatu nihil agente, ac tandem nihil proficit, expectavit ut faceret uvas, fecit labruscas, infelix lolium & steriles dominantur avenæ, fructus non respondet arantis labori, oleum & opera perditur. Præstolatur in patientia annum alterum & tertium, en deplorata colono vota jacent, en longi perit labor irritus anni. En nihil omnium horum, apparet aliquid in stramine nihil in grano, aliquid in spe, in re ipsa nihil, semper mentitur seges, quis tandem finis irritæ spei? videndo id tantum esse sumptum, supervacuumq; conatum, jacturam temporis, tanto damno, emolumento nullo, expectationem fallacem, laborem absq; præmio, solamen ambiguum, certam curam, sudorem sine stipendio, dolorem, ad irritum cadentis spei, suo genio agrum illum renuncians, frustra tentata relinquit, modum ponit industriæ suæ, abjicit istud negotium necessitate in rationem versâ, ceu diceret, fortuna me magis quàm animus & virtus deserit. Desistamus ab infausto opere. Non inducam apodosim, siquidem illius quisq; facile sequelam conijciet, neque vellem Serenissime Rex arma viris, in arma natis manibus extorquere, imò cohærendo bellicosissimo Serenitatis Vræ Genio, si viderem possibilitatem, utilitatem, eventum bonum ulterioris belli, stimularem universa pectora, convertite aratra vestra in gladios, & ligones vestros in lanceas, verùm deficit me, non voluntas sed spes videntem manifestè, quòd sinè ferro vincamur, quanquam nulla DEO protegente incubuit clades, cooperante manuductione Serenitatis Vræ & providentiâ Ducum, quibus è loco meo, pro indefessis curis, ob erogatos maximos pro publico è privatis fortunis sumptus, pro gravissimis exantlatis laboribus, pro enixa quantum personam attinebat eorum solicitudine, debitas grates rependo. Minimè dubius, quòd quemadmodum Serenitas Vra intentiones optimas magis, quàm effectus quos DEus dirigit ipse, sufficientia enim nostra ex DEo est, & qui in nostra potestate positi non sunt, in libra expendit, ita & Patria, quemadmodum Ductorum exercitus: pariter & totius militiæ, non exitu acta probabit (Namq; sors ingentibus ausis rara comes:) gratissima bonæ voluntatis, & magnanimi pectoris æstimatrix illud considerans, quòd non semper æquum sit virtutis & fortunæ suffragium, illustrium meritorũ, habituras memoriam & competentem respectum. Ego verò exoluto officio, ex statione mea, quod à me magnis nominibus eorum debetur, illum tenorem dicendi repeto, in quo paulò ante asserui, quòd licet ex-

A.C. 1690 ercitus noster, nulli succubuerit cladi, magisque penuriâ, quàm pugnâ, consumptus fuerit, uti de clarissimi Ducis Corbulonis legisse me meminì legionibus, ipse exercitus, ut nullis ex prælio damnis, *ita per* inopiam & labores fatiscebat, & pene quolibet anno consumi & ad incitas redire tantam multitudinem usuvenit. Namque non sumus generati sicut arena, si verò non in hominibus tunc certe in modis major difficultas consurgit, semel iterumque perditis omnibus miles, etiamsi stipendium ex integro reciperet, serò ad eum, quo excidit perveniet statum, quid verò, quando retardantur stipendia, quando solutionis ejusque sat exiguæ ac tenuis expectatio, inter causas paupertatis est.

Superest plurimum rationum Serenissime Rex, quæ non movent tantùm, sed evincunt, ut postpositis aliis curis, soli huic inhæreamus curæ, si fortè nolumus, ut prius deficiamus, quàm lucere incipiamus, primâ fronte propono necessitatem, quæ rationem prævertere solet, & clarè assero, videns & intelligens quid agatur in populo, quanta calamitas, pauperies, quod ipsa pereuntium necessitas, non svadet sed cogit quæ magnum humanæ infelicitatis patrocinium est, cujus causa sinè delicto: ut id abjiciamus quod nos (avertant Superi,) perdere citissimè potest. Præteritis Comitiis contraximus debitũ militis exsolvẽdi ni fallor quatuordecim quartualia, non minuitur imò crescit quotidie debitum, ergo necesse est contributiones indicere tantas, quæ exolutis ante contractis debitis, ex integro deinceps mercedi, per hos duos immediate annos currentes, usque ad futura Comitia sufficiant, utrum suffecturi sunt tanto oneri subditi nostri, quilibet prudens discernat, & præsertim nunc quomodo contribuere possunt, dum in plurimis *locis*, ut quondam apud gentes conclamatum erat, frumentum omne DEos comedisse. Tantum est ditionũ quarum nonnullæ intolerabilibus divagantis militiæ populationibus, sunt subversæ, aliæ hybernis destinatæ sentiunt, quàm sit miserum cum armatis vivere semper. Nam non impune fit etiamsi tantum tectum illis ad vitandas injurias cæli cõcedatur, plus æquo indulgent sibi, sulci verò gemunt, dum illos gravat armati militis pondus. Quæro igitur quo modo rivi fluent, si fontis originem impedimus, quomodo erunt pares exolvendis præteritis & modernis, nec non futuris stipendiis, & exinde ipsa impossiblitas omnẽ belli ducendi dum excludat modum, unâ voce gemitur, Pacem te poscimus omnes.

In omnibus actionibus Serenissime Rex voluntati Divinæ, morem gerere tenemur. Desudant hoc in puncto Theologi, quomodo *etiã* voluntas cognosci possit Divina, tandem concludunt, quia quoties DEUS vult finem, dat media ad finem, dum verò non vult, confundit cogitatus nostros, removet media. Ad elucidandum id talia non accersam exempla manifestissimum palpando manibus. Quatenus tam utili rebus Christianis accederemus conjunctioni. Quatenus inchoaremus bellum illud, ante inchoationem & terminum Comitiorum 1683 animadvertere potuimus, hoc in puncto realem voluntatem Divinam, quando id omne incidebat in manus resolvendum, quod posset obicem ponere conclusioni felici. Notam habuimus hanc voluntatem Divinam ex effectu, quando intra aliquot menses, quanquam post finita Comitia impossibile erat contribuere, attamen adeo fortem lectumque eduxit Serenitas Vra Exercitum, in succursum vicinorum, adeo gloriosè vindicavit eos, æternâ sibi & Regno suo, quousque suis mundus complebitur annis, comparatâ memoriâ. Consideratis successibus istius belli originis palpabiliter videmus

videmus, quod DEus palpabiliter voluerit illud. Transeamus verò ad subsequentia tempora, & ecce quæ initijs læta erant postea tractu dura, faxit DEus, ne eventu tristia fiant. Proponamus nobis Zvanecensem, & Budziacensem, ubì Serenitas Vra incessit, per deserta, quæ non habitantur, expeditiones, & videbimus omnia cecidisse, quæ diligentissimè erant cogitata. In prima expeditione copiosi, & incessantes imbres, in altera, insveta, & præter naturæ ordinem siccitas: velut conjurata in contrarium elementa demonstrarent, & illos & futuros annos nobis denegaturos successus, uti quidem id usu venit nobis, in præteritis nostris versus Camenecum peregrinationibus, quarum quis finis, quis fructus, bona vota sinister semper eventus excipiebat, ad eundem lapidem continuò, & incassum offendimus. Bellum continuare bonâ conscientiâ non possumus. Exercituum nostrorum Ducûm, quis gloriæ non faveret, si non fuerunt, pro voto felices in hac expeditione, novissima bene velle sufficit, si non possis, bene posse voluerunt, sed quod non potuerint nos hastam trahimus sed vim DEus ingerit hastis, & ecce dies tanquam velocius currens, in vices ejus, quod temporibus Josve stetit, spes præcidit, vota elusit. Ita nempe currus & equi parantur ad prælium: sed à Jechova est victoria. Quanquam non nihil ex hac occasione commemoraverim cur nobis DEus eo usq; hanc gratiam subtraxerit. Venit in memoriam mihi ille Evangelicus Centurio, qui accessit ad CHristum dicens: Puer meus jacet paraliticus, cum bonus Dñus ad opem ferendam itineri accingitur, reponit ille: Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, alium loco tui substitue, dic verbum & ipse sanabitur. Complaceo mihi nimirum in Doctoris Ecclesiastici ratione, cur non optaverit Centurio iste ut CHristus Dominus domum ejus intraret, quæ est ejusmodi, quia cum militem ageret, non unam rem alienam raptam extortamq; CHristus Dominus deprehendisset, forsitan interrogasset eum, ut id quâ viâ acquisitum, & consequenter meruisset indignationem Domini. Declinat itaq;, deprecatur, indignitatẽ suam trahit in causas morarũ ita gravissimas populo ab exercitib⁹ nostris oppressiones illatas (absq; præjudicio avertat DEus dixerim, sum̃orũ virorũ, qui pectoribus nos protegunt suis) arcent nos hucusq;, arcebuntq; aditu Camenici, non sum⁹ digni ut intrem⁹, utiq; propter miseriam inopum, & gemitum pauperum elevans allisisti nos, utique Regnum à Gente in Gentem transfertur, propter injustitias & injurias. Non unus Achan rebus alienis retentis, causa est vindictæ Divinæ. Quod autem eveniant ista, veniam petunt, (quanquam non ij, quorum DEUS insidet cordi, quorum ante oculos, honesti & conscientiæ obversatur respectus) eò quòd nobis non solvantur stipendia, ventóque pasci, impossibile sit, verum id est. Non afflat ita feliciter ille, sicut propter Moysen agglomeraverat, tantam multitudinem avium, quanta ad victum sexcentorum millium, & amplius superabundaverat, ipse tantum DEUS vento Exercitum alere potest. Jam verò in codice de alimentis pupillo præstandis legimus, nemo præsumiturvixisse de vento, & tantum de uno rem ridiculam legi Democrito, quod triduo egenos ore illorum aperto, solo illos paverit è pane suffitu. Id certissimum est exercitui in stipendijs non esse satisfactum, plerumque nobis ab ipsis, tãti infortunij causæ oriuntur, quod miles prætextu indigentiæ insolescat, & plus sibi indulgeat, at alia ex parte quomodo subditi contribuere possunt quando media deficiunt. Agnosco insuper & in hoc nutum voluntatis Divinæ, qualis anno præterito fuit & qualis in hunc futurum annum, quantum œconomica divinare permittit experientia im̃inet sterilitas A.C. 1690

A.C. 1690 litas, quam sum̃a consequitur caristia, quam hic experimur Varsaviæ, dum inter alia, illa pessima recurrunt tempora quibus potuit fortasse minori pretio piscator, quàm piscis, emi, certa deinceps est consequens fames & post hæc impossibilitas bellicæ sufficientiæ manifesta. Insuper quælibet res debet suum finem sortiri, omnia ad suum properant finem, Finis, terminus, affectus hujus belli fuit, Christianitatis defensio, recuperatio ablatorum, tranquillitas quantum ex nobis est longissima. Quantum ad primum nemo negabit, quod sicut causa causæ est causa causati, ita Mtas Vra satis id omne implevit. Quidquid nunc triumphorum, utilitatum, successuum Christianitati accessit, eorum omnium fons & origo inde profluxit. Quantum ad recuperationem ablatorum, ego ratiocinandi sum hâc in parte ignorans. Nam dubius sum eventuræ tantæ voluptatis, non ea celeritate repetuntur perdita, quâ perduntur. Dubi⁹ inquam sum, ut damna, pauperiem, quam bello contraximus resarcire ac recuperare possimus. Quinimo qui nolit veritatem offendere tacendo recognoscet, quia non computatis ijs, quæ amisimus per tractatus omnibus notos, nobis passivis graves, & nunc deperdimus id quod ad nos jure spectaret, & quod alijs possemus quærere modis, ecce jam scimus quid sperare possimus. Omnis spes Danaum, sum̃a laboris Camenecum. Id tantillum nobis & hostes offerunt, & amici tantillo obturant ora. At ego mihi in memoriam revoco textum S: Chrysostomi, super Evangelium illud, ubi Christum lapidibus saturare voluit inimicus. Lapides esurienti offert, cum humanitas talis est inimici, quam ulterius risu explodendo, inquit: quod nec tentare noverit, esurienti enim blanda debebat offerre non dura, non cieo ego disquisitionem, nam id evidens est, utrum plus acceptis meruerimus, attamen ajo, si pace procurari potest, quid bello opus est, beneficio pacis potest perveniri in sortem, & cur hanc non apprehendamus viam, quandoquidem per experientiam parum profici armis videmus. Expugnatio ejus pro incerto habenda, sin autem illam amplius voluerimus experiri, meo sensu plus voti laudabilis, quàm certæ fiduciæ hic ausus haberet.

Ultima finis belli nostri est temporanea quies, ego quidem gentem eam non novi, & utinam non novissem, ex historiis tamen, & relationibus didici expertorum, post tantas clades, & dispendia, non citò aut nunquam suum elevaturam caput. De coercenda tantum modo Tartarica potentia, & impediendis frequentioribus excursionibus atque in horas incursionibus, nostrum expediendum consilium est. Cæterum Turcæ non inviti, longi temporis quietem arripient simillimi parabolæ illi. Pestilentia venit ad portam, & petit num̃um, da illi duos & ducat se quo vult. Igitur causæ istæ deficiunt, & inde cessante causâ finali, respectu totius com̃unitatis, perit obligatio, & nos nobis tenemur consulere, consilia in pacem potiora sequi. Nam jam satis pro angustis terminis, idque frustra digladiantes amplissimis terris spoliati sumus.

Est insuper & ratio ista præter alias multas quas ulteriori tempori reservo: quia belli hujus nullum bonum sperare possum⁹ eventum, quia illud eodem stylo, quo per hos aliquot annos ægre trahemus ac consequenter, & clavem frangemus & seram non aperiemus, Patriæ vires exhauriemus & nihil inde lucrabimur. Quod autem prosperiores non sint spe fovendi successus, mentem explico meam. Bellum hoc absque lachrymis pauperrimæ plebis ducere nullo modo possumus, necesse est ut opprimant onera, quæ ferente majora sunt. Quomodo verò tale succedat bellum repetamus memoriâ, cur Israelitarum quinquaginta millia

cæsa,

cæsa, quadraginta abducta, quid terruit illum adeo validum ad Hoynicã A.C. 1690
CASIMIRO III regnante Exercitum, historia nostra explicat fletibus &ejulatibus Sacerdotum, & agrestium, quorũ facultatib⁹ Poloni ad id bellum proficiscentes, crudeles & sacrilegas manus injecerant id supplicii expensum est. Quid talis miles operabitur boni, qui ipso facto per extortas in Ecclesiasticis bonis stationes est in Ecclesiastica excommunicatione, & in cōmunibus pauperum diris contra hostem non procedit, sed in lachrymis natat, oblitus minarum cœlestium: non facies violentiam pauperi, quia pauper est, neque conteras egenum, quia judicabit Dominus causam ejus, quia configet eos, qui confixerunt animam ejus. Igitur si quando misericordia, & veritas obviaverunt sibi, nunc expediret pauperum misereri, veritatem invicem exprobrare, & consilium omnino arripere, quod non est populare magis quàm justum, nec in vulgus quàm optimo cuique gratius. Duæ Res opponi possunt Serenissime Rex, Colligati nostri, & gloria Gentis. Quantum ad primum non subit animum pœnitentia meum (DEUS avertat) eò quòd adeo gloriosam nobis, initio Christianitati semper proficuam vicinis potissimum (quanquam vicinus prudens me non satiat) utilem inierimus colligationem. Innuo tantùm, in Insula Lesbos esse quandã civitatem pulcherrimam, de qua id traditur scriptum: Mytilenæ magnificè est ædificatum, & eleganter sed positum non prudenter. Apparet quod nobis DEus operarios submiserit, qui arcam ædificarunt, ast ipsi, non sunt in eam ingressi, quia scilicet, ut & nos permissu Divino non præviderunt nec intellexerunt, quâpropter cum illo suspirare debemus, per me luce alij gaudent, ego sorbeo fumum, dum non tantùm fructu privato frustramur, verùm etiam, tàm multiplicia accipimus damna, quorum esset longissimus census, quia nomine damni illud omne venit, quod nobis abest, quod adesse potuit. In agro connexo uberiori segeti non invidemus, quando quidquid tetigerint, tenent. Quando ibi bellum se ipsum alit, felicitet DEus Christianorum arma, modò nos quemadmodum Romani, qui per societatem cum Saguntinis adversus Carthaginenses inchoato bello fide servata, ad ultimam pene ruinam pervenerant, modò inquam & nos non nostrarum necessitatũ sed illorum causâ hoc bellum aggressi, sustinentes pectoribus nostris eum hostem, qui nec victor, nec victus quiescere potest, & ab illo uti inope & vago fructus nullus, carò non licitemus affectum, jam verò perditione suâ salvare quenquam non expedit. Dispendio nostro alteri compendium facere minimè debemus. Omnes colligationes, fœdera, societates nulla res magis stringit, aut laxat, quàm propria utilitas, reassumamus antiquiora & videbimus Octaviani Cæsaris judicium, qui nullum bellum suscipiendum judicabat, nisi cum major emolumenti spes, quàm damni metus ostenderetur. Redeant recentiora quorum actio nostra deberet esse institutio, deprehendemus, quia quod non erat licitum in lege, necessitas licitum fecit, videbim⁹, ubi utilitatis & lucri spes sese offerebat, nõ unâ contẽti, man⁹ plures movebant, ubi verò id defuit, nemo in arma adeo promptus erat, ut non idem pretium quietis, quam periculi inutilis maluisset, quinimo quilibet, propiora sua pericula quàm aliena reputans, magis quid potuerit, quàm quid debuerit attendebat pro obtentu assumpta juris regula illa: Illud possumus, quod cōmodo possumus, vitio itaque nobis nemo vertere potest, quia quod nullum ad incertos belli eventus habentes subsidium nobis boni consulemus. Quælibet statio tempestatem fugientibus pro portu habenda est, ducerem tamen

A.C. 1690 men debitos hoc in passu gradus esse servandos. Et quemadmodum in Senatûs consilio Leopoli 1686. optaveram ita & nunc idem ingemino, ut sine ambagibus palàm cum Colligatis procedatur, hoc dilemmate; aut illis colligatio nostra utilis est in futurum, nam non est dubium, de præterito & de congruo nos maneret recompensatio damnorum nostrorum; vel non? si necessaria, quandoquidem debemus vel inviti fateri, nam propriam non nosse miseriam sum̃a miseria esset, quia ulteriori bello prosequendo impares sumus, ergo nobis talia aperiant media, quorũ subsidio ulterius possemus ducere bellum. Utique ab illis conducitur miles in alijs oris ad defensionem sui, igitur possunt & nos, si ex interesse suo crediderint, si diversio Scytharum illis opportuna proficuaque est, refovere subsidijs. Alioquin totius judicio orbis: non jure is arma vicini adversus hostem invocat, qui pugnantem in eundem hostem vicinum nullâ ope juvisset. Bellum absque num̃o subsistere nequit. Nos illo caremus, nam & habere illum ex contributionibus, (uti id tempore captato pandam & differam) non possumus, arborem nemo suâ radice privat, pendat & solvat sua tributa populus, ut vivat simul. Deducendum itaq; illis, quod belli incom̃oda ferre nequeamus, sciant nos quod maximè vellemus non posse, atq; ideo dum nulla bella sine sumptu stetère, quem qui ferre non potest, arma ponere cogitur. Id à nobis qui manifestè vident, & scient quæso nobis non tantùm incubare pondus, sed & sub illo progredi ulterius impossibile esse, si nos non verbis optant socios sibi, sed rebus ipsis indigentiã adjuvent nostram. In quantũ verò hæc colligatio nostra non est utilis illis, per interpositionem altissimi capitis nostri, qui certò certius illis beneficium præstando nobis nocere non apponet, & minimè dubius sum, quia veluti com̃unis, optimus & sanctissimus Pater, omnibus hinc inde pensitatis, melius succurret illi qui certat de damno vitando, quàm qui de lucro captando, atq; ita salvâ per omnia amicitiâ, reservatâ nobismet colligatione defensivâ, in quantum fieri poterit, insimul & junctis animis pacem pacisci. Si verò noluerint tã prosperis insistere initiis, factâ manifestatione, quòd quẽadmodũ necessitas plus posse quàm pietas solet, ita nõ valẽtes sufficere bello, cũ illorũ scitu, (quod de Septemtrione intelligo) cogeremur non nihil declinare, ac deinceps si non in universum, saltem bona illorum venia (salvâ defensivâ in futurum ipsimet nos accingere paci, utiq; non curat quâ porta exeat, qui urbe exire cogitur. Extremum Serenissime Rex ausim perquirere, quid satius sit & colligatis, totiq; Christianitati utilius, an ut maturè prævidendo interitum nostrum, eundem subterfugiamus, an tantum pondus sustinere non valentes (quod est plusquam notorium) avertat DEus, pereamus, hiatum ad Christianitatem ruinâ nostrâ aperiamus, & illos post hac perdamus. Nam dum, quid quid velint hoc utinam falso supposito, certè non resisterent, unde sequitur satius esse, ut eorum ipsorum intuitu pacem procuremus.

Redeo nunc ad objectionem cum plerumq; plenus venter injuriis, facile moveat quæstiones, quòd scilicet conservatio gloriæ gentis nostræ id nobis permittat, quòd hæc nostra circa pacem sollicitudo, quanquam sit necessaria, in tanta egestate nostra, attamen futura sit indecora, quod cum periculo gloriosius sit summa, quam tuto humilia sequi, quod famam extendere factis, hoc virtutis opus musica fides, quousq; in fasciculum convoluti tenentur, nihil aliud sunt nisi volumen, unum non esse premendum animum, si famæ cupidi sumus, imò quàm maximè dilatat, dum insuper, quod vilis animi fuerit electio illa, malo quietẽ quàm si

me

me tota laudet vicinia pago, quòd omnis laus in actione consistit, quibus omnibus breviter satisfacio. Imprimis, uti id jam deduxi, etiamsi vellemus non possumus, nec à centum armatis, nudus spoliari potest, nimirum intentus arcus & longo non laxatus tempore, facile rumpitur, plus debet virium esse in latore, quam in onere. Pulchrum est, insistere famæ, exquirere eandem, at quanquam multis proficuus, pluribus tamen inutilis, & supervacuus ille accidit labor. Insuper quæro utrum major fuisset gloria (ut comoda Patriæ tacuerim,) ut dato succursu Viennæ, repurgatâ hostibus ex parte magna, Hungariâ, Strigonio & Setino expugnatis, pacis tractassemus consilia, quàm nunc dum per hos aliquot annos adeo ingentibus factis expensis, absq; lucro, acerbas ab his, qui nihil ad rationem revocant, patimur obtrectationes, ut jam illis comparemur nationibus, quæ nec vitare sciunt tela, nec arcere. Ad extremum sicut omne judicium præjudicatis fundatur, ita cōsilium ab exemplis solet esse optimum. Non inducam huc multas nationes de quibus legimus, quia petebant pacem, cum bellum tolerare non possent, verùm tantùm ante oculos statuamus Romanos, qui pacem etiam, cum vincere poterant, volebant, qua majus ex eo decus sperabant, si pacem inirent, si quæ nationum gloriæ avida & capax fuerat, id tribuendum Romanis, attamen consilio res extremas moliri, arma procul habere quanquam habuerint invictos exercitus, disciplinam sibi præoptarunt, nunquam fortunam tentaverunt armis, ubicunq; consilio res componi poterant eorum historiæ decribentes nobis strenuos Duces id notabile adjungunt, quod hi libentius componebant bella, nè meritæ per multos annos gloriæ, ultra periculum facerent. Utiq; quando à Parthis coarctati & obsidione cincti erant ecce eam excusationem diffugij ab evidenti periculo adferunt, validam quoq; & laudatam antiquitatem, quoties fortuna cōtraria esset, saluti consuluisse. Enim verò est quod ab istis inclytis famâ, qui orbis Dni exstiterunt, discamus politicis. Idcirco omnibus ab origine mundi usitatum nationibus fuit, ubicunq; ratio, Patriæ amor, cura futuri prævalebat. Justum est bellum, quibus necessarium & pia arma quibus nulla nisi in armis relinquitur spes, nemo melius de rebus nostris, quàm nos judicaverimus, quàm magna comoda, quàm magna (ut contraria magis elucescant) ex hoc bello accepimus damna, nullus artifex perfectior, quam quem errores docuêre, & proinde ego, non hoc pacto id meum concludo consilium, ut hic qui bellum ulterius cupit, ante aciem ponatur primus. Sed quando voluntatem Divinam non habemus manifestam, quando modi nos deficiunt, quando impossibilitas istis, pax tuta, cuivis bello etiam injusto est præferenda. | A.C. 1690

Majestas Vra fortunam & felicem Principē aget, si felicem populū fecerit, benedictiones Divinæ in personam ejus & domum Regnatricē pleno alveo fluent. Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. Assurgent in altum attritæ fortunæ, quando vivemus præsentibus læti, futuri securi. Respirabit Patria DEo favente, ubi pax, omnia prosperantur. In reliquo professus id quod mihi in puncto hoc visum est, juxta dictamen conscientiæ rectæ, hoc finio materiam istam, & alloquor Patriā universam. Audisti quid te invitare possit, quid absterrere, proinde aut naviga aut resiste, si bellum placuerit (cui ego contrarius non sum) modò cum honore & tranquillitate ducatur, igitur saltem non impediamus cursum, Comitiorum prolongatione, tempora agendi non occupemus, assequimur omnia, si properamus, si cunctamur, amittimus.

Si

A.C. 1690 Si bellum placet igitur arma paranda, ſi bonæ votum eſt pacis potiri, nã hæc optima eſt, ſub clypeo arma tenentibus facilius ſuccederent tractat⁹.

Materies per Inſtructiones ad particularia comitia, & nunc per propoſitionem Serenitatis Vræ propoſita, Quomodo generalia comitia, celeriter finienda ſint, pridem eſt in quæſtione, & rara Generalia celebrantur comitia abſque Thautologia iſta, nulla verò in quibus iſtud concludatur, atque ita de modo concludendorum comitiorum diſputando illud ipſum conſilium non poſſumus finire, utinam reperibilis eſſet talis, qui alias in occaſiones promptus eſt, Achimauſus, qui doceret viam compendij; ſi eſſet mens omnibus una, ſi Patriæ amor nos flectere poſſet, citò omnis adeſſet concluſio. Nulla eſt adeo perplexa materia, quæ die uno vel altero definiri non poſſet, præſertim quando more, & inſtituto Majorum illud, cui contradicebatur, non reaſſumebatur deinceps. Si id à nobis obſervaretur, multæ difficultates à nobis confici poſſent. Fuerant quidam dies Sabathivi, ad id deſtinati, quo tempore Palatinat⁹ ſua deſideria promovebant, cuperem id quoq; ad normam anteactam redire, nam non eo tantum reſpectu, ut alios dies non occupent iſtæ publicæ materiæ, verùm quòd expediat dare id ſolatij legatis terreſtribus, ne cum ipſo tantùm inviſo contributionum nomine revertantur ad Fratres, optaſſem quoque impetu ſumpto à prudentiſſimo conſilio eorundem Delegatorum Terreſtrium, ut intra decem dies, cum ordine eodẽ conjungamur, nã hoc pacto citius junctim concludi conſilia poſſent. Optaſſem (quanquam & iſtam fata noſtra nonnunquam adijciunt difficultatis artem) ut ſimiliter quoq; more ſolito reſumerentur ſeſſiones, in quibus ſenſus ſuos ante hac conglutinabant Palatinatus, atque ita paratis rebus inſtructi alijs non ponebant obicem tractatibus.

De ſtipendio militari (quod adeo neceſſarium eſt, ut non ſit neceſſe nobis quidquam loqui) ego ſentio tantùm, ut quemadmodum qui non laborat, non manducet, ita ij qui laborant tamdiu, & operosè uti id conſtat, quia nunc & cataphractus miles exploratum, & ad excubias expediri ſolet, ac proinde quam omnibus gravis ſit militia, eo ipſo demonſtrant. Digni ergo mercede, & expedit ut cum debita erga laborioſiſſimũ militem gratitudine, mercedem ſeriò & unicè provideamus, at quoniam contributiones impoſſibiles eſſe videntur, ut huic oneri ſufficere poſſint, agrariæ contributiones iniquiſſimæ, coæquatione Palatinatus carent, alij plus, alij minus contribuunt, quærendi ſunt alij modi, quos & ego pro vili ſenſu exhibebo tempore meo, nolens ad præſens longiori meo ſermone aures Serenitatis Vræ onerare, multa adhuc dicere habeo, ſed nõ poſſumus portare modò, aut ſi videbitur, uti prudentiſſimè Illuſtriſſim⁹ Epiſcopus Poſnanienſis innuit, ut Mtas Vra deputationem ad deferendum univerſæ Reipub. deſignare dignetur, in qua adinveniri poſſunt & connotari modi moderandarum adeo gravium contributionum, quæ vix à me quidem forſitan ſint ſuffecturæ.

Negotium Thorunenſe crediderim quòd ad inſtantiam Illuſtriſſimi Epiſcopi Culmenſis, utrum ex æquiſſimo Serenitatis Vræ judicio, utrum ex concordia & Authoritate Regia, ſtabilitũ ſuum accepturum ſit effectum, non dubito, ideoque illius hoc loci mentionem facio, ut & zelum pro Domo DEI & affectum erga Illuſtriſſimũ Epiſcopum palàm faciã meũ.

Comitiorum relationum, frequentibus cũ magno præjudicio rupturis, quâ viâ occurrendum ſit, punctum hoc nimis delicatum eſt, ego nihil his addam conſvetudinibus quæ in antiqua fuêre Republica. Poſt Comitia magna non diſputabatur, ſed ad executionem lex deducebatur.

Comi-

Comitiola relationum non habebant jus corrigendi Comitia, nam etiã celebrari non solebant, tantum in crastino post Deputatorum Comitiola in antiquioribus constitutionibus. Non adinveniemus modum contribuendi, ad fratres, & hic est scopulus, in quem sancita Reipub. offendunt. Nam quilibet vellet indulgere sibi. A.C. 1690

Scythicis incursionibus quomodo occurrendum sit, reflexione habita quòd hoc punctum non sit professionis meæ, ignarus ne tractet habenas, id unicum addo, quia quando fuerit stipendiatus miles, tunc redibit disciplina militaris, tum Imperatorem magis quàm hostem timens, erit promptus in omnes, nec erit excusatio, quando infallibile percipiet stipendium, ac proinde securitas Regionum nostrarum infallibilis erit.

Successores D. Boratinski justa, & longo tempore petunt. Debitum istud quantum informationis accepi regulatur ad M. D. Litvaniæ, igitur rogatos esse velim illius Ducatus Proceres, ut aliquando talem adinveniant modum, ut reddere possint, quod debetur.

Non desunt & aliæ materiæ, veluti de moneta & indemnitate bonorum Equestrium, de penurijs, de exulibus, de Palatinatu Volhyniæ, de abusu in concedendis indigenatibus, & nobilitationibus, verùm his in aliud tempus reservatis veniam petens, quòd forte diutius fuerim immoratus, nam res verbis explicari debet. Finio imenso voto ut Omnipotens DEUS, secundet in laboribus istis Mtem Vram, ut longissimè nobis dominetur. Faveat beneficum cœlum suis, si æternus esse non potest, concedat diuturnum.

COPIA LITERARUM CÆSAREARUM AD REGEM POLONIÆ Vienna 31 Decembris.

Negotium Neoburgicum

ACcurrit hisce diebus ad Aulam nostram citatis equis Jacobus ab Hamilstron Serenissimi Electoris Palatini supremus Camerarius, à sua Dilectione eum in finem, ad nos missus; ut exponeret certa quædam desideria, quibus Dilectio sua, à Regia Serenitate Vra, pro solita & innata sua magnanimitate, & benevolentia ante satis cupit fieri, quàm Regia legatio Neoburgum perveniat, ad celebrandum ibidem matrimonium ratum & Serenissimam Neosponsam deinde abducendam. Et ut brevis eorum tenor ex adjecta pagina succinctè patet, ita planè confidimus Regiam Serenitatem Vrã, quidquid curæ & solicitudinis Serenissimus Elector hac in re sedulo præfert, fraternæ in sororem propensioni, & filiali in prædefunctum Serenissimum Parentem, qui negotium istud matrimoniale, hunc in modum expediri, ultimis in votis habuit, pientissimo obsequio facile condonaturam esse. Est proinde cur ad id enixissimè rogati Serenitatem Vram Regiam fraternè & officiosissimè requirendã duxerimus. Dignetur communi domus solatio, quod ex isto sibi matrimonio pollicetur, uberrimum id unicum superaddere, ut antequam ex amplexu fraterno discedat neosponsa, Serenissimus Elector & sibi blandiri possit, ultimis Paterni affectûs desiderijs, qui dubio procul omne aliud vincit ex asse Parentum interesse. Quæ causa est, cur minimè nobis persvadeamus, id quod pietas svasit, à Regia Serenitate Vestra in argumentum diffidentium in ejusdem generositatem animorum

sequi-

A.C. 1690 *sequius trahendum esse cuivis, equidem Regiæ fidei, tuto prorsus acquiescimus, nisi Patris auxiliis orbata neo-sponsa, ob accedentē ætatis imbecillitatem plus fraternæ sollicitudinis à nobis exigeret. Habet Regia Serenitas Vra, primam præ manibus suis occasionem Serenissimam Neo-sponsam Paterno suo affectu, è propinquo amplectendi, si quæ desiderantur pactis declarationes & assecurationes, sine mora curet expediri easq; legato suo citatis equis submittere dignetur. Quē usq; dum hoc fiat, Serenißimus Elector parūper subsistere literis monuit, quamvis credamus eundem sine mora itineris sui facile per cursorem deprehendi posse, si res ut facilis & æqua videtur, pari facilitate acceleretur. Nos equidem id quod nobis incumbit parati sumus efficere, dum cameræ nostræ Silesiensi, mādata nostra jam jam injunximus, aßignandi certos reditus ex grato Principatu ad pensiones 500000 florenorum summa capitali annuatim sufficientes, sicut par est juxta pacta 5 pro centum computentur, simul & ordinavimus ut Serenitatis Vræ Officialis, pro libitu constituendus congruam annuam pensionem ex reditibus Principatus determinandi, sine ambagibus, in casum minimè moræ, ipsemet exigere, & percipere poßit. Cæterum &c.*

LXXXV.

STANISLAO SZCZUKA REFERENDARIO REGNI ANDREAS C. ZAŁUSKI EPISCOPUS KIJOVIENSIS ET CZERNIECHOVIENSIS 16 Augusti.

REquiris à me in plena confidentia, ut tibi communicem aliqua vota in Senatu habita ab Avunculo piæ memoriæ meo Andrea Olszowski Regni Procancellario, & post Archiepiscopo Gnesnensi. Nō sunt ad manū, nisi pauca, illa tamen, quotquot reperi, nunc mitto, si alia invenero, libens pro curiositate non minus tua, quàm publica utilitate transmissurus.

VOTUM PRIMUM ANDREÆ OLSZOWSKI EPISCOPI CULMENSIS ET POMESANIÆ, POST POSSESSIONEM EPISCOPATUS CAPTAM.

NON longo prologo, sed sincerâ, submissâq; beneficij Vræ Mtis confessione, hanc in Repub: vocem ordior: supra, & ante vota, supra meritorum meorum exiguitatem, Prælaturis in varijs Cathedris, ministerijs Regni in sua Curia, insuper tyara & curuli, citra meam populiq; spem, me Mtas Vra dignata est decorare. Tres Deas Gratias antiquitas numeravit, & coluit; tribus ego cosnatis, finiendas nunquam cōcludo grates, & nullâ satis laudandam lingvâ clementiam, adoro silentio.

Primum punctum propositionis Vræ Mtis est stipendij solutio Exercitui. Videretur mutandus stylus, scribendumq; potius: contentatio Exercitus. Non sum avidus ultro offensionum, nec libenter ullum, etiam cogitatione, multo minus verbo offendere vellem; sed velut juratus Senator, teneor vel cum periculo offensionis dicere, quod è Repub., pro justi-

justitia sentio. Cönclusum est in intellectu & sensu meo stipendium Exercitui, scilicet ex integro, & juxta contractum cum eo à Rep. factum, non esse possibile, multò minus debitum aut justum. *A.C.* 1690

Ex calculatione Fiscali in præteritis comitijs patuit, debitum Exercitui, ad 30 circiter milliones: ad quod solvendum certè non veniet ex Indijs classis cum opibus; restituendum omnino erit ex contributionibus Reip., agris, bonisq; privatorum. Trifariam verò bona distingvimus, scilicet Regalia, Spiritualia, & Terrestria. Fuit hæc ut memini, forsanq; hactenus hæret vehemens quorundam Statistarum nostrorum imaginatio, & nominatim defuncti jam Zaleski Referendarij Regni, qui crassissimo errore affirmabat, sola bona Ecclesiastica sextuplo majora esse bonis terrestribus, & nobilibus. Extorserunt nunc confœderati milites, ultimo etiam expresso sangvine, ab uno manso florenos ultra 150 & quidem tanto rigore, quanto nullus Exactorum expressisset. Reviderunt omnes conseminatos agros, nec tantùm mansos, verùm etiam jugera numerarunt, quantúmve quis; quot scilicet lastas, aut modios conseminaverit, explorârunt, & quietationibus ex Actis verificarunt, jusso super eas deponi jumento. Scire mihi non contigit, quam ingens hic collecta sit sum̃a sum̃arum, meo tamen judicio vix ad 30 milliones non excrevit. Unde, quemadmodum com̃unis fert paræmia: Nihil tam malum in orbe reperitur, quod meliores in usus converti nequeat; ita valere potest ad facilitandam Remp. militum hic processus an excessus, qui ipsi egestatem suæ patriæ, velut in speculo perspexerunt. Quomodo ergo possibile erit pro exercitu constitui stipendium ex contributionibus ordinarijs? si ad capitalia recurremus tributa, dolendum quidem, à militibus, Defensoribus, concivibus nostris, servilem hanc capitationem nobis, sibi ipsis, posterisq; suis imponi, quam etiam iniquissima tempora, formidabiles hostium potentiæ, & ipsius Othomanicæ inundationis metus, non evicit: verùm quid agendum? *Debitum militibus*

Dum mortem redimas, ferrum patieris & ignem. Ex hisce contributionibus incerti milliones, certo tamen ipsi nuditatem nostram perpendemus, sciemusq;, quod non simus generati sicut arena maris, per bella, pestesq;, dilapsis è Regno populis. Experti utiq; id Palatinatus, qui modum contribuendi ad fratres referendo, eum per experientiam didicerunt. Non profuit capitalis hic census Palatinatui Brestensi, Cujaviensi, cujus Nuntij de minoratione Tariffæ in præteritis Comitiis, sollicitis egêre curis. Non me falleret calculus, si in sola urbe Gedanensi, plures esse de plebe homines assererem, quam in tribus Prussiæ Palatinatib⁹. Quemadmodum verò ordinata charitate quisq; sibi primo, suæque conservationi consulit, primario sibi alleviari onus, se tueri intendit, ita, arbitror; eos, qui capitationem in Comitiolis promoverunt, promovebuntq; in Comitijs, domi suæ perpensis facultatibus, tolerabiliorem fore judicarunt privatim hunc contribuendi modum; licet dubito utrum sit futurus cum Reipub:, & exercitûs satisfactione. De alijs modis, prolixiori sermone non sine tædio Mtatis Vræ differendum esset. At non deest probatio quantum telonia aquatica importârunt; non tantùm intra unius, verùm etiam intra aliquot annorum intervallum, Elbingensem sum̃am non colligemus: Imò etiam hoc telonium, contra jura cardinalia Prussiæ amplius practicari nequit, præsertim civitas Gedanensis sum̃æ se ei opponit, nullis cedens rationibus, & persvasionibus: audivi in generali Prussiæ cõvẽtu, hæreticã (si dicere licet) quia contra statum, propositionem Nuntij Gedanensis: constitutiones Regni minime nos obligant.

A. C. 1690 Thorunium & Elbinga, licet rebus fractis loquuntur modeſtius; nihil tamen penitus contribuerunt. De telonijs verò terreſtribus, memini benè in præteritis Comitijs peritiſſimè, & prudentiſſimè magnum Senatorem Mareſchalcũ curiæ Regni deduxiſſe, nos vix tertiam partẽ habere Poloniæ, eamq; non niſi eſſe cis Viſtulam. Nam Podguria, & quot quot reliqui ſunt diſtrictus cis Viſtulam, vix reſarcire poſſent deſolationem Regionũ in hac parte Viſtulæ, redderecq; illi ſtatui; quo ante bellum floruerunt. Oſtendit id demonſtrativè & palpabiliter, quam parũ Gedanũ defluitemus: & cum antea aliquot millia onerariarũ navium, nunc vix aliquot cẽtenæ defluitẽtur. Dũ ergo parvæ ſint opes privatorũ, nec publicæ magnæ eſſe poſsũt, cũ publica privatis cõſtẽt; adeoq; cõcludo; impoſſibile eſſe Exercitui ſtipendium: quod ex integro juxta contractum non deberi, deduco ulterius, in illa fundatus regula: impoſſibilitas tollit obligationem. Quando Reſpub: ad ſuum obſequium milites authorabat, fuit in eo ſtatu, ut ſolvere vellet, & poſſet: nunc ubi ad egeſtatem eſt deducta non ſua culpâ, & cauſâ, ſed vi externâ, & internâ, quà per hoſtiles, quà per amicos & domeſticos Exercitus ruinata; excuſatur innocente paupertate, quod primæva obligatione, & ſtricto jure ſolvere non poſſit ſtipendium. Servus conductus à Domino, ſi deſervitam mercedem non accipit, perpenſis rebus manu miſſionem accipiat, quòd ſi gratis ſerviat, ſibi imputet. Impius ille & crudelis creditor Evangelicus, qui ſuper debitore ſuo comiſeratione carens, obdurato corde, abjecit ejus ſupplicationem; patientiam in me habe, ſuffocans eum extorquebat; redde quod debes; juſto decreto vindictam retulit à Domino projectus in tenebras exteriores. Revocare hic poſſum, velut perſona ſpiritualis, juris noſtri Spirituale Capitulum ſic incipiens: Odoardus depauperatus Presbyter, ſolvere creditori non tenetur, ſed ſe obliget, ubi venerit ad pingviorem fortunam. Subit illud etiam, quod alicubi legi, memoriam: ſapiens putat illud, quod vivit, ſtipendium. Juſtè milites id pro ſtipendio reputare deberent, quòd, tot annis, tanta temporum calamitate, pane vixerint Reipub. an enim in tantis Patriæ infortunijs ſoli illi erunt fortunati? Non accipit Mtas Vra, ut à capite coronato incipiam; debitum ſibi à Repub: ſtipendium, ſiquidem ex vaſtatis œconomijs proviſionem Regiam ſacroſancto pacto & nexu cum Repub. conſtitutam habere nequit. Non percipiunt Epiſcopi ſuos ex opulentis fundationibus cenſus, licet militent ſerviendo Eccleſiæ DEI; licet ſerviant, ſervierintq; in utraq; fortuna Mti Vræ, ac Patriæ. Non percipiunt Senatores, Officiales Regni, & Terreſtres, omneſq; Mtis Vræ Donatarii ſuum ſtipendium; ſcilicet ex Staroſtijs proventus, & tamen frequentiſſimi in Comitijs, Comitiolis, Comiſſionibus, & in caſtris. Prælati ad Cathedras, Vicarij ad Eccleſias, pauperes Parochi, licet altari ſerviunt, non vivunt de altari. Habui ego ex clementiſſima Vræ Mtis gratia, penes inſignes Cathedras beneficia, ex quibus tamen prorſus nihil, præter modicum pro uno anno ex Decania Cracovienſi, accepi. Sex millia ante bellum, Præpoſitura Poſnanienſis importabat; ſextus jam decurrit annus, nec ſex groſſos tamen accepi, impendi non modicum. Juſtè ergo in vim ſolutionis ſtipendij milites acceptare deberent, quo hactenus uſi ſunt, panem Patriæ; ſumpto exemplo à Vræ Mtis Aulicis, ſuis comilitonibus, quorum multi, aliquot ſupra 10 annis, ſuis ſervientes ſubſtantijs, pro præmio ſervitij, reputarent, ſi ex gratioſa Vræ Mtis diſtributione reciperent tantum, quantum in obſequia impenderent: adeoq; etiam milites in ſolutum ſuſcipere deberent, conſumptum Reipub: panem. Reſtat demonſtrare injuſtam eſſe

ſtipendii

ſtipendij ſolutionem ex integro, juxta contractum. Contractus inter milites & Rempub: initus, eſt jus comune in Comitijs ſcriptum ſub titulo: defenſio Reipub: & literæ intimatoriæ. Obligantur invicem nominato contractu milites Reipub:, Reſpub. militibus. Do ut facias, facio ut des, promiſit Reſpub. ſolvere juxta legem, invicem, juxta eandem promiſerunt ſervire milites. Lex verò vult milites ſtipendijs vivere, non exigere ſtationes, conſiſtentias in bonis ſpiritualibus, & terreſtribus non inſtituere; ſine injuria, ſine curribus, recto tractu, prompto Marte ad caſtra pergere. Quia verò milites non impleverunt conditiones contractûs, ſequitur hunc eſſe per eos reſciſſum, adeoq; Rempub. ſtrictâ illis obligatione non teneri. Omitto plura in mentem recurrentia, ne fortè veritas mea odium pariat, & offendat, quanquam cum inſigni illo Senatore, invidiam virtute, dicam ego, veritate, & amore Patriæ, partam, gloriam, non invidiam duco. Quinimo, ſpero in loco hoc, in quo me Vra Mtas ſtatuit, aut laudandam meam integritatem, aut excuſandam libertatem. Sic igitur, ut animus eſt, eloquar: iniêrunt milites nocivam confœderationem, non expectando tantillâ morâ Leopolienſem Commiſſionem, & quidem iniêrunt ſub tempus Comitiorum, in quibus contentationem eis Reſpub. conſtituit. Aut ergo jus comune nihili æſtimandum, nihili & ipſa Reſp: aut ſi his ſuum valorem tribuunt, utpote, qui ſe pro juribus & libertatibus in Comitijs declarârunt, ergo illud conſiderent, quòd ex vi ejuſdem juris, quivis confœderatus reus ſit pœnæ, vitæ, & ſubſtantiæ. Verùm mitigemus molliore termino rigorem juſtitiæ, ſed non penitus tollamus caput pœnæ; velut errabundis filijs benigna mater Patria, indulgere poteſt veniam; ſed tamen ſubſtantijs, ſtipendijs, deſervita mercede, juſtè milites ſatisfacere deberent æquitati; ut, quemadmodum illi contenti eſſe deſiderant, ita ſalutem Reipub. quid pro quo rependentes, contentam faciant.

A.C. 1690

Confœderatio

Dicent: eodem modo Majores, militares viros, per confœderationes retenta ſtipendia vindicaſſe. Non nego toleratas fuiſſe confœderationes, ſed ante latam legem, poſt conſtitutionem verò vigeſimi tertij, nullam ad hæc uſq; deplorata tempora memini confœderationem, licet florentiſſimâ etiam Repub. promiſſis duntaxat ſtipendijs aleretur Exercitus. Non tanto cœlum terraq; diſſidet intervallo, quanto hæc àb illis confœderationibus. Contigit legiſſe mihi confœderationes Mareſchalcorum, Cieklinski, Iſaykowski, Sielinski, Zaliwski, Kowalnicki, in quibus magnum, ſtyli & modi procedendi, diſcrimen. Declarârunt illi imprimis ſe eſſe confœderatos circa Regiam Mtem, ſupplices petiêrunt Comitia, ſed contenti erant convocatione, poſtulârunt correctionem jurium, & abbreviationem proceſſûs, ut Duces in caſtris reſiderent in perſona, non per Regiminum Præfectos bella ducerent, ut non abſolutè judicarent, verùm ut ad judicia adſciſcerent Chiliarchos, Rotarum Magiſtros, conſulendo etiam peritiores comilitones; ut in duplici foro, Tribunalitio ſcilicet, & Ducali una, eademq; non agitaretur cauſa; ut comilitonibus liceret manu miſſione obtenta, vexillo valedicere, ut ex amore Patriæ, non neceſſitate coactionis ſervirent. Petiêrunt à Regia Mte univerſales, ut circa ſolutionem ſtipendij quiſq; injuriatorum juſtitiam quæreret, & ſatisfactionem. Poſtulârunt, ut Deſertores caſtrorum ſubirent pœnas, bonaq; eorum in milites diſtribuerentur; Senatores, Officiales, alioſq; inſignes viros, imprimis verò Epiſcopos, Cracovienſem, Plocenſem, Luceorienſem, Culmenſem, Promotores, & Evictores ſuæ ſecuritatis nominârunt, & impetrârunt: in bonis ſpiritualibus pro conſiſtentijs pes non

Diſcrimen inter confœderationes

A. C. 1690 ſtetit ullius confœderati. Moderni verò ſacroſancti vinculi, quàm *iniqui* & execrandi articuli, juramenta, & proceſſus. Sic itaq; deductâ impoſſibilitate, & injuſtitiâ ſtipendij ex integro, poſſibilem, & juſtam, cenſeo aliquam Exercitûs ſatisfactionem. Poſitis in bilance virtutibus & meritis; vitijs & demeritis, prima longè præponderant. Hic, non alius eſt Exercitus, qui perditam Patriam tot hoſtium faucibus eripuit, fidem S. Catholicam, conculcata ſacramenta, profanata ſanctuaria, vindicavit, tremefactum Regiæ Mtis thronum firmavit, gloriam Polonæ gentis, nunquàm ſperato orbi miraculo, ſuſcitavit. Hujus utiq; Exercitus manu, & reſolutione in ruderibus & cineribus Patriæ, plantatæ lauri, & palmæ effloruerunt tam multæ, & prodigio ſuppares, quarum quælibet ad triumphum, & immortalitatem ſufficeret victoriæ, toties titulum inviciſſimi Vræ Mti comparârunt, totoq; orbe celebrem effecerunt, ut etiam diſſitæ mundi plagæ, & Tagus, & Ganges, & forſan Antipodæ celebrent triumphale Veſtræ Majeſtatis nomen. Juſtum ergo eſt, præmiari heroicos actus, debitâ contentatione, compenſare obſequia, reſolutiones, vulnera, & impenſas; aliàs gratis pœnitet eſſe probum. Hinc certus ſum, in Palatinatibus & terris comportatas eſſe contributiones in Comitijs conſtitutas, haberiq; in numerato reddendas, ubi ipſi milites per Comiſſarios Vræ Mtis & Reip.; quorum ternum opto numerum, pecuniæ fecerint diſtributionem; ubi ſe ipſos dijudicaverint, quiſnam eorum fuerit in expeditionibus, quis ipſe per ſe, quis per plenipotentes militare munus obierit: Quiſq; ad menſuram meritorum pro poſſe Patriæ, contentus eſſe poterit. Unde ijs, qui poſt clauſum Exercitûs *regeſtrum* acceſſerunt, non obligatur Reſp. Scythica, & Valachica vexilla, ſicut cõtra legem ſunt authorata, ita extra beneficium ſolutionis eſſe debent. Palatini Kijovienſis hominibus, qui ad titulum bene merendi literas impetrârunt intimatorias, juxta earum contenta ex Palatinatu Kijovienſi, Braclavienſi, & Czerniechovienſi præciſè, eſt deſignatum ſtipendium. Exercitui extero more authorato, extero quoq; more ſolvendum eſt: Portiones; ut à Svecis, & Imperatorijs didicimus, proprium eorum ſunt ſtipendium, ut quid priore abuſu Officiales ditandi ſunt? reponantur cuivis Regimini aliquot decades millium: ſatis ſuperq; erit ſtipendij; verbi gratia ſi cuivis ſimplici gregario obveniant 10 aut 20 flor: pro magno reputabit ſalario, cum ab officiali nihil ſit accepturus, præter *ſchedulam* manu miſſoriam: tali modo in mille hominum impenderentur 20000 flor: datum alterum aut tertium tantum officialibus ſuperabundè ſufficeret. Prodigalitas, audacter dixerim, fuit Reipub:, cum centena millia numeraret officialibus, qui eis aut amplas poſſeſſiones emebant, aut ad exteros proficiſcebantur, ſuccenſentes forſan Polonis Veneta paræmia: ſono Polachi. Una domus ex hoc malè fauſto proventu, lucrifecit ad duos milliones, qui tamen nivis inſtar evanuerunt, & periit memoria eorum cum ſonitu. Unus officialis Major, prætendit ſibi deberi ex ærario in vim ſtipendij octingenta millia florenorum. Digna profecto à me citari vox magni non ita pridem Miniſtri Leſczynſcij Procancellarij Regni, qui palàm coram Mte V. in præſentia ſupremi Regni Mareſchalci, ac Cancellarij multis adſtantibus, quos inter ego quoq; Regens illius fui, declaravit ſe Regimen completum, militari apparatu inſtructum, erecturum uno treſſe ad id non accepto, dictumque factum præſtitit, intra annum, Regimen Mti V. ſiſtendo ſub Thorunium. Memorari meretur ſententia in præteritis Comitijs Mareſchalci Curiæ Regni, cedro digna locuti, qui gratulatus eſt Patriæ, à magnis nomi-

nominibus & luminibus suscepta esse Regimina non quæstui, sed nomini, studio V. Mti serviendi. Addo insuper; hæc Regimina, quæ confœderationem iniverunt nullum mereri respectum: Tales enim in nullis antiquioribus confœderationibus suscipiebantur, velut mercenarij & militiæ externæ; præsertim verò illi officiales, qui legibus præscriptã capitis pœnam promeriti, consulto, deliberato, maligno animo confœderationem fomentârunt. Non ergo est impossibile contentari Exercitũ, quando milites, facta inter se calculatione possibilia petent. Sunt exempla Regni Sveciæ, & Electoris Brandeburgici, qui tam facili modo, nullo onere suos fovent Exercitus. Residens in confinijs Prussiæ, transmigrans ultro citroq; Mariæburgum sciscitabar de contributionibus, quas illi populi; uti & stationes, portiones, penitus ignorant, nec plus contribuunt quam 4 grossos à modio ex molendinis. A.C 1690

Quod si contentari non potuerint procedendum, erit exemplo Marij Romanorum Ducis, ad quem cum siti arentes venissent milites, de aquæ penuria querulantes; intendens digitum in hostilia castra, circa aquas disposita, viri, inquit, estis, en habetis. Eisdem verbis utatur ad suos Respub. milites mei, opes & thesauros hostilis eripuit manus; viri estis numero, armisq; potentes, non modico refecti respirio, en habetis Moschoviticum imperium, divitem & imbellem provinciam; non deest Reipub. justitia armorum contra Czarum, gentemq; Moschoviticam, dimidiam hinc manu tenetis victoriam, Dij exitum belli secundum jus fasq; tribuunt: ibi compensare ex hostico stipendia, damna resarcire, curare vulnera,

Et certare odijs, & res rapuisse licebit.

Non erat profectò offensæ causa, quòd Cancellarius, non minus animo, quàm stylo candidus, qui, ut aperto ostio vivere, sic aperto animo dicere, scribereq; didicit, literis expresserit ut res se habet, demonstrando milliones, zebelinas pelles, opesq; Moschoviticas. Recens ad id moveat exemplum Sveciæ, quæ ante sesqui-annum prudentiâ tractandi, constantiâ, & solâ armorum ostentatione, non evaginato gladio, nullâ obtentâ victoriâ, sex milliones per tractatum extorsit.

Summa mei consilij est. Siquidem computus Exercitûs certus non est, multa vexilla & forsan ad decem millia Exercitûs aucta sunt, supra Comitialem constitutionem, & tamen fuerunt in occasionibus: Siquidem confunduntur prætensiones meritorum, quorum aliqua fuerunt ante, alia post bellum Sveticum, tertia novissima: siquidem si solutio solenniter fieret, per comissionem, prætenderent forsitan illam etiam ij, qui extra Regnum serviunt, aut Sveticum, & Brandeburgicum servitium susceperunt, ut non mediocre exemplum est in Commendante Lubecensi, qui pro prætenso sibi stipendio, etiamnum litigat in Tribunali: computatis omnibus pecunijs, quæ paratæ esse debent in Palatinatibus. Ut summa determinetur, & congregetur, ex qua contentandus est Exercitus juxta vexillorum computum, & meritorum proportionẽ, prout nunc completus effectuat; hæc verò satisfactio fiat arbitrio bonorum virorum, scilicet Commissariorum destinandorum à Repub. & Deputatorum ab Exercitu expositorum. Reliquum prætensionum Exercitus donet Reipub. memor ab ea, dum esset in flore, liberali manu titulo donariorum, trimestria stipendia fuisse constituta.

Ad eandem contentationem illi quoq;, qui extra nexum fuerunt, aut sub Cudnovia bellicas obibant operationes, aut qui in præsidijs, aut ad latus Vræ Mtis, tanquam ejus custodes fuerunt. Sic enim sub tem-

A.C. 1690 pus Chocimenſis confœderationis, etiam illis data ſolutio, qui non fuerunt confœderati, ut habetur in conſtitutione. Poſt contentationem tandem Exercitûs, ordo eſt conſtituendus, ut Reſpub. ſciat, quantumnam ad defenſionem robur habeat; quantumve ſit impenſura in ſtipendium. Vexilla quædam exauthoranda, aut in Palatinatibus diſponenda.

VOTUM SECUNDUM ANDREÆ OLSZOWSKI EPISCOPI CULMENSIS, LEOPOLI POST PACIFICATIONEM CONFOEDERATIONIS MILITARIS.

SEcundo voces meas præcedaneas, ſucceſſuraſve, Sacerdotali, indigna licet, Mti Divinæ gratiarum actione, quòd Mtem Vram in provecta ætate, inter tot, tantoſq; labores, ſalvam, & vegetam conſervare ſit dignata. Singulare id eſt divinæ, circa hanc Patriam, providentiæ documentum, quòd tam moleſta, & vix gregario tolerabilia incom̃oda, ſitis, ardor, arena, indiſcretus Leopolienſis carcer, Regias vires non alteraverit, difficiles expeditiones, flumina, glacies, diverſa climata, varia diſcrimina, ſuperaverit inconcuſſa Vræ Mtis valetudo. Toties deſperata Reſpub. ſub tot malorum preſſuris, ultimam in ſui exitio repeririſſet periodum, niſi langventem, agoniq; proximam, vigor animi & virium Mtis Vræ animâſſet, ac vegetaſſet, permittere tantum meæ non auſim tenuitati, ut ingentia Vræ Mtis extollam facta, quæ etiam ad calculum revocare hic labor, hoc opus eſt. Relicto hoc munere meliori otio, & doctis Annaliſtarum pennis, ipſe interea, pro conſervatione gloriæ DEI, Eccleſiarum, charæq; Patriæ, pro dato reſpirio gementi populo, quàm profundiſſimas Vræ Mti refero grates; quas diſertiùs ſera loquatur poſteritas, ego ad propoſitionem Vræ Mtis lingvam, animumq; converto.

Primum punctum pro Comitiolis ore Miniſtri à Vra Mte propoſitum eſt, de calumniis: at hæ ſpretæ exoleſcunt: apprehendi poſſunt inter privatos, non contra Principem, in cauſis obvijs, non in rebus ſtatûs. Reſolverem me, ſubmiſſo Regias ad plantas capite, adducere Mti Vræ illam vocem Græcorum Ducis; coram quo dum inſignes in occaſionib⁹ bellicis milites, accuſarentur crimine peſſimo traductionũ; reſpondit: facta eorũ aſpicio. verbà nõ audivi: ſervire id poſſet claris in Rep. viris qui ea de cauſa alieniorem Vræ Mtis affectum incurrerunt. Nota alicubi contra calumnias defenſio: In Repub: libera, lingvas liberas eſſe oportere: verùm tam me, quàm forſan quemvis noſtrum, abducit juſtus dolor Mtatis Vræ, grandiſque erga Majeſtatem Veſtram ingratitudo, quæ juſtam Mti Vræ inducit averſionem. Dolendũ erat, dum Proviſor Regni, Defenſor gentis, per ſum̃am injuriam, Regni audiret Inſidiator: Dum craſſa, & rationi diſſona molimina avulſionis M. D. L. à Regno Poloniæ, ac abſoluti dominij probro è famoſis libellis objicerentur, quibus, licet innocenti famæ minimè derogetur, cor tamen Mtatis Veſtræ ſauciatur. Ingens profectò ingratitudo, pro tot toleratis incomodis, & ærumnis, quas hoc ſæculo nullus Regum, imò etiam minorum Dinaſtarum ſubiſſet: tuus labor noſtrum otium, tuæ excubiæ noſter ſomnus. Geſſit bella Mtas Vra tota hyeme, aſpero cælo, aperto campo, feris in gentibus, nos pace, deliciis affluentes, nova non niſi de ijs legebamus: Dnus noſter ſub papilionibus, nos ſubditi in Palatiis, & conclavibus: oppugnabat Mtas Vra ſtrennè & animosè hoſtiles urbes, & fortalitia: nos in teſquis leporem, & amicam laqueo gruem venabamur. Triſte quõdam querulabatur Romanorum quiſpiam: quis Pauli & Africani, in civitate bonis inimica ſimilis eſſe velit? cui non hebitabit alacritatem, repulſam

pulsam non faciet, inæqualis divisio, morti par ingratitudo, mali pro bono, à pessimis retributio? ratio temporum, & morum, non sine causa inducit alterationem Mtati Vræ: nobis imputare nolentes volentes cogimur, adscribereq; vitio libertatis, aut genio gentis, vel potius corrupto sæculo; quod nullibi plus, quàm in hac Rep. in malum possint, aut audeant pravi rumores; ut non longè petitis constat documentis. Quid effecit sacrum illud non ita pridẽ Confœderationis vinculum, quis illud tam firmiter colligavit, nisi malignæ traductiones, vani rumores, sinistra erga Eminentes interpretatio? ausa est insolens curiositas, probroso, nec unquã practicato exemplo, resignare literas, exponere in viis publicis exploratores, postas intercipere, cuncta rimari, nullum tamen invenit documentum, aut fumum probationis qua colorem, aut prætextũ manifestis figmentis, perversis intentionibus, & obstinatæ facere posset malevolentiæ. Quid aliud stante Patrum nostrorum vita, malefaustam illam connexuit confœderationem, nisi calumniæ, fabulæ, exquisitæ traductiones, ubiq; quæsitum, repertum nullibi, multo minus deductum, sub Stęzyca, & Pokrzywnica grande illud aliquid: Hujusmodi etiamnũ calumniæ, famosi libelli, in Palatinatibus & districtibus irritant animos, diffidentias creant, confundunt consilia, enervant, & perimunt, afflictã Remp: Assumens ergo in personam meam, velut fidelis servus, partem doloris Mtis Vræ, consilium meum ita divido; ut si superest clementiæ locus, sit hoc penitus, ut nostrum sonat statutum, in gratia Mtis Vræ: si verò dignitati, honoriq; Regio, vitæ æquiparato, conveniens, ac Reip: necessarium judicat Mtas Vra, descendere ad judicium, gemino totum expedio verbo: Exercendæ leges.

Secundum punctum. Stipendium Exercitui in præteritum & futurum. Bis solvere, qui semel renuit, Polonica docet paræmia: At Polonia ipsa, non dupla, sed decupla, centumplaq; patitur damna: quod cõstanter, & tempestivè, non solvat Exercitui, à quo, eo ipso certam habere nequit defensionem. Non enim est Exercitus defensioni sine ordine; ordo esse nequit sine obedientia; hæc non speranda, sine stipendio. Sic nos ligat contractus reciprocus, seu, juxta Legistas, innominatus: Do, ut facias; facio, ut des: Servit nobis Exercitus, ergo illi solvendum: solvim9, ergo obsequiũ præstare tenetur. Quæ verò causa nõ provisæ sufficientis Exercitui solutionis? culpã devolvere in renitentiã nostrã, aut in min9 æquã erga Heroes propẽsionẽ nequeo; quidquid enim ingenij, quidquid habet viriũ; totã se Resp. toties, ferme supra vires, in cõtributiones eviisceravit; debitũ tamen integrè exsolvere non potuit. Tres mihi potissimũ occurrũt causæ. Primo egestas populi, in quam nos tristia tempora redegerunt. Secundo, quod nullum contribuendi modum invenire velimus, nec per statum Reipub: possimus; nisi per tributa. Tertio, quod in æquali Rep. nimis inæqualiter exigamus. Egestatem Poloniæ Cygnea voce deduxit in præteritis Comitijs, dignæ memoriæ, Minister Regni Mareschalcus Opalinius, luculenter demonstrans, quantum amplitudine, opibus, decreverit. Ostendit ad oculum, peneq; ad æs, & libram ponderavit fortunas privatorum, concludens, ad plenas contributiones tributarias, vix Poloniam cis Vistulam esse reputandam: licet enim etiam illa pars, scilicet Podguria, Russiæ, Lublinensis, alijque Palatinatus contribuant; hi tamen vix supplendis defectibus hujus nostræ partis, possunt sufficere. Quando ergo impossibile est, nos contributionibus, iniquo tributo, & damnato ab omnibus Regnis, statibusq; Europæ, posse sufficere: quando Capitalia, tributa, accisa, aliaq; contributionum vocabula, ut in Comitiolis

Stipendium militum

A.C. 1690 mitiolis conclamatum, nec nominanda: quando inanes sunt conceptus omnes; quid superest consilij? alium ego certiorem, & securiorem modum non invenio; nisi, ut repartitio fiat exercitûs per Palatinatus. Arbitrari speculativè poterit aliquis, decessurum per hoc aliquid authoritati sum̃oque imperio Regiæ Mtis super Exercitum, At contra ego, pro mei tenuitate judicij, has ob causas sentio. Legiones & vexilla solutione acceptâ, aut accipiendæ certa; habita in Palatinatibus, & terris evictione, pro occasionibus erunt parata, & sine tergiversatione obsequentia, ac prompta, Sacramento literisque Intimatorijs Vestræ Majestati obstricta: poterit quoque legibus circumscribi, nequid detrimenti authoritas Mtis patiatur. Utilitates ex repartitione Exercitûs breviter innuo. Sic partitus Exercitus induet speciem com̃unis motus, quo in tantã amplitudinem crevit, semperq; floruit Polonia. Habebit in numerato vires Respub., subsidia de facili esse poterunt sine sumptu novis authoramentis impendendo, & ruina, solitis modis Provinciarum. Defectus in vexillis & regiminibus, aut nulli erunt, aut citò corrigentur: vexillum unum cum altero, & pro ejus stipendio, non colligabitur: spargi legiones pacis intererit, juxta illud: divide, & impera. Quòd si aliqua difficultas occurrerit; Com̃issarijs Vræ Mtatis lustrantibus militem, jus erit exigendi rationem à Palatinatibus; adeoq; non in tabulis, agris & pictũ, ut ajunt, sed realem fortemq; habendo exercitum, firmabit Mtas Vestra Regium thronum securitate, & integritate creditorum sibi à DEO dominiorum, cum majore, quàm nunc, nominis Poloni, apud externos respectu, terroreq; hostium: si verò solutio exercitui, & prænumeratio stipendiorum non erit, ut nec esse potest; hæcq; per Palatinatus repartitio non constituetur; metuenda illa revolutio, quam; tristè dictu! non pridem videmus, & sensimus: delabemur insuper gradatim ad illa extrema, quæ passa, quibusve extincta est monarchia Romana: Ita planè incipiebant rerum mutationes; Magna nomina Pernecij, Vibuleni, Directores rebellionum creari cœperunt, sopiti tumultus, iterum atq; iterũ quietatæ confœderationes; conveniebant pro com̃issionibus Germanici, Drusi, Principes sangvinis; agebant quantum poterant Primates Romani, Consulares; donec tandem se resolvisset ex potentioribus Sergius, Vitellius, Vespasianus, illudq; est orsus nefas, excidium, cruenta sangvinis effusio, & interitus tam grandis Monarchiæ est secutus, applicare nolo, omenq; formare; quisq; tamen prudens, magis stipendio carentem exercitum esse metuendum judicat, quàm gravissimam hostilem potentiam.

Fortalitia Fortalia in limitibus consistentia V. G. Ucrainensia si præsidijs nõ munientur, ut quid perditio tanti sangvinis? quid proderunt speciosi victoriarum tituli, inanesq; triumphi? Parta tueri; plus est, quàm hostem campo depellere; qui enim Dominus est Fortalitij, Dominus est Campaniæ, aut totius Provinciæ: quamdiu Czeherynum, Bialocerkvia, præsidijs munita erunt, tamdiu amplæ illæ Regiones, sub imperii Vræ Mtis freno manebunt. Summè ergo procul dubio necessarium est, Patriæque salutare; saltem aliquot Fortalitia in Ucraina, milite, & amunitione fortificari. Quali autem modo sit sustentandus miles? mihi videtur hic facillimus; ut civitas, proximumq; Territorium suos alat præsidiarios, nõ inducendo in hunc sumptum totam Rempublicam.

Argentum Ecclesiasticũ Tertium punctum. Argentum Ecclesiasticum monumentum pietatis proborum hominum, omnino Ecclesijs est restituendum: delicta majorum im̃eritus, lues; donec templa refeceris; dicebat ad Romanos Poëta;

Poëta, etiam nobis Catholici Regni incolis, habenda eſt hujus conſcientia hocq; gentis dedecus abolendum. Quia verò nunc eſt gravata Polonia, optarem, non univerſim: ſed partitim eſſe ſolvendum: in præſentibus Comitijs ſtatuendum tributum, in ſecundis alterum, aut medium, uſq; ad totalem ſatisfactionem. *A.C.* 1690

Quartum punctum. Quo ad proviſionem circa Vram Mtem: quis non videt res accisas Mtis Vræ: cujus vaſtatæ œconomiæ, præſidia non tantùm dignitatis, ſed ferme vitæ vix reliqua? & tamen Mtas Vra non ſine omnium admiratione; non ſolùm conſvetas Regias impenſas ſubit, verùm etiam extraordinarias, qualium ante non erat uſus. Concedebat Reſpub. florentiſſimis rebus, ſuis gratitudinem Dominis. Magna & admiratione digna fuit hactenus Mtis Vræ verecundia, qua, indigus licet, bonorum noſtrorum non egebat. Diſtribuerunt effuſa manu ſuum Domini noſtri patrimonium, bona Regalia, in bene meritos; ſpes omnes opesq; fundantes in affectu Reipub. & amore Subditorum juxta illud: hoc habeo, quodcunq; dedi. *Proviſio Regia*

Modus verò inter alios, ab alijs ſuggerendos, contentandæ Vræ Mtis eſſe poteſt, ut Mtas Vra habeat jus, & poteſtatem ſtatuendæ ad certum tempus gabellæ, ſaltem in una principali civitate cujuſvis Palatinatûs, V. G. Varſaviæ, Cracoviæ, Poſnaniæ, Thorunij: quod non videretur onerosum, Elector Brandeburgicus conſtituit accisas ex molendinis in Ducali Pruſſia; poſſet hinc etiam eſſe promptum, nótabile ſupplementum privato Vræ Mtis ærario: Forſan enim invenirentur, qui ea, prænumeratâ pecuniâ, per arendam ſuſciperent, ut id praxis recepit in civitatibus Italicis,, omnibusq; alijs Regnis: Rex Galliæ, in annos ſingulos, aliquot ſupra decem, accipit milliones pro gabella à ſale.

Quintum punctum. Officina monetaria ut verùm fatear grande damnum privatis intulit: at ex alia parte non mediocre lucrum fecit in publicum, quando ex ea aliquot milliones ſine tributis, & contributionibus exſolvimus: Unde malum neceſſarium vocari poteſt. Non attingo, ſed æſtimo, tanquam jus cōmune, amniſtiam confœderatorum militum; cauſam tamen dicent omnibus ſæculis; quod Gentem ſuam ad tāta abſurda perduxerint, ut capita noſtra inhoneſto tributo redimi debuerint; & ob eorum revinculationem, ineluctabilibus difficultatibus, Patria ſit innodata. Quo ad officinam monetariam ſtandum eſt Cōmiſſionis decreto, contractui, & fidei publicæ, ob ſolum duntaxat Reip. emolumentum: ſi enim, quod rumore ſpargitur, conſonat veritati; Cōmiſſarios cōpēdia ſibi in privatū cōceſſiſſe;ineāt cū cōſciētia propria rationē;cōſulātq; Theologos,utrū obligatione reſtitutionis,ad noviſſimū obolū,nō teneantur?civitates Pruſſiæ,quæ jus habēt cudendæ pecuniæ, conqueruntur, ſe juxta leges & conſvetudinem non eſſe vocatas, dum novæ monetæ, Tynſorum & ſolidorum ordinatio ſtatueretur: Excuſat temporum circumſtantia: At etiam nos, incolas Pruſſiæ, noſtra excuſant jura, quod ſolidos, & tynfos currenti moneta non acceptemus; nam etiam, cum novorum ſolidorum in prima Varſavienſi Cōmiſſione fieret ordinatio, expreſſè eſt per eandem Commiſſionem cautum, ut in Pruſſia non currerent; quo tamen maxima eorum copia eſt congeſta. Id nihilominus eſt inexcuſabile, quòd Gedanenſes in ſua officina, auſi ſint cudere lucrativam monetam, non conformiter ad Ligam Imperialem, contra privilegium: In ſextone Gedanenſi nō inveniuntur niſi ſemi-quinque groſſi, in Ortone groſſi 14. Diſpar ratio totius Reipub. cui velut ſupremæ Arbitræ, & moderatrici, licet pro ſua ſalute agere, quidquid expedit; Gedanenſi- *Moneta*

danenſi-

A.C. 1690 danensibus verò subditis Vræ Mtatis, sub imperio, & jure manentibus, nec jus, nec fas: Ita verò nova hæc pecunia in illis partibus est multiplicata, ut in ijs residens, Commissionemq; cum Gedanensibus tractans sextonem antiquum, & ortonem non viderim. Quo ad solidos Valachicos & Rigenses, clades est super cladem, irreparabilis, quali majorem etiam ab hoste Regnum non est passum. Occurrere aliter erat difficile, nisi eos absolutè proscribendo. Verùm, quia simul non interdicto Thesaurarij, sed ignorantia, & agnitionis defectu antiqui solidi minus valent, grande hinc, & inæstimabile damnum: suppono esse ad aliquot supra decem milliones solidorum, quos tollere; est causare enorme detrimentum pauperibus; & impossibilitatem extradendorum tributorũ; quod non nisi post Comitia experietur Polonia. Quomodo verò cum eis procedendum? ego censeo, inquirendum esse in eos, cujuscunq; sint conditionis, & statûs, qui monetam corruperunt, eamq; malo dolo induxerunt. Grandius id scelus est, quàm fortalitij proditio, aut crimen in Mtatem. Pro uno grosso Venetiis pœna capitis infligitur, pro modica defraudatione ærarij, in alijs Imperiis. Impune abibit hoc nefas ijs, de quibus fama volat, nec desunt probationes; & Delatores præmio invitati esse possunt; nunquam tantæ malitiæ occurretur: Quibusdam, ut audivi intentatæ sunt actiones in Tribunali; sed conniventer (quod dolendum) sunt remissæ. Si ex externis quoq; id aliquis ausus fuerit; quāvis contra naturam meam, Author sim severioris sententiæ; si Judæus; ut non tantùm unus pœnis subijciatur; verùm etiam, omnes ex urbe illa, aut districtu, ubi habuit domicilium, in exilium relegentur; bonis eorum fisco adjudicatis: Eadem pœna omnes externi, cujuscunq; statûs & conditionis irremissibiliter afficiantur. Non est id contra æquitatem, aut exempla; pulsi non tantùm urbe, verùm etiam totâ Italiâ Mathematici ob unum Divinatorem; proscripti gladiatores ob insolentiam unius sui primipili: si nobilis hujus delicti convictus fuerit, ut præter personalem pœnam, posteri ejus ad tertiam generationē incapaces reddantur munerum Reipub: De modo autem rarefaciendorum hujusmodi solidorum, svadeo consulendos esse peritos artis monetariæ

Adulterantes monetã

Modus monetam eam tollendi

Justum quoq;, foret ut qui sentit commodum, sentiat ex parte incōmodum, imponatur officinæ solidariæ onus excudendorũ, suo ære, aut commutandorum aliquot millionum; interim durantibus Comitijs comportet, quisquis habet, solidos. Alter modus est, ut saltem decim⁹ grossus, cum bona moneta currat E. G. dum quis emit centum florenis sericiam materiam, Mercator suscipiat saltem viginti florenos in solidis. Tertius modus; ut Judæi, qui forsan cudebant, & invehebant hujusmodi solidos, tertiam aut quartam partem, cum bona moneta in pœnam suscipere cogantur.

Exercit9 in Ucraina

Sextum punctum. Detentio Exercitûs in Ucraina. Jam ij è vivis sublati sunt, strictamq; DEO reddunt rationem, qui suis contradictionibus, magnum consilium, immortalis memoriæ Ducis Koniecpolscij suo frustrârunt effectu; quo authores sunt facti diluvij sangvinis Christiani; redactionis in captivitatem millionum hominum, rebellionis Cosaticæ; ex eaq; omnium malorum, ac bellorum; quæ concatenata serie geruntur, gerenturque. Modus conservandi Exercitûs in deserta solitudine Ucrainensi alius non est; quàm repartitio per Palatinatus; quævis enim legio, vel Regimen, per Deputatos suos exiget pecunias; quas illi remittent ad castra. Si verò hæc non constituetur repartitio; vates sum, utinam falsus, post annos aliquot, nos eam votis, sed jam inanibus; quia seris,

feris, expedituros. *A.C.1690*

Septimum punctum. Sum̃a Electoris Brandeburgici. Lex pactorũ est; super quæ juravimus, ac ea ratificavimus; at vicissim etiam Elector juravit, & ratificavit pacta, eorumq; conditiones, quibus non satisfacit. Tenetur Brandeburgicus, pro Canone, pro supremo jure; pro tam insigni, imò, liceat dicere, enormi largitione nostra; sistere Reip. 500 Equites seu Raytaros; & peditum sesquimille. Habuimus hactenus reservatam traditionem supremi Dominij, non fuit id quid ceremoniale, sed sum̃a rei: bene novit Elector, quidnam tam avidè; & tædiosè expeteret: sciverunt ejus Consiliarij, non pactis, sed traditionibus transferri dominia. Verùm pacta sunt religiose servanda: quæ autem justiora, aut firmiora ijs pacta, vidit orbis; quæ vocantur: pax Monasteriensis; & tamen hactenus per decursum circiter viginti annorum, plenam non habent executionem. Exercetur ad hæc usq; tempora, deputatio Principũ, & statuum imperij; resident Legati: disputant Doctores; minimè tamen, per id derogatur pactis, paciq; publicæ. Non longè petenda alia exempla; erudimur exemplo ipsius Electoris Brandeburgici, qui intra spatium unius anni, ter cum Rege Sveciæ tractavit; tractatus ratificavit; Regiomonti, 7 Januarij; Mariæburgi 15 Junij: Labavicij 10 Novembris quinquagesimo sexto; ter quoq; im̃utavit, mitigavit; habeo hæc ad manum scripta; quæ Sveci Francofurti typo mandârunt. Primis pactis Regiomontanis concessit Regi Sveciæ medietatem præsidij Svetici, Memli, & Pilaviæ; concessit in Feudum Episcopatum, seu, ut illi jam transformaverant Ducatum Varmiensem: Postmodum pro fortuna rerum, ante executionem, has conditiones, per tractatus Mariæburgenses immutavit. In pactis Mariæburgensibus, evicit cessionem Palatinatuum; Posnaniensis, Calissiensis, Lanciciensis, Siradiensis, etiam hunc articulum in Labacensibus immutavit: vidit conditiones per rationem statûs esse graves, extricavit se illis. Mutat fortuna Regis Sveciæ statum, pacta quoq; solennia, vacillare cœperunt, & mutari, id tamen in re politica reputationi nõ obfuit. Ita scilicet minima mutatio facti, maxima juris. Primo Brandeburgicus nimis eam volebat traditionem; habuit necessitatem abitûs ex Prussia, propter Comitia imperii, & bellum Turcicum, quod tum terrori erat toti Germaniæ; noluit tamen abire rebus Prussiæ incompositis. Non me meus fefellit sensus; quem scripsi Episcopo Varmiensi scilicet Electorem, capta totali possessione; septimana una in Prussia non mansurum: aliquot enim, post diebus triũphabund⁹ Berolinũ est profect⁹.

Summa Electoris Brãdeburgici

Fuerunt notabiles mutationes, & occasiones: ordior à Religione, quæ apud omnes etiam malè credentes, primum obtinet locum. Induxit Elector contra jura, & privilegia Prussiæ, cautionemq; Regum Poloniæ; exercitium publicum Calvinismi, datis aliquot Ecclesiis & Starostiis, Calvinistis. Dicet quis habere illum in pactis Religionem, ut vocant, Reformatam. Non nego id nos concessisse; sed sine præjudicio tertij; Addidimus enim: salvis juribus, & privilegiis. Non potuimus de alieno, nisi de nostro, largiri.. Interrogandi erant status & ordines; utrum in id, quod erat contra eorum jura; essent consensuri? Fuit occasio expostulãdi cum Electore: Cur libera voce usi non sunt; liberi tunc adhuc cives; nam ante Incolarum juramentum; ante traditionem absoluti Dominii: quendam Roth acceptum domo, media luce, medio foro, inauditum, conjici in carcerem jussit, ea solùm de causa, quòd pro antiquis iuribus dixisse sit auditus; quodve mentionem fecerit recursûs ad Mtem Vram; aut; ni fallor, filium suum, cum supplici libello expediverit; declarati-

Inductio Calvinismi

onemq;

A.C. 1690 onemq; obtinuerit; quòd jura eorum, & privilegia, salva & integra à Mte Vra essent in futurum conservanda. Verum est; in pactis Electorē cavisse, ne liceret querelas acceptare; sed id fuit adhuc ante traditum supremum jus; aut intelligendum est in causis judicialibus, vel privatorum gravaminum: ut quid cautio jurium, si nec subditis fas est hiscere; nec Mti Vræ de injuriis scire, multo minus pro eis agere? Quis dicet voluntarium fuisse Pruthenorum consensum, in absolutum Dominium, quando tam durè, & violenter cum Roth agi est imperatum vique & metu aucta injuria, nec instantiales Mtis Vræ & Primatis, nec interpositio Commissariorum sunt æstimata, multo minus quidquam evicerunt? fuit etiam inde occasio; quòd monetam Polonam contra pacta fraudari jusserit; non tantùm in solidis, sed etiam in argento: sexto enim novus, pro semiquinq; duntaxat grossis acceptatur, tinfo pro 14. grossis: super omnia verò: legantur antiquæ Ducatûs, præsertim post extinctam lineàm, ordinationes; quæ nunquam aliter fiebant, nisi per instantias, supplices libellos, & legationes statuum, ordinumq; Ducatûs. Introspiciendum volumen constitutionum nostrarum, legendum receptum Regiomontanum. Celebravit Elector anno fere integro Comitia Regiomonti; an non licuit illis incolis saltem ad Vram Mtem scribere, saltem postulare clementem dexteram, & liberam missionem? Ex his aliisque rationibus ac circumstantiis, & propter distantiam Mtis Vræ, licuit nectere moras, addere artem difficultatis, & saltem summam Elbingensem evincere; salvare honorem; imò conscientias nostras; qui de illis sine illis statuimus. Neminem scandalizat mea hæc libertas dicendi: intueor per fenestram Regionem Prussiæ, sentio gravem viciniam; tabescit cor, dum lego titulos, cerno Coronas in numismatibus: eadem die, traditi supremi Dominii, spargebatur pecunia superbo cum titulo, supremi Prussiæ Ducis; processit ultra, usurpans sibi titulum Supremi Prussiæ Principis, Domini & Hæredis. Unde hi tam im̄anes tituli? Unde hæreditas Principatûs totius Prussiæ? Nemo plus juris transferre potest; quā habeat. Nunquam Reges Poloniæ se scripserunt hæredes Prussiæ: Cæterùm si hæreditas est? ius, hicq; titulus, vere servit Mti Vtræ; nam casu caducitatis; redire debet ad nos Dominium: Principes mortales sunt, Resp. Im̄ortales, Poterit iustus Deus abbreviare dies, vastas spes immutare: Hora omnis fert superbas ex alto in planum domos. Nec *inania* honoris, æstimandi sunt tituli: Experimur quid nam intulerit nobis nō additus Moscho titulus Monarchæ; negati tituli Sveco fuerunt occasio; si non causa belli. Rakocy acriter expostulavit; quòd illi ex Cancellaria parv⁹ titul⁹ Palatini, non Principis Transilvaniæ dat⁹ esset. Debuit Elector usurpare titulum, Ducis in Prussia, non verò Ducis Prussiæ; hic enim semper illi dabatur ex Cancellaria: Nec id tolerandum est, quod Elector scribat: Dnus in Lemburg, & Bitow; cùm sit non nisi feudalis. His dictis propter aliorum informationem redeo ad summam Elbingensem, svadeoq; omnino quietationem: licet proponerem legationem ad Electorem, scio illum ad eam nihil facturum, licet conversionem faciamus ad mediatores in pactis nominatos; etiam ibi Poloni perdent; licet ad legem, statutum mittemus: ut nobis dimittat; quòd si noluerit; nos tamen non dabimus: verùm quia Elector habet nos in manibus; si enim ei summam non dederimus; ille Equitatum, Peditatumq; negabit: Vnde computanda esset sum̄a hæc in contributiones; quas Brunsbergâ injustè contra pacta extorsit, tormentaq; bellica in Varmia abdùxit; taxandum quam maximi, quantum tot annis Peditatus, & Equites,

tes, seu Raitari insumpsissent. Æstimandum damnum emergens, nam habitis his hominibus, habere potuisset Mtas Vra insigniores, in re bellica progressus; de reliquo, centum aut ducenti, ex quantitate militum omittendi, penitusq; facienda quietatio, nullam spem faciendo pecuniæ, cum hæc in æternum non sit futura. In nostra gente eadem quærendi & perdendi facilitas est, aliud est Germanis ingenium; qui, quod semel acquirunt, firmiter tenent; nec facile dimittunt. Memini in teneriore ætate prætensionem Principis de Croy; quæ in Comitiis & Comitiolis in jocum versa fuerat: fuit hic hostis Reipub: bellabat contra nos cum Rege Sveciæ, trahebat Gedanum in partes ejus, summa illius realis non est, sed prætensa: cujus non nisi post aliquot annorum decades fecit mentionem; ad rescriptum Regis Sigismundi Augusti; & tamē tā importunè eam exigit; ut in Pacta Olivensia, punctum hoc intruserit; de quo etiam mihi nunc pro Generali Prussiæ scripsit. Revoco hic lecta quondam in justificatione Regis Daniæ, typo expressa; quam rigorosè repetens ex pactis Raitaros, Generalis Sveticus; ni fallor Beckier, ipse cujusvis apparatum bellicum à vertice, ad calcem reviderit, scilicet galeros, pallia, gladios, calceos, equorum insuper soleas; si alicubi defect9 est inventus suppleri debuit. Exposito simplici, sed favente sensu meo circa propositionem Vræ Mtis liceat mihi producere in medium; quod nocivum aut utile Patriæ esse judico. Non dubito quidem, per statum consiliorum nostrorum sermonem meum sine effectu abiturum; sacra verò pagina docet: ubi non est auditus, non effunde sermonem: nihil tamen inde referam damni, quòd inaniter verba proferam, lucrum tamen inde reportabo, si Senatoriam conscientiam exoneravero. Palàm testor, vel cum offensionis periculo, me formam, quæ nunc est, consiliorum, & dissolutionem imperii non laudare. Hac forma planè informi in lubrico consistimus; nec nisi in diem vivimus, longam durabilitatē polliceri nobis humanis mediis, rationeque non possumus: periit imperium, periit obsequium. At pridem hoc modo stat Polonia, talem Rempub. nostri majores habuerunt, talem nobis per manus tradiderunt? error est, aut ignorantia taliter sentientium. Non potuit fuisse pulchrior, & utilior consiliorum forma, quàm fuit illa, quæ sub nostris fuit Majoribus; quando Comitiola, & Comitia non rumpebantur, non fuerunt prolongationes Comitiorum quæ in spatio tridui aut ad summum unius septimanæ concludebantur, in eisque res exercebantur, non verba: plus valuerunt boni mores, quàm bonæ leges, seu, ut Cromerus ait: plus valebat fortis vir quàm disertus Causidicus. Observabantur Senatores tanquam Patres, Domini tanquam Numina; eorum se consiliis, amori & protectioni cives concredebant. Nunc quod dicere nolo, omnia se habent aliter. Sicut ergo magnum ædificium, diu firmiterq; stat, si Paterfamilias tectū reparat, parietes fulcit, rimas constringit, aut occludit; si tamen funditus commoveri, & convelli incipit, non expectat, donec mole sua ruat, non fidit fulcris; sed mavult tempestivè in meliorem formam, super eodem fundo transformare. Simili modo discurrendum de nostra Rep: quando cernimus ingravescentia mala indies graviora, bella bellis, rebellionibus rebelliones nasci; liberè dicam, hac forma salvos nos, & integros esse non posse. Cur ergo de ejus reparatione tempestivè non agitur? Statutum jam erat aliquid de modo concludendorum consiliorum, cœperant seriò aliquid de hoc viri magni meditari; fieri aliquid debuit circa approbationem pactorum Sveticorum; exsurrexerunt cum contradictionibus malè fausti Popularistæ; qui sibi gloriolam; Reipub: gran-

A.C. 1690

Prætensio Principis de Croij

Consiliorū forma

A.C. 1690 de detrimentum compararunt. Summa mei consilij est, ut indicantur aliquando Comitia correctionis statûs, ante quæ; ut aliquot prudentes viri operam adhibeant; eligendoq; quæ apud nos bona, salutaria & utilia sunt, ex consideratione aliorum bene ordinatorum regnorum, Rerumq; publicarum, sine ulla etiam minima mutatione formæ Reipubl: priscarumq; consvetudinum; & sine jactura libertatis, ordinationem suam sive consilium in publicum producant. Non duxit sibi dedecori libera Respub: Romana dum per legationem, leges 12 tabularum Athenis expeteret; easq; susciperet: Sic Græcorum Civitates, & populares status liberrimi; certos sibi eligebant Legislatores, quorum consiliis legibusq; penitus nitebantur. Verùm in ventum hæc forsan, aut in ludũ sparguntur verba: Ego tamen quod sensi palàm protuli pro coronide addens: Bonam Rempubl. voto expetam, qualemcunq; tolerabo. Notavi mihi punctum de Interregnis, & electionibus nostrorũ Regum, sine quibus (horret animus meminisse) esse semper non possumus. *Vidi* Interregna, & electiones Summi Pontificis, Imperatoris Christiani, Regis Poloniæ: Plura non sunt in Europa Interregna & Electiones. Nemo Catholicorum vocavit in dubium, electionem supremi DEi Ecclesiæ capitis, dirigi operâ Spiritûs S. Prudentia tamen civilis multa bona de ea scripsit, & cavit; ut est in 6to Decretal: & in Bullis. Modus electionis sũmo consilio, nec minore circumspectione est præscriptus, unde schismata, quæ antea scindebant Ecclesiam, nunc DEi gratiâ fieri non solent. Electio Imperatoris satis est ordinata, per Bullam auream CAROLI IV. Electio Regum Poloniæ, dicere non audeo, fateri tamen veritas cogit; vix non casu fit, vel necessitate. Optarem ergo ut forma electionis perfectè, & ordinatè lege circumscribatur; quod pridẽ Majores nostri cogitabant, & Reges proponebant, ut de hoc sunt notæ in volumine legũ.

Electiones

De modo belligerandi breviter sensum meum depromo. Procedimus ad bellum vix non eo modo, quo ad Comitia, conflictu cum hoste facto, ac sub auspicijs Mtatis Vræ, ope Numinis, per resolutos ausus Exercitûs, obtentâ victoriâ, redimus domum velut post finita Comitia; relicto Exercitu sine directione, sine provisione conservationis ejus. Quid nam confœderationis sub Cudnovia causa fuerit, nemo non meminit & intelligit? Quid hactenus tenet Exercitum in obsequio, *nisi præsentia* Palatini Kyoviensis? si cui molesta sunt tentoria; nolit imperare. Optarem, semper alterutrum Ducum in Exercitu residere: *Aut si* adversa valetudo, aut alia quæpiam difficultas neutri permittat, quid obesset plures subordinatos habere Duces Generales? ut etiam alios alliciant hæc decora militiæ, & Respub: pluribus insistat munimentis.

Modus bellandi

Multitudo legum signum est corruptissimæ Reipub: cur ergo hæ combinari non possent, compingiq; instar Justiniani, aut Herbuti. Criminales & Fisci causæ, item remissæ, locum habere in Comitiis nequeunt, citra offensam DEi, & justitiæ. Cur ergo post Comitia in præsentia 6. Senatorum, & aliquot Nuntiorum conclavis deputatorum Juratorum, finaliter non possent judicari; indignum & nocivum Reipub. est, causæ necis Ducis Gosiewski hactenus forum non esse datum. Luxus, vorago rerum cur cohiberi non posset exemplo omnium nationum, descripta lege non tantùm in plebejos, verùm etiam in nos omnes.

Legum multitudo

Homines externi authoramenti, mercenarius miles, violato juramento Vræ Mtati præstito, inaudito, & pessimo exemplo implicuerunt se præteritæ confœderationi; opto, ut nobilitationes militum externorum tollantur, beneficia in Amnistia rescindantur; ut Officiales serviti-

um

um in Polonia non habeant: aut novis obsequiis, militiæ honorem mereantur; nominatim verò ut ex Principalibus unus & alter infamiâ notetur: Quomodo enim boni non corrumpentur, quando hi perfidi extortis portionibus, acceptis stipendiis, nunc se in rebellionē venū dederunt. *A. C.* 1690

Protraxi, forsan cum tædio Vræ Mtatis sermonem quē intimo concludo voto supplices fundens Majestati Divinæ preces, ut Comitia hæc, ad laudem sui nominis; Vræ Mtatis gloriam bonumq; Reipub: optato coronet eventu.

VOTUM TERTIUM EJUSDEM ANDREÆ OLSZOWSKI EPISCOPI CULMENSIS.

BRevibus terminis, aliquot dictionibus, circumscribi potest gubernatio concludiq; ratio status cujusvis imperii, & Reipub. his scilicet: consilium domi, arma foris; quidquid docta tradit Ethica, quidquid ingeniosiores pennæ, disertæ lingvæ, perspicacia ingenia, in literis, scriptis, consilijs, & sermonibus in cautelam doctrinamq; Reipub. moderamen tractantium, porrigunt, totum his concluditur verbis: consilium, & arma. Quæcunq; Respub. bene hisce duobus provisa est, & instructa, illa fortunata, durabilis suæque est secura integritatis. At utroque hoc, aut alterutro fulcro destituta velut in glacie fundata, diu subsistere, latè limites gloriamq; extendere nequit etiam fortissima & opulentissima, sensim labefactari, insuperque ruere debet: duo sunt quibus extulit ingens Roma caput, virtus belli, sapientia pacis. Quam bene in, & cum nostra Patria ageretur si in bono ordine, & dispositione consilium domi, arma foris haberemus? Non superest mihi tantùm temporis, ut votum meū exquisitis verbis & florente exponam facundia, brevi Laconismo, simplici veritatis oratione, quod sentio de consilijs, & bellis nostris producam in medium jamque satis expresso sensu meo, per rescriptum, ad instructionem Mareschalci non pridem datum, & quibusdam Comitiolis pro informatione missum; non nisi magis essentialia attingam.

Consilium in Remp. aliud est generale Comitiale, tribus statib9 gentis utriusque constans, alterum extra-Comitiale, quod Senatûs consultū appellamus. Prætereo, nec attingo odiosè, notas orbi perplexitates, errores, & exorbitantias, in Comitiis nostris reperiri solitas: pugnare te volo, non conviciari; monuit aliquando prudens Dùx Thrasonicum militem; mihi quoque consulere convenit non reprehendere. Supra quam laudabilis est forma hæc Reip. quam nobis majores nostri constituerunt, & per man9 tradiderūt. Quæ rostra, Capitoliū, camp9 Marti9, quæ centuriata Comitia, tam magnifica, splendidaq; fuerunt? Quis tam gravis Areopagus? Magna species, magna dignitas, considentis in solio Monarchæ, circumcincti illustrissimo, super Curules Senatu, assistentisq; circumcirca Equestris Ordinis. Quid fortunatius esse potest, quàm, quemvis nobilem, quà in Comitiis quà in Comitiolis, esse Consiliarium Reipub. esse constatum, & quodammodo consortem imperii, censere, consulere, decernere, de Rep. habere patentem accessum, liberam vocem, apertum virtuti campum; nihil de eo concludi sine eo. Verùm non satis est hisce fulgere ad speciem, nisi re ipsa effectus in publicum, & privatum habeatur, hujus verò modus alius non est, præter eum; quem Rex in sua ostendit instructione. Proponere dignatur ordinem consulendi; vobis relinquens inveniendum modum, concludendi. Ordo in hoc est, ut in præliminaribus, Comitia non impediamus. Sit unius diei actus Electio Mareschalci, succedat salutatio, propositio, vota Senatorum, Senatus consulta, Deputationes

A.C. 1690 tiones ad ærarium, ad quartam, quas opto non ex arbitrio unius, sed per Electionem omnium constitui. Modus concludendorum consiliorum in hoc est; ut rupturæ Comitiorum occurramus: coercenda audacia, & licentia rumpentium Comitia: dandi tales ad perpetuam infamiam per universales; ut, si non virtutis amore, saltem formidine pœnæ, à malitia abducantur: non verificetur in hac Patria: ille crucem sceleris pretium tulit, hic diadema. Alter modus est, ut ruptor Comitiorum, pro secuturis proximè in Nuntium non eligatur, ut id nunc factum laudabiliter: unde spes optima fortunatè, DEO dante tractandorum, & concludendorum Comitiorum. Possent alij quoq; inveniri modi, coercendæ licentiæ; sed hanc tangere nolo pupillam, res populi est, populo relinquatur: quemcunq; modum conclave Nuntiorum invenerit: Senatus censebit, Mtas Vra consentiet & approbare dignabitur.

Residentia Senatorum ad latus Regium

Consilium inter Comitia, & Comitia institutum, constat Regia Mte & Residentibus Senatoribus; qui, quia ex turno suo, juxta obligationẽ non resident; id videat, judicetq; Respub. Duplicandi forsan essent Residentes; cum in paucitate, qualis subinde reperitur, Consilia, & negotia commodè nequeant expediri. Si quis ex Senatoribus, sive ob invalidam ætatem, sive alia de causa residere non poterit; nonne utile foret, ut in locum sui, sibi gradu similem substituat, suoq; sumptu ad aulam sustentet, ut, tam propter consilia, quàm propter apparentiam aulæ, & magnificentiam Regiæ Mtis sit completus numerus Residentium Senatorum? Si etiam sine immutatione formæ Reipubl: sive ex quovis Palatinatu, sive ex gentibus, binos aut ternos, visum fuerit habere ad aulam Deputatos, ex equestri ordine à Comitiis, ad Comitia, per me licet. Exposito strictim sensu meo circa formam consiliorum procedo ad materiam, quæ, aut est publica, aut privata. Ex publicis alia sunt externa, alia domestica. In publicis pono negotia cum externis; qualia sunt, fœdera, commercia: In his Comitiis pro materia veniunt: approbatio pactorum cum Imperatore, executio pactorum cum Electore Brandeburgico; propositiones Hollandicæ; detentio pactorum Podhaiecensiũ, per donaria; instructio legationis ad Carum: Quæ omnia tractari opto per Deputationes, ad referendum toti Reipub. Inter domestica censeo; pacificationem Ucrainæ, extirpationem malæ monetæ, contentationem Exercitûs, moderationem hybernorum, correctionem exorbitantiarum: Harum quælibet materiarum, ita est necessaria, ut omitti in his Comitiis, salvâ Repub. nequeat. Arma foris; scilicet defensio Reipub: consistit in viribus ordinariis, & extraordinarijs: Censeo conservandum esse in ulteriore obsequio ordinarium Exercitum per Palatinatus dispositum: In casu necessitatis, communi motu belligerandum; ad quem, qui venire in persona non potest, aut non vult, ex facultatibus suis in Turmales milites, vulgo poczty expediat. In id quoq; voto meo propendeo, priusquam solida ab Ucraina, Porta, & Crimensibus Tartaris coalescat securitas; à vicinis habeatur; ut communis motus, quot annis, mense Junio Castris consistat: Siquidem magna in publicum inde commoda proventura judico; quæ tamen in discursum non produco, ne dem sinistris interpretationibus occasionem. Arma foris; ut exercitus ex hostico ad hybernas stationes non decedat. Pro ordinatione hybernorum fors optimum foret formari deputationem, constitui juratum judicium ad instar Tribunalis Radomensis; aliàs abusus non tollemus, primoq; Patriæ interitui non occurremus.

Jurata Ducum officia, licet salvis modernis possessoribus; opto.

In

In veteri militia, milites jurabant in nomen Principis, forma juramenti fuit: Ducis Imperio morem geram, nec fugam captabo, nec mortẽ detrectabo; hocq; fuit authoramentum, sive jus militare: Ego tamen id duntaxat innuo; rigorem, si non videtur, non induco. *A.C.* 1690

Leges militares, seu ut eos appellamus, articulos expedit corrigi, & in distincto libello, typo mandari, ut cujusq; cohortis Præfect⁹ ad manũ habeat hunc libellum. Usus huiusmodi libellorum est in externis exercitibus: Ubi singulis trimestribus officialis jus militare legit; Laudabiliter meo judicio conscripta lex, ut Regibus, in quibusvis Comitiis legerentur Pacta conventa: Jus Pruthenicum obligat, ut quivis Palatinus habeat Privilegium incorporationis, & cuivis Nobilium illud exhibeat. Sensus meus est, ut Regimina externo more militantia; quæ victuario stipendio, vulgo Lenungi, sustentari debent, aut ad portiones non pertineant, aut cõputatas pro aliquot mensiũ stipendiis, suscipiant; sicut enim more Germanico militant, ita justum est, ut more Germanico stipendium accipiant, scilicet ijs mensibus, quibus bellicas exercent actiones; hyemali verò tempore stipendium Germanicum, sunt portiones; apud nos dictæ; Panes, vel sustentatio.

Dispar ratio est de Polonis Commilitonibus, qui magno sumptu ex Patrimonio se expediunt & authorant, patriam enervando substantiam; his enim velut sangvini nostro, facilius connivetur.

Officiales, **Oberster/Obersterleitnant**/ dictos; pretiosa nomina, multum pro titulis sine necessitate Reipubl: exigentia, imminui opto; præsertim, cum Respub: plena non habeat Regimina, quæ, ut in castris, non in privato contineantur famulitio, lege est circumscribendum.

Relationes cujusvis expeditæ Campaniæ, bonum esset, si Duces mitterent ad Cancellariam, eo modo, quo Senatûs consulta. Cedet id ad gloriam rerum gestarum Principis, & Ducum: animosior miles erit spe laudis à militibus in Comitiis referendæ, librisq; ad perpetuam memoriam inscribendæ; constabit ex hac relatione, quantum quisq; supra alios promeruerit: crescet decora æmulatio, certamen honoris, & fax mentis honestæ gloria, æquatura militares illas coronas; civicam obsidionalem, & muralem.

Multi sæpe numero homines in Tribunalibus, aliisq; judiciis, extremo supplicio, etiam non ex capitalibus delictis pereunt; eò, quòd moderatas non habeamus pœnas; v. g. triremes: an non utile foret remitti tales, propter exercitium heroicarum resolutionum, & graviorum laborum, circa castra, fortalitia & tormenta bellica.

Stipendia pro antiquis obsequijs suppressarum assignationum, summarum clenodalium, expensarum Ducalium, Scythicorum donariorum, Crumenales sunt materiæ, tributis indigent; quæ in his Comitijs sunt statuenda. Modus alius contribuendi quærendus; quàm per iniquissima tributa, quæ propter injustitiam abjuratarum, manifesta perjuria, ob inæqualitatem mansorum, & agrorum, ob confusas fiscales Tariffas, ob aggravationes solorum duntaxat Colonorum; qui sudore vultûs sui nos sustentant, & Rempub:, universus orbis abrogavit, sublatisq; agrarijs contributionibus omnia Regna alios adinvenerunt modos; quos partim in libris legimus, partim in praxi spectamus apud vicinos. Rationabile quoq; est ut contributiones non per vim & pressuram; sed lentè, & per partes menstruatim exigantur: ipsum ethymon verbi tributa, sonat, ea esse lentè, & per partes exsolvenda.

De moneta brevem formo discursum: de qua antiquum fert pro-

A.C. 1690 verbium: Nummus novus nequam: Hinc perstringens Comicus imperfectos novosque versus, & libros, inquit: multo sunt nequiores, quàm numi novi. Modus corrigendi non est alius, nisi reducere sextones, & Tinfones ad eum valorem, quo currunt in vicinis dominiis: verùm id non est de tempore, cum omnino necessariò requirat Comissionem; vocatis ad eam omnibus, qui ex jure & more pertinent: solidi ex natura sua proportionem cum aurea moneta non habent; forma publica, & paucitas, facit eis valorem; currebant sine discrimine, post Comissionẽ quinquagesimi noni, dum eorum millionem duntaxat, & alterum excudisset Boratini: at quando quadraginta (ut vox populi sonat) eorum milliones inundârunt Poloniam, graves esse incipiunt. Modus imminuendi hunc numerum est, reducere in unum duos solidos, cavendo, ne ex exteris nationibus solidi, immittantur: animadvertere in eos, cujuscunque conditionis; qui malam monetam induxerint, & malo dolo protruserint; puto enim grandius id esse scelus, quàm proditionẽ fortalitij, aut crimen læsæ Mtatis. Impune facinus cessit ijs; qui Valachicos solidos induxerant. Quanquam deficiunt rationes consulendi efficaciter extirpationem malæ monetæ; cum bonam habere nequeamus; cum vilis sit Gedani annona nostra; quam non vendunt sed per comutationẽ merciũ Gedanenses extrudunt; adeoque non sperandi in copia Hungarici; qui contradotem quandam nostræ monetæ importarent: Vates sim utinam falsus; ne post anni decursum, Polonia ad majorem penuriam, & priscam egestatem Sarmaticam deveniat. In ordine ad retinendas opes, & dignitatem; revoco quod legi aliquando de Gallia, quæ in tanta fuit egestate; ut non habens auream monetam, & argenteam, cupreos imperiales argenteo claviculo transfixos, ad tribuendum valorem cudere debuerit; donec Ludovicus X. Rex, modum reperisset, factaque prohibitione, ne panni, materiæ, Galliæ aliunde inveherentur, propositis præmiis, & libertatibus opifices ad civitates suas adscivisset. Applico, huncque unicum esse modum censeo, ut non indigeamus externis pannis; ex nostra lana confectis; sed conducamus ad civitates, & oppida, artifices, opifices cautâ illis omni securitate. Detur in potestatem Regi, & Residentibus modi hujus facile practicabilis probatio: multitudo hominum excrevit, in Exteris; qui certò certiùs agminatim venirent in Poloniam: nec hic est conceptus meus, sed antiquum, Regum Poloniæ, exemplum, qui Cracoviam, Posnaniam, Leopolim, & quotquot pulchriores sunt civitates in Polonia, Germanis primum incolendas dederunt; ut testantur scripta, decreta, privilegia, Leopoli hactenus asservata. &c.

SERMO EJUSDEM AD REGEM CASIMIRUM IN COMITIIS EX OCCASIONE QUERELÆ IN PUBLICO FACTÆ à Legatis ab Exercitu

VErba mea in crimen vocantur factorum, innocens sum, ordior defensionem mei, verbis Romani Senatoris ad querelas contra me Nuntiorum Exercitûs coram Mte Vra, in facie Reipub. Factorum vitæque meæ rationem non deduco, qui exactâ potiore parte melioris ævi in multa luce, in aula omnium gnara & nihil reticente in obsequijs Vræ Mtis illud de me dicere possum: vixi sine querela, in amicitia, amoreque populi. Verba mea literæque causa eis offensæ erant, sed facile innocens hoc delictum meum diluam verbis D. Bernardi super illud S. Pauli ad Corinthios: libenter sustinetis, si quis vos devorat, siquis vos in faciem

faciem cædit, sic scribentis: ni fallor Ironia est, non laus, reprehensio excessivæ mansvetudinis tolerare in officijs crudeles, promovere rapinas pauperum, supportare eos qui pauperes devorant, relaxare in peccatis, præesse ut idolum, quod habet oculos & non videt, manus & non castigat, lingvam & non reprehendit. Brutalis est hæc (concludens ait) patientia indigna homine virtuoso. At ego audacter sed verè dicam: indigna Episcopo. Quid est enim juxta ejusdem S. Doctoris definitionē aut esse debet Episcopus? nisi: forma justitiæ, sanctimoniæ speculum, pietatis exemplar, fidei defensor, pastor plebis, pauperum advocatus, miserorum spes, tutor pupillorum, ultor scelerum, malorum metus, virga potentium: ut alia omittam attributa, quorum duo supra triginta, idem S. Doctor adscribit Episcopo. Feci ergò juxta meæ obligationis exigentiā, & quidem feci non inconsulto impetu, licet ut homo affectibus obnoxius, sed pro conscientia, pro debito zelo, prout spiritus dabat eloqui. At usum me terminis acribus & offensivis dicunt. Ita est, quomodo enim aliter veritas exprimi, quomodo reprehendi summa DEI offensa, Ecclesiarum potuit oppressio? Nigrum utiq; album nequeo compellare Legantur Epistolæ SS. Doctorum & Præsulum, & comperietur hic semper fuisse stylus calami spiritualis, obsecrandi; arguendi, increpandi. Scripsi: Væ vobis qui Sacrosancti vinculi, falso, ut jam cernimus vos nomine compellatis. Si veritatem scripsi, non confundor: Terminus tamen: Falso nomine, juxta Gramaticam passivè est accipiendus, non activè scilicet illos ipsos falli hoc titulo, non fallere; id enim honestum dedecet virum. Perversorum duntaxat illa fuit ad Deam Lavernam apud Romanos oratio: S. Laverna da mihi fallere. Alexander magnus, fallere latrūculorum esse solertiam asserebat: non raro tamen, falli ingenuum est, & juxta externorum de nobis opinionem, Polonum. Non probro, sed decori nostro in historia de rebus Polonis anthor à Cadano im̄ensis planè laudibus nostræ Gentis id quoq; adjecit Elogium: ingenia Polonorum aperta & candida falli, magis quàm fallere apta. Eodem sensu Cromer⁹, Barclajus, alijq; apud Tacitum sæpè eodem utuntur termino: Falso nomine libertatem, falsis nominibus Imperium: nobis ipsis est in frequentiore usu: utinam sim falsus vates. Et licet quidpiam meis in verbis fuisset offensivi, aliter utiq; veritas, ut proponi, sic percipi nequit. Non prima hæc confœderatio est, varij solebant esse boni maliq; in Patria nexus; inter malos tamen moderno pejor nullus fuit. Non confœderationis, sed Synodi nomine compellari meretur Korczynensis nexus, in quo omnes hæreses, Rex, Senatus, Equestris ordo, Apostolico planè zelo cōdemnavit, pro infamibus omnes Hæreticos declaravit, titulū tamen Sāctitatis non usurpavit, cùm hic Concilijs tantum œcumenicis serviat; ita enim compellamus Conciliū Tridentinum, Lateranense, Florentinū, aliaque quatuor Concilia, quæ in pari quatuor Evangelijs honore Gregorius Magnus & sancta Ecclesia haberi voluit. Sat pia fuit Confœderatio Tyszowiecensis ritè sanctèq; post Ss. missæ sacrificium, invocato Spiritu S. in præsentia tremendæ Mtatis DEi sacramentaliter sub speciebus Eucharisticis existentis, quam Duces, Chilliarchi, totusq; Equestris Ordo, ad defensionem Ecclesiæ, & Patriæ, flexis genibus, juramēto firmârunt, planè Evangelicâ pennâ velut inclyti gentis Polonæ cives zelosiq; Catholici conscripserunt; hoc tamen non adhibuerunt epithetū. Non defuerunt aliæ quoq; particulares in Palatinatibus confœderationes: fui ego motor & Notarius cum piè defuncto Palatino Siradiensi consangvineo meo ex Silesia redux confœderationis Częstochoviensis, quam fortu- *A. C. 1690*

A.C.1690 in domo Lauretana Polona ad aram Reginæ Poloniæ consecravimus fortunato, DEi ope, successu.

Illi verò audaciùs sancti nomine nexum suum canonizârunt, iṁemores illius, non est sacrum, quod non est ritè sacratum. Didici in scholis Rex Serenissime ad dici præsupponi debere esse: quisq; verò si recto sensu consideravit principia, finem, media, causas, concausas, evẽtus, & fructus hujus nexus, deprehendet residentiam Episcopalem invasione occupatã, prædia Ecclesiastica vastata, sequestrata, dominium ademptum, Sanctissimam Bullam Cænæ Dni, omniaq; jura Ecclesiastica; ut taceam delicta politica: nemo profectò nexum hunc nisi per antiphrasim nomine sancti compellaverit, ita scilicet:

Ut Parcæ parcunt, ut Lucus lumine lucet. Sumendo verò ut sonat vocem, licet Platonem, Cardanum, aliosq; Nominalistas sive Ideistas minoris æstimo, omen tamen ex nomine non postpono. Dum in Ecclesia DEi hæretici vocarentur Hussitæ, Viclefistæ, Nestoriani, Pelagani; non tantum vulnus ruinamq; intulerunt S. Ecclesiæ; quàm dum Evangelicorum, Evangelij hostes Lutherani, Reformatorum, Deformatores, Calvinistæ, Puritanorum nomina impurissimi vendicâssent. Hoc exemplo Confœderationes à locis aut directoribus, quorum nominibus & posteritati parco, compellatæ minora intulerunt damna, quàm hæc quæ injustè sanctæ sibi usurpat vocabulum. Præbuit mihi justæ causam indignationis insolens verbum cujusdam militis, (blasphemum dixerim) quem dum obvium mihi interrogari juberem, quis esset? unde veniret? respondit se venire ex DEi vinculo, Ad quod responsum seu potiùs blasphemiam intimo dolore contremui. Excusabile ergò est, quòd verbũ sim ultus verbo. Addidi tamen: falsô, ut jam cernimus, nomine; ipsum enim exordiũ non extremè damnavi. Magnam per illos victoriam Dominus DEus & miraculosam sub Czudnovia Majestati Vestræ donare est dignatus: Magna inde secuta ruina ut fame expulsi illa Regione seminudi, semi-ermes sine Duce & Chiliarchis in desperationem agerentur. Nec ratione flectitur nec precibus mitigatur populus esuriens. Abduct⁹ quoq; ad eandem confœderationem Germanus meus Tyro juvenis, majoris secutus imperium, licet me inscio ad tempus tamen tolerante, priusquam mihi nova juramenti forma innotuisset; quòd scilicet etiam in extremo casu Patriam non defendere, Mtem Vram derelinquere, deserere castra, S. Ecclesiam fidem Catholicam populumq; Christianũ Barbaris prostituere perversâ conscientiâ sibi invicem juraverint; quo ipsam Ecclesiæ DEI Hierarchiam ab ipso Christo D. constitutam, bona ei consecrata, pretium sangvinis ejus patrimonium Christi à piis hominibus Episcopis Prælatisq; donatum confuderunt, solo æquârunt, conculcârunt. Tacui Rex Serenissime crimina politica: nondum deposito juramento, nondum factus, viva vox in Repub: in hac tamen occasione in hoc sacrario tanquam jam juratus Senator, tanquam genuinus Polonus & prisco genere nobilis illud etiam factum detestor, quòd Vram Mtem unctum Domini, supremum Ducem supra debitum solo amore nostri & Patriæ coronatum caput in hostico periculis exponentem secundare milites noluerint, ne dicam deseruerint. Renuntiaverint sanè Ducum obedientiæ, suasq; offensas adversus eos habuerint objiciendo sese spretos ab eis & abjectos: Vram tamen Mtem citra crimen, citra flagitium deserere non licuit in persona ad bellum proficiscentem; sine Mte Vra milites amittunt nomen; ejus enim auspicijs belligerant, ejus fortunâ triumphant, & iṁortalitatem nanciscuntur ejus jure & potestate, quæ legiti-

ma

ma inferendi belli soli Vræ Mti & Reipub. competit, opima spolia justè lucrantur, ejus literis intimatorijs vexillisque gloriantur, ejus sacramentum accipiunt & genu flexi legant licet, formulam juramenti, obligantur tamen fidei nexu juratam gerere mentem, nam servando fidem jurant Poloni. Quomodo ergo vocandus est hic nexus sacer? Quid plura? panem Vræ Mti in tanta penuria eripuerunt; ademerunt non tantum œconomias, salis fodinas, proventus, telonia, verùm etiam hæreditaria terrestri jure in possessione Vræ Mtis existentia bona Zywiec, imò frequentibus & ferventibus Reginæ instantijs posthabitis, terrestri jure donatum à Repub: Monialibus Camenecum invaserunt: grandis profectò & dolenda injuria nec sancti nomine dignum facinus! utpote ipsi tractatui Kielcis conscripto contrarium. Invadebant etiam ante primo ausu Domini, Vræ Mtis parentis alias œconomias, confœderati, svasu ductuq; quorundam malè contentorum Magnatum, sed abusus non faciunt jus, & præterea non omnes œconomias occupabant, occupatis ad unicã Regiæ Mtis excedebant instantiam, ut id facilè ex lectis confœderationib⁹ deduci potest; deinde habuit Rex parens Mtis Vræ fundatas Regias opes, nunc alia rerum facies. alia sors Mtis Vræ, quòd non tantùm dolor, verùm etiam pudor eloqui non permittit. Sublata hoc facto illa gentis nostræ gloria; illa erga Regnantes propensio; per quam, in cujusvis nobilis scilicet juxta statutum, militis, sinu Reges Poloniæ securè quiescere poterant. Nunc ijs vita planè eripitur, cùm juxta Legistas: alimenta negare sit necare. Id tamen non provenit ex Nobilioribus huj⁹ Patriæ geniis; cum adhuc eorum appareat propensio & zelus erga Mtem Vram, ut patet ex literis responsisq; Kielecensibus: sed fit per Valachos, Moldavos, Tartaros, Germanos, aliosq; obscurioris generis homines, qui se hoc bello nobilitârunt & inconsultè ad circulum confœderatorum sunt admissi; maximè verò id procedit ab hæreticis, qui defensorem Religionis fulmen Arianorum Mtem Vram ægerrimè ferunt: his ego tam impia & perversa adscribo facta adeòq; sanctæ titulum huic confœderationi non tribuo. Dicet quis magnas me formare consequentias; revisoresq; merè ad revisionem prædiorum fuisse missos salvo dominio Ecclesiasticorum. At etiam in hoc, toto cœlo errant. Quid est enim Dominium, nisi potestas legitima disponendi de re corporali, eandemq; vindicandi, usum fructum percipiendi. Quid est Dominus? Est rei suæ moderator & arbiter. Quæ partes Dominii? Proprietas & usus fructus. Ita Doctores sentiunt, quos hic allegarem, nisi in causa quadam coram Mte Vra in præteritis Comitiis agitata didicissem ab Instigatore Regni, quem honoris causa nomino; non licere jura exotica in Senatu allegari. Quisquis ergo jus disponendi de re mea, rem eandem vendicandi moderamen & arbitrium adimit, quisquis usum fructum bonorum meorum prohibet, illa revidet, sequestrat, eis utitur, ille jus & dominium sibi usurpat, me spoliat. Mihi videtur ideóne, quòd sim novus Episcopus, recens Pastor, adeòq; patiendi insolens: an ideò, quòd ex innata animi generositate velut Polonus nobilis liberiùs illo Spartano mihi plus usurpem; non serviam, nec me ullæ potentiæ aut terrores sub Vræ Mtis Imperio in æquali Rep. deprriment ad servilem usq; patientiam, nec abducent à recti veriq; orbita? visum non fuisse in Polono orbe pejus facinus, majoremq; injuriam spiritualibus Regni Poloniæ illatam existimo. Deducit dignus Episcopus & Cancellarius Andreas Lipski non minus verè, quàm disertè quinq; vulnera capiti, utriq; manui & pedi, & ipsi cordi Ecclesiæ Polonæ inflicta, quod proloquium typo expressum ad calcem A.C. 1690

A.C 1690 cálcem ejus observationum: Aucta sunt hisce in turbinibus intra annos aliquot plura hujusmodi vulnera. Spe tamen in Deum erigimur, *Vestræ* Mtis confisi pietati, ubi Resp. pacata fuerit, fore ut ipsa patientia nostra, amor erga Patriam excitet ad compassionem super nos; ut quidquid propter ejus defensionem, levamenq; fratrum nostrorum Equestris ordinis, de jure nostro permissivè concessimus, totum Deo dante allevietur, quodvè ex orbita motum est solidè suo statui, alias inter exorbitãtias restituatur & reparetur. Quanquam hæc prædiorum revisio, hic ausus, non jam vulnus infligit, sed penitus jugulat Ecclesiam, tollit concilia, sacros canones, supremi orbis capitis authoritatem, Bullam Cænæ Dni murum & antemurale Romanæ Ecclesiæ demolitur: Adeòq; quisq; rectè sentiens, verus Catholicus, non degener Ecclesiæ DEI filius, vel minimâ S. Canonum peritiâ instructus non tantùm vitio non vertet aut dãnabit, verùm etiam justum esse & obligationi meæ conveniens id factũ judicabit; imò ipsorum confœderatorum ratio & æquitas temperabit iras, quas tamen non nimium curo, DEO magis quàm mundo; conscientiæ, quàm popularitati; veritati quàm assentationi satisfacere cupiens. Quomodo delere & abolere poterunt, quod in tractatu 21 Novemb. Kielcis scripserunt: Expediemus Nuntios ad Pontificium legatum tanquã obedientes Ecclesiæ Filij protestando nos cogi ad arripiendum medium recipiendorum bonorum Ecclesiasticorum: cum eodem mittemus ad Primatem. An non in scripto intitulato: vindiciæ; manifestè prodiderunt suum contra Episcopos rancorem, bonorumq; spiritualium cupiditatẽ? An in Universali suo, inaudito exemplo Hierarchiam Ecclesiæ non depresserunt? Majores nostri Episcopos velut Pastores & Principes Ecclesiæ ac Senatûs semper in æstimatione habebant, illis prima in Senatu subsellia assignârunt, longo sæculi tractu sigillum concrediderunt: Primus enim Moskorzewski è sæcularibus fuit Cancellerius; ex illis Starostas, Notarios Terrestres habebant, libros Actorum suorum Terrestrium illis in depositum concredebant; illos suæ libertatis Authores venerabantur: Pro eis contra non benè faventes Reges cum vitæ & substantiæ discrimine se opponebant; Cum eis ex Senatu prodibant: Præcedentiam eis ante Duces Masoviæ, licet hi essent Principes Sangvinis, adjudicabant: ut id quoq; non omittam quòd in vaticano Romæ legitur, vectigalem ab eis Poloniam Ecclesiæ & S. Petro sanctè esse devotam. *In* limine primum Dominij Sigismundi Augusti cœpit ab infectis Luteranismo irreverentia Prælatorum, nunquam tamen bona Ecclesiastica tangebantur, nunquam Patrimonium Christi in usurpatione fuit sæcularium, solùm non nisi Religionis Exercitium salva dignitate Episcoporum promovebatur. Error, & hæreticus est conceptus dicere Episcopos eisq; proventus non esse necessarios: Planè ac si diceres non esse necessarium in Polonia Regem, in Exercitu Ducẽ, in navi nauclerum, aut magis esse necessarium militem quàm Ducem, digitum quàm caput humano corpori. Benè ille

Quanto Dux milite major
Tantùm ego te supero.

Hæretica est propositio majorem minoremq; clerum in Ordine ponens; quorum oculos Majestas Ecclesiæ Catholicæ pungit & perstringit, ubi scilicet filij Regum nutritij ejus: illi verò in suis fanis nullos sacros habent Ordines, veniunt ab hara ad aram Ministri plebejæ sortis, & mentis, ipsi suis Dnis contempti. Magna est species, magna dignitas S. Catholicæ Ecclesiæ, statûsq; spiritualis; quâ ædificari non scandalizari; piorum

orum fundatorum Manibus convenit bene precari. Quanquam licet *A.C. 1690* lividis oculis aliter fortaſſis videatur, profectò non invidenda fortuna, nunc præſertim in Patria ſumus, cui vidiſſe non contigit, legat aut quærat, quanta Mtas Cardinalium? quanta potentia æmula Regibus Electorum ſpiritualium? id tamen eis Principes Imperij imò ipſi Acatholici potentes licet Dni non invident, grandes non objiciunt opes, imò eos venerantur, viſitant, fraternis cum eis conveniunt animis: non ducunt dedecori Principes Imperij Cæſarum aut Regum poſteri, antiqui Comites, Barones, aliiqꝫ titulati frequentare anticameras, certare officiis, anteambulare, inſervire, imò dare titulum Dni Clementiſſimi: uti defacto Legatus Regis Sveciæ Birenklar, cùm eſſem in miniſterio Veſtræ Mtatis Francofurti, in Eelectione Imperatoris, nõ judicavit infra dignitatem eſſe ſui Principalis, Dni eo temporis orbi formidabilis dare titulum Electori Moguntiæ: Domine Clementiſſime; quod typo eſt expreſſum ad perpetuam rei memoriam. Quantâ verò pompâ publicas obeunt functiones. Quiſqꝫ Electorum ſpiritualium in primum ingreſſum impendit 100 millia imperialiũ. Epiſcopat⁹ verò quàm ãpli, opulenti, planè parva Regna, ex quibus integros Exercitus & tormenta producunt in aciem; abſoluto jure bella gerunt, fœdera cum Monarchis feriunt, contra quod tamen inclyta natio Germani non querulantur, imò decus gentis æſtimant potentiam Electorum. Quid jam aliorum Epiſcoporum, Abbatum, Capitulorum, quantæ ſint divitiæ, quantæ prærogativæ, nemo tamen eos vel minimo verbo in memorialibus, manifeſtis, in Comitijs imperij aut Comitiolis circulorum laceſſit. Clerus verò Polonus quanta patitur, licet nullibi melius Epiſcopi ſuos impendunt proventus. Dignus perenni memoria Epiſcopus Poſnanienſis Szoldrski qui teſtamento Eccleſiam ſuam hæredem ex aſſe reliquit: Idem fecit Lubinski cujus Cancellarius ego & Executor fui; qui poſthabitis ſuis conſangvineis dedit, donavit omnia ſponſæ ſuæ Gneſnenſi Cathedræ, & Eccleſiæ, Lovicenſi: Gębicki quoqꝫ Epiſcopus Cracovienſis incineratas Cracovienſes Eccleſias planè de ruderibus ſuſcitavit; nudos operuit, Xenodochia poſthumâ pietate ditavit, in tota Diœceſi veſtigia piæ liberalitatis reliquit. Ita ſcilicet florentes opes inclytorum horum Præſulum ſunt impenſæ. Et licet quis fortunæ ſuæ monumentum in emptis Nepoti bonis reliquerit, non inde Italus, aut Gallus, ſed ſangvis noſter gaudebit. Injuſtè ergo arguuntur fortunæ Præſulum planè his temporibus infortunatæ..

Epiſcoporũ bona

Epiſcoporũ liberalitas

Sine Epiſcopis vacillaret imò rueret S. Fides Catholica; ſic Saxonia, Pomerania; Anglia, Dania, Svecia, primo expulſi Epiſcopi deinde Parochi & Religioſi, tum demum abactis canibus & cuſtodibus facile erat diſpergi gregem & diſcerpi. Si quid in Epiſcopo à recto devium inventum fuerit; cùm etiam in Angelis ſit reperta pravitas, dabit rationem ſummo Pontifici aut delegatam ab eo habenti poteſtatem: Aut ſi non hic dabit, certè rationem diſtricto judici in extremo die judicij, & potentes potenter tormenta patientur: cenſuræ verò, exagitationes, & vexationes ſæcularium faceſſant: Nolite tangere Chriſtos meos. Id quoqꝫ eos offendit, quòd in Monitorio ſcripſi crebris & iniquis juramentis vindicem DEum ſeveriùs, quo ſeriùs imminere. Summa Religio eſt & eſſe debet juramenti, cum timore & tremore ad illud eſt accedendum. Nunc arbitror non poſtremo inter peccata loco hôc quoqꝫ pœnam in Patriam noſtram provocari; quòd prompti ſimus velocesqꝫ ad juramenta. Priſcorum Polonorum juramentum erat dicere promittereq; verbo militari.

A.C. 1690 ri. Iniquis juramentis: Quid enim iniquiùs quàm juramento se obstringere non defendendi Patriam, V. Mtem deserendi, ordinationibus non obsequendi, dandi in aleam fratres nostros M. D. Lit. S. Fidem Ecclesiasq; DEo dicatas non tuendi; miseram plebeculam, populum Christianum, quem sangvine nostro tueri tenemur, cùm pro eis æquè ac pro omnibus sit Christus mortuus, mittendi in prædam, servitutem, obsidionem. Convenit juramentum hoc cum eo, quod in Lucano legitur:

Pectore, si fibris gladium juguloq; Parentis
Condere me jubeas &c.
Si spoliare Deos ignemq; immittere templis.

Offert impius hic miles suam Julio Cæsari Duci suo promptitudinem ad occidendum fratrem, jugulandum Patrem, spoliandos Deos, incendenda templa, solenniterq; jurat

Per Numina juro,
Perq; tuos Cæsar devicto ex hoste triumphos.

Iniquum sanè hujusmodi juramentum est: Quod juxta Legistas obligatorium non est, contra bonos mores juramentum; seu, ut quidam ait Doctor Ecclesiæ: Jurare ob leves causas species perjurii est; longè magis jurare ob iniquas, contra fidem est & contra fas juramentum.

At quando illi tantopere sunt verbi puncturæ sensitivi, illo eos alloquar hemistichio:

At vos Trojugenæ vobis ignoscitis.

Toties acerbè, contumeliosè, acriore calamo magnos viros perstrinxistis; ut alios omittam terminos; quis pati valeat illum verbi aculeum, quo in literis ad Archiepiscopū Parasitos vocando aulicos pungunt? Quid est aula aliud, nisi aulicum consilium? quis frequentat hoc consilium? caput aulæ & consilij Mtas Vra, Magnates, Senatores, Residentes, Officiales, assistunt ei Secretarius Regni, Referendarij, Regentes tanquam pars & manus Cancellariæ; an non hi omnes homines ornatissimi, lecti de millibus? grande ergò tam crasso termino aspergere tam honoratos viros. Fateri de Signatoribus cogor in veritate; causas enim assentandi procul habeo, nec unquam id etiam ante fortunam scivi; etiam maximum Monarcham digniores & operosiores non habere ministros.

In proxima manendo vicinia supremi Regni Cancellarij stupui indefessos ejus labores, irrequietos dies, insomnes noctes: & licet non degener incola ad aulam essem, dum tamen ego ad mensam irem, ille ad judicia, ego ad animi relaxationem, ille ad audientiam; ego ad distractivam occupationem, ille ad consilium; ego ad lectum, ille ad literas; ego surrexi manè, ille insomnem transegit noctē; omnibus omnia, nullus sibi; ut sæpè mente intra me revolverem dictū illud: felicem te Democles, qui non uno longiùs prandio Regni necessitatem tolerâsti. Non revoco liberales impensas, itinera cum Vra Mtate, exceptiones Legatorum, at quo pretio? suppono illum centum milliones testamento non relicturum; licet in præteritis Comitijs Mazaryni nomine compellaretur. Æstimet ergò sua quisq; prout vult obsequia; audacter dicam Cancellarij togatæ militiæ sudores omnibus præponderare:

Cedant arma togæ.

Idem dicendum de alijs quà maximis, quà minimis Vræ Mtis Aulicis suis sumptibus, substantiisq; Vræ Mtis gratiam quærentibus; ut nullus in aula Parasitus possit inveniri.

Querulantur à me publicatam esse excōmunicationem Bullæ cœnæ

Domi-

Domini. Non feci injuriam usus jure meo; nec id meum decretum est, *A.C.* 1690
sed antiquum Sum̃orum Pontificum authoritate publicatum, canonizatum, acceptatum ab omnibus Regibus Regnisque Christianis, ego non nisi minister sum, & executor. Publicavi verò illud contra solos non nisi revisores ex delicto in Diœcesi mea forum meum sortitos. Et publicavi quidem non præcipitanter sed servatis gradibus; scripsi misique juridicè imò ultra jus monitionem Canonicam, ad extremum in pertinaces strinxi mucronem pœnæ Ecclesiasticæ non ad destructionem, sed ad ædificationem. Si quod verbum offensivum reperitur, non meum est sed ex juribus & Canonibus Ecclesiasticis desumptum. Numerare possem tot Pontificum, Archiepiscoporum externorum similes processus innumeros, verùm omissis externis, domesticis innitor exemplis. Ita fecit S. Patronus Poloniæ Stanislaus: Ita Gedeon: ita Prandota; ita magnus ille Antistes Olesznicki populari nomine Zbyszek. Ita Archiepiscopi Gnesnenses, Martinus Jacobus Nimus. Jta heroicus ille Officialis Gnesnensis Nicolaus Strosbergus, qui ob acceptos currus subditis Capituli Gnesnensis sub tempus præsentiæ Regis Vladislai Jagellonis interdixit sacris, deditq; occasionem dicendæ ab Hedvige Regina piæ non tam pugilaribus quàm cordibus & conscientijs Ducum & militum scribendæ vocis: pignora quidem restituimus, lachrimas autem quis restituet? Ita sub Casimiro Justo dum Comitia non possent cohibere intolerabiles injurias quas milites pauperibus inferebant: tota Respub. petijt Episcopos qui octo tunc fuerunt, in Comitijs; ut perpetuam ferrent excom̃unicationẽ contra Monarcham, Principes, Magnates, milites, & quicunque ausus fuisset annonam cuipiam aut jumentum accipere; quam dum in Pontificalibus ornati in præsentia omnium Statuum tulissent, ex comitijs expediti Legati Romam, ut in perpetuum à summo Pontifice Alexandro III confirmaretur. Obligationis ergo meæ fuit & est tueri Ecclesiam juraq; ejus. Quomodo verò sunt tuenda? Non vexillis aut machinis bellicis: non est custodienda Ecclesia more castrorum; sed lachrimis, quas ego quoque coram Revisoribus fudi: arma Clericorum sunt lachrimæ, sed intrepidâ veritate, sanâ doctrina, jure Ecclesiastico & Polono imò sangvine & vita mea. Hunc mihi animum servet amor, optoq; tantum resolutionis habere milites, uti tenentur etiam mori pro Dei gloria, pro Vra Mte, pro Patria: Imperator debet Reipub. vitam, miles mortem: uti etiam ego quâvis horâ mori prout teneor pro S. Catholica Ecclesia, sum paratus. Hanc itaq; do rationem literarum mearum & processûs ad querelas coram Mte Vra confœderatorum militum. Si quid plenæ justificationi defuerit; multa enim aut studio aut fallente memoriâ prætermisi: cum, ut ingenuè fatear licet meditatione & stylo aliquid possim, lingvâ tam naturâ quàm exercitio disertus non sim, peto insuper ut liceat mihi in scripto mei defensionem dare; exemplo magni olim Cancellarii & Ducis Joannis Zamoyski; contra quem, dum sub interregnũ post Stephanum, prævalida factio Zborowsciorum consurgeret, dumq; variæ & invidiosæ progressus ejus homines inter traducerentur: postulavit à Senatoribus pro convocatione congregatis, penes quos publica eo temporis fuit authoritas, ut sibi omnes objectiones in scripto darentur, scripto quoq; ab eo diluendæ: idem etiam ego postulo, si expedit.

Restitutio lacrymarũ

VALEDICTIO REGI POST FINITA COMITIA.

QUinquennio, infortuniorum agitata procellis, suæ dubia sortis, à filijs deserta Patria, spoliata splendoribus, destituta consilio

A.C.1690 *Veluti sine remige puppis,*
Vel lyra quæ reticet, vel qui non tenditur arcus;
Hodie tandem finitis consilijs, in fortunato consistens portu, Syrtes Charybdesque prætergressa, triumphat. Nunc primum in unum concentratis liberorum civium consilijs, securior; eorumque firmata præsidio, hostibus externis formidabilior, perfecto ab intra instructa ordine, filijs amabilior; sublimi, perspicaciq; Vestræ Majestatis prudentiâ hactenus gestata, nunc in altum provecta, comminutis adversitatum telis, ultimi fere interitûs abysso, ingens extollit caput.

Celsior exurgit pluvijs, auditq; ruentes,
Sub pedibus nymbos, & rauca tonitrua calcat.

Merito huc reduxero symbolum Politici, qui delineato Halcyoni, nidulo insidenti, cum eoque natanti, tranquilli super æquoris undas adjecit lemma: *Æquora tuta silent.*

Nemo non meminit, quanta hanc in Rempub: undique ingruebant pericula, non ab hostilibus duntaxat insultibus, extremam illi ruinam adferentibus; verùm etiam à domesticis differentijs; ex quibus certiores interitûs, quàm salutis, formare licuit consequentias. Ipsis jam nobis fatendum est; non nostris viribus, sed incomparabili Vræ Mtis, nos salvatos esse sapientiâ; ipsa id comprobante Patria, quæ, quem ante, faventem habuit filium, nunc clementem Dominum, amantem Patrem, strenuum experitur Monarcham; cujus, nõ minus salutari consilio; quàm infracto pectore, velut muro aheneo cincta, secura quiescit.

Hinc, atq; hinc, vastæ rupes geminiq; minantur,
Ad Cœlum scopuli; quorum sub vertice latè
Æquora tuta silẽt.

Nunc jam, de gente in gentem, hactenus vagabunda, & velut ad ultimam Thulen relegata, redit exul postliminio, imò doloso, humanæ malevolentiæ, resperso cinere, in novum renascitur Phœnicẽ gloria, suppressusque, per discordes consiliorum sensus, non tantùm restituitur Gentis honos; verùm etiam infatigabili Vræ Mtis operâ, fortunatè conclusis comitijs; Patrijs non contentus limitibus, vastiorem, sub Mtis Vræ dominio, quærit, & ambit amplitudinem.

Magnus ad altum
Fulminat Euphratem bello, victorq; volantes,
Per populos dat jura; viamq; affectat Olympo.

At ubi mihi excurrendũ esset in encomia tot celebris orbi, V. M. Imperij; ubi gloriæ amplitudo, pro servatis civibus, sublimatâ Repub: sublatis simultatibus; firmata, conclusis consilijs, securitate, esset extollenda; hic subsisto, non tantùm tenuitate ingenij, mentis hebetudine, facundiæ detentus penuriâ; verùm etiam ab ipsa, ultra progredi Patria non permissus; quæ, ut celebrandi nominis, sic solvendæ per

sæcula

sæcula gratitudinis, in se suscipit obligationem. Hinc unica duntaxat ad Equestrem Ordinem, à chara Patria accepta expeditione, sic præsentes alloquor. *A.C.* 1690

Agite, & proprios generatim discite cultus,
Agricolæ, fructusq; feros mollite, colendo.

Jam ergo, nostro nos accingentes itineri, characteres nobis à Fratribus concreditos, deposituri, nostras ita repetemus domos; ut fidelitate velut subditi Monarchæ; sincero fidoque obsequio, velut Filij Patri; prompto ad defensionem Mtis, ejusque domus, sangvinis & vitæ dispendio, velut Equestris Ordo; Domino Ducique nostro præsentes adhæreamus. Quibus sicut salutantibus victricis Vræ Mtis dexteræ osculum, certum fuit fortunatè concludendorum consiliorum indicium; ita nunc valedicentibus, ut executionem sancitorum, velut Nuntijs; in signum innatæ clementiæ, velut subditis; in documentum Paternæ beneficentiæ, velut Filijs; eadem dextera concedatur; per me Equestris Ordo demisse supplicat.

Quæ cognita monstris
Tessera sit populis, Victrix tua dextera pacis.

RATIFICATIO CONTRACTUS MATRIMONIALIS.

Zolkieviæ 16. Novembris.

In Nomine Sanctissimæ & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, Amen.

CUM Serenissimus ac Potent: Princeps JOANNES III. DEi gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, &c: maturo consilio perpenderit non solùm se sibi, & suis, sed toti mundo, præcipuè verò Regnis à DEo sibi concreditis vivere, populorumque vicinorum amicitiæ, conservationi, & libertati inter reliqua quàm maximè convenire, ut per mutua conjugia major sinceritas, & reciprocæ assistentiæ nexus pro stabilienda eò fortiùs pace & securitate communi, modo, quo fieri potest, sanctissimo firmetur, ideo Seren: Filium suum natu majorem D. Principem Jacobum hujus quidem propriâ sponte, & enixissimâ voluntate eò destinavit; ut inter illum, & Seren: Principis, ac Domini D. Philippi Gvilhelmi Comitis Palatini Rheni, & S. R. I. Archithesaurarij, & Electoris Bavariæ, Juliæ, Cliviæ, & Montium Ducis Comitis Veldentiæ, Sponthemii, Marchiæ Ravensburgi, & Moersæ, Domini in Ravenstein &c: Filiam quintogenitam Srmam D. Hedvigem Elisabetham Amaliam Comitem Palatinam Rheni, Bavariæ, Juliæ, Cliviæ, & Montium Ducem Matrimonium iniretur, utpotè ad saluberrimam Regis Poloniæ suprafatam intentionem, eò præcipuè ex capite maximè proficuam, quod antiquissimus domûs Palatinæ ad Rhenum splendor adeo toti orbi illucescat, ut Serenitatis Suæ radios, tam per consangvinitatis, quàm affinitatis necessitudinem in omnes fermè totius Europæ, Imperatoris, Regum, Principum familias non diffundat modò, sed illas tot quasi novis syderibus coruscare faciat, quot proles ex affinitatibus cum hac domo contractis conspiciuntur, vel certò sperantur in Regnis illis, quæ tanto Provinciarum luctu tamdium antehac cum orbitate luctata sunt.

A.C. 1690 Certò Seren: Dominus piæ memoriæ Elector fato proximè funct9, veteris cum Inclyta Poloniarum Natione confidentis amicitiæ non immemor. Insuper, quòd & ipse ex Regia Jagiellonum stirpe antiquissima per se sangvinis necessitudine sibi conjuncta, conjugem habuerit Seren: Dominam Annam, Catharinam, Constantiam, præterea & Filius tertio genitus Srmus Carolus Philippus Palatinus Rheni, Bavariæ, Juliæ, Cliviæ, & Montium Dux cum Celsissima Radziwillorum familia pari se fœdereMatrimonij cōjunxerit, tā salutari Regiæ Suæ Mtis intētioni eò proniores præbuit aures, quò Sedes Apostolica, & S. C. Mtas efficacissimè interpositis suis officiis, id gratissimum sibi fore contenderunt, verùm posteaquam Sua Serenitas Electoralis infrascripta Matrimonij Capitula æquissima censuit, Clementissimo propterea ejusdem mandato in scripturam redacta, priùs tamen, quàm ad perfectionem perduci potuére, jubente sic Divino Numine pientissimè supremum obijt diem. Ideo ejusdem Filius primogenitus Srmus D. Princeps Gvilhelmus Comes Palatinus Rheni, S. R. I. Archi-thesaurarius, & Elector Bavariæ, Juliæ, Cliviæ, & Montium Dux, Comes Veldentiæ, Sponthemii, Marchiæ, Ravensbergi, & Moersæ, D. in Ravenstein &c: pro sua parte, & ipse consi-um sapientissimi sui Dni Parentis approbaturus: & quo non minùs ex sua sponte suum, in Regiam Poloniæ domum, pro publico bono affectum testatum faceret, cœptum hunc, tam salutaribus ex causis Matrimonij Tractatum perfici voluit. Igitur quod felix, faustumque, & toti Reipub: Christianæ salubre sit inter Regios & Electorales Deputatos; ex parte Regis quidem Reverendissimos, Ilmos Excellentissimos DD. Senatores Regni, & M. D. L. ac Ministros Status: Stanislaum Witwicki Posnaniensem & Varsaviensem; Andream Załuski Kijoviensem & Czerniechov: Episcopos; Andream Potocki Castellanum Cracoviensem, & Campi-Ducem Regni; Stanislaum Jabłonowski Terrarum Russiæ Palatinum, & Supremum Ducem exercitûs; Josephum Słuszka Castellanū Vilnensem, Campi-Ducem M. D. L; Martinum Kątski Palatinum Kijoviensem Generalem Artileriæ Regni; Ottonem Felkierson, Palatinum Czerniechoviensem; Stephanum Bydzinski Sendomiriensem; Martinū Chomptomski Zarnoviensem, Castellanos; Stanislaum Lubomirski Regni Mareschalcum; Carolum Ducem Radzivilium Procancellarium M. D. L.; Marcum Matczynski supremum Regni Thesaurarium; Benedictum Sapieha supremum M. D. Lit. Thesaurarium.

Ex parte Sermi Electoris verò Rndmum & Illmum D. Ferdinandum ab Yrsch Dominum in Mazen Serenitatis Suæ Electoralis Consiliarium intimum, & supremum Aulæ Cancellarium, Cameræ Præsidē, & Feudorum Præpositum, Dynastam in Reicherszchovensi, nec non Illmum D. Andream Schelleter ab & in Hayderzdorff Sacræ Cæsareæ Mtis Consiliarium Imperialem Aulicum, nec non Serenitati Suæ Electorali à Consiliis intimis &c: in subsequentes Matrimonii Tractatus & conditiones conventum est.

Primò itaq; Serenissimus D. Elector Joannes Gvilhelmus spondet in legitimam uxorem Sermam Dnam Principem Elisabetham &c: Dnam Sororem Suam dilectissimam Serenmo Principi Poloniæ Regio, D. Jacobo &c: & vicissim Serenissimus D. Princeps Jacobus præcedente consensu Srmi & Potent: Regis Patris sui promittit se ducturum in uxorem prædictam Dominā Principem, Elisabetham &c: prædicto Matrimonio consentientem, juxta Ritus S. R. Eccl: Catholicæ, & curaturum ut subsequenti, quemadmodum infra dicetur Matrimonio, rato, aut suis, aut

Sere-

Sereniſſimi & Potent: D. Parentis Regis ſumptibus Neoburgo ad Danubium decenter ad ſuam Regiam in Poloniam deducatur. *A. C.* 1690

Secundò In Dotem, & titulo Dotis Sereniſſimæ Principis Eliſabethæ, Sereniſſimus Dnus Elector promittit ſolvere Sereniſſimis Dnis, Regi, & Filio, eorúmve Hæredibus & Succeſſoribus florenorum Rhenenſium cētum millia in moneta currente florenum ad ſexaginta Crucigeros computando: Prædicti autem Sereniſſimi Rex & Regius Filius in caſu Dotis prædictæ reſtituendæ pariter illam promittunt reſtituere in pecunia numerata. & dicto jam valore præfatæ Sereniſſimæ Principi, aut ejuſdem Hæredibus, & Succeſſoribus; omni exceptione remotâ ſub obligatione Bonorum ſuorum præſentium, & futurorum, ſuorumq; Hæredum, & Succeſſorum, omni meliori modo, juxta ritùs & leges Regni Poloniæ, imò & cum legitimo conſenſu Serenmæ Dnæ Regiæ Matris obſervando.

Tertio. E contra Serenmi, Rex, & Regius Filius promittunt Serenmæ Dnæ Neo-ſponſæ centum millia florenorum in contra dotem, & totidem, id eſt alia centum millia florenorum monetæ ſæpiùs jam ſcriptæ nuptialis titulo doni conſtituere, prout hiſce fide Regiâ conſtituunt, ſub obligatione hypothecæ, & conſenſûs receptivè conjugalis, & Materni, jam antea ratione dotis enumerata, ita, ut dos, contra-dos, & donum nuptiale trecentorum millium florenorum Rhenenſium, ut ſupra importent, quorum uſus fructûs durantè Matrimonio Sereniſſimo Principi Regio, proprietas autem pleno jure conjugùm ſuperſtiti, ejuſq; hæredibus, & ſucceſſoribus remaneat, ſeu fatum priùs in Regio Principe, ſeu Serenma Sponſa priùs contingat (quod quidē Divinum Numen diutiſſimè differre dignetur) idq; ſive poſt mortem alterutrius conjugum, liberi exiſtant ex hoc Matrimonio, ſive non. Qui tamen, ſi DEi gratiâ ex hoc connubio extent, jure merito directæ, & naturali illorum ſucceſſioni ad prædictas ſum̃as præſenti contractu derogare non poſſet.

Quarto. Serenm̃us ac Potentiſſimus Rex, ac ejus Dnus Filius Regius durante Matrimonio providebunt Sereniſſimæ Dnæ Principi, ejuſdē aulico, aut aliàs neceſſario Miniſterio à primo ad ultimum nullo excepto, de condigna hujuſmodi Regiis, & Electoralibus filiis & filiabus decente ſuſtentatione, quo ad victum, amictum, ſalarium, aut quidquid horum neceſſarium erit, imò & Principibus tantæ dignitatis & familiæ, decorum, de reliquo autem durante Matrimonio ſine ullo alio onere, aut conditione Serenmæ Dnæ Principi, ad liberam ejuſdem diſpoſitionē abſq; reddendæ rationis obligatione ex paratiſſimis mediis ad initium cujuſcunq; Menſis quingentos imperiales Rhenenſes, qui conficient uno & quolibet anno ſex millia imperialium Rhenenſium ſolvi curabunt.

Quinto. Si Cælitum diſpoſitione contingat, ut Sereniſſima Princeps (quod ipſa quidem vel omnino non, vel ſeris ſaltem exoptat annis fieri) dilectiſſimo ſuo Dno Sponſo ſuperviveret, ad vidualem ejuſdem ſuſtentationem præter antea prædicta in funeſtum hunc caſum proprietariè ipſi competentia trecenta florenorum millia, dotis, contra-dotis, & doni nuptialis aſſignabuntur, eidem à Serenmo Rege, ejuſq; Regio Principe, adhuc alia ducenta florenorum millia una cum dote, contra-dote, & dono nuptiali in capitali conficientia ſum̃am florenorum quingentorum millium monetæ Rhenenſis, quam ſtatim ac tabulæ iſtæ nuptiales conventæ, ac ſignatæ fuerint, in numerata pecunia adhuc ante Matrimonium ratum, & abductionem Serenm̃i reſpectu Rex, & Elector cōſignabunt, in Principatibus certis in Sileſia juxta declarationem Scræ Cæſareæ Mtatis, quàm primùm deſignandis. In quibus cenſus annui Hypo-

A.C. 1690 thecalis, quinq; pro centum Serenmis utrisq; Neo-sponsis tamdiu dabuntur, & persolventur, usq; dum summa capitalis communi contrahentium consensu non fuerit repetita, & exsoluta. Cum ulteriori tamen utrinq; acceptata conditione, ut hæc ducenta florenorum millia, quæ Serenmæ Sponsæ ultra dotem, contra-dotem, & donum nuptiale pro viduali sustentatione adijciuntur, non ut dos, contra-dos, & donum nuptiale proprietariè, sed usu fructuariè pertineat, imò si vel vivere, vel vidua esse desinat, proprietariè, & plenissimo jure ad Serenmi sui Dni sponsi Hæredes devolvatur, respectu cujus summæ viginti millium pro sustentatione viduali designatæ, indubitati ad Successores, & Hæredes Serenmi Neo-Sponsi regressus sua Cæsarea Mtas omnimodam spondebit securitatem, ita, quod eadem summa nemini alii, nisi legitimis Serenmi Neo-Sponsi successoribus extradetur.

Sexto Porrò, cùm annua pensio mox in articulo præcedenti enarratæ summæ quingentorum millium floren: ad condignam, & casibus insperatis Principibus Palatinis ex hac domo Electorali consvetam Vidualem sustentationem sufficere non possit Seren: Rex, & Regius ejusdem Filius singuli in solidum cum consensu Srmæ Reginæ legitimè præstando eidem hisce superaddunt in casum & durationem viduitatis, & non aliter, ac ultra alios adhuc vigesies mille florenos Rhenenses annui reditus singulis annis justè, & omni exceptione remotâ, sinè ulla aut litium aut sumptuum molestia exsolvendos sub Hypotheca tam generali, quàm speciali, omnium Bonorum, tam Avitorum, quàm noviter acquisitorum, aut adhuc acquirendorum juxta Ritus, & leges Regni Poloniæ firmiter expedienda, ita ut nec generalitas specialitati, nec specialitas generalitati quidquam deroget, cum ulteriori hac declaratione, si Srmæ D. Viduæ in supradictis hisce vigesies mille florenis annuis persolvendis, molestia, mora, aut omnino impossibilitas, modo quocunque futuris temporibus injiceretur, eidem tunc ex nunc, & nunc ex tunc libertas concedatur, vel hos annuos vigesies mille florenos jure exigendi, vel si malit, eorum loco dicta ducentorum flor: millia articulo præcedenti usufructuariè tantùm sibi ad tempus viduitatis assignata proprietariè sibi, suisq; Hæredibus retinendi, ita, ut in casum non solvendorum horum superadditorum in Polonia assignatorum viginti milliũ floren: statim ac id se velle declaraverit, ipso jure ducentorum sæpius præfatorum millium florenorum proprietas ad eandem ejusq; Hæredes recidat, amittat tamen etiam ipso jure omnem ulteriorem actionem ad illos vigesies mille florenos superadditos.

Septimo. Et hæ quidem pro viduali sustentatione conventæ sum̃æ integræ maneant Serenissimæ Dñæ sponsæ fatorum dispositione, etiamsi una, vel plures extarent proles, ad quarum condignam, & omnimodam sustentationem, licet ex summis usui suo viduali servientibus præsenti contractu necessario Serenissima Neo-sponsa non obligetur, nihilominus materno in prolem affectui, & pietati eâ præcustoditione minimè derogari debere. Quemadmodum etiam liberum eidem erit tempus viduitatis in, vel extra Poloniam transigere, qua in re nulla eidem à quopiam molestia inferatur. Si verò præeligeret Viduitatem suam in Polonia transigere, gratis ipsi concedenda erit condigna habitatio, decenti in omnibus, & per omnia suppellectile instructa.

Octavo. Quàm primùm pacta dotalitia utrinq; subscripta, & hisce conditionibus supra enumeratis ex parte suæ Regiæ Poloniæ Mtis, & Serenissimi Dñi filii Regii Jacobi Neo-sponsi, forma, qua juxta leges Poloniæ

loniæ decet efficaciter, & re ipsâ satisfactum fuerit, clementissimo Regiæ Mtis beneplacito relinquitur, quando suos Legatos, ad celebrandum juxta ritus Ecclesiæ, Matrimonium ratum, & ipsam etiam Serenissimam Dñam Neo-sponsam in Regnum Poloniæ, suis tamen sumptibus, ut supra adducendam, ad Serenitatis suæ Electoralis Aulam Neoburgicam ablegare voluerit, quos ibidem sua Serenitas Electoralis excipi, tractari, & dimitti curabit, pro innata sibi generositate, & decenti, quâ in Serenissimum Regem fertur reverentia. *A.C. 1691*

Nono. Anteaquam tamen ad hujus Matrimonii celebrationem, & actualem Serenissimæ sponsæ ex laribus fraternis abductionem perveniatur, eadem juratam & solennem renuntiationem faciat, eamq; in publicam scripturam redigi curet, quòd aut ipsa, aut ejus descendentes Successores aut Hæredes per se vel per alios nullam unquam hæreditatem, aut successionem ex Domo Palatina, quamdiu unus Comes Palatinus Rheni, & Dux Bavariæ Masculus ex coṁuni stirpe utriusq; Domûs, per lineam masculinam descendens existit, & superest in bonis ad eandem pertinentibus tam Feudalibus, quàm allodialibus, tam mobilibus, quàm im̃obilibus, in, & extra imperium, ubicunq; terrarum sitis, acquisitis jã, aut acquirendis, perpetuis temporibus nullo juris, aut facti prætextu prætendere, & solâ sibi assignatâ dote contenta, de reliquis autem omnibus extantibus masculis, Agnatis ex utraq; domo Palatina & Bavariæ semper exclusa esse velit, juxta formam in Serenissima Domo Palatina observatam, & juxta pacta in elocatione priorum suarum respectivè Augustissimæ Imperatricis, & Serenissimarum Reginarum Hispaniæ, & Lusitaniæ, nec non Principis Parmensis sororum conventa.

Decimo. Pro observantia & executione omnium & singulorum ut supra conventorum Serenissimi DD. contrahentes obligant sese, suos Hæredes, & Successores, & bona omnia præsentia, & futura, & mobilia, omni meliori modo tam jure generalis, quàm specialis Hypothecæ, ita ut nec Generalitas specialitati, nec specialitas generalitati detrahat.

Undecimo. Et ut Procuratores infrascripti speciales à Serenissimis suis contrahentibus ratihabitionem præsentium pactorum quàm proximè sese coṁutaturos promittunt. Ita in horum fidem sese sequentem in modum subscripserunt, & subsignârunt. Et quidem ex parte Serenissimi Regis Zolkieviæ 16 Mensis Novemb. ijdem qui super &c.

AMICO CONFIDENTI &c.

A funeribus magnorum hic annus sumpsit initium; in Polonia Princeps Radivilius Mareschalcus vix aliquot hebdomadas inito cum Marchionissa de Bethune connubio superfuit, intercipiente cœlo humanas spes, quibus posteritati non rarò studemus, nec assequimur. Viduæ relictæ partes in se Rex suscepit, quæ deinde multo Radivilijs constabit. Romæ verò Alexander octavus in vivis esse desijt, nec summo apici parcente fato. Destinatus ad illum fuerat cũ muneribus Germanus meus tum Vexillifer Livensis, deinde Palatinus Czernichoviensis, non frustrâsset ille sive nomen suum, sive Christianitatis vota, nisi fessum ætate Pontificem vix dum in throno visum, à curis universi orbis, superi ad quietem per mortem evocâssent. Succedunt ab hinc læta; verùm ea sincera de integro non existimes: humana fuerunt gaudia, quæ postmodum tum alia tum imprimis irrito effectu exactum hujus anni bellum corrumpent. 8 Februarii sponsalia expetiti à Principe Jacobo Connubii cum Neoburgica terminata; detulit à Neosponsa Domin⁹ Proski

Mors Radivilii

Alexandri VIII.

Sponsalia Jacobi Principis

A.C. 1691 Proski annulum Neosponso consensus & affectûs in Regium Principem indicium; quare à Majestatibus expeditus in occursum sponsæ, mecum Rozanensem Capitaneum Wessel in Comitem itineris assumpsi, & aliquot milliaribus ultra Uratislaviam delatus 7 Martii Juxanaviæ Neoburgicam Principem deprehendi; ubi redditis literis non multum moratus (sic enim mihi mandatum fuerat) reditum acceleravi. Neosponsa verò sequenti luce publicè Vratislaviã invecta est & pro dignitate à fratrib⁹ suis excepta. Mox 12 Martij Kępno Princeps Regi⁹ movit duoq; milliaria ultra Szyjoviã profect⁹ in pago vers⁹ Olesnicũ festinavit; ubi cùm circa meridiẽ constitisset, nos etiam horâ circiter ab adventu ipsius dextrè unus post alium convenimus, Principiq; adjuncti insimul prandium sũpsimus; secundùm quod Archimagirus Regni renuntiavit certò jam Vratislaviâ Neo-Sponsam excessisse, & quia per solutam hyemem tardius iter erat, multum tædium, ut in amore peroso moras non insolens est, Principem Regium occupavit; quod sub adventum sponsæ circa horam octavam in tantò majorem vertit lætitiam. Optaverat ille sibi adhuc in rheda adventantem de vultu agnoscere sponsam; verùm per clausas lecticæ fenestras hic ei aspectus negatus fuit. Delata proinde prius in arcem, quàm à sponso salutaretur, ubi ei ex nunc intimatum adesse Incisorem Regni cum Nobilium comitatu, qui quantociùs Ablegationis à Regina officio fungi præsentareq; munera optaret; quare admitti petere, si tamen id citra ullam incomoditatem fieri posset. Annuit illa; nec mora: intra quadrantem Incisor cum Comitatu suo, cui etiam se Regius Princeps admiscuerat non citiùs cognoscendus, quàm se ultroneè annulo prodidisset, adfuit, & commissa sibi exolvit. Impossibile dictu, quàm de se mutuò contenti fuerint præsertim Princeps Jacobus: qui animum suum his verbis prodidit affirmans: si illi libertas à DEO formandæ consortis vitæ concederetur; non aliam se ad mentem suam optare potuisse. Expletis ceremoniis quia jam imminebat cœna, visũ est ad sua cuiq; tantisper digredi, ipseq; etiam Princeps sub incognito nomine cõclavi excessit. Quamvis enim suspicio aliqua suborta fuerat adesse sponsum; non tamen plena fides: donec à cœna iteratò revisens cum Comitatu suo, dum à Neo-Sponsa de propria persona interrogatus proculnè abesset, se non potuit non prodere, uno non nisi passu distare asseruit: mox in mutuos amplexus itum, detractâque nominis larvâ honestus amor per indicia sese exeruit. Emicabat ex ipso vultu multus affectus, quem aliquot horis continuati auxerunt discursus. Discessum deinde jam adultâ nocte deductusq; à sponsa Regius Princeps usq; ad portam, vicissimq; à Principe Regio reducta & reciprocâ certatum humanitate, dum tandem cessit illa, summâ utrinq; modestiâ ipsa quidem ad quietem, Princeps autem ad Legatum cœnaturus se contulit, protracta ad horas duas cœna fuit, circa tertiam noctis ultra milliare Princeps Regius profectus est: quò longe plures, quàm Vratislaviæ fuerant, de nobilitate convenerunt. Ex eo loco circa ûndecimam Princeps Regius eques in occursum perrexit præcedentibus equis honorariis cum tubicinibus, assistentiâ ex diversis compositâ itidem Equestri comitante. Perventum ad theatrum, quod instratum panno in eum usum extructum fuerat; ut in eo salutationis officium sponsi peragerent. Prior in illo constitit Princeps, tum etiam sponsa, quæ jam edocta se expectari, festinare jussit iter, ut quantocius in mutuos cum sponso deferretur amplexus. Obviàm illi missa unica rheda Principis Jacobi reliquis ut quiescerent imperatum. Brevi in theatro in quo etiam Legatus cum Legata consederant complemento

mento persoluto, suam inscendit rhedam splendidam admodum sponsa, *A.C.* 1691
quam quatuor famuli in simili vestitu, qualem famuli Principis præferebant, nisi quòd in rubro panno aliqua distinctio erat, comitabantur: stipabant pedites latera, quatuor aliæ rhedæ gynecæum sponsæ vehebant; Legatus etiam suam conscendit rhedam, solus Regius Princeps Eques præcedente longâ caterva rhedã antecedebat; donec ad Aulã deventum est, in qua Generalis majoris Poloniæ Palatina & Palatina Culmensis, Sieradiensis & Wielunensis Castellanæ, aliæq; nobiles Dominæ spõsam salutârunt. Duxit sponsam Episcopus Posnaniensis, legatam autem Castellanus Sieradiensis & Succamerarius Wielunensis. Mox sponsa alium vestitum cum suo gynecæo assumpsit; nam hactenus nonnisi Hungarico vestitu & superiore Gallico (Robe de Chambre vocant) induta erat, quem à Regina acceperat. Habuit deinde visitationis honorem legato Cæsareo Regius Princeps, in qua dexteram tenuit, tam inter sedẽdum sub umbella, quàm inter eundum: vicissim legatus Cæsaris visitãs Principem dexteram in omnibus tenuit. Discessum deinde 15 pro receptione velleris aurei præcedentibus ut plurimum rhedis, solâq; ferè tantùm sponsæ lecticam Generalis Palatinæ insequente rhedâ. Celebratus hic actus Kempni, vellus aureum comes Holsteinensis ad id destinatus in præsentia sponsæ Principi imposuit, finitis ceremonijs celebratum sacrum à Reverendissimo Potocki: secundùm quod sponsa suam inscendit rhedam cum legata & ad Aulam profecta est sequentibus, ut ante rhedis gynecæi. Substiterat aliquantum Princeps, mox & ipse conscensâ Ensiferi Regni rhedâ insecutus. Eodem etiam deduxit Incisor Regni in rheda Principis Regij legatum Cæsaris. Tardè eo die pransum est. Porrò mensæ ordo hic erat; dextram tenebat sponsa, lævam sponsus, illinc sequebatur legata, istinc à sinistris legatus: deinde Generalis Palatina & aliæ ex gynecæo: à dextris verò legatam secuti Episcopi Posnaniensis & Luceoriensis, Posnaniensis, Lenciciensis & Culmensis Palatini, Sieradiensis & Wielunensis Castellani, &c. Bannum Vratislaviæ Comissarium Bohemiæ ante mensam è diametro Senatorum, Comitem verò Bannum Comissarium Silesiæ itidem ante mensam ex opposito gynecæi & aliorum exterorum, qui comitati fuerant, collocârunt: in fine mensæ sederunt reliqui, quibus locus superfuit. Ad mensam Principis Regij Dni Waslewski & Kaszewski assistebant, ciboſq; partiebantur, alteri sexui Dnus Druzbic assignatus erat: Dnus vero Makowiecki præibat, ordinabatq; fercula gratiora futura palato, si voci pepercisset, quâ nimius aures offendebat. Accidit sub mensam ut nimium quidam importuni essent exigendo, ut manus sponsorum ad osculum illis per mensam protenderentur; quod quia negatum fuit, offendi cœpêre, & verba inconvenientia loqui. Altera itẽ mensa fuit ad quã Regni & Wielunensis Succamerariæ; Incisor, Pocillator, & Archimagirus Regni sedêre. Ventum ad xenia: jam ante sponsæ Princeps miserat Szyjowiam per Dnum Siekierzynski crucem adamantinam cum literis; hoc verò die vesperi annulum adamantinum digito suo detractũ dedit, vicissimq; ab illa manum affabrè factam sustentantem cor adamantinum recepit. Explicare difficile est, quàm utrinque contenti de se mutuò fuerint: non facilè dixerim, quàm sibi omnium animos affabilitate & submissione sponsa devinxerit. Mirari satis non poterant exteræ domicellæ, nostras ceremonias sine ullo fastidio ab illa acceptatas. Non contentus Princeps muneribus sponsam ornâsse in comitatum illius etiam munificus fuit. Holstinensi Comiti, quia imago Principis necdum perfecta erat, datum xenium ex adamantibus confectum,
pre-

A.C. 1691 pretio & artificio pari, æstimatum mille quingentis aureis, adjectus equus Turcicus cum omni suo apparatu; alter item equus Turcicus cũ simili apparatu filio illius cessit; domicellis gynecæi singulis annuli donati, uno verbo nullus prorsus fuit, quem non Regalia munera attigissent. Interea Majestatibus continuis literis de adventu sponsæ innotescebat. Perrexit illi in occursum Cardinalis, ubi dum inter salutandum Mareschalcus inclinâsset scipionem, moxq; ex Episcopi Posnaniensis informatione eundem sustollere voluisset; vitio Præsuli vertit Cardinalis, asserens: non esse moris, ut Principi Regio is honor elati scipionis haberetur. Itum deinde Radzievicios, ubi honorificè à Cardinale excepti, mox Nadarzynum totum se contulit gynecæum: Duces verò Falentis substitêre. Voluêrat tum Cancellarius Regni id sibi muneris arrogare; ut pro xeniis ante-nuptialibus gratias ageret; verùm aliter Majestatibus placuit; determinatum in favorem meum, ut ego Orator essem. Ultimam noctem, quàm Varsaviam ingrederetur, Viazdowiæ egit sponsa, ubi totam planè Varsaviam, quæ se ad spectandam Neo-sponsam effuderat, Marechalcus Regni tractavit: inviserunt etiam incognitò Neo-sponsam Majestates in horto, moxque à salutatione regressæ sunt. In sequenti die accubuerunt sacræ mensæ sponsus & sponsa, hinc inde Alexandro & Constantino Principibus sustinentib⁹ ante illos Tobale, deducta Varsaviam deinde Vjazdowiâ à Principe Radivilia Sorore Regis, Marchionissa de Bethune & Cancellaria Regni Reginæ sororibus, consedit cum illis etiam Dña Cwibel, quam more insolito Episcopus Posnaniensis Legatam esse promulgaverat litis & altercationis inter fæminas mox materiam futuram. Nam Vilnensis & Posnaniensis Castellanæ, item Palatina Plocensis, conficto morbo abesse ab actu maluerunt, quàm loco suo cedere. Irrupit etiam in gynecæum Reginale ambitiosa contentio; cui mandatum fuerat, ut Sponsæ Comites sibi associarent & sic in unum contubernium quodammodo coalescerẽt: verùm (ut mulieres solent si semel illas œstrum ambitionis pupugerit) aspernatæ imperium detrectârunt obsequium. Quare iteratò Regina requisivit, obligando; ut prioribus parerent jussis; sed itidem nihil effecit: præfractè grandior omnium domicella Gąsiewska reposuit, id se facturam, quod Vilnensis Castellana imperâsset: subintulit Regina; non igitur mea famula est. Talis disputatio tantaq; difficultas nostrates tum inter fæminas de inani puncto honoris. At utut illæ certârunt, à confirmatione nihilominus Connubialis contractûs à Cardinale in templo S. Joannis persoluta ad mensam Regiam secundùm Nuntium Apostolicũ etiam illa characterisata ab Episcopo Posnaniensi Legata consedit. Reddita sequenti die xenia, quæ pretium centum quinquaginta millium excesserunt, publicis deniq; ceremonijs diversimodè lætitiæ indultum, triumphales ignes, operæ, comœdiæ, saltusq; exhibiti, à Rege Sponsæ Neonuptæ duo millia aureorum pro chartarum ludo præsentata.

His ita peractis nonnihil in mea domo turbatum est. Cancellarius Regni Episcopus Germanum meum Ludovicum pro Suffraganeatu Premisliensi nominaverat, mox etiam Dubrawscium frustra deinde de eo honore laboraturum. Venit uterq; postmodum ad Nuntium Apostolicum ad faciendum processum, perplexa admodum res erat; nec quem eventum negotio daret videbat Nuntius: tandem tamen nostro labori & rationibus cessit, seq; in favorem Ludovici Fratris declaravit. Cassavit nominationem Dubrawscij, alteramq; in scripto Romam pro Germano meo transmisit secundo admodum successu; nam brevi tempore

expiditio

expeditio ab urbe venit, nominatusq; Leopoli in præsentia Mtum in Episcopum est consecratus. Sub hæc Cardinalis Primas vanitatem Posnaniensis Episcopi titulosq; ab illo Principis arrogatos, ac modum procedendi ipsius perosus (deducebat ille suam genealogiam à Regibus Hispaniæ, à quibus se directâ lineâ descendere asserebat, quòd tempore Gothorum Vitiges quispiam, alias Vitiza & Vitiva ibi regnâsset, alter etiam Romam oppugnâsset; unde nomen Vitvic) literas ad Cancellarium dedit in hæc verba: A.C 1691 *Vanitas titulorum*

Non is mihi Genius; ut ex rumoribus aliquid statuam: nam quamvis fama humanis advolitans auribus quidpiam de rebus, quas promulgat, apprehendendum porrigat; quia nihilominùs inconstans est, & jam auget, jam minuit circumstantias, facilitati credentis, si cui illa est, imponere potest: severitas verò prudentiæ, cujus mihi semper placuêre partes, hoc sibi proprium habet, ne omni se circumferri vento sinat, etiamsi quædam occasioni subesse emolumenta comperiantur. Verùm, cum jã non ex fama tantùm, quam hactenus dissimulavi sed etiam ex diversis locis signanter & indubitatè mihi innotuerit; Episcopum Posnaniensem quosdam titulos ex primis Principibus & Senatoribus Regni Ducis & Principis assumpsisse, & uti relationem habeo, in metrica Regni sub ministerio tuo, dum se in certa materia inscriberet, his titulis mandâsse se inscribi: jam non tam credo, quàm scio ita esse, prout fama ad me detulit: unde meritò incipio habere & scribere meas super hoc reflexiones. Conclusit provida Resp. jam amplius Principum titulos nemini ulli concedere, non sine arcano; ne inde pereat æqualitas, & per consequens libertas: quia hæc duo simul sunt relatione. Hos insuper, qui ex vetustate familiæ ejusmodi titulis gaudent, in æqualitatem redegit; ut cum alijs ex æquo capessant Remp. ex æquo mereantur, nec censeantur ad petendos honores per prærogativã honoris esse propiores. Præterea quamvis alii præcedant loco Episcopum Posnaniensem; non tamen se vocant aut scribunt ex primis Senatoribus unum, hactenusq; id inauditum fuit: cur igitur insciâ Repub. tales sibi titulos attribuit? cognomina & terras Ducatûs confingit, quæ nonnisi in spatiis imaginarijs sunt aut corpore lunæ: nunquid Antecessores Episcopi Posnanienses etiam ij, qui non obscura fuerunt nomina, quiq; in Principum mitris fuêre nati, tales titulos supra æqualitatem aliorum Senatorum usurpârunt? apparet, inhibuit id magnis illis viris gravitas & prudentia; ne forsan in censuram inciderent Evangelici illius Pharisæi, non sum sicut cæteri: nemo optavit aliquid addere sibi ad staturam, quod quisq; non ignoraret posteritatem vel de sub gelido marmore nomen velaturam cujusq;. Gamratus Archiepiscop[9] Gnesnensis fuit, simulq; Episcopus Cracoviensis, dotibus suis favorem aulæ, liberalitate & benevolentiâ universos occupavevat, & nihilominùs historicus ei adscripsit: opilione patre natus. Jam ante ultima Grodnensia Comitia hic morbus invaserat Episcopum Posnaniensem, jam in sigillo suo simile quid (quamvis Principatus & Ducatus adhuc tum erant terræ cognitæ) sculpi mandaverat; devenerat in manus meas ejusmodi signaturæ frustum; non defui officio: ex nunc in charitate fraterna admonui illum perperam facti; respondit tum ille mihi; hoc se sigillo uti nonnisi pro literis passus ad exteros, promisitque se illud imposterùm suppressurum, uti defacto hucusq; suppresserat. At verò nunc rediit recidiva morbi, idq; violentior, quando jam non pro peregrinis sigillum usurpat, sed in metrica Regni ambitionis titulos adauget sibi, Principem Krolensem subscribit. Fundationis Episcopatûs Posnaniensis gnarus

A.C. 1691 rus non sum, primus Præsul modernus est; qu Columbi instar terras novas invenit, successu temporis volet etiam habere jus cudendæ monetæ: nam jam pridem & hujus me coram mentionem fecit, innuens se in Archivo id legisse; mihiq; etiam ipsum persvadere conatus fuit; verùm sufficit mihi imago Regis in pecuniis relucens. Nunquid hinc orbis non æstimabit ex uno omnes, & de fastu ac ambitione singulos suspectos habebit? nonne scandalizabitur non jam ex uno, sed ex omnibus propter unum? uti jam defacto literas habeo ex hac occasione scriptas. Quomodo ea res in me non suscitet zelum? quomodo adhuc indifferens sim, & tale ludibrium in Ordine Ecclesiastico dissimulem? præsertim quòd prævideam in Comitiis & Comitiolis suo tempore loco consiliorum venturum ad cavillationes, & anatomiam nominis ac domûs dicti Episcopi: nobis autem tum ex honesto incumbet stare pro Collega, proq; illo certare. Agitur hic de scandalo, pro Christo legatione fungimur: ex altera parte jura Reipub: tueri stationis meæ est. Nôsse Præsulem necesse est, quòd modestia non tantùm spiritualis, sed etiam civilis indigitet: ut quisq; se ipsum noscat præsertim in hac Patria; in qua sine ulla larva novimus, quâ quisq; origine natus. Quod autem hos sensus meos ad te potissimùm scribam, ratio est; quòd isti tituli non tantùm per famam & populum volitent, sed insuper in metricam Regni in acta perpetuitatis immissi sint: cùm tamen tu utpotè Minister statûs invigilare debuisses; ne ulli ex Cancellaria Regni incompetentes dentur tituli; sed ij duntaxat, qui secundùm gradum stylumq; veterem nulli mutationi obnoxium dari consveverunt. Perpende quæ consequẽtia ex hac una promanet occasione. Quamobrẽ opto, ut ulteriori scandalo in herba occurrere velis, tuisq; imposterùm Officialibus imperes, deinde intendant oculo. Litavi zelo & maneo. Skierniewicis 12. Februarij 1691.

Circa hoc tempus Comes Thun tanquam Ablegatus Viennâ venit declarans nomine Cæsaris 5000 militis, itemq; cessionẽ Valachiæ & Moldaviæ; si modò fortiter in dicta Valachia agere vellemus. Habitũ item Senatûs consilium, in quo decretus in Moschoviam Ablegatus, illeq; Rutenus Sacerdos Samuel, quem supra memoravi, fraudesq; illius detexi, judicio Episcopi Szumlanski extradi jussus. In eo etiam Episcopus Chelmensis Swięcicki in faciem Castellano Cracoviensi exprobravit, quòd in literis suis scripsisset tantum 12 millia exercitûs se habere; cùm tamẽ hiberna pro 16 millibus darentur: notavit insuper largitiones, hinc graviùs exarsit Dux exercituum non tantùm in dictum Præsulem, sed etiam in me; quòd existimaret me illi authorem fuisse, ut talia diceret. Tentata mox concordia inter Ducem & Episcopum, sed frustra; altero obstinatissimè renitente & assecurante se non tantùm dicturum, sed etiam typo sua dicta vulgaturum. Tandem Rex, ut contentum Ducem redderet, condolentiâ factâ strictè eum amplexus est, quo ille tranquillatus, projectoq; de expeditione iminente formato à Rege discessit. Rex verò reliquum quadragesimalis jejunij pietati impendit, meq; etiam pro festis Jaroslaviam proficisci volentem apud se detinuit. Fuimus ergò Bielanis, ibiq; apud Patres Camaldulenses ultimas jejunij ferias in devotione consumpsimus, Rexq; imprimis præviâ permissione Episcopi Posnaniensis in scripto ad manus meas misso pœnitentiæ Sacramento à me expiatus, Paschali itidem ex manibus meis epulo refectus fuit; à quo pius Princeps in pauperibus Christum tractavit. Gratissimum interea Regi accidit, quòd Episcopus Rutenus Premisliensis Winicki se decla-

declarâsset cum toto grege suo unionem acceptaturum, de quo feliciter peracto suo tempore recurret historia. Nunc ad compositionem inter Viduam Marchionissam post fata Principis Mareschalci Radivilii & inter domum Radivilianam venio; quæ carò dictis Principibus stetit. Nā Radiviliis trecenta millia paratæ monetæ numeranda fuêre pro festo S. Joannis Baptistæ, mobilia item omnia & pretiosa quæq; cimelia aliaq; concedenda; etsi nonnisi 15. dies à contractu Matrimoniali in vivis fuisset Mareschalcus, ita: ut sexcenta millia accepisse eam existimaverim. Succurrere Rex necesse habuit Principi Radivilio centum millibus quæ illi mutua dedit in secreto, ne Regina resciret. Secundùm eam concordiam contractus inter Sapieham Alexandrum Capitaneum tum temporis Wolpensem nunc Mareschalcum Litvaniæ & dictam Viduam factus est. Inscripsit is sponsæ centum millia hærentis sumæ in Capitaneatu Wolpensi, & alia 50 millia in alijs; contractui huic præter alios & ego me subscripsi. Sub hæc innotuit Montem à Gallis occupatum; sugillatus ob id Rex Angliæ, quòd procrastinatione suâ distulisset succursum, nec libris famosis in illum parsum est: nam dum Hagam Comitis venisset, illi adscriptum fuit: abiît cuculus, accipiter qui venerat. A. C. 1691

Nec lætiora apud nos: cœperunt in Regia domo turbæ, Reginâ de Principe Jacobo Nuruq; non contentis, quæ postmodū etiā ultra propagabuntur. Cœpit etiam 2. Maji Comissio exulū Varsaviæ, in qua Castellan⁹ Viln: Mareschalcū agebat. Vocatus & ego in illa in judiciū, quòd Pal: Posn. existens in ea Legatione in personam meam pro interceptis fructibus ex Episcopatu evicerat viginti millia, quam admiscere massæ aliarū pecuniarum frustra tentaverunt Juridicè arbitrata causa fuit, mihiq; adjudicata summa. Evenit tum etiam; ut Rex sub pœnis vetaret, ne in causa juris-patronatus ullus juris-peritorum tribunali Nuntiaturæ assistere præsumeret; quod plurimum Nuntium exacerbavit. Interea 8 & 10 Maji Tartari in Poloniam irruperunt, & præter alia damna circa Zloczewam & Pomorzanū ipsi Regi 50 pagos exusserunt. In Gallos devoluta suspicio, qui omni ope conniti videbantur; ut Regem ad particularem pacem cū Turcis sanciendam inducerent. Nec satis ab hoste perijsse tot vicos; Zolkvia exorto insuper incendio conflagravit non sine Principis dolore. Lætum est quod succedit: 19 Maji Episcopus Ruthen⁹ Premisliensis Winnicki cum Deputatis à Nobilitate Varsaviam venit & ad gremium Ecclesiæ cum universo grege accessit; qui deinde 23 Junii publicam Schismatis abjurationem fecêre, quo sensu id omnium acceptum fuerit? scribere supervacaneum. Non minùs etiam pietas Regiorum Principum Alexandri & Constantini præsentium advertit oculos, qui umbellam recens à Regina donatam in processione Corporis Christi supra Sacerdotem sustentârunt. Interrupit hos affectus Comitis Thun instantia; qua relegationem Marchionis & aliorum Gallorum urgebat. Scripsit is literas ad Palatinum Vilnensem valde injuriosas Gallico nomini, asserens in illis, inter alia agitari consilia à Gallis de subrogando alio in thronum, vivente etiamnum Principe, eumq; ex partibus suis ab illis optari. Affecit ea res vehementer Marchionem; quare vindictam spirans ad duellum Ablegatum Cæsaris provocavit. Compertis his dissidiis ex relatione Dñi Wilare honorarii Reginæ Equitis, Rex misit ad utrumq; Succamerarium Regni postulando; trium sibi dierum darent inducias: ut differentias illorum arbitrari posset & componere. Expedivit deinde Episcopum Posnaniensem & Referendarium Regni ad Comitem Thun requirendo ab ipso, num quod argumentum haberet rei, quam objecerat Marchio-

A.C. 1691 ni de Bethune? quibus ille reposuit nec prorsus fatendo, nec prorsus inficiando, se non obligari; ut cuipiam rationem reddat actionum suarum præterquam soli Dño suo. Quòd verò ad duellum attineret; charactere quidem suo se illud evitare posse, daturum tamen id se honori Marchionis, etsi non dubitaret Principem suum sibi id vitio versurum. Marchio autem de Bethune declarationem dedit, se dum in Polonia esset non invasurum aut aggressurum, similem itidem assecutationem in scripto Comes dedit. Intervenit his tricis Viennâ Cursor significans Turcas velle renovare tractatum pacis, & quamvis superba esset Porta, ostentare nihilominùs desiderium quietis. Deliberavit igitur Rex, quem cum plenipotentia ad castra Cæsaris expediret in casum renovationis tractatûs, designatusq; postmodùm fuit Stanislaus Malachowski tum Sieradiensis Castellanus, postmodum Palatinus Posnaniensis. Decreta illi in viam duo millia imperialium, & deinde in singulos menses singula millia itidem imperialium.

Priusquam Rex Varsaviâ excederet in Russiam, deinde ad *bellum* profecturus; destinavit me ad Principem Regium Jacobum optando ab illo; ut se cum consorte sua comitaretur in Rùssiam: verùm crudissimo responso repulsam tuli, pro ratione obtendit negatæ profectionis: quòd Regina Neo-nuptos malè tractaret, item quòd non suppeterent pecuniæ pro ea via exantlanda, nullosq; proventus haberet. Displicuit graviter Regi tam inopinatum responsum Principis; quare insinuandum ei misit, perpenderet, non ad Czerscum, sed in Russia gloriam fixisse sedē, eamque non nisi in arduo editoq; monte spinis obsito stationem habere. Tractante deinde Reginâ Mariemonti, pluribus testatus est publicè Rex, se pro Christianitate animam ponere paratum, nec ullo modo à Gallia inducendum; ut particularem iniret pacem, de qua propter nominis sui gloriam ne cogitare quidem vellet. Movit postmodum 13. Junij Varsaviâ Rex, Guramq; delatus vacantem Palatinatum Masoviæ post Krasinscium Francisco Wessel Incisori subscripsit, Incisoratum autem Regni Thomæ Dziaſynski Capitaneo Bratianensi contulit. Innotuit sub hæc Antonium Pignatelli in Pontificem electum Innocentij XII nomen assumpsisse. Evenit etiam priusquam Rex moveret in hosticum; ut Tribunal Lublinense Fanum Calvinisticum Chmielnici in Sendomiriensi ignibus adjudicaret 21 Augusti. Porrò pergentem ad bellum Regem domestica mala plurimum alterârunt. Princeps Jacobus torquente *invidiâ*, quòd Alexandrum Principem in Comitem expeditionis Rex assumpsisset, in transversum actus posthabitâ quam debebat Parenti observantiâ consilium cum Residente Cæsaris Szymonski habuit, mox ad Thesaurarium Regni se contulit declarando; si Princeps Alexander comitaturus esset Regem ad bellum, ex nunc se valedicturum, editurumq; manifestū in totam Poloniam, probando; quòd Rex velit præferre juniorem natu Fratrem, eumq; contra pacta imponere throno. Dissvasêre Amici omnes; ne tam gravis incumberet Patri: at frustra monita fuêre. Cōmovit improbus conatus ad indignationem Regem, per quam expedivit ad Principem Jacobum, qui illi referret; licere illi proficisci, quando vellet; se illum minimè morari: sciret autem se illum ampliùs videre nolle, sique ex Regno abiret, suam maledictionem secum pro comite duceret. Nec his Princeps Regius fractus est; quin ultra in suis intentis obstinato animo reposuit Varsaviam se non rediturum; perrecturum verò in Belgiū: siquidem gubernium illius Provinciæ Rex Hispaniæ sibi detulisset quod responsum incredibile quantum Regem accendit adeò; ut indubie, si

in

in vicinia Princeps Regius fuiſſet, malè acceptus ab illo pœnas tantæ irreverentiæ dediſſet. Tandem omnibus Amicis ſecedentibus à Principe, cùm etiam Caſtellanus Zarnovienſis, qui modò Palatinus Maſoviæ eſt, valedicere illi vellet, clauſit ſe cum Patre Vota & Reſidente Veneto Alberto, habitoq; conſilio decrevit deprecari Regem; quod quidem fecit ſed quia per invidiam adhuc velut ſupremam petebat gratiam, ne Princeps Regius Alexander militem liberaliore tractatione captaret, graviter à Parente reprehenſus eſt, præterq; alia ab illo audiit: reliquũ bonitatis paternæ illi adhuc exhiberi, concediq; ut proficiſcatur. Has inter turbas de ſecunda Chriſtianitatis victoria quam Ludovicus de Baden 28 Auguſti ad Belgradum retulerat publica fama edocuit. Nobis cõtra præpoſtera omnia acciderunt;quinq; milliaCæſarei militis promiſſa nõ vidim⁹,toti⁹ expeditionis fruct⁹ occupata Soroka &Neſzecũ fuit, amiſſa equorũ millia 20 & ampli⁹,per inſolẽtes nives&àëris malitiã:exercit⁹ tot⁹ incommodis ad incitas redact⁹. Occurri RegiGrodci redeunti ex infelici hac expeditione, Javoroviamq; cum illo profectus clementiſſimè ab illo interrogatus fui placerétne mihi acceptare Epiſcopatum Luceorienſem cũ Præpoſitura Plocenſi ab obitu Leſzczynii vacantem, cùm me Regiæ voluntati reſignâſſem; dixit Præpoſituram concedo, Epiſcopatum non opto: expecta quid melius. Ab ea declaratione diſcedenti, ut poſſeſſionem Præpoſituræ Plocenſis adirem; ſignificatum eſt Epiſcopum Cujavienſem mortalitati ſuccubuiſſe. Quare arripui occaſionem, expedivique ad Mtem qui promiſſam mihi gratiam inſinuaret, ipſe deinde etiã Javoroviam me contuli; ubi benevolè acceptum Rex petiit, cederem Dąbſcio Cujavienſem, ipſe verò Plocenſem occuparem Epiſcopatum: quod & feci. Expedivi mox Romam Germanum meum, qui nunc Palatinus Czernichovienſis eſt; cui titulum Rex Ablegati declaraverat; verùm quo ad hoc munus præventus à Patre Vota fuit, qui inſuper in ſe onus evincendi juris patronatûs recepit. *A.C.* 1691

LEOPOLDI IMPERATORIS AD SANCTISSIMUM 12 Januarij.

Quantopere excrucient animum Sanctitatis veſtræ immanes bellorum undiq; ſævientium calamitates, quibus populus Chriſtianus premitur, & quantâ ſolicitudine id agat, ut exulceratos Chriſtianorum Principum animos ad pacem concordiamq; revocet, ex literis ejus die octavâ elapſi proximè menſis ad nos datis prolixiùs percepimus; Et verò non minus nos, quàm paternum Sanctitatis Vræ pectus affligunt mala illa, quæ ex bello recens non ſine ſummo ſcelere excitato Chriſtianæ Reip., quotidie majora incumbunt, ſed id verè nobis ſolatij eſt, quòd DEO, & conſcientiâ teſte, ab omnium eorum culpâ immunes ſumus, quippè qui arma non niſi laceſſiti pro imperio populiq; nobis commiſſi, neceſſariâ defenſione ſuſcepimus, & imprimis Sanctitati Vræ penitiores cordis noſtri ſenſus longâ olim conſvetudine, ita perſpecti ſunt, ut facilè intelligat, nihil nobis graviùs accidere, quàm innatum nobis pacis tranquillitatiſq; publicæ ſtudium novis ſemper imprimis Galliæ, ſivè ambitionis, ſive invidiæ impulſibus incitari neq; enim ulla pactorum, & fidei publicæ Religio apud coronam hanc id hactenus valuit, ut non toties

A. C. 1691 violata fuerint, ac inita, nam ut alia prætereamus ingemiscit profectò Christianus orbis, & detestabitur Posteritas, quòd Christianissimus Rex eò se abduci passus sit, ut interrupto nuper pleno victoriarum nostrarum contra Infideles cursu, nobis amicitiæ paulò ante cũ ipso renovatæ fiduciâ incautis infesta iterum priùs arma intulerit, & cædibus, rapinis, incendijs omnia repleverit, quàm ullam armorum causam, aut offensionem denunciaverit, conculcanda scilicet erant potiùs Divina humanaq; omnia, quàm aut occasio Galliæ proferendorum ad Rhenum limitum omittenda, aut nobis, & Christianitati belli contra Turcas feliciter conficiendi firmandorumq; finiũ facultas permittenda. Obligavit proindè nos supremi muneris nostri ratio, conspirantibus fœdere Christianissimi Regis, & Christiani nominis hostium contra nos armis socias nobis, & fœderatos pro nostra populiq; nostri defensione adversus eundem adjungere, quorum fœderum ea præcipuè lex est, ut nihil de tractatibus pacis nisi communicato cum ipsis consilio statuere valeamus. Cùm verò de eorum voluntate id polliceri possimus, illos non minus ac nos eam semper votis suis pacem complecti, quâ universus Christianus orbis juxta Pireniæ, & Westphaliæ Pacificationis violatas à Gallia leges ad tranquillitatem pristinam componatur, ita in hoc præcipuus vertetur cardo, ut Sanctitas Vra eò imprimis apud Christianissimum Galliæ Regem, utpote belli authorem paterna sua officia quàm efficacissimè convertat, ut ad utriusq; hujus pacificationis Tractatus, quos ipse rupit, restaurandos commoveatur; Quòd si ab ipso Sanctitas Vra pro causæ justitia impetraverit, non deerimus sanè partibus nostris, ut sanctam Beatitudinis Vræ pro Christianitatis bono intentionem, eiusdemq; oblatam paternam operam, & conciliationis officia nobis rectè gratissima, etiam reliquis fœderatis nostris accepta reddamus, nec effectu caritura. Quod sanctitati Vræ pro nostro erga eandem observantiæ studio, ad amantissimas suas literas reponendum duximus, Divinam bonitatem orantes, ut Sanctitatem Vestram diutissimè Ecclesiæ, & nobis sospitem præstet. Datum Viennæ Anno die quibus supra

COPIA LITERARUM AD SACRAM REGIAM MAJESTATEM A ROMANINE RESIDENTE Viennâ 2 Augusti.

Excellentissimus Dnus Procancellarius Sacri Romani Imperij comes de Königsek Dno equiti Proski, & mihi hesternâ die ad secretiorem conferentiam, simul vocato Sacræ Cæsareæ Mtis nomine fusius exposuit: Augustissimum Imperatorem expediendum duxisse Secretarium Dni comitis de Thun, in aula S. R. Mtis Vræ ablegati, nuper in hanc aulam emissum his videlicet resolutionũ punctis, ut R. M. Vra præfati Domini comitis de Thun utpote in duellum à Dno Marchione de Bethune prouocati actionem Regiâ declara-

claratione approbet, Sua Cæsarea Mtas ob nimium impertinentem audaciam à dicto Dno Marchione in Ministrum Cæsareo Charactere, quem ignorare nec crassâ ignorantiâ poterat, insignitum, commissam se nimium offensam sentiat, ut à S. M. Vra, tum ex hac ratione tum vigore Pactorum conventorum matrimonialium quibus se se obstrinxerat, quod ab aula totoq; Regno suo Gallos expellere vellit, ut memoratum Marchionem, utpote omnis dissidij & discordiæ incentorem fautoremq; amoveat, expostulet nè diutius illum apud se sua S. M. Vra commorari patiatur, cum compertum sit, dum elapso mense Februario dictus Dnus Marchio jam itineri in Galliam se accinxisset, hactenus tamen contra præfatorum Pactorum tenorem in Regno moretur, Cæsarem ob singularem respectum, quem erga Serenissimam Reginam fovet, tam diuturnam in Polonia subsistentiam ipsius solum modo dissimulasse, huic tamen fiduciæ innixum, quod à Mte Vra dictus Marchio, tali quali modo inde tandē amovendus esset, siquidē à Principibus & Imperatoribus, privatæ affinitatis & consangvinitatis ratio ad minima habeatur, cum pacta plerumq; ex utilitate Regnorum ineantur, quare & Imperatorem tot injurijs à Marchione sibi suisq; illatis fovendo scilicet rebelles suscitando in aula Mtis Vræ erga Cæsaream Mtem diffidentiæ virus nefario ausu Hungaros ad seditionem provocando, aliaq; contra Domum Austriacam, ipsamq; R. M. V. posteritatem committendo, nullatenus amplius connivere posse. Demum quoniam Mti Vræ perspectum sit, cursorem à prædicto Dno comite de Thun, huc cum secretioribus literis expeditum, intra Regni limites fuisse spoliatum, ac insuper arbori alligatum, petit Sua Cæsarea Mtas, ut Mtas Vra authorem & executorem hujus nefandi, & contra Jura Gentium, bonæq; vicinitatis intelligentiam patrati delicti in terrorem aliorum ne ejusmodi spolia, hactenus ijs in partibus fieri solita planè in consvetudinem abeant tātumq; scelus in morem trahatur; condignâ pœnâ puniat; quibus ominibus petitionibus Mtem Vram Cæsar confidit, omnino delaturam, qui secus declaravit, à se postam Mtis Vræ huc in Poloniam, à tot lustris continuatam, sublatum & ipsum comitem de Thun quem vigore hujus expeditionis Legatum extraordinarium ad Sacram R. Mtem Vram, sub expressa tamen hâc conditione, si super recensitis petitis, Regiam impetraverit satisfactionem, revocatum iri, cui etiam in eventum, si super his congruam satisfactionem assequi nequiret, reditus ex Polonia jam imperatus. Per discursum intulit, prælibatus Dnus Comes de Konigseck Serenissimam Reginam, nihil omnino utilitatis & incrementi à Christianissimo Rege utpote nimium ratione fœderis initi stipulatiq; Matrimonij acriter offenso sperare posse, cum neutiquam, hos duos offensionis lapides tam facile oblivioni dare queat, verius Serenissimam Reginam cum prole

A.C. 1691

Satisfactio & pœna in expilatorē postæ

A.C. 1691 *Regiaq; sua domo ab aula Cæsarea veluti Poloniæ viciniore, aliquid cōmodi expectare posse. In hoc negotio commissum est eidem Comiti de Thun ut illico Cæsareum Residentem D. Schimanski Varsaviâ ad aulam Mtis Vræ expediat, prædicta satisfactionis puncta Cæsaris nomine debito respectu exponat, desuperq; resolutionem Regiam urgeat, quâ favorabiliter obtentâ Comiti demandatum, ut aulam Mtis Vræ sequatur atq; unà cum ea in campum Martialem progrediatur. De cætero expressus cursor ex Hungaria huc missus retulit Principem Ludovicum Badensem, jam infra Illockium castra locasse, ibiq; ab exploratoribus certiorem factum fuisse supremum Vesirium compositis Domi rebus Belgradū cum centum suorum millibus appulisse, atq; supra Savum pontes fabricare cœpiße, interim verò per navalem apparatum Tikelium ad Zibisci fluvium situatum oppidum obsedisse; Cæsareum verò exercitum sine mora ad Savi littora properare firma cum hoste omnino acie confligendi, Savumq; superandi intentione. Hesternâ die, per extraordinarium Nuntium à Gnali Caprara huc expeditum innotuit primum Regni Christianißimi Ministrum Luvois apoplexiâ tactum fatis cessisse, quem proximum belli inter Christianos durantis incentorem, tamq; barbaræ Romani Imperii devastationis dicunt authorem.*

Absolutâ apud Dnum Konigsek conferentiâ ad Dnum Comitem de Valstein Supremum Cæsaris Cubicularium me contuli, eundemque allocutus fui, non solùm Majestati Vestræ, verùm universo Poloniæ Regno postæ sublationem fore præjudiciosā; ad quod respondit, hanc postam ex gratia speciali ad instantiam Serenißimæ Reginæ Cæciliæ Renatæ gloriosæ memoriæ ab Augustißimo Imperatore Ferdinando III fuisse concessam, ad nutum & beneplacitum à Cæsarea Mte supprimendam; fusius postmodum ipse retulit Augustißimum Imperatorem expilationem Postæ à Domino Comite de Thun expeditæ grauissime sensisse, omninoq; sperare à Mte Vra super præmissis suis petitis, sibi promptam datū iri satisfactionē, hæc omnia & singula genuino & sincerißimo calamo benignißimis Mtis V. oculis, nihil præter exposita per supradictos duos Cæsareos Ministros, addendo aut diminuendo, humillimè subjicere volui, Mti Vræ quàm demißißimè me commendo &c.

Zloczowiâ 20. Augusti.

Bellicum consilium 15 præsentis finitum est; enituit in eo ardor Regiæ Mtis in obsequium rei Christianæ honoremq; gentis suæ; dū per mille difficultates ipsemet ad Castra personaliter pergit, & jam hodiernâ die, acceptâ benedictione in hujus civitatis Ecclesia, accingitur itineri Pomorzanos, ubi castra posita sunt, quò Regina comitatur, illinc domum reditura, Rex autem rectà versus Sniatinum iter arripiet. Exercitus crastina die trajicere Tyram incipiet, nec diu morabitur: trajectus enim maturè commodeq; parati sunt, rudentibus transitum facilitantibus penduli. Comitem secum ducit Rex Principem Regium Jacobum, qui huc festinatis passib⁹ Varsaviâ ante aliquot dies delatus est. Contenderet ex nunc Rex cum Ducibus ad castra; verùm

quia

quia summam molem in Cosacos derivare intendit, expedito ad id negotium Castellano Chelmensi cum panno & pecuniis; necesse hic Rex habuit subsistere; quòd fidem publicam salvare volens non tantùm de suo 60 millia florenorum supplere, sed etiam pannum propriâ vecturâ deducere ad locum & alia necessaria huic expeditioni profutura cum informationibus providere debuerit. Sic igitur faxint superi, feliciter Cosacis cum Druskewicio & aliquot centenis Dragonum aliquotq; vexillis Polonicis vestibus & pecuniis animatis, incumbet opus aggredi à Tyra fluvio, ubi Valachiam secat, illincq; adjuvante DEo Budziakos movere & ostentare arma; quorum magna apparentia est, quia Cosaci notabiliter congregantur; recentissimè Zaporowiâ advenerunt 50 obsequia sua declarantes, Niemirowiâ itidem Regi suam promptitudinem denuntiârunt: cum magna nihilominus difficultate in hunc locum delati sunt; armis enim illis utendum fuit contra Moschoviticos Cosacos transitum negantes: Rex relicto præsidio circa Camenecum pro securitate limitum, ipse cum exercitu utriusq; gentis in viscera hostilis terræ intendit iter, inter Prutum & Transylvaniam, de quo hinc Viennam & Moscuam genuinè scripsit, Cursorem insuper ad Sanctissimum cum literis propriâ manu scriptis & denuntiatione expedivit: quod etiam ante jam fecerat præveniendo denuntiationem. Unicum adhuc restat expeditio Castellani Sieradiensis, quem cum summa impatientia Rex expectat metuens; ne hæc mora opportunitati rem agendi obsit. *A. C.* 1691

EXCERPTUM EX LITERIS THESAURARII REGNI de eadem data & loco.

PRæterita Dominicâ die hic à discessu nostro Zolkwiâ pridie constitimus, dispositis rebus ad meliorationem loci, ubi Troja fuit. Quàm primùm constitimus, reflexione facta conclusum; ut hic consiliū bellicum in Palatio sat magnifico haberetur præsentibus Ducibus. Advenit igitur Palatinus Russiæ feriâ 2dâ, Leopolis retardavit Vilnensem Castellanum quò Jaworowiâ deviaverat; igitur nonnisi feriâ 3tiâ horâ meridianâ hic comparuit; mox circa 4tam ad palatium se contulit interfuturus consilio, in quo proposita fuêre puncta. *Primum* in tam retardata expeditione unde incipiendum? *2dum* cum Cosacis quomodo procedendum? *3tium* an videatur movendus exercitus ad inferiora Tyræ fluminis arma Budziacensibus Tartaris ostentandi gratiâ, quid ponendum pro objecto Camenecensibus præsidiarijs? *Ad primum* cùm oppugnare Camenecum non possimus; responsum est, progrediendum ad occupationem Valachiæ, & ita conclusum. *Ad 2dum* Cosacos pecuniis & vestibus animandos, quod ipsum factum est missis 60 millibus currentis monetæ, dato memoratæ genti Commissario viro generoso, honesto & barbato Castellano Chelmensi, qui in senecta sua se & consilio & actu strenuum satis probavit militem, functione pro dignitate expletâ contentatisq; Cosacis. *Ad 3tium* censum est; eundum esse versus Jaberlicum residentiam Ducis Exercituum Hani, ad ripam Tyræ situm; inter eundū verò illuc, tentandā arcē Sorokam Valachis dictā Dominā Principis Valachiæ, qui Ethnici paret imperio, cujus facilè occupandæ, spem magnam feci: quia loci illius gnarus sum, & media porrexi expugnationis. Magna Reipubl: foret felicitas, si DEus eam in manus nostras traderet: hinc enim Soczava in meditullio Valachiæ, isthinc Soroka vicina Reipub, Tyræ duntaxat interfluentis limite à nobis divisa nostris

A.C. 1691 ſtris ſerviret commeatibus; quæ aliàs Cameneco victualia ſuppeditant. Dedi inſuper modum Reipub: percommodum, rationemque cur illam occupare debeamus: quòd eâ occupatâ facilè perſvaſuri ſimus libertatẽ, eâ per Valachiam promulgatâ, miſſis ad id Nuntiis; quòd hæc Provincia Contributionibus per Præfectos impoſitis ſit afflictiſſima. Proponendum ergo illis eam cenſui, oneraque omnia illis demenda, ſolo militari ſervitio excepto. Aſſerenti ultra mihi, intra duos menſes lectum contra Tartaros militem ad duo millia cogi poſſe, nullo Reipub. pretio, reclamatum ab aliquibus impoſitâ impoſſibilitate: quare impatientiâ ductus reſpondi, non agendo, non cogitando, non dicendo nihil unquam commodi in noſtram rem futurum: nihilominus Commiſſarium indies mecum loquentem & comedentem ſtimulavi & ſtimulabo ut id exequatur. Pro objecto verò inſolentiæ Camenecenſiũ ponendum D. Boguſz; qui conſobrinam Caſtellanæ Camen: Bieganowſciæ in conſortem aſſumpſit cum aliquot vexillis: ſicq; concluſum eo die conſilium. Sequens dies hoc eſt feria 4ta devotioni erga Patronam Reginalis Mtis in templo Cathedrali Zloczowienſi: eodem die circa quartam iteratò numeravimus media ratione Commeatuum, pro peditatu: interfuit huic ſeſſioni Boneſana in hoſpitio meo, diſpoſuimus omnia non malè. In craſtino feriâ quintâ factâ relatione privatarũ conferentiarum cum Boneſana invitati Duces 3, Commiſſarius barbatus quartus, & quotquot erant ex primoribus militiæ, Princeps Regius natu grandior etiam interfuit menſæ, tractati ſatis benè omnes: ſolus ego infelix fui, quòd per dolorem pedum mihi intereſſe convivio non liceret, melioribusq; dapibus veſci, & bono vino refocillare vires: ſicco me contentare pane duntaxat in paupere hoſpitio coactus fui; quanquam nec hic quietem habui; nam potatores illi in arce temulentiâ ſomno diſcuſſâ barbatus præſertim Commiſſarius adfuère. Vix pedum meorum dolorem calidâ aquâ lenieram, quietemq; tantiſper cœperam; cum barbatus domum invadere, cuſtodias affligere, me excitare, imperare vina, cogere ad compotandum: cùm longè alia cogitarem quietis meæ ſtudioſus. Tandem ferenda importunitas fuit, quæ vitari non potuit. Inſequenti die, hoc eſt heri protraxerunt bibones diutius ſomnum, à quo vix expergefacti iteratò confluxerunt ad me imperantes pecunias Commiſſario in viam dandas expoſtulanteſque, curarem vexilla prorſus *velut florenti* Repub. imbuti ea opinione ac ſi res integra foret, immemores *planè* egeſtatis Theſauri, obliti Senatûs-conſulti in Jejunio *deſignantis* pro apparatu bellico & alijs expenſis centum quinquaginta millia, non recordantes etiam commiſſionis exulum, quæ alterum tantùm fert expenſarum. Hinc me infeliciſſimum omnium judico ratione infortunati officij mei, quòd opinio inſipientium, quorum plures quàm ſapientũm numerat Polonia, invaluerit eo ipſo, quod quis Theſaurarius ſit, plurimas apud illum reperiri debere pecunias.

EX TENTORIIS TRANS TYRAM 5 MILLIARIBUS à Limitibus Valachiæ 27 Auguſt.

Rex diſpoſitâ quàm optimè, & confectâ incomparabili ſuâ activitate proprioq; peculio expeditione Caſtellani Chelmenſis imprimis ad Coſacos cum pecuniis & veſtibus Niemieroviam tum poſt hoc illicium ad exprimendam ab illis profectionem Sorocam, quatenus Budziacenſibus Tartaris hoc modo incuteret metum, diverſionemque faceret Bialogrodenſibus Tartaris, diſceſſit Pomorzanos cum Regina & Princi-

Principibus Regiis. Ut verò majorem in Cosacis provocaret alacritatē, munificè omnes, quotquot à diversis Colonellis advenerant contentari jussit; inter alios Colonellum Iskre qui sub tempus Budzacensis expeditionis sub Cameneco pro securitate limitum existens grave vulnus in collo acceperat, aureo torque exornavit. Pomorzanis eousq; moratus Rex, dum notitiâ adveniret, cœpisse jam trajicere exercitum per Tyram. Vale Reginæ facto ad Lucam movit, Ducens secum in Comitatu Jacobum & Alexandrum Principes, constititq; hodie cum Aulicis castris suis trajecto Tyrâ ex altera ejusdem ripa, non nisi jam quinq; milliaribus à limitibus Valachiæ distans, hic noctamus, consulimus DEUM, petimus ut ulteriùs manuducat. De hoste nihil certum adhuc habemus, nisi quòd diebus aliquot antè milliari circiter à castris aliquot centeni Equites Tartarici fuisse dicantur. Sub Cameneco quinquaginta circiter trajecto fluvio Czerlenicam & Horodenkam infestârunt abactoque pecore non nisi uno suorum insigniori amisso, aliquot ex nostris perditis profugerunt. Præteritâ feriâ sextâ sesqui milliari in semita ad trajectum furtivè aliquot Tartari in aliquot Nobiliores Equites M. D. Lit. impetu facto, duos ex illis vivos ceperunt, Vitumscium autem Pincernam Volhiniæ hominem præclarum occiderunt. Cosaci hodie Hryszko adduxerunt indicem captum ad centum sepulchra; ex quo constat, quòd etsi Sultani Galga & Nuradinus Budziacis non sint, non tamen desertam omnino Regionem esse: verùm hæc Rex pensi habet; progreditur in nomine Domini ulteriùs, quia jam exercitus Regni trajecit tribusque milliaribus hinc subsistit, à quo hesternâ die Palatinus Russiæ cum flore Regem salutavit, milliari circiter à trajectu. A.C. 1691

28 Augusti. Rex expectans donec trajicerent Tyram reliqui, ad Ostrynum Pagum substitit; tum versus Tlumaczum iter arripuit, quatuor circiter milliaribus exantlatis. Circa Pagum Pozniacum medio milliari à Chocimiro videre licuit castra Poloniæ ad lævam jacentia, Litvanica autem adhuc ad trajectum occupata. Subscripsit Rex universalia hac die ad Palatinatus de executione comitialis sanciti, & hybernorum punctuali exsolutione.

29 Augusti In eodem loco expectavit Rex, dum Exercitus Litvanicus trajiceret Tyram. Horindeco adfuit commilitonum unus, significans oretenùs, quòd nostri essent insecuti Tartaros, duo Tartarica minora vexilla, viride & album abjecta ab illis non sine suspicione fraudis accepta esse; (non enim tantum periculum aut impetus nostrorum fuit, ut signa abjici oportuisset) Tartarus unus præsentatus; verùm aliquot nostri amissi, quos inter vexillifer. Idem retulit, rusticum Cameneco transfugam illis obtigisse, retulisseq; sperari Cameneci Tartaros, iamq; in signū advenientium aliquoties ex tormentis explosum fuisse. Tartarus hic de sub Custodia Capitanei Leopoliensis profugit, cui se in socios custodes adjunxerunt.

30. Augusti Rex ad pagum Zukoviam se contulit pertinentem ad Præfectum culinæ Regni, ibi legio sive Regimen Desultoriorum se repræsentavit more peditum, quòd Equos non haberent.

31. ejusdem movit Rex ad Castra. Præsentavit se exercitus Regni, lustrati pedites; utræq; copiæ tam pedestres, quàm equestres satis lætæ & decentes fuerunt; unica duntaxat legio Dni Dobczyc & altera Ducis Curlandiæ junctæ simul non admodùm vestitæ erant. Ab armilustrio duo milliaria magna per aridas terras sine aquis & sylvis processimus cū Exercitu Regni ad locum pernoctationis:

ima.

A.C. 1691 *Ima. Septemb.* quatuor milliaria Polonica confecimus apertis campis, sine sylvis, junximusq; nos cum exercitu Litvaniæ. A Turculo ex Valachia significatum centum ignes Tartaricos visos, currusq; aliquos. Erat tum gravior tempestas. Horodenko D. Czerminski intimavit complures Tartaros trajecisse Tyram, ad insequendũ illos Dnus Thgorski cum 10. vexillis sqvammis Loricatorum est expeditus.

2da. ejusdem Ob pluvias & iniquiores traject⁹ duo milliaria tantùm confecimus. Præterivimus Sniatinum, ad ipsas ejusdem sepes, & in altiore monte milliari à Sniatino dissito noctavimus. Præsentaturus se erat Exercitus Litvaniæ eo die: sed quia exploratum aliquot cùm Mareschalco Curiæ Regni vexilla expedita fuerant, dilatum armilustrium est. Revocatus Nagurski cum dictis exploratoriis cohortibus, quia Valach⁹ Turculo significavit decem millia Tartarorum esse. Conclusum igitur ex consilio ultra progrediendum. Castellanus Sieradiensis ad castra Cæsaris expeditus, Wasilowski autem ad Generalem Veterani in materia conjunctionis nobiscum & communicationis commeatuum.

3tia ejusdem In procinctu existenti Regi manè posta Viennensis literas reddidit, ex quibus constitit Vezyrum inter Savum & Danubium se clausisse fossâ centum sexaginta tormentis instructum. Processimus unum milliare per duos traject⁹ iniquiores, reliquimus ad dextram Ruthenicam Ecclesiam muro eductam nomine Lusaniam, medio ab loco milliari in Senatûs consilio conclusum; ut relictis gravioribus impedimentis contra Tartaros versus Choczymum iretur, vel ubi deniq; deprehendi possent.

4ta ejusdem Relictis gravioribus, assumptis autem non nisi duobus curribus in singula vexilla & tormentis 13 commeatuq; sex dierum, profecti sumus gemino trajectu pessimo usi, currus per pontes admodũ debiles, Equitat⁹ autem per vadum ivit. Post primam trajectionem substitimus, & aliquantum pabulati sumus; post secundam noctavimus ad flumen Zuczawam. Serò Valachi adduxerunt Davidinkum Græcũ Tartaros Comitatum. Hic retulit ad Stepanowcos Tartarorum octo millia esse, Sultanum Budziacensem ipsum advenire, secumq; ducere Janczaragam Jasensem, cum 30000. Turcis, currus non plures habere quàm 20. Conclusum ut pedites ex nunc trajicerent Zukum fluviũ, quod factũ est.

5ta ejusdem. Rex diluculò movit, equitatus ante lucem trajecit: præterivimus Trajanum, tum per faginetum non magnun nec densũ transivimus. Pervenimus in eum locum in quo nostri aliquot annis abhinc cum summo periculo cum Turcis & Tartaris præliati fuerant dictum Bojanum; ibidem ex alto monte ad trajectum nos dimisimus fluviumq; Bojanum; quem Equitatus transvadare debuit, currus autem per pontem ducti sunt. Substitimus sub monte ad pabulandum, quo Turculus junior ab exploratione redux adduxit Turcam; qui retulit 15000 Tartarorum cum 100 curribus & Janczarago Jasensi cũ 30000 Turcis movisse. Centurio Zahorowski redux ab exploratione, de trajecto à Tartaris Tyra itidem nuntiavit: conclusum hinc non festinandum à majoribus castris ob ignorantiam hostilium intentorum. Mandatum castris ut nos insequerentur; interim ad Tyram viasq; Tartaricas pauciore numero exploratum missi sunt; nos autem processimus Davidowum, inde flexim⁹ in dextram in Valachiam.

6ta ejusdem. Substitimus in eodem loco intuitu impedimentorum & fatigatorum Peditum. Vesperi circa quartam signum ad arma datum est; quòd Tartari putarentur ad usque castra quatuor nostros missos explora-

ploratum insequi. Horâ pòst Centurio Bednarzowski Valachorum expeditus ex exploratoriis cohortibus Thesaurarii Curiæ; qui medio milliari à castris aberat; retulit fugiendo fessus & in capite vulneratus se in Valachos Venatoris incidisse, frustraq; laborâsse, ne Tartari centum furto subductos equos illis eriperent, fugâq; sibi consulere coactum: à Tartaris nihilominùs 3 Commilitones captos. Adducti postmodum Valachi, quos Tartari spoliaverant, denuntiârunt Soltanum Filiumq; ejus cum Tartaris adesse, quantitatem eorum nesciri, nec intenta. Signum igitur datum tubâ, ut cauti essent imò speravimus illos serò irrupturos: sed nihil horum factum. *A.C.* 1691

7ma ejusdem. Movit Rex ad medium milliare per trajectum unum pabulationis gratiâ. Senior Turculus ab exploratione redux retulit se cū 10 suis socijs 20000 ignium vidisse. Rediit hic nullo suo damno sed nec etiam commodo nostro ullo; nam nullum indicem secum adduxit. Processimus deinde ad unum milliare grandius & secundo trajectu transito, serò in loco pernoctationis constitimus. Venerunt etiam literæ à Castellano Chelmensi, quibus innotuit Cosacos necdum nostris intentis assensum præbuisse.

8va ejusdem. Manè priusquam Rex surgeret, secund⁹ advenit Nuntius Viennâ certiores faciens de ingenti clade Veziri. Significavit Princeps Badensis 12000 Turcarum cecidisse, desideratis Germanis millibus quinq;, quos inter Brandeburgicorum mille ducenti numerarentur, Vezyrus ægrè Equitatui associatus effugit. Huic conflictui Han Tartarorum non interfuit. Turcis nec ad antemurale ad tuendum se illo pervenire licuit.

A prandijs proficiscemur medii milliàris iter ad pabulandum, interea approximabunt majora Castra. Expedit hodie Valachos Rex sub ipsa Tartarica Castra ut indicem habere possit.

AD ELECTOREM PALATINUM Rheni Zolkieviâ

JUnctarum olim Connubiali nexu cum Serenissima Domo Neoburgica, Serenissimorum Regum Poloniæ amicitiarum non ingratam revocamus memoriam, dum recentissimi contracti Matrimonij Serenissimi Principis Dni JACOBI Primogeniti Nostri Charissimi, cum Serenissima Electorali Principe Elisabetha Sorore Germana Serenitatis Vræ consignatas tabulas iisdem actui solenni terminum diem 25 mensis Februarij anni proximi Varsaviæ designatum, universus qui nobis adfuit præsens Senatus tam profuso animorum applausu congratulatus est, quàm sincerum erga nomen, & Domum Serenitatis Vræ reddit affectum. Ut proinde pro termino præfixo Serenissimam Neo Sponsam faustis sub penetralibus nostris tenerrimo quàm primum consalutare contingat animo, quantociùs Legatis nostris cum plena ad id potestate, ac ad permutandas mentionatas tabulas destinamus, & expedimus. Restabit ut Serenitas Vra è fraternis complexibus ita dimissam velit, quomodo junctus & perennis amor dissitis quidem locis, animis, & caritatibus nunquam distet nobisq; ac Serenissimæ Domui nostræ eo ipso semper optatarū inferat benedictionum solatia. Quæ dum Paterno auspicamur corde, Serenitati

A. C. 1691 *ti Vræ similes, id est lætos, ac prosperos rerum cum optima valetudine precamur successus.*

AD MATREM ELECTRICEM.

Conclusum ac signatum per Commissarios nostros contracti Matrimonii Seren. Principis JACOBI Primogeniti Nostri Charissimi cum Serenissima Electorali Principe Elisabetha filia Serenitatis Vræ negotium, dictusq; actui solenni terminus dies 25 Februarii anni proximi Varsaviæ in civitate nostra Metropolitana nulli dubitamus, quin paternis Serenitatis Vræ votis ea adferant solatia, quæ paria sint ejusdem excitandis, largiendisq; uberrimis benedictionibus ad dimittendam pro memorato termino Serenissimā Neosponsam. Pro qua, omni quo par est honore, deducenda Legatos nostros destinavimus; dimissam verò è maternis ulnis, & complexibus eandem Serenissimam filiam suam confidat Serenitas Vra reperturam tantùm mutuarum, ac tenerrimarum caritatum, quantum sufficiant in Patris & Matris vices. Bonis itaq; ac faustis omnibus gratissimam quantociùs expectantes hospitem, longævam Serenitati Vræ valetudinem, ac semper prosperrimos precamur successus.

AD REGEM CHRISTIANISSIMUM

Gravissimis permoti rationibus tum præcipuè Sanctæ Sedis Apostolicæ impulsu nondum emortua ex animis Reipub. memoria veteris nexus Serenissimorum Regum Poloniæ cum Serenissima Domo Neoburgica, aliisq; tam domi, quàm foris, ac in usum rei Christianæ salutaribus de causis Serenissimum Principē D. JACOBUM Primogenitum Nostrum Charissimum cum Serenissima Principe Electorali Neoburgica Elisabetha connubiali jungendū fœdere quædam fuit necessitas. Eoque nomine postquam hic recentissimè signatas per Commissarios nostros contracti Matrimonii, cum præfixione termini actûs celebrandi in civitate nostra Metropolitana Varsaviæ die 25 Februarii anni proximi tabulas universus, qui præsens adfuit Senatus pleno animorum plausu congratularetur; Restat, ut Mti Vræ solatia hæc Serenissimæ Domûs nostræ communicata reddamus. Confidimus enim Mtem Vram ex uberiore animi sensu complexurā, conclusum hoc negotium, quo propiori agnationum vinculo eisdem se ingerit fœderibus, ac quò arctioribus cum Mte Vra insistere amicitijs, integra nobis semper cura, ac studium fuit. Augebit proinde Mtas Vra gaudia nostra, si tantum memorato actui præstantissimi sui affectûs communicare velit, quantum & cognata jura, & nostræ intima erga eandem exposcunt propensiones, quas, dum Regio constanti retinemus animo Mtem Vram semper felicem, prosperrimisq; gaudentem successibus diu valere cupimus.

AD SERENISSIMAM IMPERATRICEM A REGE.

Conclusum volente ac juvante Divinâ voluntate negotium contracti Matrimonii Serenissimi Principis Dni JACOBI Primogeniti Nostri Charissimi, cum Serenissima Electorali Principe Elisabetha sorore Mtis Vræ Germana tam gratam Mti Vræ de suo successu debet recordationem, quàm validis desideriis, ac singulari affectu in id ipsum incumbere dignata est; confidimus omnino ulterioribus adhuc nostris Mtem Vram astituram gratiis, tam in deducenda Serenissima Neo-sponsa, pro qua decentem nostram expedivimus legationem, quàm in actu ipso solenniter die 25 mensis Februarii anni proximi in civitate nostra Metropolitana Varsaviensi celebrando; apparebit in eo potissimum sororius Mtis Vræ affectus, si ita Serenißimam Sororem suam ex penetralibus paternis dimissam velit, ut nunquam eandem intimis suis charitatibus avulsam patiatur. Hæc certò nobis pollicentes Mti Vræ optimam valetudinem, ac prosperos rerum successus ex animo precamur.

AD IMPERATRICEM A REGINA.

Solatia hæc, quæ in Serenißimam Domum nostram ex contracto recentissimè, feliciterq; concluso Matrimonio Serenissimi Principis Dni JACOBI Primogeniti Charissimi, cum Serenissima Electorali Principe Domina Elisabetha Sorore Mtis Vræ Germana, promanatura auspicamur, ad quem potiùs pertinere debeant, quàm ad Mtem Vram non solùm quod sororis affectu, uti confidimus cupiat ea esse quàm maxima, sed etiam quòd intimâ, & præcipuâ suâ propensione eadem omni experto felici eventu coronanda contenderit. Respondeat Superûm favore benevolentissimis Mtis Vræ gratiis res ipsa, atq; ita secundissimi negotii istius successus expleant Mtis Vræ desideria, quomodo & nostræ maternæ, immensæ, erga Serenissimos Neo-sponsos satisfaciant expectationi. Quod reliquum est Mtas Vra ipsi solenni actui juxta designatum tempus celebrando, tam eximiis favoribus suis assistere dignabitur, quàm solidos nobis, ac universæ Domui Nostræ nunquam interrumpendos cum eadem pollicemur nexus. Quibus Mtem Vram diu sospitem, felicem, ac longævam interesse ex animo precamur.

AD SERENISSIMAM CÆSAREAM MAJESTATEM.

Opus hoc quod Mtas Vra in sacris connubialibus Serenissimi Principis Dni JACOBI Primogeniti Nostri Charissimi, cum Serenißima Electorali Principe Dna Neoburgica jungendis fœderibus efficax esse voluit, singulariq; interpositione plenum voto suo reddidit, ita demum apud nos perfectum est, ut subscriptis per Commissarios Nostros conclusi tractatus tabulis, receptaq; universali præ-

A.C. 1691 *sentis Senatûs hac super re congratulatione, & applausu solenni huic actui celebrando in civitate nostra Regni Metropolitana Varsavien. diem 25 Februarii anni proximi dixerimus, proq; Serenissima Neo-Sponsa Neoburgo, omni, quo par est, decore ad locum, & terminū proximum deducenda, nec non pro commutandis prædictis tabulis, ac aliis rite exequendis Legatos Nostros destinaverimus. De quibꝰ omnibus dum Mtem Vram certiorem reddimus, nihil superesse videtur, nisi ut Mtas Vra benevolentissimo suo, erga nos, Domumque nostram Serenissimam ulteriori pateat affectu iisq; perpetuò continuandis, junctarum sacro nexu amicitiarum, insistere velit terminis, qui sine termino communia Mti Vræ ac nobis, totiq; Christianitati exhibeant solatia. Hæc dum plenis exopto votis, Mti Vræ longævam ætatem, ac prosperrimos rerum successus ex animo precor.*

LITERÆ UNIVERSALES REGIÆ
JOANNES III. REX POLONIÆ

Universis & singulis &c. ex castris 28 Augusti

QUoniam extra Tyræ littus profecti, ulteriùs in interiora hostilis climatis, personam nostram, vitamque, cum caris pignoribus, contra S. Crucis hostem, pro defensione Patriæ, auxilioque Christianitatis ferentes; quatenus aut laudabili pace, ad cujus tractatus Viennä requisiti, destinavimus ad castra Cæsarea, in Hungaria subsistentia, Małachowscium Castellanum Siradiensem, Dominia nostra, & universorum desideria, lætificaremus; aut ulteriores belli progressus, cum immortali Gentium nostrarum gloria, prosequeremur, consistemus; Exercitum nostrum, non talem quo ad vires, & numerum habentes; qualem præterita comitia, provido cōsilio ordinärunt, & in quo Reip. securitatem, bellique fundârunt progressus: ea potissimum de causa; quod non tantum duo trimestria stipendia, quæ pro illicio, & supplemento ad præsentem expeditionē, assignata extradita non sunt; verùm etiam, quæ cum hybernis, pro hyemali sustentatione, ad consistentias convehenda erant, hactenus ex quibusdam Palatinatibus non soluta, sicque quidam gravi hyemali consistentia enervati; alij supplemento quod à Rep. statutum erat, de hyeme, ac nunc verno tempore, non accepto; omnes debilitatem suam, in eaque manifestam Reip: deceptionem excusant, & tuentur neglectu Comitialis constitutionis. Aliud ergo agendum nihil superest, nisi omnibus Palatinatibus, & Terris, in vim Paternæ præcautionis, deferre; ut, si id, quod in præsenti expeditione factum est, cū ingenti ejus detrimento corrigi nequit, saltem in futurum tempestivè cogitent, quomodo nam trimestria stipendia, comitijs recenter constituta; (antiquiorum exsolutionem non intermittendo) una cum hybernis in parato, pro futuro, Fiscali Tribunali, sint comportanda. Licet enim in hostili climate, ope numinis optemus occupare

locum

locum, in eoque pedestria locare Regimina; quia tamen infortunio nostro; regio hæc desolata Peditatui sufficientiã nequit subministrare; à potiori, Equitatꝰ in ea subsistere non poterit; expedit, ut Palatinatus, & Terræ; si optant continere Exercitum in vinculo finitimæ consistentiæ, appromissã per præterita comitia, satisfactionis executionẽ, ad effectum deducant, debitum publicæ fidei conservent, nec dent occasionem, vicissim non conservandæ ab Exercitu obligationis, indeque tristium eventuum. Quod, sicut extra limites, amore Patriæ profecturi, in pignus tenerrimi affectûs, omnibus Palatinatibus, & Terris relinquimus; ita minimè dubitamus, non tantùm propter paternam hanc nostram præcautionem, verùm etiam ex comitiali obligatione, ijs omnibus, quæ lex imperat satisfacturos, nobisque eã allaturos consolationem, quam universi à prisco Polonorum expectãt zelo. Ut porrò id omnibus innotescat; universales has nostras, in Actis castrensibus, Parochijs, locisque publicis, denuntiandas committimus. A. C. 1691

COPIA LITERARUM MARCI MATCZYNSKI SUPREMI REGNI THESAURARIJ AD ANDREAM ZALUSKI EPISCOPUM KIJOVIENSEM die 19. 7bris.

NON miror tuas Bialâ ad me 6. Septembris datas, tardo venisse passu. Tot scilicet eis discrimina declinanda erant, directumq; quærendum iter, ne Camenecum, aut Krymũ, vel Budziakos exerrarent. Multum mihi accessit solatij, rudi Minerva, factam status nostri relationem, gustui tibi accidisse: non mediocris hæc fortuna mea, tanto in Repub: viro placuisse; nec in me minor favor, defectuoso sufficientiam adscripsisse, pro quo demissas tibi grates, ac ea, quæ communicanda videntur, simul refero. Vix primũ Rex moverat Pomerzaniis, trajectuq; Tyram superârat sub Nizniovia, ex nunc hosti innotuit. Nam immediatè ante Regem Sesquimilliario, ex præcedaneis Vexillis Tartari cum Lipcis duos rapuerunt Conmilitones ex Litvano Exercitu; quorum unus cohortis hastatorum Palatini Vilnensis devehebat 40000 florenorũ ad resarciendas militum jacturas in Litvano Exercitu. Factum id est tum à Lipcis, tum à feris Tartaris, cum quibus duo Sultani venerunt sub Camenecum deducendo commeatum, & stipendium Præsidiariis: inde dimissuri erant prædæ gratiâ milites, sed ab his indicibus informati de personali adventu Regis nostri, ex nunc Cameneco recesserunt, viasq; versus nostra castra direxerunt, ex nostris jacturis suorum lucrorum captaturi occasionem. Ad supradictum trajectum occurrit Regi Palatinus Russiæ cum flore Exercitûs, peractaq; nobiscũ nocte summo manè perrexit ad Exercitũ cum eoq; dispositis castris, expectavit sub Chocimiria, quo à vobis, dum in Budziakos proficisceremur, deducti fueramus: ubi, eò pervenissemus, in seorsivo ab exexcitu loco, ex occasione fati Castellani Cracoviẽsis, qui ultima Augusti, deposuit, quod

A.C. 1691 humanū habuit; biduo substitim9. Primā 7bris junxim9 copias cū Regni exercitu, quē præsētavit Palatin9 Russiædispositū ordine ab insigni & perito Generali: inde progressi, duobus milliaribus nocturna captata quiete in crastinū assecuti sumus sub Kołaczovicijs Litvanū Exercitū, in eoque utrumque Ducem, sicque conjunctim Sniatinum perreximus: ubi summo Regis arbitrio visum, relictis castris, ac gravioribus tormentis, cum lectis duobus circiter millibus peditatus aliquotve levioribus tormentis, ac Equitatu procedere adversus dictos, sub duobus Soltanis Tartaros, ea spe quòd eos sub Cameneco essemus inventuri; cum interim æquè illi de nobis, ac nos de illis cogitaremus: Missi enim sub Camenecum excursores, eos ibi non repererunt, sed duntaxat vestigia contra nos vias & arma dirigentium. Nos itaque, in ea persistentes intentione, quòd cum leviore expediti armatura, alicubi inopinatò hostem essemus offenssuri, spes fefellit: Nam quod nos optabamus à nobis factum iri, fecerunt illi, moræque impatientes, prædæ avidi apparere 10. præsentis cœperunt; idem 11. tentantes, 12 jam propius ad Exercitum accurrentes nos aggredi voluerunt, sed exnunc à nostris Voluntarijs (ochotnik polonicè dictis) repressi, & fugati; eos, majores in copias induxerunt, quibus nostri lassatis equis impares resistendo; receptui, sed non sine clade cecinerunt; ubi cognatus meus Venceslaus Iskra Subcenturio hastatæ cohortis Succamerarij Regni, vir robore, & strenuitate in omni occasione insignis non Regi tantùm & Ducibus, verùm etiam toti Exercitui notus, non inultus quia duobus prius prostratis Tartaris equo incitato cursu, implicatis ingenti gramine pedibus corruente occubuit, gravem dolorem totius Exercitus, promeritus. In crastinum, nobis moventibus sub Pereritam cum Exercitu intentione trajectûs per Prutum, locum illum alluentem; hostis animatus hesterna depulsione campo, nostrorum Voluntariorum fortiore manu, præcedaneas nostras excubias aggreditur, quibus demittere non licuit, sed acriore animo hosti resistere; quo ille viso, totam potentiam contra eas excubias vertit, dumque eis nimium molestus esset; Rex plura vexilla, quà Litvani, quà Poloni Exercitûs, 300 Raytaris cum Palatino Vilnensi misit; qui strenuè cum hoste conflictat, sed non sine nostrorum jactura, majore verò cæde hostium. Ferox nihilominus Barbaries, licet tantas à nostris repulsas experiretur; deserere locum prælij noluit, sicq; nostros undiq; strinxit ut licet tentarent repetere, nō possent, gradum: de quo Rex accepto nuntio ipse profectus cum Exercitu, vidit, pepulitq; de campo hostem, extra decimum usq; montem: vindicatis è periculo nostris redijmus horâ post solis occasum ad Pereritam; ubi 5 diebus morari contigit, donec flumen superaret Exercitus, cum tam numerosis castris, quæ hostis de eminentiorib9 collibus inspectabat, nec ausus plura. Interim Hospodarus Valachiæ Cantimir, nomine & re Paganus, mittit Jassis ad Soltanos denuntiās de

de suo ad eos adventu, quæsiturus consilia, velut fidelis Imperatoris Turcarum Vasallus. Verùm perpensis undiq; circumstantijs, revocato, quidnam actum esset cum Turcis in Hungaria, alia conclusio esse nequit, nisi meditari fugam, quod certo certius perduellis hic Hospodarus faciet, nostro Budziacensi aliquot ante annos edoctus exemplo. Nos nihilominus petimus illius terræ viscera, magno conatu montes, valles, & trajectus superando; uti jam pluribus in locis fecimus. At struendo pontes quot moræ, tot injuriæ, cum non tam citò eò pertingere possimus, quò tendimus; hîc interea, licet non desit pecunia; deficit venalis annona; unde vel maximè graves sunt intentionibus Principalis nostri, non Pedestres modò, sed & Equestres Litvani, testantibus eorum Generalibus: si non obstantibus memoratis rationibus celeriùs eò properaretur, occurri facile posset defectibus, cum non sterilis sit gleba, ad quam votis, & conatibus contendimus; etiã hic jam in vindemiam incidimus, biduiq; non nisi restat iter, ad vindemiarum Metropolim Kutnar dictam; sed nec hic desunt fructus, & vina; quorum immaturitas terret prudentiores, justè metuentes, ne hisce raritatibus Poloni milites adsciscant ægritudines. Hæc de occurrentibus in militari tractu, tibi breviter communicata grato animo suscipe: quibus fundamentalia solatiorum annecto de incolumitate nostrarum Mtum; majorum, mediocrium, & minorennium. Alexander minimus pretiosa gemma, solatium Patris, amor omnium, magnas spes futuri Patriæ boni in tenero adhuc flore ætatis exhibet Deo favente, ad maturitatem gloriæ, cum annorum incremento deducendas. *A.C.* 1691

Epistolam hanc ad te directam, quatenus reddas Principissæ obnixè postulo; est enim responsoria ad datas ejus ratione Skilensium proventuum, quorum diminutionem factam sibi esse per Fiscales Cameratus conqueritur. Parere ejus requisitioni velut filius obedientiæ paratus essem, si ageretur de privato meo commodo, non de publicis Reipublicæ proventibus: lex ita habere vult, quæ, quia tibi ad manum est, imò in recenti hæret memoria, non graveris rogo ex constitutionibus Regni deducere Principissæ, lege juberi, ut sine discriminie bonorum Regalium, spiritualium, & nobilium, ibi instituantur cameræ; ubi, consulendo proventui Reipub:, ex commodo, & re Thesaurario visum fuerit. Camera hæc non sub meo est instituta ministerio, in eodem illam inveni loco, nunquam tamen impedimento fuit proventibus Principissæ, nunc primum esse cœpit, summo meo infortunio, in præjudicium ministerij; quod utinam nũquam nôssem. Si DEo placuerit me redire, providebo Principissæ Arendarios; quibus citra injuriam ærarij contenta erit; sin secus, ab his curis & tricis quietus ero; mortuus nec loquitur nec opprimitur.

Miraris forte ex supra scriptis, tot modo à nobis trajectus esse superatos, quos Rege Budziakos petente non habuistis. Scrupulus hic

A.C. 1691 inde resolvitur, quod in Budziakos iverimns altera parte Pruti, à Tyra magis ad Septemtrionem inclinante; nunc nobis iter per Prutum ad meridiem, quo omna flumina ex montibus originem ducentia, à Transylvania inter ingentes montes (quos tam nos, quàm jumenta cum commeatibus, & tormentis gravi molestia superamus) congregantur: Ex his tamen difficultatibus majore nos fructu, ope Superũ redituros, quàm à Budziacis, speramus.

COPIA LITERARUM REGINÆ AD PROSKI, EQUITEM MELITENSEM RESIDENSEM REGIUM Ad AULAM Cæsaream 25. Octobris.

Quemadmodum indoluimus adversæ tuæ valetudini, quæ te, præteritâ postâ scribere prohibuit; ita nunc de melioratione ejus, ex literis de data 15 Octobris, accepta informatione, congaudemus. Optimè factum, quòd acceptis nostris literis petiêris, ad exponenda contenta ab Imperatore, audientiam, quæ, quia tum effectum non habuit, supponimus esse postea compensatum. Cura circa auxiliares homines nostro judicio non adeo utilis est, cum eorum adventus similis sit, intinctui allato post prandium, vel post bellum auxilijs. Mirari satis non possumus, te non advertere illudi nobis; tum ordinationes ad milites dando, ut se nostro Exercitui, distanti aliquot decadibus milliarium, imò potius per invia & deserta permeanti conjungant; quando vergente in hyemem tempore nives, tempestates, & inclementia àëris, ad accelerandum potius reditum, quàm ad bellicas urgent operationes. Et quidem ordinationes dantur, ad Principem de Baden, diffitum; cum in propiori degens Generalis Veterani, comodius potuisset ferre suppetias, juxta condictum locum, in spem tenendi verbi, superatis, cum magna difficultate, montibus, aliquotve fluviis, sine pontibus, & trajectu, non sine jactura in hominibus, equis, curribus pervenisset, ut ei, quod statutum erat, satisfaceret: En in determinato loco, pro solatio dolor; pro subsidijs, misero Exercitui, communi bono laboranti, non permittitur pretio ex Moldavia procurari commeatus. Unde quisque, modò sine passione judicet, concludet facile, à primordiis hujus colligationis, Serenissimum Maritum nostrum, omnia agere; in ejus gratiam fieri *nihil. Inania* duntaxat, prætextus, & suspiciones captantur, quòd verò *hæc omnia* re ipsa, & effectu diluantur. Quid amplius, in documentum *sinceræ* applicationis, pro Christianitate agere potest, quàm dum personam suam, filiosq; nostros, tam manifestis exponens periculis, dicta factis confundit? Non dubitamus te id fideliter aulæ illi repræsentare; cum expediat impigrè exponi eis, in quanta sit noster Exercitus penuria, quantũ seductus sit Maritus noster, negatis comeatibus; quomodo speratis frustratus copiis, retro vias cum Exercitu petere debuerit, ut eum cum tendentibus Sniatino conjungeret; per quod quanta sit retardatio ulteriorum operationum, quæ ope Numinis sat proficuæ sunt Colligatis, dum per eas, tam grandem potentiam Tartarorũ, & Valachorum, sat numerosum exercitũ habentium, se solo sustinet, quotidieq;, pejores formalib⁹ expeditiones, fortunatosq; cælo favẽte cõflict⁹ subit; in quib⁹ quiescẽdi nõ datur spatiũ; nam Tartari, æquè sequi, ac fugere sveti, Exercitui quiescere volenti, respirio non permisso, furtivo modo irruentes, equos, hominesve rapiunt. Aperto campo nunquam successum habent; nam 50

Cosa-

Coſaci, aliquot decadibus expeditorum com̃eatus conquirendi gratiâ, Ductore ſimplici quodam Raytaro, ſociati aliquot dierum certamine, à mille Tartaris ſuperari non poterant, ſubmiſſo validiore ſuccurſu, armatâ manu ſalvi evaſerunt, Non eſt viſum Sereniſſimo Marito exercitum dirigere verſùs Jazios; qui quovis tempore accipi poſſunt, difficile conſervari; quoſq; aliquot ante annos ſolenni nobis juramento obligatos, velut noſtros conſervamus: verùm movit verſùs Niemcium, ubi eſt munitum Fortalitium, Janczarorumq; major numerus pro præſidio, ut impoſiti noſtri huic Fortalitio præſidiarij, impedimento ſint deducendis ex Moldaviâ Camenecum com̃eatibus; quod ex altera parte, in noſtram redacta poſſeſſionem, Soroka præſtat; ut, cùm vi non poſſit expugnari; talibus ſaltem com̃eatuum impedimentis ſtringatur Camenecum; quod ſemper, ab initio belli, optavit, & ſvaſit Sereniſſimus Maritus noſter. Id quoq; in conſideratione fuit, ut propior huic Fortalitio factus, evocaret ad ejus obſidionem ſolvendam Principem Valachiæ ſeu Hoſpodarum cum aliquot Soltanis in Cecora ſubſiſtentem; inſigniquе aliqua actione, ope Superûm, hanc concluderet expeditionem, quam proſequi tempeſtates, tamquè tempeſtivè decidentes nives, non permiſerunt. Metuendo verò, ne non ſufficiat Exercitui commeatus, Sniatino expeditus: ſperavimus enim ex Moldavia ſaltem pecunijs eum nos habturos, quas Sereniſſimus Maritus noſter ex proprio peculio, in hac expeditione ſtipendio carentem conſervando Exercitum, alliciendoque, propenſiores Paganis, quàm Chriſtiſtianis Valachos, non illiberali manu, magno cum ſumptu fundit: ſiquidem, qui ab amicis in commeatibus ſperabatur ſuccurſus, fefellit, in ſuppoſito autem aliunde habendi, Sniatino non in ea venit copia, in qua poſſit ſufficere. Ideo ex nunc expedimus Palatinum Czerniechovienſem noſtrum Stabuli Præfectum, ut Samboro, & ex noſtro Capitaneatu Kaluſſienſi, quantum haberi poterit, Exercitui quantocius obviàm mittit: De quo tibi ex ampliore relatione conſtabit plenius. Ubi tuis in literis legiſſemus, Legatum Galliæ, novo Vezyro declarâſſe non tantùm ſuccurſum in pecunia, dummodo pacem non concludat, verùm etiam formalem Exercitum in Hungariam, Turcis in ſuppetias, mittendum; ex curioſitate juſſimus, præſentibus nobis, in Mappa quæri, quonam tractu promiſſus hic Exercitus vias poſſet dirigere: per àerem enim impoſſibile, per aquam nimis procul, & difficile, alium non invenientes modum, à te requirimus, ut pro tua dexteritate intelligas, ex id referentibus, qua nam via iturus ſit, metuentes; ne per Poloniam: quanquam etiam in hanc per Moſchoviam ei circumeundum eſſet. In quo informationem à te expectantes, bonam à Deo precamur valetudinem. A.C. 1691

UNIVERSALE REGIS JOANNIS III. 28 Auguſt.
Ex tentorijs ad Tlumanczum ad Palatinatus &c. miſſum

POſt Titulos. Quia jam trajecto Tyrâ ulteriùs in interiora hoſtilis terræ perſonaliter cum charis pignoribus contra Crucis Sacræ & Chriſtiani Nominis hoſtem, defenſionis Patriæ & totius Chriſtianitatis intuitu, delati, (ut aut glorioſâ pace, ad cujus tractatum ab Imperatore requiſiti ad Cæſarea Caſtra in Hungariam Caſtellanum Sieradienſem Illuſtrem Małachowski deſtinavimus, Regna noſtra & univerſorum deſideria exhilarare contingeret, vel felices bellicos progreſſus cum im̃ortali gentium noſtrarum gloria promovere poſſemus) invenimus exercitus noſtros plurimum à numero & viribus differre ijs, quas præ-

A.C. 1691 præterita comitia provido ordinaverunt consilio, & in quibus totius Reip. securitatem belliq; progressus fundaverunt, idq; ex hac potissimum ratione: quòd non tantùm ea duo trimestria, quæ respectu restaurandarum virium pro præsente expeditione designata fuerunt, exsoluta non sint: sed etiam insuper illa quæ cum hibernis ob hyemationem & consistentiam advecta fuisse oportuerat, hactenus à quibusdam Palatinatibus neglecta & detenta sint: unde alij tam gravi hyemali consistentiâ ad incitas redacti, alij declarato à Repub. auxiliari nervo frustrati nec de hyeme nec de vere frequentare castra voluerunt, prætendentes debilitatem suam; apertiùs autem suam cessationem in non præstita Reip. promissa & neglectum Comitialis sanciti conjicientes: non possumus igitur non omnibus Palatinatibus & terris vim Paternæ nostræ cautelæ deferre; ut (quandoquidē id, quod jam factum est, cum incomparabili præsentis expeditionis, in qua res ad nucleū deveniunt, deceptione ob impares exercitûs vires, magis defleri quàm corrigi potest) saltem in futurum maturè Palatinatus & terræ prospiciant; quatenùs trimestria per comitia assignata, priorum exsolutionem non omittendo, unà cum hibernis, desistendo à modis intercipiendi illa, parata ad futurum Tribunal Thesauri conferantur. Quamvis enim in terra hostili adjuvante Divinâ gratiâ optemus in possessionem occupare terras, ibiq; primas legiones in partis collocare locis: quia tamen infortunio nostro desolata Provincia illa sufficientiam subministrare nequit, consequenter Equestres copiæ ibidē subsistere non poterunt; spectat ad Palatinatus & terras, ut si Equestrem militiam in limitibus sortiri consistentiam desiderant; promissæ in prætetitis comitiis satisfactionis efficaciter urgeant executionem, Publicam fidem verbumq; datum afferant, nec dent occasionem reciprocæ, quæ ab exercitu im̄inere potest fidei violationi, indeq; gravissimis sequelis. Quod dum amore hujus Patriæ ultra limites ejusdem progredientes in pignus tenerrimi affectûs omnibus Palatinatibus & terris relinquimus; non dubitamus universos non tantùm Paternæ nostræ admonitionis sed etiam obligationum comitialium intuitu, quo ad ea omnia, ad quæ jus obligavit satisfacturos, & eam nobis publicoq; bono consolationem allaturos; quam universalis omnium à Sarmatico zelo sibi polliceri potest expectatio. Quo autem citiùs in omnium notitiam nostra vota deveniant, universale hoc nostrum per Castra, Parochias & loca consveta promulgari & publicari mandamus. &c. Datum in Tentoriis ad Tlumaczum 28 Augusti

STANISLAI JABLONOWSKI PALATINI RUSSIÆ SUPREMI DUCIs EXERCITUUM REGNI Ad JOANNEM MALACHOWSKI EPISC. CRACOVIENSEM sub Viosniowczik 7. Augusti.

SI idem omnibus, qui Reipub: velut communi Matri optima quæq; velle procurareq; pro viribus tenentur, qui tibi, esset zelus, cogitandi de ejus commodis & conservatione; ut id pridem in te suspexi, in præsentibus lego literis; nihil foret appetibilius, nihil amabilius. Cum enim hæc tua, in herba perspicacia, circa im̄inentia hyberna, quæ momenta rerum post se trahunt, gustui non accidat? ego, pro vi stationis meæ, ut me scripti ad Archivum obligavit obloquentia, omnia hæc anno præterito feci, currenteq; faciam. Extrado jam assign[illegible]es exercitui, in ordine ad locationem in confiniis, ut quisq; temp[illegible]vè suæ locum sciat consistentiæ, mittatq; provisum sibi pro hyeme. Ea verò spe, & fundamento id facio, quòd non dubitem, suis Rempub: satisfacturam

con

A.C. 1691

conditionibus, pro duobus trimestribus Exercitui reddendo, devehẽdoq; in parato plenè, etiam cum sextonibus hyberna. Me interim invigilante, ne campo decedens miles, divertat aliò, quàm ad consistentias in confiniis designandas. Sin autem pro Cõmissione hybernali confluentes Deputati ita, ut in pactis est promissum, Exercitui à Republ:, non invenerint, deferam Regi, inquiramve, quidnam agendum, quomodove ulterius exercitus sit tenendus? licet enim soli spirituales, tuoq; exemplo reliqui Episcopi, sextones hos extradiderint; quid si fortè Regalia eos bona nolent contribuere, ut jam id statuisse dicuntur; ex quo nõ concluditur coæquatio. Pro zelo tuo, ut jam innui, tuum jube Cõmissarium, omnia hæc ad Commissionem devehat; ejus interea observando, tibi deferendo eventus, ex quibus facilis erit conjectura, & conclusio in posterum agendorum. In antecessum autem assecurationes, cum subscriptione dando, vel ipso te Judice, agerem improvide: Nôsti præter meam teneritudinem, & propensionem erga Rempub:, cui non fortunis tantum, sed vita & sangvine optima quæq; volo & procuro; futuræ tamen Commissioni hybernali præsentiam meam non promitto; sunt ad eam aliquot supra 20 Cõmissarij, à Repub: destinati, illi disponant, concludant, reddantque postea rationem, ego enim ab ea retrahor, sinistro erga me Episcopi Chelmensis affectu, me pro sinceritate, & rectefactis in publicum, lacessentis, & calumniantis; contra quem, non sine doloris sensu, coram te querelas depono; Quanta ab eo sim passus, spectavit satis Castellanus Siradiensis, quem, velut Cõmissarium, omnia intimiora intrantem, pro capacitate, & optimò sensu, ad quosvis actus deputabam: Custos quoq; Cracoviensis, in omnibus Commissionibus spectator dispositionis, & distributionis, in finem usq; hybernorum, informare te poterit, utrum justè flageller, & crucier. Nullus fuit annus, quo ad exilem hanc largitionem, de proprio 15000, 18000, vel, ut anno præterito 20000, non addidissem: Utiq; Commissio nunquam concluditur, nisi expedita generaliter calculatione; nec aliter; nisi circa limitationem promulgatur publicè Deputatis, quantum singuli pro equis sint accepturi; mihi nihil aliud, præter subscriptionem, in assignationibus relinquitur. Quomodo ergo hyberna Exercitui debita in proprios meos usus accipio? prout procaci lingva, & effræni objicit calamo; indiesq; plura, eo nomine scripta, impiaq; dicta accumulat; quibus, utpotè recti tenax nulliusq; hac in parte labis conscius, nimium crucior; magisq; me hæc exurunt, quàm secretæ lacerent curæ: Quo, pro mea erga te, inclinatione, fiducialiter delato, amicam spero, & expecto compassionem.

INSTRUCTIO AD NUNTIUM APOSTOLICUM in Regno nostro commorantem data Francisco Galecki Supremo Culinæ Regni Præfecto Capitaneo castri Bidgostiensis, Colonello S.R M, Jacobo Szczawinski Palatinidæ Junivladislaviensi, Præfecto Equitum Loricatorum S. R. Mtis, Radzieoviæ è loco Conventûs nostri Relationis Comitiorum nuper præteritorum Varsaviensium indicto Universalibus S. R. Mtis D. N. Clmi 1. Decemb.

Præmissâ congratulatione Illmo & Rndmo D. Nuntio, felicis adventus in Regnum nostrum, contestataq; debitâ veneratione, ac filiali obsequio, erga Ssmum D. nostrum, & Patrem Clmum, S. Sedem Apostolicam exponent Illustrissimi ac Magnifici Domini, dolorem com-

A.C. 1691 communem nobilitatisque Regni, quem concipiunt exinde, quòd cùm undique studia sua S. R. Mtis D. N. Clmi impendat, ipsaque Respub, noctes insomnes ducat, ut communis hostis Christianitatis procul pellatur à finibus Regni tanquam unici antemuralis Christianitatis, paxque æterna conculcetur. Hæc eadem quies internè conquassari incipiat ex occasione ambitionis Ecclesiasticorum, signanter verò quorundam Monachorum qui protectione, potiùs conniventia & impunitate Romanæ Curiæ freti etiam modestiæ & statûs sui Monastici excesserunt metam, nec contenti commoditatibus solitariæ vitæ, in eam proruperunt audaciam, quòd licet per leges Patrias, & Regni statuta antiquissima, jus Patronatûs inviolabile per longam & continuatam annorum seriem, imò per secula ab ipsis Pontificibus reservatū sit, nec desint exempla recentia, quòd Seren: Rex vim suam contra impetrantes Abbatias in Romana curia, extenderit, ita ut S. Sedes Apostolica, sicuti credi potest, tunc de juribus Patronatûs Reipublicæ informata minimè ipsis auxiliata fuerint, nihilominus ad præsens in illud, quod per statuta Regni severè cautum, & per Serenissimos Reges, graviter animadversum fuit, impingunt, contra jura Patriæ suæ impudenter peccare non erubescunt, dum vacantibus Abbatiis passim authoritate, jurisdictione, Mtate Regia, usu consvetudine, spretis & intermissis, ad Sanctissimum Papam recurrunt, Jura Patronatûs, malitiosè imò arroganter, & falso Reipub: & Mtati Regiæ negant, Abbatiasque impetrant, in Romana curia Nominatos, à Regia Mtate interturbant, & diversi modo divexant, ac premunt. Non minus zelosè mirabuntur, Magnifici Ablegati nostri elusionem postulatorum Regiæ Mtatis Dni Nostri Clementissimi, per tot exempla de quibus manifesta res est, dum Officiales Romanæ curiæ videntur in aliquo deferre Mtati Nræ Regiæ concedendo Bullas nominatis Regijs, & tamē Abbatibus Cervinensibus, Tremessiensibus, Polcensibus, Obren. Laudens: adjuncti sunt contradictores, cum similibus bullis, quos merito Regia Mtas, pœnis in statuto Regni, titulo de jure Patronatûs coercere in sua potestate habeat.

Instabunt præterea Magnifici Ablegati nostri, apud Illustrissimum Nuntium ut efficere velit in curia Romana reformationem & declarationem à Sumo Pontifice juris Patronatûs Regij, in illis Abbatiis, quas Sua Sanctitas contulit, ac si liberas seu ad Papalem dispositionem spectantes, nec deinceps curia Romana se in collationem Abbatiarum Poloniæ intromittat.

Meruit inter alios non postremum respectum dexteritas & magna virtus Perillustris Dni Alexandri Koszanowski Nominati Regij, Premetensis, ut ipsum commendemus Romanæ curiæ, Illustmo Nuntio, quapropter instabunt Magnifici Legati nostri apud Illustrissimum Nuntiū, ut Monacho Petro Antonio Kącki imponat silentiū, super Abbatia Premetensi, & exponent rem prout in se vera, quòd usque ad immediatam professionem defuncti inclusivè semper Regia Mtas, non interruptè præsentabat, & conferebat dictam Abbatiam, secularibus Prælatis; similem instantiam facient Perillustri Wyhowski qui in Principali civitate Palatinatus nostri, eximium & exemplarem præbuit se Pastorem. Declarabunt finaliter, quod Cortesanos à Romana curia creatos Abbates nullâ vi & potentiâ patiemur possidere Abbatias à Ssmo impetratas cum præjudicio, & S. Regiæ Mtatis & Reipublicæ, sed de facto etiam [illegible]æque scandala eventura sint, nos ipsis restituros spondemus, prout [illegible]pondimus insimul cum vicinis Palatinatibus majoris Poloniæ, & tota Repub.

Ad

Ad extremum proteſtabuntur Magnifici Ablegati noſtri coram Illuſtriſſimo Nuntio, Nos & Rempublicam, minimè futuros reos ſcandalorum ex hujuſmodi ingeſtione Sedis in jura Patriæ ſecuturorũ, ex quo nos non poſſumus pati ullam derogationem ſtatutis noſtris & uſu antiquiſſimo neminem agnoſcamus collatorem, niſi Sereniſſimum Regem Dnum Nrum Clementiſſimũ. Cætera activitati & dexteritati. *A. C. 1691*

Staniſlaus Albertus in Jarne Jarnowski Pincerna Juni. Vladiſlavienſis Mareſchalcus Comitiorum Palatinatus Cujavienſis Breſtenſis Vladisſlavienſis.

LITERÆ SANCTISSIMI AD LEOPOLDUM CÆSAREM PRO PACE CUM CHRISTIANIS PRINCIPIBUS COMPONENDA. 8. Decembris.

INNOCENTIUS PAPA XII.

CHariſſime in Chriſto Fili noſter, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem; Dum ex hac celſa proximæ ſtationis Apoſtolicæ ſpecula, in qua immerentes licet collocati ſumus, demandatos latè Paſtorali curæ noſtræ fideles populos vigili mente luſtramus, præ intimæ triſtitiæ ſenſu, ob immanes calamitates, in quibus feralibus undequaq; ſævientibus bellis, eosdem fideles conſtitutos eſſe animadvertimus, penè deficimus, ingentibus itaq; ac quàm maximè luctuoſis pereuntium clamoribus excitati Majeſtati tuæ, de cujus religione deq; propenſâ erga Chriſtianæ Reipubl: commoda voluntate præclaram gerimus opinionem, illas admovere preces decrevimus, quas ad miſericordiarum Patrem continenter effundimus, ut tot tantorumq; exuberantium malorum tempeſtatem diſpellat, eamq; vertat in auram exoptatæ tranquillitatis, firmam profectò in ſpem venientes, fore ut attentâ præfatæ triſtitiæ noſtræ magnitudine, perpenſiſq; inopum miſerijs, & gemitibus interfectorum, paratũ jam ad pacem amplectendam animum magis etiam in id conflammes, atq; confirmes. Equidem effrænem ubi militum licentiam, ſacrorum conculcationem, totq; animarum, ut verendum eſt jacturã, quarum rerum conſideratio, ſupra quam explicari queat, nos angit, tecum ipſe reputaveris, dubitare minimè poſſumus, quin ingenitæ tibi pietati indulgens, profligatarum gentium incolumitati divini cultûs reparationi, animarumq; ſaluti proſpicere ſtatuas, æquiores ſanè bonorum omnium largitori DEO, pro beneficijs, quibus Auguſtam Majeſtatis tuæ Perſonam abundè locupletavit, grati animi vices perſolvere nequaquam poteris illius hæreditatis reſtitutione, quàm rediturus in cœlum, CHRISTUS Dominus Eccleſiæ ſuæ teſtamento legavit. Age igitur chariſſime Fili, Chriſtianæ Reipubl: ærumnas, quantum in te erit, levare contende, earumq; tibi aſſecutionem laudum propo[illegible] quas redundaturas ex pace in ipſammet Rempub: inexplicabilis [illegible]citatis authoribus non interituris præconijs reſpondet, reviviſcentium plauſus populorum. Quod ad nos attinet, nullum accuratæ ſolicitudinis intenſum relinquamus experimentum, quo amplam

A. C. 1692 *plam Majestati tuæ cæterisq; Christianis Principibus, ad tam salutare opus conficiendum viam sternamus, tibiq; interim benevolentiæ, quâ te impensè prosequimur, pignus, Apostolicam benedictionem amantissimè impertimur? Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die ut suprà Nostri I. anno Marius Spinola.*

ORATIO SANCTISSIMI HABITA IN CONSISTORIO 9. Januarij.

VEnerabiles Fratres. Jam dudum, plurimas florentissimi Galliæ Regni Ecclesias Pastoribus viduatas intimo cordis affectu miseremur, ex quo verò Divinæ bonitati placuit, ad præcelsum hoc Apostolici muneris culmen & ad sollicitudinem omnium Ecclesiarū, humilitatem nostram vocare, decebit sanè, tot animarum periculo consulere, cum dies noctesq; assiduè de illis cogitavimus, tandem cum pro gravissima rerum ac temporum difficultate, non alia æquior hactenus occurrerit ratio, huic necessitati prospiciendi, de complurium fraternitatum Vrarum consilio in eam sententiam ivimus, ut ex eorum numero, quos nobis charissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum Rex Christianissimus nominavit, illos duntaxat, qui satis notis Cleri Gallicani Comitiis anno 1672. habitis non interfuere, nec ibi gestis meritò, ab hac sancta Sede reprobatis ullatenus assensere, eosq; non modò ab ea labe immunes, sed & alioquin idoneos legitimis documentis fore constiterit, ad Ecclesiæ regimen admitteremus.

At verò quoniam eorum aliqui ijs Ecclesiis præficiendi erunt, quibus ipsius Regaliæ onus non ita pridem invectum fuit, ne ulla unquam ex hac nostra nominatorum admissione suspicio oriri possit, probatæ à nobis seu dissimulatæ saltem ejusdem Regaliæ servitutis, ijs omnibus, qui præfatis Ecclesijs, quæ hujusmodi oneri obnoxiæ verè non sunt, præficientur, tã comisso Nobis muneri, quàm ipsorū conscientiæ consulentes seriò injungimus, ut memores sanctionis œcumenici Concilij Lugdunēsis, pœnarumq; ab eo inflictarum, ipsi Regaliæ nullatenus consentiant, sed ab ijs omnibus abstineant, unde illius usus admissus quoquo modo videri possit, donec plenius gravissima hac de re judicium, ad Apostolicam Sedem jure suo pertinens, & legitima insuper nonnullorum appellatione delatum, quod nobis integrum reservamus, suo tempore si opus fuerit, perferatur. Cæterum de eximia ejusdem Christianissimi Regis pietate filialiq; in hanc sanctam Sedem observantia planè confidimus, ipsū omnino facturum, ut quemadmodum pluries nos sperare facit, Regium edictum, quo in præfatis Comitijs, edita de potestate Ecclesiastica declaratio firmatur, viribus & effectu vacuum, re ipsâ ab omnibus habeatur, nostræq;, erga Mtatem Suam Paternæ charitati, quin imò & causæ ipsius justitiæ daturum, ut nihil nobis in posterum, quo ad universum Regaliæ negotium desiderandum supersit, qua de re ipsum hortari, admonere, atq; etiam in Domino obsecrare non desinemus.

Quæ omnia vobis inprimis Venerabiles Fratres innotescere duximus, qui tanto Religionis ardore, ac pietatis merito humilitati nostræ in universalis Ecclesiæ Regimine, assistitis, ut vel inde agnoscatis, nihil nos ab Ecclesiæ libertatis, atq; hujus S. Sedis auctoritatis tuendæ, proposito deflectere, sed Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, ac præcipuè feli: record: INNOCENTIJ XI. & ALEXANDRI VIII. super præmissis edictis, literis constanter inhærere, atq; ad extremum usque

usque vitæ spiritum adjuvante Domino inhæsuros, ut creditam Nobis Pontificiæ potestatis plenitudinem, illibatam servemus, & immaculatam hæreditatem, uti à Dño accepimus, Successoribus relinquamus. *A.C. 1692*

LXXXVI.
ANDREAS CHRYS. ZALUSKI NOMINATUS PLOCENSIS AD REGEM. Varsaviâ 17. Januarij.

REdij ex Sielunensibus bonis devastatis, de quibus, ad quem de jure scribo, plenum cor habens gemituum egentis populi; qui non tantùm transeuntium per vias aures, sed ipsos etiam cœlos penetrant. Maturè non tantùm ex Senatoria fide sed etiam ex Christiano debito Mti V. significo, impossibile esse: ut quidpiam boni spe ab ijs præsumamus, aut defensionem nos habituros confidamus; qui tam gravem divinitùs vindictam in suas derivant cervices propter gemitum pauperum sine dilatione consurgere solitam; quin non ex vano metuo: ne quid acerbioris fati Patriæ nostræ immineat. Dictu impossibile est; quia & imaginatio de hoc difficilis, lacrymis tantùm agendum est videnti, quid rerum agatur considerantiq; quid imposterùm futurum. Implemus ditiones Vicini nostri: quia quidquid vivit ex Episcopatu Plocensi se transferre cogitat cum uxoribus & infantibus, quanto interim periculo animarum? quando simplex & rudis populus hæreticos inter versabitur, quanto damno Poloniæ? dum terra desolata manebit quisq; arbitrari potest. Plura dolor scribere vetat, præsertim quòd nôrim pietatē Mtis & affectum in pauperes, quorum miserijs si graphicè describendæ forent, commoverentur paterna Majestatis viscera. Benedicet DEus Mti Vræ quòd ea clementer sustulerit, quæ cum tempore irruperant nullo concessa jure. Vivit Dñus; non intuitu mei hæc scribo: didici enim paucis contentari, sed cruentarum paupertatis lacrymarum & infallibiliter pœnæ à DEo imminentis, qui non tantùm ob tantas injurias sed vel ob unius peccatum consvevit punire & transferre Regna. Supplico Mti, clementer connivere velit: quòd dolor hæc exprimat. Utiq; incumbit mihi & scribere dum manus, & loqui dum lingva supererit; ne mihi dicatur canis mutus. *Oppressio pauperum.*

LXXXVII.
EXCERPTUM EX LITERIS EJUSDEM AD CANCELLARIUM REGNI. de eadem data.

SCribo ad Regem ex fide Senatoria; idem tibi defero ut Ministro: sic res dirige, ut nullam spem in exercitu habeamus; quamvis pulcherrimus & numerosissimus foret, naufragabitur in lacrymis pauperum generositas illius: quæ si in unum locum colligerentur, nescio utrum non flumina terræ hujus adæquarent. Non meam rem ago; at pro pauperibus & loquar, & scribam minimè metuens sive manifestationes, sive ignes; quibus vocem Senatoriam suffocare volunt. Etsi nihil mihi relictum iteratò fuerit, uti nec ante habui; prorsùs non angar nec solicitus ero. Tibi ex conscientia incumbit; quia de hoc & DEo, & Reipublicæ, & posteritati te respondere olim oportebit, ut pauperum causam agas. Exerceant sanè vindictam in Personas nostras; hujus utiq; ego passivus ero; quamvis mens conscia recti nullâ labe aspergi aut alterari possit: Verùm inopes non affligant, quia aliàs manus Domini tanget illos. Plura prohibet dolor! *Ejusdem argumenti.*

A.C. 1692

STANISLAO JABLONOWSKI CASTELLANO CRACOVIENSI MAGNO EXERCITUUM DUCI, CARDINALIS PRIMAS 4. Februarij.

Exorbitātiæ militum

SCripſi ad te præteritâ poſtâ, qualia præludia faciant Deputati in Præpoſitura mea Miechovienſi, quamvis necdum vexillum advenerit. Et tamen aſſecuratus à te fueram de diſcretione & modeſtia illorum: ex his præmiſſis prorſùs contraria metuo, niſi ſeverioribus mandatis illorum inhibueris inſolentiam. Mitto inſimul literas tibi Epiſcopi Chelmenſis ad me datas, quòd exiſtimē neceſſū, ut eas tibi comunicē: adjicio ſensū meū: jā ut video indies animoſior hic homo evadit, forſan enim alij hos animos nutriūt, circuliq; forſan de hoc abſolvuntur. Excedit fidē quantæ hic per Eccleſiaſtica bona ab his cōſiſtentijs vigeāt oppreſſioneš, cōſequenter qui ejulatus miſerorū cœlū penetrantes audiantur: tolerabile onus utcunq; foret; ſi ſecundùm conſtitutionē exigerent; verùm obliti DEi, miſericordiæ iṁemores, rapiūt ſine reſpectu, nec audiūt tuæ aſſignationis mandatum: unde & ipſe metuo invidiam, néve nota ex diſſimulatione in meam redundet reputationem. Me enim Eccleſiaſticus ſtatus tanquam primum caput reſpicit, me interim ad ea mala non tantū tacente, ſed etiam eadem patiente in Præpoſitura Miechovienſi. Progerminabunt igitur diverſæ interpretationes, ſi coiverint ad conſulendū de remedijs, me prætermiſſo: perpende jam quanta honori meo aſpergetur labes, ut vapulabit fides, præſertim Romæ; eædemq; conſequentiæ te, ſi non majores inſequentur: à quibus ut te & amicum tuum eximas, velis obviare, ſeveriſq; edictis mandare, ut nihil ultra conſtitutum extorqueant. Quin formetur judicium, ut oppreſſo populo defenſio aliqualis in præſenti ſubveniat. Inſtantiſſimè id tuæ reflexioni pro affectu meo committo, ob utriusq; rationes; ut tam reputatio tua quàm conſcientia ſint illibata; nec ego injuriam patiar. Sum.

COPIA LITERARUM CARDINALIS PRIMATIS Ad EPISCOPUM CHELMENSEM 19. Februarij.

NON reſpondi hactenus literis Tuis: fateor enim non libenter applaudo voluptati, quæ lachrymas provocat; nec compatior ibi, ubi paſſio dominatur. Non tantùm non poſſū conſentire operibus Tuis; verùm etiam apprehendo ex ſpecula mea metuens, ne graviorem aliquam criſim univerſus Eccleſiaſticus ſtatus illis aliquando debeat. Eæ hic & nunc conjuncturæ & fomenta ſunt; ut multo igne opus nō ſit. Unus Tu es, qui affectui ſoli obnoxius, id non vides, neq; perpendis vanam eſſe ſine viribus iram. Reſpondeo igitur; quamvis unâ & alterâ præteritâ curſoriâ: alium tamen non ſperes ſtylum, quàm quo jā ſcripſi (hoc eſt veridicum) porrexi primis literis tibi meas reflexiones, petijq; ut favorabili interpretatione ſcripti Tui compensâſſes læſum honorem moderno Caſtellano Cracovienſi, & ſperavi me ſuperædificaturum ſuper fundamentum rationes meas, tanquam in Senatore & Statiſta; quodq; amplius eſt in Eccleſiaſtico & per omnia veterano: verùm video proverbio mihi utendum eſſe illo: irritavi crabrones: quia adhuc plura ejuſmodi ſcripta per Poloniam ſparſiſti, ad ipſum inſuper Caſtellanum formâſti literas, quibus exhibes judicium exquiſitæ vindictæ: nam non eſt id judicium Epiſcopi, ſed Ironiæ & ſcoṁata illi potiùs de omnium ſententia quadrantia, qui viliſſimæ fortunæ & abjectæ vitæ eſt, quàm huic,

huic, qui primam in Patria occupat Curulem. Si voluisti ductus charitate salutis proximi spirituale suppeditare consilium; ex præscripto id Evangelistæ faciendum erat: corripe fratrem tuum inter te & illum; non autem edenda scripta in publicum honoris tanti viri offensiva; quia hoc consilium non est sed maledicentia, obtrectatio & illusio: quæ ut non provocet vindictam generosi sangvinis, impossibile est. Verùm uti manifesta est bonitas Castellani, non decernit ille fortiora, sustinet intra se acerrimum conflictum hinc honoris, inde pietatis; hinc injuriæ, inde reverentiæ erga Ecclesiam. Unde perpende, quanto huic scandalo sis? De te ipso mensuram sume, quem protestatio commissionis Leopoliensis tam graviter affecit: metire hinc & alios, & de quovis idem existima cujus offenditur honor. Dictum est; quod vultis ut faciant vobis homines, hoc facite illis: ex quo è converso formari potest argumentum. *Objicis* illi incapacitatem Clavæ! igitur per latus illius petis Majestatem, Regium arguendo judicium, acsi in electione Ducis errâsset: *quin* imò huic Fabio militavit, quidquid artis & industriæ bellica momenta habent, suum fecit, sub eo Duce & Magistro, qui jam meruit regnare, qui & censuit Commilitonem quondam suum dignum suis succedere fascibus. Devolvis in Castellanum invidiam, tot Christianas animas in captivitatem abreptas! laudo affectum, non iudicium, utq; veritatis persvasionem in animo tuo radicem altiùs, causam indagabo. Capitulatio cum Exercitu quadraginta vel quinquaginta florenos in Equũ singulis trimestribus assignat: Cõmilitoni verò incumbit tot habere Equos, qui leguminibus devehendis, ejusq; familiæ deserviant: num tam parva stipendia tantis expensis suffecerint? fateri te ipsum necessè est, imò omnes hos sumptus longè impares esse. Quid si Cõmilitonum aliquis equos aut omnia amiserit? ut in præterita expeditione totus exercitus: quo restaurabitur, aut amissa reparabit? dices ex stipendiis? verùm ea improportionata sunt ad tanta damna & sumptus, imò nec quidem assequuntur: unde sequitur disciplinam militarem nullatenùs ita vigere posse, pro ut in exercitibus Principum externorum, in quibus nullo omninò constat militi; quia & authoramentum & damnum victuq; de thesauro exsolvitur, idq; punctualissimè. Ulteriùs sequitur, quòd quamvis exercitus prope confinia collocabitur (omnem autem ibi locare impossibile) tamen Cõmilitones penes signa sua ad opus belli non retinebuntur. Etiam sub tempus, quo ad bella in campum proceditur, eorum convocatio difficilis est: ratio, quia suis sumptibus inserviunt Reipub. & averterentur quasi ingratitudine, si in illos Dux disciplinã tam severè vellet extendere, quàm legibus præscriptum est, sequuntur ulteriùs hæc mala, contra quæ tu & omnes querulamur, infelices successus, excursiones Tartaricæ, abreptiones in captivitatem, devastationes terrarum, nec crimini id Duci verti debet: quia nihil sine exercitu tentare potest, etiam habitâ opportunitate, quæ magnum momentum bellico adfert negotio. Militi etiam nostro inpracticabile hiberno tempore bellum est; prætendit quietem post expeditionem, & reparationem virium pro secunda. Habendus foret alter exercitus, qui æstatem sub pellibus ageret, alter, qui hyeme inserviret, si rationes nostræ id ferre possent. Insimula igitur de hoc fortunam Reipub:, non Ducẽ vel etiam informa Rempub., venerabimur Lycurgum & Solonem.

Conquereris contra consistentias in bonis Ecclesiasticis! sed & nos omnes conquerimur: quò enim in loco post tam calamitosam defatigationem & exhaustionem Dux Exercitui stativa assignaret! nisi forsan eum

A.C. 1692

A.C. 1692 exauthorare vellet & à Reip. obſequio liberum pronuntiare; quo ſibi alibi conſiſtentiam indagarent, inermi interim relictâ Rep Confinia ad incitas redacta panem benè meritis præbere nequeunt; Volinia, quà conſiſtentijs, quà excurſionibus hoſtium vaſtata gemit: ipſe nôſti quantum in ſingulis Comitijs ille Palatinatus Reip. faceſſat negotium? Adhúcne ita fractum in obſequijs Reip. exercitum non colligere deceat? repellendúſne anathemate? quæ charitas? quod conſilium pro ſtatu? nihil utique aliud im̃ineret præterquam quòd adducto exercitu ad deſperationem Patria etiam extremo periret ictu. Putâſne me non niſi pictum futurum Primatem? ſi hæc alio tempore contingerent, aut in aliis circumſtantijs. Multa hic danda ſunt bono publico, politicus verus nunquam extrema conſulit, qualia forent ea; quæ ex tuo ſenſu in publicũ promanarunt. Vtique ſextonibus conſiſtentiæ abſolvi poſſunt, quemadmodum Ducis univerſale 30 florenos & non ampliùs in Equum concedit: quod ipſum ne impoſterum fiat, jam de medijs tractatur. Conſequenter gladius ſpiritualis in nullum vibrandus eſt. Non deeſt mihi fides Romæ, ſupereſt & authoritas: poſſum informare efficaciùs tam de Caſtellano Cracovienſi, quàm etiam de te ipſo, cujus incautelam ſatis mirari nequeo, nec odiorum cauſas eruere poſſum; cur hanc ſeveritatem etiam contra Remp. vertas, volendo Romæ eam impreſſionem facere, & tam neceſſaria impedire ſubſidia? ſed ne fruſtreris te ipſum, nec hujus eſto opinionis, te ibi habiturum popularitatem, quò ad hæc intenta: ſat benè novi nullum eſſe hominem, qui te laudet, tibi applaudat, quiſq; execratur. His tibi pro veritate & charitate explicatis per DEUM & omnia ſacra te obſecro, nolis laceſſere armatum, præſertim im̃eritum, & in te totumq; Clerum ferales derivare conſequentias. Satis & ſic invidiarum eſt, quas patimur à ſæculari ſtatu. Si ipſe nihil horum curas, uno jam pede poſito in ſepulchro (ut ipſe aſſeris) nobis ſaltem junioribus pacatam & non turbatam relinque Remp. bonumq; Ordini noſtro apud omnes affectum. Reflecte te obligatum eſſe ex juſtitia ad reſtitutionem honoris Caſtellano Cracovienſi; unde inquire media reconciliandi ipſi, quem & ego literis ad civilia diſpono. Non ago partes, quia tam amplo & tam vivo non ſcriberem pro decentia, reputatione & integritate Ordinis noſtri zelo. Et quia primo capite prodire debet veritas, providentia, ſolicitudo ad avertenda mala: illud innuo Scripturæ: honor eſt homini, qui ſeparat ſe à contentionibus (declaro id) quales ſunt, qui miſcentur contumelijs. Non dubito ab hac iterata mea reflexione te meo & aliorum ſenſui obſecuturum. Nemo adeò ferus eſt, qui non manſveſcere poſſit, ſi modò culturæ patientem præbeat aurem. In ſtylo veritatis & charitatis finio quod ſim &c.

LXXXVIII.
ANDREAS C. ZALUSKI NOMINATUS PLOCENSIS AD PALATINUM PLOCENSEM 8. Martij.

NIſi mihi tuum devincire optarem affectum, ſilentio velut triſtitiâ operirem ea, quæ ad me ex aliquot deferuntur locis, uti authenticè dabo & quando libuerit, producam: verùm quia mallem & nominationi meæ renuntiare, quàm ingrata Perſona ovibus eſſe, quarum tu agmen ducis; ſincerè & apertè aliquot verba in ſignum non fucatæ confidentiæ ad te propriâ exaro manu: non enim mihi moris eſt ſimilia per copias ſpargendi. Significatur mihi te, (aliorum enim non tantam rationem habeo) mihi Varſaviæ ſubiratum fuiſſe; quòd Vilnam profectus fuerim

erim, cujus tamen diſceſſûs mei ubi cauſas didiceris, confido apud te illis non defuturum locum. Tolerabilior ira eſt, dum ſine læſione honoris erumpit: me ergo ſacerdotulum nominatum à te eſſe minoris habeo. Faceret DEUS ut illorum unus eſſem, quibus dictum eſt: ſinite parvulos venire ad me. Eas autem vires ſentio, ut etiam ante fortunam voluerim ſemper me de integro exhibere ſacerdotem: nunc verò etiam multò ampliùs; quando DEUs etſi indignum in tam eminenti conſtituit. Nec id mihi dolori eſt; quòd me verſatile capitellum appellaveris: malo enim hoc titulo vocari, quàm ſtupidi capitis, contendiq; hactenus, ut hoc malo judicio carerem: verùm quia ad verſatile addidiſti perverſum: id enimverò toleratu impoſſibile eſt. Dum grandis homo quidam in ſacris literis ſui regiminis rationem redderet, incepit: dicite cujus Bovem accepi? libenter teſte cœlo & terra cuivis reſponderem, quiſquis ille mihi objiceret quempiam à me deceptum, ſupplantatum, damnificatumq; ambulavi rectâ viâ & ideò forſan (etſi non doleam) non adeò citò eam fortunã occupavi, ſine qua fortaſſis feliciore uſus quiete fuiſſem; nemo me mendacij inſimulaverit: aperto corde vixi, & vivo; ſi cui debitor ſum, malo deprecari quàm negare: in quo ergo perverſum tibi caput ſum? peto, reſpondeas mihi, priuſquam ego tanquam indignus Paſtor veritatem loqui incipiam. Etſi ſciam nihil me reperturum, quod corrigam: tu tamen liberè dicito, certus quòd non excandeſcam, imò emendabo, ſi in aliquo tanquã homo infirmitatibus ſubjectus perperam me geſſi. Quod Principis Procancellarij rem egerim; non tantùm non inficior, ſed glorior inſuper: nec ſacerdotulus inde ſed Sacerdos habendus ſum. Ab aliquot annis ea cœpit amicitia ſub favorabili aſſenſu magnarum duarum matrum, jamq; pridem id negotiũ conſumatum fuiſſet; niſi Princpes ipſe etſi in viridi ætate, ſumæ tamen prudentiæ diſtuliſſet, quò per prius domeſticas difficultates componeret, optans ſibi conſortem ſolatij non turbationis; præſertim quòd uterq; ijs floreret annis, qui adhuc moras aliquas admittere poſſent; & indubiè adhuc diſtuliſſet, ſi non aliud publica propemodum notitia agendum ſuaſiſſet, compertô aliũ non perfunctoriè de eadẽ re cogitare. Principẽ eũ quantũ diligã, quantũ æſtimem; & præteritus oſtendit dies, & futurus probabit. Non eſt dignitas, quã illi non voveã: quia nulla eſt, quâ ille dignus non ſit, non obſtantibus quibuſvis alijs. Certus eſto me ejus ſervitorẽ eſſe, nec credo me quidquã præjudicâſſe; quando quaſi ex ignorantia antiquã Principis intentionẽ in effectũ operulâ meâ tanquã Presbyterulus deduxi. Utiq; avulſâ unâ non deficit altera, tanto inde majore colligatione orīturâ. Alienam uxorem nemo rapiet: hæc cœlitus Principi deſtinata fuit. Cur in iram exardeſcimus? exantlatæ non parvæ difficultates ſunt, & niſi favorabilis conjunctura propter nos aliò eos avocaſſet, ad quos pertinebat: neſcio an non in dilationem abijſſet? verùm dum matris mortuæ, Aviæ viventis, & virginis pridem reciprocum expertæ acceſſit affectus & conſenſus; arduum erat diſſolvere id, quod voluntas Divina ab æterno conjunxit. Palatinam Plocensẽ certè iratam mihi eſſe conſtat; quam etſi magni æſtimem: iras tamen ejus non vereor, quæ ut exortæ ſunt, ita extingventur, ipſaq; fatebitur aliter fieri non potuiſſe. Non enim fucatus amicus ſum, non preſſi ſilentio viam, nec intentionem: ſi Palatina Vilnenſis Socoloviâ non abijſſet; ſub ipſas ferias Bacchanales jam id fuiſſet peractum, idq; comodiùs propemodùm in partem Principis. Hanc igitur fraternam expoſtulationem mihi viſum eſt ad te exarare petendo; ut tuo cerebro perſvadeas, meum minimè perverſum eſſe: ſincerè enim procedo, nec culpari poſſum, quòd nullo A. C. 1692

 modo

A.C. 1692 modo stupidus esse sciam. Dabis verò veniã, quòd te ultro compellem; quia exoptans mihi tecũ sicut cum ovicula, quã diligit anima mea vivere, pati id non potui; quo amor tepescere erga te posset, nisi id refutâsse. Primus semper ero ad benè merendum de tuo affectu eumq; provocandum, eroq; semper constantissimus tuus &c.

LXXXIX.

ANDREAS C. ZALUSKI NOMINATUS PLOCENSIS, AD STANISLAUM DĄBSKI NOMINATUM CUJAVIENSEM.

Załuscis 27. Junij.

Episcopatꝯ in Emphyteusim datus.

SI quando, tum his potissimùm diebus consolatæ me sunt literæ tuæ, cum expressione affectûs mutati, quem non tam desperare, quàm potiùs metuere mihi necesse fuit; quando acceptis omnibus ad trutinam circumstantiis, seræ Romam expeditionis, habenti notitiam, te universum planè Episcopatum certis in emphyteusim concessisse præviâ usq; ad Natalem Christi exolutione, quin alterarer, difficilè omninò fuit; nam resignatis jam beneficiis meis, excepto unico, eoq; à militibus ad incitas redacto Abbatiæ, non videbam modum subsistendi. Nam quamvis propediem, nec ultra Augustum differendam sperem expeditionem meam; nihilominus vix aliquid reliqui inveniam in Episcopatu, quia hi procrastinatores, qui tibi exsolvent pretium, non existentes securi suarum rerum, propemodum triturâ anticipabunt messem, & ita omnia evehent; ut non tantùm nihil residui pro conseminatione hiberna relinquant, (quo fiet, ut triennalibus caream reditibus) sed etiam nec pro mensa quidem quidquam supersit. Pauci existimo erunt, qui de novalibus cogitent; plures ejusmodi reperientur (uti mihi innotuit) qui cymbis majoribus parandis intenti vastabunt sylvas. Quicunque ad me appellaverit, positivum responsum habere non poterit: malo enim carere omnibus, quàm in aliqua parte lædere conscientiam, ejusque in perpetuum inde provocare remorsum; quòd maturè nimis contra jura manus immiserim. Considera igitur an non justa de causa afflictionem prætulerim? at insuper majorem eam reputo; quòd declaraverim tibi, ex quo ipse contentus fuisti, omnem felicitatem meam: video forsan apud te non invenio fidem. Nam si de anno gratiæ agitur, hunc uti pro justitia denegare nequeo; ita ille tibi non per media odij, quæ inter meum & tuum intervenire solent, sed alios modos exigendus erat. Ea omnia confidenter in sinum gratiæ tuæ depono, lætior jam; quòd me eâ apprehensione liberaveris faventiore dato responso, quàm homines utriq; minus faventes sibi pollicebantur, & fortassis exoptabant. Debiliori valetudini tuæ sincerè ex corde compatior; confido nihilominus medicinis tibi antiquum restituendum vigorem. Dñi Ruyteri supina negligentia nemini placere potest. Si enim de pecuniis agebatur; certè Germanus meus libenti animo eas exposuisset. Quò ad hoc nihilominus præcaveo tempestivè; ne expeditio hæreat: nam nihil certiùs, ac hoc, quòd in mense Junio plenè cum Plocensi Episcopatu sancietur divortium, quemadmodum non tantùm frater meus datis 31. Maji, sed etiam omnes correspondentes cõstanter id ipsum asserunt. Jam enim omnes difficultates, quæ graviores intervenerant de toto sunt compositæ & sopitæ. Ratione suspicionis Nominationis pro Suffraganeatu, uti ante demissè petij, ita & modò humilem infero instantiam (nollem enim te eo offendi, si tantisper expeditionem illius sustentarem, favente mihi jure & æquitate) competit

petit

petit enim mihi cooperatorem ad eos labores, ad quos me DEus destinavit, sociumq; vitæ adlegere. Confido de æquanimitate tua, te eum minimè futurum; ut tam quò ad hoc, quàm alia commoda mea mihi injurius esse velis, sed imò constanti gratiâ tuâ me dignandum fore. *A. C. 1692*

XC.

LITERÆ EJUSDEM Ad OECONOMUM.

EX literis 20 Junij datis fraternum tuum in me affectum colligo. Optavi mihi pridem Te agnoscere, de cujus eximiis dotibus plura inaudiêram, quibus factum est, ut etiam ignotum æstimarem. Fessæ valetudini tuæ compatior, quam te tamen reparâsse jam existimo. Gratias autem ago, quòd mihi velocem expeditionem preceris, quæ jã certò delata fuisset in Poloniam; si citiùs expedivisset pecunias Nominatus Cujaviensis, vel saltem de hac mora mihi aliquid innotuisset: quia defacto eo remedio, quod nunc infallibiliter deserviet, præcociùs usus *fuissem*, Româ datis 31. Maij literis certior factus sum ter Consistorium mense Junio celebrandum fuisse, omnesq; difficultates, quæ sat grandes intervenerant abolendas: unde infallibilis consequentia jam Nominatũ Cujaviensem sub hoc scriptionis tempus ab Episcopatu Plocensi translatum, quem admonui de expeditione plena; ne forsan illa alicubi hæreat ob defectum pecuniæ. Nam certum est Româ illam non extradẽdam; priusquam ad minimum quadrantem omnia exsolvantur. Sciat verò & me affligi eâ, de qua scribis ruinâ: sed quid faciendum? sacrificabo Dno Hostiam laudis. Illud tamen miror, quòd mihi significas, te in procinctu esse ad recipiendas pecunias à singulis emphyteutis. Nam si cui, tum mihi imprimis foret hic annus odij. Percurri omnes quotquot esse possunt rationes, quarum intuitu ea gererentur, nec ullam justam comperi: quinimò rogo te, velis me informare; nam si de hoc agitur, ne bona in desolationem abeant, ut inde necessarium visum fuerit conservare tenutarios sive Emphyteutas, quocunq; modo bona administrantes: faciliùs illi in spem futuræ gloriæ de conservatione eorũ cogitarent, & impensiùs incumberent; quàm modò, dum datis pecunijs anticipatè ante Natalem Christi non existentes securi rerum suarũ propemodùm sementem præoccupabunt triturâ: ut sua recipiant: quanquã non deerunt media, favente mihi æquitate, manifestâ vindicationis eorum, quæ ad me pertinent & in quibus sive ab illis, sive à quocunq; alio me damna passum comperero. Procedo cum quovis pro innata modestia & generositate, quemadmodum debeo civiliter, humaniter; verùm simul mihi DEus eam indidit naturam, ut injurias mihi fieri non sim permissurus, mihiq; ipsi in casum damnificantium utcunq; consilium suppeditare possim. Rogo igitur te pro ea qua mecũ procedis confidentia, ejusmodi velis quærere media, ut & Episcopo Cujaviensi, cui te obstrictum non dubito præstes obsequium, & à me damna avertas. Quantum ad inventarium, lebetes, ollas & quidquid aliud fuerit, sine ulla difficultate tuo committo arbitrio, nec hæc minora, etsi non Prætor curabo. His tibi confidenter delatis & de fraterno meo te assecurans affectu ac gratitudine tuæ me cõmendo gratiæ. &c.

XCI.

ANDREAS C. ZALUSKI NOMINAT9 PLOCENSIS Ad VEXILLIFERũ REGNI JOANNEM JABŁONOWSKI Bialâ 2. Julij.

REdux Varsaviâ reperi hic notitiam de causis meis & negotijs, de quibus pro ut spe præceperam, ita factum est. Præposituram Plocen-

A.C. 1692 *Quereia de oppressione pauperum*

censum alteri intra breve tempus conferendam esse justissimâ sententiâ decretum est; nec aliter decernere licuit. De Abbatia autẽ Wąchocensi pro ut pro objecto fuit malæ gratiæ, & odiorum; quando aliis in vicinia exemptis gravissimi vexilli oppressionem pati debuit; ita etiamnum nullus ejus habetur respectus, itidem meo augurio respondit eventus; qui ad me ipsum pertinet: inquisitio in rebus manifestis super juratis damnis imperata, in judicijs tenuitatis meæ nomen non sine scandalo adstantium traductum, unde impossibile; ut doloris mei sensum tibi non comunicem, qui ipse evictionis horum in te onus recepisti. Ego ulteriùs hac in causa mea progredi nolo, eamq; imposterùm urgere inhibui jam; ne ad probandam inquisitionẽ procederetur: in quẽ enim finem tot sumptus profundam? novi enim ita mihi administrandam justitiam, quemadmodum in Leopoliensi Comissione administrata fuit: ubi sumptibus meis sacerdotem mihi sustentare necesse fuit, qui juratas causas proponeret & ageret irrito eventu: nec enim quod optaveram & fieri debuerat, sum assecutus, & clavem fregi & arcam non aperui, sumptus abstulit injustitia. DEo comitto; inveniet ille certiorem modum vindicandi expressi de pauperibus sangvinis, qui mixtus lachrymis cœlis evocat vindictam. Suffecerat locum tenenti officiali, nullo Dei honorisq; sui respectu tam atrocibus exactionibus Abbatialia bona ad incitas redigere; decuisset saltem tantam illi non indulgere licentiam: ut inter judicij strepitum nomen meum insuper carperet quod in æquali Rep. æquale omnibus censeo. Constat mihi; ex ijs militibus qui hospitibus non hostibus metuendi tantum sibi per pagos nostros licere putaverunt actuq; ausi sunt; paucos hactenùs in castris comparuisse, & hic est effectus collocationis exercitûs in locis quibusdam, quæ ipsi adamârunt: jam enim indicem habeo singulorum exemptorum. Quid faciendum? quandoquidem ibi, ubi me obtenturum ominabar, & sperabam, imò cõsequi ex justitia oportuerat, impetrare non possum satisfactionem; apud DEUM imprimis tum etiam eos ad quos pertinet, requiram. Manifesto me coram, me ad id accedere invitum, quia sincerè semel reconciliatus reciprocum speraveram affectum; at video prævaluit antiqua, justáne, an studio prætensa (DEUS judex esto) offensa: attamen necdum in libera Rep. in rusticos desiimus: quamvis ex media Polonia per favorem liberata in quosdam onera sint devoluta. Quisq; arbitrabitur, quo intento Principis Regij vexillo duæ Abbatiæ per alias injurias jam ante ad incitas redactæ designatæ fuerint pro consistentia; quibus præteritis annis tractus & transitus copiarum damna intulerunt ad aliquot decades millium juramento firmatas: sed quia hæc causa ad me pertinebat, locum non invenit, nec invenit. Quæro justéne duæ hæ Abbatiæ tam grandi vexillo pro stativis destinatæ fuerint? quando aliæ in vicinia favore justo an injusto (dijudicabit Resp.) irridebant nos monstrantes digito nobis hunc respectum experiri non licuisse. Plura scribere vetat dolor! præsertim quòd nôrim modestiæ meæ fines, & intra illos in omnibus actionibus meis me continere velim, ita tamen: ut ostendam me satisfacere obligationi meæ in vindicandis lachrymis innocentis populi, cujus curã mihi comisit DEUS. Appendo hunc dolorem trutinæ tuæ existimans me compassionem inventurum apud te, præsertim, quòd alia à te promissa habuerim, cujus sum &c.

ANDREÆ

A.C. 1692

XCII.

ANDREÆ SANCTACRUCIO NUNTIO APOSTOLICO ANDREAS ZAŁUSKI NOMINATUS PLOCENSIS 19. Julij

Suffranei Nominatio

EX literis 14. Junij datis, Excellentiæ Vræ intelligo, quod Illustrissimus Nominatus Cujaviensis non attentâ justitiâ, non consideratâ fraternâ meâ petitione, ad Suffraganeatum Plocensem Canonicum Gomolinski nominaverit. Scio ego quòd Excellentia Vestra munere Nuntij insignita, nemini denegare possit gratiam, maximè cum nominatio hæc, prætendatur esse valida, nec eo quantumvis promissũ ab eadem in contrarium habuerim, moveor. Illud tamen quod partiũ mearum esse duco, consumatæ prudentiæ insinuare vellem, utrum sit de justitia dare mihi Suffraganeum, cum eo non egeam? tantum enim virium DEo adjuvante promittere ex me possum, ut ipse labori Episcopali sufficiam, illud in proposito habens, ut in Episcopatu continuò residens non per Nuntios, quid in Diœcesi agatur; nec per mercinarios rem Episcopalem exerceam. Accedit quòd in tam depauperato per varios casus Episcopatu, vix ipse pro dignitate Senatoria, quæ cum eadẽ conjuncta est, sumptibus sufficere potero, quomodo Suffraganeo solitam pensionem solvam? Non desunt & aliæ rationes, quibus dictam nominationem oppugnare cogor, proinde si eum favorem justum & æquum habere potero, ut à processu donec inter paucos dies E. V. coràm solitam venerationem reddam, desistatur, saltem id supplex oro, ut protestatio quam nomine meo Eleemosynarius meus Dñus Siemieradzki præsentabit in processum inseratur. Jam enim ante aliquot septimanas misi Romam, quas spero acceptum iri. Humillima interim obsequia mea defero E. Vræ, ejusdemq; perenni gratiæ quàm diligentissimè me recommendo.

XCIII.

ANDREAS C. ZAŁUSKI NOMINATUS PLOCENSIS AD NOMINATUM CUJAVIENSEM 20. Julij.

LIteras tuas misit ad me; mox etiam ab expleta professione fidei apud me fuit Rndus Gomolinski homo eximius & qualitatũ natalibus suis dignarum (Novi illius familiam, maternamq; lineã in Palatinatu Sieradiensi, ubi prædictæ domus nidus est) pollentem: sed super omnia judicium tuum quo ad id venerarer; nisi antecedenter te deprecatus fuissem, ut ab ea nominatione tantisper desistere dignareris; dum per prius coràm rationes meas tibi deferrem, quas hactenùs in arcano servans, nunc dum res ad nucleum venit tibi insinuo, me in Episcopatu meo proximè suscipiendo Suffraganeo non egere, ac proinde à nemine mihi illum obtrudi posse. Videns enim voluntatem DEi; ut in hac vinea laborem, ex qua translationem nullatenùs meditari volo, proposui invocato DEi nomine acceptâ Romæ expeditione figere ad Cathedram residentiam, & continuus in Episcopatu esse ita: ut nec Grodnensia Comitia me hinc avulsura sint, quia præterea deerunt sumptus qui profectioni illi sufficiant. Laborare igitur ipse volo, & ad oculum serviturus Diœcesi meæ cooperatore & adjutore minime indigeo; quod ipsum in urbe jam acceptatur: nam statim à fatis piè defuncti Suffraganei hanc rem cordi habui & de hoc scripsi: quare aperto corde cũ quovis procedens optansq; mihi tuum omni possibili modo conservare affectum,

A. C. 1692 fectum, demissè petij, ut hanc nominationem tantisper suspenderes. Hoc insuper apposui me suo tempore, casu quo expensis laboribus adversurus essem necessitatem Suffraganei, habiturum respectum nutûs & voluntatis tuæ: nam pro ut quò ad omnia; ita etiam quò ad hoc, quantum ex me probare affectum tanquam Patri, venerari ut seniorẽ volo precorq; mihi. Verùm & Gomolinski etsi impedimentum prædictum deesset satis præcipitanter suum ad Infulas ostendit appetitum: dum habens à te literas, quibus mihi directè significas, te illi mandâsse; ut à me id peteret reverentissimèq; ageret, ipse autem hoc neglecto oblitus forsan, quòd apud Judæos tantùm per ludibrium Pontifices consulebantur, eo intuitu duntaxat mihi reverentiam exhibuit, quo jam inceperat: quanquam & id ipsum si non primùm nominata adesset ratio, inferius haberem, & Christianâ charitate cooperirem tuam semper pluris æstimando sententiam. Hoc igitur totum altissimo tuo subjicio judicio & me constanti tuæ gratiæ quàm impensissimè commendo maneoq; &c.

XCIV.

ANDREAS C. ZALUSKI NOMINATUS PLOCENSIS AD CAPITULUM PLOCENSE 15. Junij

Significat Nominationem

SUspendi hactenùs & literas S. R. Mtis, quas mihi in nominatione pro Episcopatu Plocensi ad vos clementer subscribere dignata est, & meam fraternam erga vos venerationem, expectans: dum id ex præscripto legum securè facere possem. Jam nunc receptâ ex urbe notitiâ nominatum Cujaviensem 24 Junij præconisatum esse, 7mâq; Junij absolutè illi dictum Episcopatũ delatum fuisse; (undè Sponsa, ad quam me digitus dexteræ Dni ordinavit, suo derelinquitur viduata Pastore) accingor ad id ut voluntati Divinæ per gratiam S. R. Mtis mihi declaratæ satisfaciam, quamvis cum tremore & timore, sentiendo utpote me imparem tanto oneri. Recurro ad vos confratres meos, ut non tantùm me tanquam unum ex vobis hic & nunc acceptare, sed & imposterùm in auxilium partemq; tanti oneris venire velitis, certi me non mea quæsiturũ sed quæ sunt JESU Christi; Ecclesiæ huic ex norma veri Pastoris serviturum; decorem domûs DEI unicè dilecturum; & cum Reverendissimo Capitulo Paternè & Fraternè processurum; sic deniq; DEO adjuvante victurum; ut nihil excusandum habeam. Quod ipsum oretenùs affirmabit vobis Canonicus Chelmensis Lazeniewski ad id officij à me rogatus. Ego autem iterùm iterùmq; assecuro me & nunc esse & imposterùm eò ampliùs juramento utpote obstrictum futurum &c.

XCV.

IDEM AD NOMINATUM CUJAVIENSEM Baila 27 Junij

IAM tandem 25 Junij tanto non sine tædio tempore expectata præconisatio tui peracta est; quia verò Germanus meus mihi scribit quantum sudoris Cardinalis Protector circa hoc negotium exantlaverit, speciales illi deberi gratias censeo.

7mâ Julij certò Consistorium fuisse mihi constat in eoq; tuam plenè expeditionem determinatam: sed quia necdum pecuniæ advenerant, cavetur illinc Breve ad capiendam possessionem non extradendum, nisi redimatur: quod plurimùm tibi incomodaret; nam ex præscripto legum & Canonum ad primam notitiam facti divortij, quam ego non negligã per de industria expeditum tibi mittere, jam non potes ad derelictam retrò

retrò respicere sponsam. Unde tibi injurij erunt, qui expeditionem negatis pecunijs retardârunt; quia adhuc in Majo, uti authentica hujus exhibebo documenta, illa haberi potuisset: in quo & mihi non exigua cõtigit injuria, de qua suo tempore tecum conferam, nihil dubitans; quòd tu expenso jure, reflexioneq; factâ super justitia intra parietes componere rem voles mecum secundùm æquitatem. Ego toties quoties id protestor quòd velim & desiderem tuus esse ad vitalitium &c. *A.C. 1692*

XCVI.

COPIA LITERARUM EPISCOPI PLOCENSIS AD CASTELLANUM JUNOVLADISLAVIENSEM Biała 27 Julij

Successor Episcopus non ligatur contractu Antecessoris.

JUcundum mihi semper, quacunq; in causa scriptæ sint, tuas recipere literas, quem veneror, æstimo & constanter diligo. Igitur tuis ad me 16 Julij datis hodiernâ die primum receptis hodie etiam punctualiter respondeo.

A Succamerario Wissogrodiensi nullas hactenùs accepi literas; more enim meo punctualiter respondissem. Prædictum Succamerariũ quidquam in Episcopatu Plocensi tenere non nisi obiter scio, ex misso mihi à Nominato Cujaviensi Clavium & Tenutariorũ indice: sed quia Canones indispensabiles tractare regimen & disponere ante plenam Româ expeditionem positivè inhibent; frustraneum mihi quidpiam circa hanc materiam scribere fuerit: quo ad hoc solùm ex conscientia præmonere & præcavere possum, ad omnes contractus, quotquot esse possunt, etiamsi per Capitulum approbati fuerint, servandos non teneri nec obligari successorem: quia id, quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest. Quàm primum divortium cum uno & translatio ad alterũ Episcopatũ facta fuerit; ex nunc ne quidem retrò respicere ad divortiatam sponsam licet, nullumq; jus disponendi tam circa Ecclesiam, quã bona relinquitur. Consequenter nec approbatio Capituli ligat: foret enim id sæcularisare spiritualia, uti in Regalibus consensus Regius pro emphyteusi, similis esset consensus Capituli: quemadmodũ autem Principalis causa non subsistit; ita nec ea, quæ sequuntur, locum habent. Non deerunt Succamerario uti & alijs Dnis qui pecunias dederunt media vindicandi sua, ego verò ea confidenter scribo, quæ ex jure didici & quæ quilibet in eodem comperiet. De promptitudine nihilominùs mea ad omnia obsequia vestra vos assecuro; nam uti semper fui cultor magni nominis & ingentium in Rep. meritorum æstimator; ita & imposterũ annitar ut non jam verbis sed ipso affectu vobis probem me semper esse vestrum &c.

XCVII.

ANDREAS C. ZAŁUSKI NOMINATUS PLOCENSIS, AD PRINCIPEM CARDINALEM die 30. Octobris.

LIteris Eminentiæ Tuæ non in media filura tantùm respondendũ esset; nam dum animus impellit manum, nescio, an non etiam totus liber insufficiens & impar foret: moderatior nihilominùs affectus meus per hunc respectum est, quòd pluribus obstrepere non sat legibili charactere nolit. Hoc duntaxat mihi opto, ut tibi persvadeas neminem affectui meo in te concertare posse, aut inveniri, qui id attentet. Projectum meum tibi placuisse honori duco, etsi illud ipso boni publici zelo

A. C. 1692 zelo non nisi cursim & properanter effuderim. Occurrunt mihi hic & nunc plures rationes, quæ tempore suo si occasio tulerit deservire poterunt. Alter de prærogativis Primariorum Senatorum multa dicit, aliud autem probat: principia sine fieri: quâ vanitate nihil levius, gravat tamen. Princeps non obliviscetur Ducatûs Crobensis, uti & illius, quòd contra dignitatem legati dexteram cesserit, non tantùm Principi Neoburgico Electori; sed etiam junioribus Vratislaviæ. Optaret tamẽ à tua Eminentia informationem quomodo sit formandus articulus: proponetur enim hoc ex aliquot Comitiolis; ut conformis instructio instrutionibus Regni Comitiolorum dari possit. Pro fascia annulisq; additis 2 imperialibus pulchras cruculas emit apud Joannem Baptistam. Calceos rubros etiamnum gestat, omnia ea præparativa & dispositiva sunt, magisq; hæc curantur quàm cœlum. Nuntius Apostolicus cum Episcopo Culmensi certat: impossibile omnia explicare, quæ per literas inter se agant. Mitto copiam Eminentiæ Tuæ. Te verò parare arma juris non furoris, admodum mihi placet: nam eos, qui orbem cùm evertere nequeant, cōmovere conantur sine gravitate temerarij, leves sine authoritate, inconstantes sine disciplina, domare aliquantum ad tuam pertinet authoritatem. Non frustra portas gladium, loquor cum S. Paulo: non frustra eò loci te constituit DEus. Modò duntaxat, (siquidem Eminentia tua verbis abstinet) ratione liberè dati expressiq; sensûs sui crisim affigerem; nónne melius foret Capitulum v. g. Toties disgustatum, populum Diœcesis oppressum, Palatinatus Prussiæ tam frequenter turbatos & confusos, aliosq; quos facilè reperire erit, suscitare, ut illi sive Romam, sive ad te publicum faciant recursum, tumq; primùm ne videaris in propria causa esse velle pro potestate judex & actor, id exequi quod in Dno videbitur. Hoc certùm, quòd ipse Eminentiam Tuam mordere possit, nō lædere: serpens autem etiamsi nō momorderit, tamen obteritur, ne mordere possit. Necessarium omninò est; ut hæc oblita sui frenetur protervia; eo tamen modo, ut se puniri sentiat, nec effugio locum inveniat. Sunt autem modi non pauci mortificandi, qui ipsum magis afficient; quàm si aliter procederetur. Quæ omnia altissimo subjicio Eminentiæ Tuæ judicio, ipse paratus ubiq; & semper dum & quando opus fuerit toto affectu & corde pro ut sincerum decet servitorem obsequi. Pro tradenda in temporalibus Cōmissione Castellano Kijowiensi non esset abs re: serviret & nobis hoc præjudicatum; id unum metuo, ne hi qui ventos duntaxat venantur, ut eos Romæ vendant, aliter interpretentur; ut est sinistra in Eminentes perpetuò censura. Libenter scirem hac super re sensum Nuntij Apostolici.

Princeps se confert Novogrodecum pro Comitiolis circa septimam futuris. Ego autem hic morabor; non enim causam habeo, cur Varsaviam proficiscar: siquidem Consistoria in Octobri non celebrantur.

Principissa solennissimas gratias agit pro memoria, & cordicitùs veneratur. Idem tota Biala Tuæ E. repræsentat, cum Capitaneo Ostrowski; quem hic remoramur, vel potiùs ille nos remoratur. Inter scribendum tristis Nuntius de obitu Marchionis tanto animum meum affligit vulnere, ut impossibile sit moderari dolorem, calamumq; sustinere ulteriùs: siccíne nos seperas amara mors? quidquid pro anima illius suffragiorum esse poterit, colligam, & ex nunc Jaroslaviam scribo, viciniora etiam loca ad benedicendum ei in sacrificiis urgebo. Existimo nec te obliturum illius. Ego verò ipse dolorem non capio ægreq; spiro præ mœrore. &c.

ANDREAS

A.C. 1692

XCVIII.
ANDREAS C. ZALUSKI NOMINATUS PLOCENSIS AD REMIGIANAM SUSZYCKI 6 Novemb.

GRatulor tibi translationem ad ſecuriora. Rumpitur cor cujuſque, ſi modò ſenſum eorum habeat, quæ nunc aguntur, & impoſterũ adhuc agentur. Satisfeci officio meo & exoneravi conſcientiam tam in privatis conſilijs, quàm in comitialibus publicis optando pacem; ſiquidem bellum aut nolumus aut illi gerendo non ſufficimus. Nam ſi malè geritur, ut diutiùs geratur: irritæ ſunt Regis tam ſanctæ & heroicæ cogitationes, frunſtranei tanti ſumptus. Mirabile iſtud eſt. in Septembri ad arenam ſe exercitus contulit, in Octobri reditum acceleravit; tanquam aut rem benè geſſiſſet, aut nihil agendum haberet, & eo ipſo tempore impunè ad memoriam & ruborem ſæculi noſtri aliquot centeni lixæ graſſantur, pagos incendunt, equos & armenta diripiunt. Si hoc in viridi; dum adhuc utcunq; reſiſtendo ſufficere videmur, præſente Mte: quid fiet in arido? dum nos Grodnam elongati fuerimus. Verùm acerba ea ſcribendo materia eſt. Fata Dni Marchionis De Bethun ſummè me afficiunt; profectò tantus vir dignus erat longiori vitâ! Gratias ago tibi, quòd me ad patientiam exhorteris, & de ſenſu Mtum circa excuſationem meam juſtam à Comitijs futuris confidenter certiorem reddas: de quo & à Reginali Mte lectionem habui. Brevibus igitur repono; non me ita adverſa frangunt, ut in deſperationem præcipitem agant. Probè enim novi, quòd qui fortiter patitur malum, idem poſtmodum potitur bono. A juventute mea nunquã declinare obſequia tã Mtum, quàm Patriæ, quocunq; poſitus fortunæ loco, conſvevi: publica magis, quàm privata ſemper præ oculis cômoda habui, memor illius Plauti; Ego ſi bonam famã mihi ſervâſſo, ſat ero dives. Quòd verò me ab iminentibus comitijs excuſem; non id procedit ex dulcedine otij. Alter otium petit ex propoſito, alter ex cauſa. Poteſtné eſſe major cauſa ſe excuſandi, ac impoſſibilitas? contraxi debita ultra ducenta millia intuitu hujus meæ turbatiſſimæ expeditionis, oppignoravi, quidquid pretioſius erat, ſpe fultus, quòd quantociùs menſuram vigilantiſſimæ curæ obtenta expeditio impletura eſſet: cum hactenùs non comparet, DEUSq; novit quando illa continget, avertant ſuperi fata: quis tanta debita ſolveret? hæc ſuprema mea afflictio eſt. Si verò longior vita indulta fuerit; nec ſic deerit afflictio hærenti; cuì potiùs ſumptus impendendi, an exſolutioni debitorum, an Epiſcopatûs reparationi? ſi quomodocunq; eluctari voluero. Quid ſuavius eſt; quàm benè rem gerere bono publico? an non exoptem obſequijs gratiæ Mtum reſpondere? quamvis mihi oneri ſit. Millies fortunatior fuiſſem, ſi mihi Luceorienſis Epiſcopatus collatus fuiſſet; quàm nunc hoc tam amplo mihi conceſſo tot ſumptibus egente. In toto Epiſcopatu non tantùm aulam non habeo, ſed nec conclave quidem, in quo reclinem caput. Necdum obolum ex illo percepi, nec percipere volo, donec ſim pleni juris; & jam de meo duo millia tymphorum expendi in reſtaurationem Vyſcovienſis Reſidentiæ, ne hyeme ſaltem in me tẽpeſtas ſtillet. Si veſci pane libuerit, emendus erit; idq; non hoc duntaxat anno ſed etiam impoſterùm; nam rara admodùm conſeminatio eſt. Quæro igitur quis modus in comitijs ſubſiſtendi? pro una Aula quæ tamen mihi anguſtior erit, quinq; millia tymphorum poſtulantur. Aliæ expenſæ ſunt præ oculis, nec egent cômemoratione. Cavi ſemper illos quos Plautus vani loquidoros vocat, nunquam dixi vel ſcripſi, niſi quod eſt,

Excuſatio à Comitijs

A.C. 1692 consequenter ingenuè & verè scribo, me etiamsi vellem, adesse non posse. Ji verò quorum fortuna amplissima, immeritò se excusant. Si id facere nequeant, dent sumptum ei qui queat. Ego aliam rationem non habeo, nisi hanc, etsi prævideam, in ijs Comitijs sat acerbas materias tractandas: felix, cujus dentes ab illis non obstupescent. Verùm etiam odiosa nunquam declinavi, quoties de obsequio Majestati impendendo res fuit; probavi semper me nec ursum timere circa honorem Mtatum & bonũ publicum: etsi quando, tum nunc nemini secundus forem in debito zelo; sed impossibilitas excludit omne obligationis genus. Rogo igitur te, ut id datâ, imò si possibile, ultrò quæsitâ occasione, etiam ostensis literis his repræsentare velis; ne id mihi vitio vertatur, quod etsi maximè vellem, facere non possum. Respondebo huic tuo favori & gratiæ, cui me impensè commendo. &c.

XCIX.

SERENISSIMO REGI ANDREAS C. ZALUSKI EPISCOPUS PLOCENSIS Bialâ 11. Novembris.

Acceptio Bullarum.

TUtè coram Mtate Vra assero, magis me clementem manum V. Mtatis suis literis contentum reddidisse; quàm supremam expeditionem, quam mihi Germanus meus per de industria expeditum misit: annitar, ut non vincar ab illo, qui gloriari potuit: magis amo eum qui dedit, quàm quod dedit. Sed id verbis jactare nolo habens in conatibus vitæ non verborm opus. Habet Mtas V. tot sibi obligatos, at neminem gratitudine superiorem me experietur. Supra spem omnium (Octobri enim celebrari Consistoria non sveverunt) 15. Octobris feriâ quartâ extraordinarium Consistorium habitum fuit, in quo Sanctissimi assensus eam Mtatis Vræ complevit gratiam, quâ me devotissimũ & humillimum servum decorare dignata est: paucis post diebus frater meus Bullarum scriptionem ursit, acceptisq; illis Venetias profectus est, uniq; meorum exspectanti illas reddidit; qui intra aliquot dies sat pernici cursu Varsaviam delatus est. Jam igitur expleto priùs juramento in manibus Posnaniensis aut Livoniæ Episcopi (uti mens est Sanctissimi) accingo me ad capiendam possessionem Episcopatûs, in quo, si desint cætera, non deerit assidua pro longæva sanitate Mtatis Vestræ & serenissimæ domûs oratio ac sacrificium; ad cujus plantas cum profundissima gratitudine quàm submississimè inclinans perpetuũ me obligatũ scribo &c.

LITERÆ EJUSDEM Ad PATREM KWIATKIEWICZ.

Sumptus pro typo.

PRout semel declaravi dignis im̃ortalitate operibus tuis; ita & hâcce literâ meâ testor me staturum promissis, sub quocunq; demum nomine voles ad lucem publicam tanti ingenij partum promovere. Non me à proposito deterrebũt hæ aliquot centenæ filuræ, quia apud me maximas expensas superat primus respectus publici in Ecclesiam militantem commodi, quod dignus tanto authore labor tot prælis probatus infallibiliter pollicetur. Contuli jam de eo cum P. Provinciali Bialæ 25. Novemb. Quare nihil reliquum; nisi ut tot sæculorum volumen paratum habeas ad prælum: ex nunc autem cum Abbate Olivensi per cursoriam præsentem confero; ut ad majorem DEi gloriam quantociùs opus id expediri possit. Quod dum sincerè voveo, simul successus officij mei Pastoralis sanctis tuis suffragijs quàm impensissimè commendo.

A. C. 1692

EPISCOPI VILNENSIS LITERÆ AD PALATINUM VILNENSEM 16 Julij.

PRomisisti mihi indebitè in bonis Ecclesiasticis Patrium militem cõsistentem recessurum; verùm significatur mihi pro recessu eò magis eum insolescere, jusq; quoddam obtendere; quod eò amplius me incitat ad defensionem: ne injusta prætendentibus possessionem indulsisse videar. Ad primam tuam intimationem de transactione quadam inter Regem Casimirum & Capitulum adhibui statim diligentiam, scripsiq; ad Procuratorem Capituli; ut indagaret notam aliquam, qui inquisitione factâ in omnes annos Casimiri, nec apicem reperit: quare quia ista requisitio nova sub tempus Capituli accidit, Capitulares plurimum rogârunt me: ne hanc servitutem sub tempus possessionis meæ inducerem, contra quam ipsi hactenùs egissent. Recurro igitur iterum ad te omnes gradus observando, rogandoq; quàm impensissimè; ne injurius esse velis & conscientiæ & amicitiæ; cujus juribus per omnia salvis, si milites non cesserint, non mihi vitio vertes: si protestationem inferam, & quod sequitur jure tecum agam. Nam licet vellem dissimulare: jam id non licet, dum non tam precibus, quàm jure excogitato possessionem sibi firmant. Non deesset mihi modus, non obstante eo quod tam potentes sint vigiliæ, illos dispellendi: nam & ipsi rustici in Episcopatu mali satis sunt, nec fœminæ ab armis temperant: verùm per observantiam nominis tui, timens etiam, ne loco equi alteri cuipiam plaga inferatur, malo tanquã homo pacis eam viam arripere, quam mihi jus ostendit. Certè non tantùm alienis, quia in ijs tantùm locatarius sive arendator sum; sed nec proprijs pratis parcerem: si aliter & non per vim ac despoticismum ageretur, ac si defensioni non sufficeremus. Sic existimo me gratiæ tuæ per id detrimentum non passurum; utiq; antiqui Poloni se mutuò diligebãt, & tamen in eodem curru ad judicia contendebant. Quibus delatis maneo.

Locatio militum in bonis spiritualibus.

COPIA RESPONSI CARDINALIS PRIMATIS REGNI AD LITERAS EPISCOPI PIOCENSIS NOMINATI KUJAVIENSIS 19 Novemb.

ACcepi tuas literas, in quibus querelas contra consistentias militum bonis spiritualium impositas, earumq; Authorem Ducem, scribis; mihiq;, velut primo Ecclesiasticorum capiti, ad resistendum, utendumq; spirituali gladio stimulos addis, quasi ad effectum remedij sortiendum: Imò verò ante finem hujus expeditionis vidi, nos non posse eas subterfugere consistentias, in ordine ad quod, locandus erat in hybernis æstivo tempore, juxta mentem Reip., Exercitus fœnoq;, & annona providendus: quod, cum ob protractam in serum expeditionem factum non esset; seriò apprehendi, collatoq; de secuturis in consequentijs cum Episcopo Cracoviensi consilio, tempestivè ambo supremum Ducem Exercituum Regni literis convenimus, præcavendo; quatenus spiritualem statum circa scriptum ad Archivum conservaret: rescripsit ille non declarando categoricè, sed opponendo duntaxat; in scripto ad Archivum, Rempub. ad effectum locationis Exercitûs declarâsse se missuram Leopolim stipendium pro duobus trimestribus, priusquam Exercitus procederet ad castra; alterum tantum post finem expeditionis. Perpensis ergo cum Episcopo Cracoviensi sequelis, conclusimus, detinendos esse, in quantum ad consistentias ventum fuerit, sextones hybernales; cum de-

Contentatio militum

A.C. 1692 vehendorum nullum inveniri potuerit remedium. His præmiſſis id tu-
am do reſponſum ad Epiſtolam. Licet me eadem, quæ alios, premit ca-
lamitas, cum mihi ex Præpoſitura Miechovienſi lamentabiles deferantur
ejulatus ſuper gravibus exactionibus, ab ipſis Notarijs, licet eò vexillum
nondum venerit, hic quoq; vexillum in Cameratibus Archiepiſcopalib⁹
diſpoſitum, licet ſe modeſtè gerat, ea tamen modeſtia non ſine mea ad
captãdũ impẽſa eſt. Eadẽ afflictio populi, ideq; zel⁹ ad eandẽ me quoq; inci-
taret loquelã; ſi cõſtaret privata id cujuſpiã paſſione, aut vindicta fieri; verũ
ſi veritati detur loc⁹; durũ neceſſitatis telũ eò impulit, ut ab hiſce cõſiſtẽtijs,
pro reparãdis præſertim per nova authoramẽta, regiminib⁹, poſt tã infelicẽ
laſſitudinem liberi non eſſemus; adeoq; non eſt, cur execrari, & odiſſe
debeamus Exercitum, ſiquidem id infortunium in opere, & obſequio
Reipub. retulerunt, quod malis ejuſdem omnino eſt accenſendũ. Con-
finia verò depaſta, & deſolata cui forent uſui, pauperi, famelico, laſſoq;
militi? verum quidem immunitates juraq; noſtra per hoc multum pati,
& impeti; at quis im̃unis eſt à duræ neceſſitatis telis, ubi aliter eſſe ne-
quit? Quis alium culpæ arguet, ubi eam viderit eſſe à neceſſitate? Et
quemadmodum in privata familia Paterfamilias caſus, & eventus intra
limina patitur: ita, ubi ex nobis non eſt dominatio, ſed ipſa ſibi Reſpub:
Domina eſt; commoda, & incommoda, proſpera, & adverſa, ex æquo fe-
rat: cum ergo nos non ſimus extra Rempub:, imò in ea primi; difficile
nobis in hac preſſura hominesq;, Deosq;, incuſare, neceſſitatem vocare
in judicium: difficile manum extendere ad fulmina: quodve ſcribis, nos
obſtrictos eſſe ad ſubveniendum labenti Patriæ; id foret ad caſum eam
protrudere, & interitum. In futurum ne idem patiamur, expoſtulabi-
mus, conſulemuſvé cum Repub: civili modo. Quanquam etiamnum
dimidium mali, cum hæ conſiſtentiæ, aut penitus, aut potiore ex par-
te expediri poterunt, lacrymæq; miſerandæ plebis abſtergi: injuriæ quo-
que fient repetibiles; quæ tamen quo minus permitterentur, ſcripſi fer-
ventes ad modernum Caſtellanum Cracovienſem. Quod attinet liberã
vocem Epiſcopi Chelmenſis per infame ſcriptum, contemptui datã, ſum-
Hyacinthus Swięcicki mè indoleo, cum, ſicut mihi meus, ita cuiq; ſuus, non ſecus, ac vita
charus honor; parteq; doloris & ipſe tangor, ſi quiſpiam lædatur, noſtro
præſertim de Collegio: At etiam hic veritas omnẽ vincit affectum. Li-
bera vox eſſe debet intra vocem non in ſcripto, ſi res ſit inter partes:
ſat erat Epiſcopo dixiſſe in ſenatûs conſilio, dicendaq; ad futura reſer-
vare Comitia, non verò votum jubere typo imprimi; ſic enim ad re-
torſivum ſcriptum non fuiſſet ventum; judicaſſet Reſpub: ex ore utri-
uſq;, documenta & probationes in medio congregatorum ſtatuum, pro-
ducentis: Scribere porrò typoq; hæc mandari, affectatio videtur, non
libertas. Scripſi ego ad Epiſcopum perſvadendo civilia, utq; contra ſe
Ordinemq; noſtrum invidias non cieret; ſed hinc animoſior factus, plu-
ra hujuſmodi ſcripta coacervavit; ex quibus majores indies creſcunt ſi-
multates velut inter inimicum & ultorem. Mihi inde reſultat exercitium
ſolicitudinis cum omni conatu ac labore, circa reconciliandas partes ſal-
vâ Repub:. Hæc pro candore meo, quem habeo in Rempub., ad tuas
reſpondere viſum: & quoniam ſum Primas; primi quoque à me prode-
ant ſenſus; quos veritas exigit, cauſaſque rerum juxta eos judicare ju-
bet.

C.

CARDINALI FOURBIN DE JANSON ANDREAS C. ZAŁUSKI EPISCOPUS PLOCENSIS Varſaviâ 30 Decemb.

CUM animi ſit ingenui, cui multum debeas, eidem plurimum velle debere: amplector libens munus tuum, quod apud me pignus erit perpetuum amicitiæ, charitatiſq; noſtræ, & quia Epiſtola nõ erubeſcit, abſens accepto, quod miſiſti, quod forſan renuiſſem præſens; ſcio enim, quòd etiam in non accipiendo ſit nonnulla gloria. Optimè facis, quòd non derelinquis amicum antiquum, novus enim non erit ſimilis illi. Si quid etiam eſt, quod meâ operâ tibi opus ſit, expecta à me omnia, nam ſcis, quòd pro fortuna tua, non cum fortuna hactenus ſemper locutus ſum. In compendio quæ ſunt hoc anno acta, quemadmodũ jubes, quæ ſcribenda ſunt tibi, non præteribo.

Mortuus eſt primis Januarij Andreas Potocki Caſtellanus Cracovienſis Princeps Fratrum, firmamentum Gentis, Rector familiæ, ſtabilimẽtum Proſapiæ, poſt quem Caſtellanatus ceſſit Stanislao Jabłonowski Palatino Ruſſiæ; & Petrus Opalinski Palatinus Łęcicienſis Generalis Majoris Poloniæ, Palatinatus Ruſſiæ datus fuit Marco Maczynski Theſaurario, & Generalatus Majoris Poloniæ cum Palatinatu Łęcicienſi Raphàéli Leſzcynski Palatino Poſnaniæ, quo ſapientiorem & dexteriorem non modò noſtra, ſed nec ſuperior ætas tulit. *Mors Potocki* *Opalinski*

Princeps Radzivilius Procancellarius, intereà petierat à me, ut eum Vilnam comitarer ad tractandum Matrimonium cum Principiſſa Sanguſzkowna quò primâ Martij venimus, & innotuit mors Principis Czartoryski Palatini Sendomirienſis: quamdiu nomen ſupererit Polonorum, feretur probitatis, honeſtatis & rectitudinis viri hujus præconium. *Czartoriski*

6ta Martij poſt contractus factos benedictio Matrimonij ſubſecuta Principis Radzivilij per manus Epiſcopi Vilnenſis, & poſt Ceremoniam abivimus Białam inſimul, ubi 14 ſubſtitimus, inde perrexi Leopolim, ubi reconciliavi me, memor moniti: Pacem habete, & DEUS pacis & dilectionis erit vobiſcum; præſenti Caſtellano Cracovienſi, cum quo ne diutius foverem inimicitiam, non una me impulit ratio, cui non propter privatam injuriam, ſed propter immiſſos milites in Præpoſituram & Epiſcopatum Plocenſes ſuccenſere debebam: ſi inimicus meus hæc feciſſet mihi, ſuſtinuiſſem utiq; ſed quod factum eſt, infectum fieri nequit.

6tâ Aprilis conſecratio fuit in Eccleſia Cathedrali Leopolienſi Fratris mei Ludovici, cujus dignitatem bene noſti, in Suffraganeatum Premislienſem, Pater Kałuski prædicavit, & Epiſcopus Premislienſis Cancellarius magnus conſecravit. Ivimus poſt cum Aula Javoroviam.

29 Maij Datum eſt officium Theſaurariatûs Hieronymo Lubomirski Mareſchalco, & Mareſchalcatus alteri Joſepho Lubomirski Stabuli Præfecto. Palatinatus verò Belzenſis vacans à morte Zamoyſci Adamo Sieniawski.

Hoc anno frequentes, & & non ſine magno damno fuerunt incurſiones Tartarorum.

De victoria Gallarum in mari cum ingenti fructu ex Anglis & Hollandis, & pòſt de conflictu à Gallis perdito erat hic notitia, quod tibi melius conſtat.

Expeditio etiam mea pro Epiſcopatu Plocenſi venit, hic negotium meum, hic labor, hic requies, cujus poſſeſſionem 17 Novembris accepi per Procuratorem, & in Czervinsko ad vota exſolvenda 19 fui, ubi anathema

A.C. 1692 thema argenteum, & inauratum cum hac inscriptione reliqui A. C. Z. Renuntiatus Episcopus Plocensis, ut inoffenso pede Præsuleæ dignitatis cursum teneat, Ecclesiam, hoc est cor suum ad plantas defixit Marianas die 19 Novembris Anno 1692.

Generalatus Campi vacans post Andream Potocki Castellanum Cracoviensem, datus est 7timâ Decembris Fratri ejus Felici Potocki.

Varsaviam venerunt Mtes suæ 12 Decembris, & intra aliquot dies Grodnam pro comitijs abiverunt. Occurrerent & alia digna scitu tuo, & literis ad te meis, quæ & tibi auditu & mihi relatu jucundissima fortè forent, sed hæc non possunt cõmitti ejusmodi periculo, ut aut interire, aut aperiri, aut intercipi possint.

BREVE APOSTOLICUM AD EMINENTISSIMUM CARDINALEM RADZIEIOWSKI.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dilecte Fili noster. Salutem & Apostolicam Benedictionem. Quamvis in causa de juribus Patronatûs, quam sedulò promovere contendit religiosus vir Pater Carolus Mauritius Vota è Societate JESU, gravissima se se opponant impedimenta, quominus uotis Regijs annuamus. Quia tamen effuso quodam Paternæ charitais affectu Regem ipsum, ab eximia ejusdem in Christianam Rempub: promerita prosequimur in mandatis dedimus Venerabili Fratri Andreæ Archiepiscopo Seleuciensi, ut controversiam componere studeat. De hujusmodi autem deliberatione, certiorem te reddimꝰ quo operam quoq; tuam in eo impendas, minimè dubitantes quin pro consilio quo præstas, & authoritate quâ polles, viam nobis aperias ad supremam tanto negotio manum ingenti cum animi nostri gaudio imponendam. Tibi uerò interim Dilecte Fili noster Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam majorem sub annulo Piscatoris die 15. 9bris. MDCXCII.

CI.

AMICO CONFIDENTI ANDREAS C. ZALUSKI EPISCOPUS PLOCENSIS.

Collatio dignitatum. ANnus hic nullâ propemodùm re, præterquam diversorum munerum collatione & tricis quibusdam memorabilis est mortibusque Illustrium. Capitaneatus Miedzyrzycensis ad instantiam Palatino Russiæ cessit; etsi Vidua evitando vexam Nobili benè possessionato im̃ediatè antè vendidisset, Castellanatus Cracoviensis post fata Andreæ Potocki ad Palatinum Russiæ devenit, Generalatus majoris Poloniæ cum Palatinatu Lenciciensi Palatino Posnaniensi, Palatinatus Posnaniensis Calissiensi Breza, Calissiensis Castellano Sieradiensi collatus est, Calissiensem verò Castellanatum Cardinalis pro Towianscio frustra optavit: nam Ravensi Capitaneo Lipski Rege annuente cessit. Clausit hoc anno vitam Princeps Czartoryski Palatinus Sendomiriensis Varsaviæ, in Varmia autem mense Majo præclarꝰ ille vir, quẽ alibi memoravi Buzynski obiit. *Mortes variorum.* Mortua etiam Dña Krasinska filia Castellani Cracoviensis Palatina Plocensis

censis Javoroviæ, cujus funeri deinde Crasni interfui. 25. verò Septẽbris Stockholmiæ in Svecia celebris ille Minister status Galliæque Legat⁹ Marchio de Bethune exspiravit, non alterum similem propediem Ministrum Gallia habebit. Anno hoc Vilnam cum Principe Procancellario profectus connubialem ejus contractum cum Principe Sanguszkana finivi, astitit Neo-Sponsis contrahentibus apud Moniales Episcopus Vilnensis. Celebravit etiam nuptias Leopoli Stephanus Potocki, qui nunc Incisor Regni cum domicella Bieganowska; Javoroviæ autẽ Wasilowski cum Szleszynscia Honoraria Reginæ. Sub hæc ascendente ad Palatinatum Russiæ Maczynscio Thesauriatus Regni Hieronymo Lubomirscio Mareschalco curiæ datus, Mareschalcatus autem Præfecto Stabuli itidem Lubomirscio, Palatinatus deinde Belsensis post obitum Zamoyscij Capitaneo Leopoliensi Sieniawski collatus; Præfectus verò stabuli factus est Koniecpolski. Mense Julio victoria Anglorum navalis de Gallis relata significata fuit, Gallosq; Namurco cessisse, quod obsederant, fama retulit. Eodẽ mense Hanus Tartarorũ per suũ Legatũ obtulit mediationẽ suam cum Porta Othomanica, Valachiam & Moldaviam nobis cessuram pollicitus. Hoc etiam anno Cardinali altercatio cum Episcopo Posnaniensi intercessit; jam proposuerat literas scribere circulares contra præfatum Præsulem, verùm me dissvadente supersedit. Voluerat etiam eundem judicare; sed etiam ab eo destitit, quòd itidem propter præjudicatum non optavi. Tumultuatum & in tribunali quod Chotecki Archi-diaconus Chelmensis Subjudici Lublinẽsi Niemeyski alapam impegisset in judiciali conclavi: hinc contentiones & tumult⁹ nata. Tandẽ 11. 9bris mea pro Episcopatu Plocensi venit expeditio, cùm ante 15. 8bris propositio mea facta fuisset. Quare juramentum deposui coram Episcopo Livoniæ. A.C. 1693

Deniq; campestris clava Regni Felici Potocki Palatino Cracoviensi tradita. Clausit annum initium Comitiorum Grodnæ factum 31. Decembris.

RATIHABITIO PACTORUM MATRIMONIALIUM INTER Serenissimos Philippum Vilhelmum Ducem Neoburg: & Annam Catharinam Constantiam Principem Poloniæ & Sveciæ conclusorũ.

JOANNES III. DEI GRATIA REX POLONIÆ &c.

Significamus præsentibus literis nostris quorum interest universis & singulis. Contineri in actis metrices Regni Cancellariæ specificè in lib: 155 sub literis S. C. & sub numero 105 Fol: 215 literas infra scriptas continentes in se oblatam ratihabitionis pactorum matrimonialium inter Serñmos Philippum Vilhelmum Ducem Neoburg:, & Annam Catharinam Constantiam Poloniæ & Sveciæ Principem conclusorum, à Serñmo Principe Dno Volffango Guilhelmo comite Palatino Rheni &c. factæ & assecuratæ: Quarum quidem literarum series, & essentia est ejusmodi. Vladislaus IV. DEI gratia Rex Poloniæ Magnus Dux Litvaniæ &c. nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorum Hæreditarius Rex. Significamus præsentibus literis nostris quorum interest universis & singulis. Oblatas esse ad acta Regni Cancellariæ nostræ majoris literas infra scriptas manu propria Serñmi Principis Dñi Volffangi Guilhelmi Comitis, Palatini Rheni &c: Subscriptas sigilloque munitas, sanas, salvas, & illæsas

A. C. 1693 ſas omniq; ſuſpicionis nota carentes. Supplicatumq; nobis, ut eaſdem ad acta ſuſcipi, ijs inſeri, authenticumq; earum reſcriptum extradi mãdare dignaremur. Quarum literarum ea eſt, quæ ſequitur ſeries. Nos Volffangus Vilhelmus DEi Gratiâ Comes Palatinus Rheni, Bavariæ, Juliæ, Cliviæ, & Montium Dux Comes Veldentiæ, Sponthemij, Marchiæ, Ravesburgæ & Moerſiæ Dnus in Ravenſtein, notum facimus, univerſis, & ſingulis; cum inter Sereniſſimum Principem Dnum Philippum Vilhelmum Comitem Palatinum Rheni, Bavariæ, Juliæ, Cliviæ, & Montium Ducem Comitem Veldentiæ, Sponhemij, Marchiæ, Ravensburgæ & Moerſiæ Dnum in Ravenſtein unicum & cariſſimum filium noſtrum, & Sereniſſimam itidem Principem & Dnam Annam Catharinam Conſtantiam Poloniæ & Sveciæ Principem, anneuntibus & conſentientibus ejuſdem fratribus, & legitimis tutoribus, Sereniſſimo nimirum & potentiſſimo Principe Dno Vladislao IV Rege Poloniæ Magno Duce Litvaniæ Ruſſiæ &c. nec non Svecorum Gottorum Vandalorumq; Hæreditario & ipſius fratribus & Principibus Poloniæ & Sveciæ, verum & legitimũ matrimonium (ad quod & nos tum pro Paterno in filium noſtrum affectu, & amore, tum etiam pro ſinglari ſtudio, & deſiderio renovandæ, & propagandæ cum dicta Sereniſſima Domo Regia veteris illius amicitiæ, affinitatis, & conſangvinitatis, quæ cum eadem à multis retro annis, nobis, & majoribus noſtris Comitibus Palatinis ad Rhenum, & Ducibus Bavariæ interceſſit, aſſenſum noſtrum jam ante præbuimus) juxta ritum & præſcriptum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ contractum pariterq; inter eoſdem, (attamen ex parte chariſſimi filij noſtri ſub expreſſa reſervatione, & ſpe paternæ noſtræ ratihabitionis, & confirmationis) de pactis matrimonialibus conventum, atque in ijſdem tam de dotis & donationis propter nuptias, doni itidem nuptialis, & uſus fructus conſtitutione & aſſecuratione, quàm de alijs futuris caſibus, & eventibus ſub certis modis, conditionibus, & articulis proviſum, & diſpoſitum ſit; cumque hæc pacta nobis à dicto filio noſtro transmiſſa, eorumq; ratificatio, approbatio, & ſubſcriptio à nobis debita cùm reverentia petita, & efflagitata fuerit, quorum tenor ita ſe habet. In nomine Domini Amen. Nos Vladislaus IV DEI gratiâ Rex Poloniæ &c. nec non Svecorũ Gottorum Vandalorumque Hæreditarius Rex tanquam Sereniſſimæ Poloniæ, & Sveciæ Principis Dnæ Annæ Catharinæ Conſtantiæ Sororis noſtræ chariſſimæ primus naturalis Tutor noſtro, & Sereniſſimorum fratrum noſtrorum Poloniæ & Sveciæ Principum nomine. Significamus præſentibus literis noſtris. Quòd cum Sereniſſimus Princeps Dnus Philippus Guilhelmus Comes Palatinus Rheni &c. in Regiam noſtram longis, & moleſtis itineribus pervenerit, ibidemq; deſiderio contrahendæ nobiſcum & cum Sereniſſimis Poloniæ & Sveciæ Principibus fratribus noſtris affinitatis aliquantum commoratus, Divina gratia demùm ita diſponente, cùm ipſa Serenitas ac verbis diſertis à nobis ac Sereniſſimis fratribus noſtris ſuo parentiſq; ſui Sereniſſimi Principis Dni Volffangi &c: nomine ac ſenſu, & aſſenſu Sereniſſimam Poloniæ, & Sveciæ Principem Dnam Annam Catharinam, Conſtantiam in ſponſam ac conjugem ſibi tradi, & juxta ritum Sacræ Romanæ Eccleſiæ in matrimoniũ elocari poſtulaverit. Nos verò poſt jura Hoſpitij abunde ſuæ Serenitati exhibita, re maturius deliberatâ, ac vetuſtam Ducalem proſapiam ſtrictiſſimo neceſſitudinis, & amicitiæ nexu cum Sereniſſima Domo Auſtriaca, ac nobiſcum conjunctam conſiderantes, quæ & quanta ex amplioribus vinculis ejus ſerenitatis cum Regia noſtra familia commoda promanare

manare possent perpendentes petitioni suæ Serenitatis tam honorificæ assensum nostrum unà cum Serenissimis fratribus nostris annuente, & consentiente insimul Serenissima Anna Catharina Constantia Sorore nostra charissima præbuimus. Postmodum quod felix faustumque sit ad gloriam DEI Omnipotentis, & semper gloriosæ Virginis MARIÆ ejus Genitricis pro conservatione, & augmento universæ Reip. Christianæ, pro comuni bono, & comodo utriusq; Serenissimæ Domus atq; sangvinis necessitudines, quæ quidem inter nos ac Serenissimam Neoburgicam Domum dudum extiterunt, novâ affinitate propagarentur inter Serenissimam Annam Catharinam Constantiam Poloniæ, & Sveciæ Principem, Nosque ac Serenissimos fratres nostros, uti ejusdem Serenissimæ Sororis nostræ Tutores, & fratres ab una, & eundem Serenissimum Principem Philippum Guilhelmum ad infra scripta omnia præsentem ac diserte consentientem ab altera parte, accedente à Sanctissimo Dño Nostro Papa Urbano octavo super tertio consangvinitatis gradu, quo Serenissima Poloniæ & Sveciæ Princeps Anna Catharina Constantia, & Serenissimus Princeps Philippus Guilhelmus invicem conjuncti sunt, & super quibuslibet alijs remotioribus etiam multiplicibus consangvinitatis, & affinitatis, seu alijs præpedimentis necessaria, & convenienti dispensatione tractatum & conclusum est matrimonium, verum & legitimum sub articulis, & conventionibus sequentibus videlicet. Promittimus nos Vladislaus IV Rex Poloniæ unà cum Serenissimis fratribus nostris pro nobis, & Successoribus nostris charissimæ Sorori nostræ Serenissimæ Annæ Catharinæ Constantiæ Poloniæ & Sveciæ Principi dotis nomine in parata pecunia summam ducentorum quadraginta millium trecentorum triginta trium talerorum Imperialium eamque Serenissimo Principi Philippo Guilhelmo sponso, & affini nostro charissimo intra spatium duorum annorum Gedani numerari curabimus hoc nimirum modo. Imprimis tertio post peracta sponsalia de præsenti die duodecim millia Aureorum Hungaricalium, quæ viginti quatuor millia talerorum imperialium faciant. Emenso postmodum anno infra octavas Sacri Paschatis anni millesimi sexcentesimi quadragesimi tertij, summam centum novem millium sexcentorum sexaginta sex & medij talerorum Imperialium. Ad extremum altero exacto anno itidem infra octavas Sacri Paschatis anni millesimi sexcentesimi quadragesimi quarti totidem residui centum novem millium sexcentorum sexaginta sex, & medij talerorum Imperialium. Recepta porrò prima uti insinuatum est duodecim millia aureorum Hungaricalium solutione, Serenissimus Princeps Neoburgicus Philippus Guilhelmus sufficientem manuque suâ subscriptam quietationem nobis dare, ut etiam circa secundam, & tertiam numerationem sumarum ad supplementum Principalis sumæ dotalis pertinentium de levatis, & perceptis ab ultimo de universa dote superius specificata officiosè quietare, & instrumenta quietationum, nobis tradere, & transmittere absq; mora debebit, seque traditurum, ac transmissurum præsentibus promittit & obligat. Postea verò post consummatum matrimonium die ipsâ Serenissima Princeps unà cum Serenissimo Principe Neoburgico Philippo Guilhelmo marito suo proprio Hæredumque suorum nomine coram nobis & actis Cancellariæ nostræ omnibus Hæreditatibus & successionibus Paternis, Maternis & fraternis in Regno existentibus excepta infra scripta suma super bonis Zywiec ipsam Serenissimam Sororem nostram concernente, secundùm conceptam inter nos formulam circa actum resignationis eijsdem exhiben- *A.C. 1693*

A.C. 1693 exhibendam renunciabunt. Cum hac tamen exceptione quod si fortè nos Vladislaus Rex prolesq; nostra Regia (quod DEUS avertat) ex hac vita steriliter decesserimus, tunc Serenissima Princeps Soror nostra, unà cum liberis ex ipsa nascituris reservatum jus succedendi in bonis nostris mobilibus, cum Serenissimis Principibus fratribus nostris pro rata portione habebit. In compensationem autem prædictæ dotis idem Serenissimus Princeps Philippus Guilhelmus Serenissimæ Principi Annæ Catharinæ Constantiæ uxori suæ, statim postquam in effectu, & realiter numeraverit sum̃am duodecim millium aureorum Hungaricalium viginti quatuor millium talerorum imperialium, valorem exprimentium; similem alteram summam viginti quatuor millium talerorum Imperialium in bonis suis im̃obilibus videlicet in præfectura Provinciali, sive **Land Gericht** Burglenefenfeldt cum civitate & arce ibidem constituti. Item Schwandorf Satrapia cum civitate & arce ejusdem nominis cum universis & singulis ad eas pertinentibus pagis, villis, Curijs, ædificijs, molendinis, hominibus, censibus, decimis, reditibus, gregibus, armentis, advocatijs, servitijs, feudis Ecclesiasticis, & jure Patronatus, siluis, piscinis, lacubus, fluminibus, aquis, venationibus, aucupijs, piscationibus, & quibusvis alijs utilitatibus, ac com̃uni eorum omnium libertate, superioritate, jurisdictione mero & mixto Dominio editis, interdictis pœnis, mulctis, & omnibus alijs rebus, atq; com̃odis nullis penitus exceptis, quæ hactenus ad ea ipsa bona pertinuerunt, & pertinent vigore præsentium pactorum omni meliori modo, viâ, stylo, & forma juris obligat, & inscribit, ita, ut ex censibus, fructibus, & proventibus dictorum bonorum Serenissimæ suæ conjugi certi reditus summarum tam nomine dotis in quietatione post numerationem ejusdem, exprimendæ, quàm contradotis, tum etiam pro dono nuptiali infra specificando ad rationem quinque per centum quot annis proveniant. Idem quoque se facturum Serenissimus Princeps Philippus Guilhelmus spondet ac promittit, circa numerationem secundæ, & tertiæ ratæ dotis supra scriptæ, ac tam dotis, quàm contradotis, & doni nuptialis correspondentes sum̃as in bonis seorsivis priori rathæ duodecim millium Hungaricalium minimè obnoxijs, ac undequaque mundis ab omni obligatione, oppignoratione, seu hypotheca quocunque nomine censenda, liberis nec non in universis & singulis eorum attinentijs, arcibus, urbibus, oppidis, pagis, villis, curijs, ædificijs, molendinis, hominibus, censibus, & alijs omnibus, juxta omnes & singulas clausulas superiùs specificatas, & recensitas cum fructibus & proventibus ad rationem quinque per centum ut supra computandis, & Serenissimæ Conjugi suæ, quot annis soluto matrimonio extradendis, exhibitis nobis, & Serenissimis fratribus nostris vel legitimis dictæ Serenissimæ Sororis nostræ Tutoribus circa prædictam numerationem ratarum, copijs obligationum infra scriptarum se & assecuraturum præsentibus cavet, & promittit. Seque & successores suos obligat, & inscribit. Quodsi verò proventus doti, contradoti correspodentes, & sufficientes ex præmemoratis bonis, eorumque reditibus annuatim Serenissima conjux percipere non posset, id quod deesset vel deerit ex reliquis proventibus, reditibus cameræ & Ducatuum tam Neoburgi, quàm Juliacensis Montensis, & medietatis Comitatus Raciensburgæ supplebitur. Quos omnes, & singulos dictorum Cameræ, & Ducatuum ac ditionum proventus eum in finem Serenissimæ conjugi suæ, donec, & quousque ipsi de supra dictis pensionibus, tum etiam ejus hæredibus in casu infra exprimendo, de ipsa capitali dotis, contradotis, ac doni nuptialis

alis forte, abundè satisfactum fuerit, vigore præsentium specialis, & generalis hypothecæ nexu, & quàm potest validissimè oppignorat, & inscribit, salvo nihilominus penes Serenissimum Philippum Guilhelmum, tam dotis, quàm donationis propter nuptias usu fructu, quoad vixerit manente, ex quo Serenissimæ conjugi suæ ac ipsius utriusque sexus aulæ, pro statu & dignitate Regiæ Prosapiæ ac Serenissimi Principis Philippi Guilhelmi certi reditus in usus, ac sumptus quotidianos famulitij, ac jumentorum necessarios convertendis assignabantur. Quodsi quæ pars bonorum, & emolumentorum supra nominatorum oppignorata, aut quovis alio modo summis, seu censibus gravata fuerit eam Serenissimus Princeps Philippus Guilhelmus ab omni onere, nexu, & hypotheca, in quantum ea ad proventus Serenissimæ consortis suæ redimere, emundare, & libera facere tenebitur, prout promittit, & se obligat. Illud præterea cavet, quòd omnes Præfecti, Administratores, Procuratores, Quæstores, & Officiarij supra memoratarum arcium, urbium, bonorumque, ad eas pertinentium, ut supra obligatorum, & obligandorum, postquam in potestatem, Dominium & possessionem Serenissimi Principis Philippi Guilhelmi Serenissimæ Annæ Catharinæ Constantiæ uxori ejus legitimæ, ac Dnæ dotalitiæ, ea ipsa bona sine ulla tergiversatione, difficultate tradituros, nec eandem Sernmam Sororem suam, aut quempiam ejus nomine in adeunda eorundem bonorum pacificâ & liberâ possessione ullo modo præpedituros, subditi quoq; dictarum arciũ urbium, & eis annexorum bonorum pro tempore & casu paulò ante specificato omnes & singuli cujusvis ordinis, & conditionis, eidem Serenissimæ consorti homagium seu juramentum præstabunt se post mortem Serenissimi Principis Philippi Guilhelmi Serenissimæ ejusdem conjugi in vivis remanenti donec ipsi & Successoribus ejus tam de fructibus sive pensione contradotis, quàm restitutione ipsiusmet dotis, nec non solutione doni nuptialis in casibus & termino infra nominandis plenariè satisfactum fuerit, subditos fideles ac obedientes fore, incommoda & pericula Serenissimæ Principis præmonituros, & pro viribus suis aversuros, cōmoda verò seriò curaturos esse. Non secus quàm ipsiusmet Serenissimi Principis Philippi Guilhelmi cui hæreditario jure ad prædicta omnia obligati sunt. Insuper Serenissima conjunx vigore præsentis cautionis, quando vigore pactorum præsentium erit in possessione dictorum bonorum inter cætera prædicta habebit potestatem conferendi omnia sacerdotalia & Ecclesiastica beneficia vacantia in ijs bonis ipsis quæcunque ad jus patronatûs, & collationem Serenissimi Principis Philippi Guilhelmi ex nunc pertinent, & pertinebunt: feuda tam nobilium, quàm ignobilium servitiaque nobilium in ijsdem bonis, expeditiones quoque bellicæ tum & exactiones publicæ Serenissimo Principi Philippo Guilhelmo tum & hæredibus Successoribusque suis salvæ & liberæ reservabuntur, sed sine ullo impedimento Serenissimæ Consortis illorũque qui ea nomine ipsius administrabunt, ipsa etiam Serenissima Consors ratione bonorum, & proventuum suorum, à quibusvis exactionibus libera & immunis erit. Tempore belli vel gravissimæ alicujus necessitatis Serenissimo Philippo Guilhelmo hæredibusque ac Successoribus ipsius ad obligatas arces, urbes, munitiones liber erit aditus, ita tamen ut de suo in ipsis sumptus faciant, seq; ipsos & contractam militũ manum sustentent, absque ullo incommodo & damno Serenissimæ Consortis suæ. Quodsi aliquod fieri contigerit, aut aliquid ad eam pertinens quocunq; modo ademptum, labefactatum, ac pessundatum fuerit ex indeque

A.C. 1693

A.C. 1693 deque ex reditibus, & proventibus supra expressis diminutum, vel ipsa etiam commoda, & congrua habitatio prædicta, illud totum integrè intra spatium sex mensium, vel postquam ipsa damnificata requisiverit à Serenissimi Principis Philippi Guilhelmi hæredibus, & Successoribus sartietur & compensabitur. De hoc etiam ab utrinque convenit, quòd Serenissimus Princeps Philippus Guilhelmus Seren. Consortem suam in ijsdem bonis ex causa tam dotis, quàm contradotis, atque etiam doni nuptialis infra specificandi, & aliarum sum̃arum infra specificandarum ijs obligatis, & obligandis, eorumq; munitionibus, reditibus, & com̃odis, quovis tempore, & casu tueri & defendere, proinde atque aliàs ditiones suas absq; ullo Serenissimæ Consortis suæ sumptu & damno tenebitur. Promittit præterea Serenissimus Princeps Philippus Guilhelmus quòd eidem Serenissimæ conjugi suæ postridie post consummatas nuptias doni nuptialis nomine donabit vel assignabit viginti millia florenorum Rhenensium, unde ipsi similes certi, & expediti reditus videlicet ad rationem quinque per centum quot annis provenire possint, ac debeant eamq; sum̃am doti, & contradoti adjunget & in supra nominatis bonis obligabit, & inscribet, ac tam super his, quàm alijs generaliter omnibus bonis immobilibus nullis penitus exceptis, non tamen expressam hypothecam habentibus assecurabit, prout & nunc assecurat. Erit porrò in arbitrio & potestate Serenissimæ Principis Poloniæ & Sveciæ Annæ Catharinæ Constantiæ, in Matrimonio toto vitæ suæ tempore sive liberos ex hoc matrimonio habuerit, sive non, illud ipsũ donũ nuptiale uti propria bona donare cui voluerit donatione causa mortis vel testamento, aut codicillis sive universe, sive particulariter, quam donationem pro rato & grato tam Serenissimus Princeps habebit, quàm hæredes Successoresque ejus ratam habebunt. Licitum tamen eis erit id donum nuptiale, quandocunque voluerint sine cujusvis impedimento in toto vel in parte redimere, sin autem illa sive vivens, sive moriens nihil de eo disposuerit, ad liberos ipsius vel illis difficientibus ad nos Serenissimosq; fratres nostros, eorumque Successores devolvetur. Salva nobis ac Serenissimis fratribus nostris, tum quoque nostris, ac ipsorum Successoribus hypotheca expressa supra memoratorum bonorum cum usu fructu, vel eo, quod interest, donec in omnibus satisfaciat. Quod si ex illis bonis assignatis, reditus ratione doni nuptialis rectè quot annis provenire non posse videbuntur, quidquid deerit ad rationem dictarum summarum, ac proventuum Serenissimus Princeps Philippus Guilhemus ejusque hæredes de expeditissimis reditibus supplebit factaq; inscriptione præstabit. Si verò nec illa adhuc ad explendos annuos proventus suffecerit, aut si quo adverso casu, sine culpa ipsius Serenissimæ Principis nominati proventus diminuti fuerint, in alijs certis bonis suis Serenissimus Princeps Philippus Guilhelmus hæredesq; ac Successores ejus quidquid desiderabitur, demonstrare, & assecurare tenebuntur. Ita tamen ut per omnia Serenissimæ Principis dotis, contradotis, deniq; nuptialis nominibus cautum, & provisum sit. Illud etiam cavetur, ut si quæ debita Serenissimi Conjuges sive alteruter eorum quò ad ambo vivent contraxerint ea ab hæredibus, & Successoribus Serenissimi Principis Philippi Guilhelmi absq; ullo incommodo, & detrimento Serenissimæ Principis exolvantur. Quod si Serenissima in possessione eorundem bonorum existens, æris alieni quidpiam in rem suam contraxerit, ac post se reliquerit, id hæredes ipsius sine damno, & molestia hæredum & Successorum Serenissimi Principis Philippi Guilhelmi refundent. Conventum præterea est, quod Serenis-

Serenissimus Princeps Philippus Guilhelmus clenodia Serenissimæ Consortis suæ valoris trecentorum millium talerorum imperialium, supellectilem argenteam valoris centum millium talerorum imperialium ac reliquam paraphernam sive importatam, sive durante connubio ac deinceps acquisitam juxta inventarium eo nomine confectum, ac manibus nostris ab utrinque subscriptum integre sit conservaturus, nec quidpiam de supradictis omnibus ullo unquam tempore alienaturus nisi urgens necessitas id postulaverit, & de expressa scientia ac consensu Serenissimæ Consortis permissum fuerit, ita tamen ut quidquid alienandum vel oppignorandum erit à fide dignis hominibus medio juramento priùs æstimetur, postea verò res ipsa vel æquivalens, vel justum rei alienatæ pretium Serenissimæ conjugi vel ejus hæredibus & Successoribus legitimis restituatur. Cæterùm cùm præter dotem, clenodia, supellectilem argenteam variæ summæ pecuniariæ unà cum fructibus,& reditibus annuis ex ijsdem proventibus jure naturalis successionis & alio quovis legitimo juris titulo ad Serenissimam Principem Sororem nostram pertineant utpote in Neapolitano Regno sum̃a octoginta unius millium sexcentorum sexaginta sex ducatorum in bonis Zywiec Regni nostri sum̃a sexaginta sex millium talerorum Imperialium, item in bonis Vitingau Regni Bohemiæ à S. C. Mte inscripta sum̃a sexaginta sex millium talerorum Imperialium, & alia in ijsdem bonis undecim millium talerorum imperialiũ. Item in bonis Ducatus Bransuicensis sũma octo millium aureorum Hungaricalium, ita conventum ut postquam prædictas sum̃as, seu aliquas earum in toto vel in parte constante matrimonio Serenissimus Princeps Philippus Guilhelmus cum consensu Seren. Consortis suæ levaverit, receperit, seu alio quovis modo de ejsdem, seu earum quâvis parte disposuerit, tantundem in bonis suis immobilibus, æquivalentibus mundis, & liberis, ex quorum fructibus, & proventibus ratione prædictarum sum̃arum quinq; per centum ut supra annuatim proveniant specialiter inscribere, & assecurare tenebitur. Præterea cum omnes insimul ex æquo morti sumus obnoxij, convenit, utrinq; si Serenissimus Princeps Philippus Guilhelmus, priusquam Seren. Consors ipsius vitâ excesserit, relictis ex ea liberis impuberibus & minorennibus, ut illi tutores constitutos habeant, Seren. verò Princeps Consors sua legitima facta vidua, dimissis alijs bonis ad obligata sibi & inscripta ratione dotis, contradotis, doni nuptialis, & alio quovis juris titulo se conferet, ijsq; ad beneplacitum suum utetur, fruetur, omnẽ quoque supellectilem cujusvis generis, & materiæ, item aurum, argentum, clenodia, margaritas, pecuniam, vestes, instrumenta convıalia, aliaque his similia sive secum in provinciam importata, sive sumptibus suis cõparata, seu alio quovis justo titulo quæsita, aut in nuptijs oblata libere apportabit, ijsque fruendi, & libere disponendi plenariam habebit facultatem. Cedent quoque eidem Serenissimæ conjugi greges omnes, armenta, & alia quævis animalia; item cuncta supellex, & instrumentum omne rusticum domesticum, penu vini, fructuum, frugum, olerum, & omnium aliarum rerum, ad alimenta hominum, jumentorum, & quorumvis animaliũ pertinentium quæcunque in supra memoratis arcibus, civitatibus, oppidis, prædijs rusticis, & urbanis domibus, bonisque tunc condita vel etiam recondenda exstabunt, & reperientur juxta certum legitimumque inventarium pro tunc super ijs omnibus rebus conficiendum; fructus quoque in bonis dictis ad minimum unius integri anni Serenitati suæ repræsentari debebunt, & si quid desiderabitur hære-

A.C. 1693 des & Successores Serenissimi Principis Philippi Guilhelmi seu eorum tutores aliunde supplebant. Tametsi autem liberi ipsius in potestate tutorum suorum erunt, licebit tamen ipsi Serenissimæ Principi Viduæ factæ, filios parvulos, filiásve cujuscunque ætatis penes se educare, suppeditatis, & alijs bonis eorundem liberorum hæreditarijs non tamen Serenissimæ Principi aliquo titulo juris obligatis pro statu & dignitate eorundem sumptibus, & impensis. Et ut Serenissima Princeps Consors sua relicta vidua tempore viduitatis suæ, sive proles fuerit sive non, tantò magis congruam splendori suo sustentationem habere possit. Idem Serenissimus Princeps promittit & se obligat, quòd hæredes & Successores ipsius præter annuum usumfructum, & reditus ex dote contradote & dono nuptiali, alijsque supra recensitis quibusvis sumis pecuniarijs proventibus annuatim quatuor millia florenorum Rhenensium solvent, quæ ultra præfatos census & proventus in quatuor anni terminos distributim Serenitati suæ repræsentabuntur, etiamsi extra provinciam non susceptâ ullâ prole ipsi commorari placuerit. Quodsi ad secunda vota transierit, nihilominus usumfructum obligatorum sibi bonorum habebit, sed in potestate erit hæredum & Successorum Serenissimi Principis Philippi Guilhelmi omnia ea bona (universe tamen non particulatim) ab ipsa redimere repositâ,& numeratâ sumâ dotis,& doni nuptialis nec non salvis fructibus,& proventibus annuis ad extrema vitæ suæ tempora extradendis ex suma contradotis, hæc tamen redemptio intra uni⁹ anni spatiũ factâ in scriptis præmonitione fieri debebit.Hoc etiã convenit, ut quidquid Seren. conjunx Princeps de dote, dono nuptiali, clenodijs, argento, parapherna suppellectili alijsq; facultatib⁹ moriens testamento seu aliâ quàvis dispositione reliquerit, aut donaverit omniũ legitima portio liberis primi matrimonij cedet. Cavet præterea & promittit Serenissimus Princeps Philippus Guilhelmus præsentibus hisce ubi præpotens DEus Serenitatibus suis ex hoc matrimonio prolem masculam concesserit filius ex Sernma Principe susceptus aut si plures fuerint semper natu major post mortem Sernmi Principis in omnibus Principatibus ac dominatu terrarum & ditionum suarum etiam in hæreditatibus, quæ per susceptionem ad eandem lineam devolventur immediatè non obstante eò si Sernmus Princeps alium vel alios ex alio matrimonio filios susceperit, succedat cum suis descendentibus. Insuper filiæ si quæ ex matrimonio extabunt, nec Sernmo Principi in principatu succedent de bonis Paternis pro dignitate ipsarum sufficienter dotabuntur. Cæterum si nulli prorsus liberi ex hoc matrimonio suscepti, vel post mortem Sernmi Principis Philippi Guilhelmi relicti fuerint, eo modo, quo supra expressum est, Serenissima Princeps vidua relicta possessionem bonorum & proventuum, quorumvis tam Dotis, Contradotis, seu donationis propter nuptias, quàm doni nuptialis, sumarumq; superius specificatarum nominibus, & alio quovis legitimo titulo sibi obligatorum, sine cujusvis impedimento, etiam propriâ authoritate statim adibit, eis libere, & pro arbitrio suo utetur ac fruetur, Post obitum verò Serñmæ Principis Sororis nostræ, contrados quidem seu donatio propter nuptias ad proximos & legitimos Hæredes Serñmi Principis Philippi Guilhelmi redibit. Quod autẽ attinet dotẽ, donũ nuptiale sumas supra memoratas, Clenodia argentũ & paraphernã supellectilẽ, quas (contradote excepta) eadẽ Seren. Princeps Soror nostra durante matrimonio, vel antè justo aliquo titulo acquisiverit, si superstites liberos reliquerit, ijs ea õnia cedere debebunt. Si verò nati steriliter decesserint, aut nulli prorsus nati fuerint ad nos & Seren. fratres

tres nostros, & eorum successores ea omnia jure natalis, & legitimæ successionis devoluta mandatarijs nostris bona fide & ad amussim intra decursum medij anni à Serenissimo Principe, vel ejus hæredibus restituentur & extradentur, juxta vera à nobis confecta & ab utrinq; subscripta inventaria, nisi de iis Sernma soror nostra in toto vel in parte aliter dispofuerit, & ordinaverit. Illud etiam Sernmus Princeps Philipp9 Guilhelmus promittit, quòd de dote congrua matronis, & virginibus cum Serenissima consorte sua extra Regnũ profecturis, & mansuris de consensu Serenitatum suarum matrimonium contrahere volentibus habitâ ratione personarum gratiosè providebit. Nos igitur Vladislaus IV. unà cum Sernmis principibus fratibus nostris, ac Sernma Sorore nostra Domina Anna Catharina Constantia nostris ac omniũ hæredum, & Successorum nostrorum nominibus suprascripta pacta, & conventa matrimonialia, cum conditionibus in ijsdem expressis, & qualibet illarum perpetuò firma rata habere, & conservata in verbo Regio promittimus, ac pollicemur. Nos quoque Philippus Guilhelmus pro nobis nostrisque Hæredibus & Successoribus, eadem omnia rata grata perpetuò nos habituros, tum quoque Serenissimum Principem ac Dnum Volffangum Vilhelmum comitem Palatinum Rheni, Bavariæ, Juliæ, Cliviæ, & Montium Ducem, Parentemque nostrum speciali consensu, & ratihabitione eadem omnia approbaturum, omni meliori modo, ac forma Juris cavemus, assecuramus, ac fide, honore, & verbo Ducali, recipimus, spondemus, & sancte promittimus. In cujus rei fidem nos & Serñmi Principes Fratres nostri præsentes manibus subscripsimus, ac sigillis munivimus. Serñmus quoque Philippus Guilhelmus Princeps Neoburgicus subscripsit & signavit. Datum Varsaviæ die 4to Mensis Aprilis Anno Dni millesimo sexcentesimo quadragesimo secundo, Regnorum nostrorum Poloniæ & Sveciæ X. Anno. Et erat sub impressum Sigillum, & subscriptum. Ad mandatum S. R. Mtis proprium Alexander Trzebinski Referendarius Regni Serñmæ Principis Cancellarius m. pp. A.C. 1693

Hinc nos quantum augmenti, & cōmodi universo orbi Christiano, tum verò vel maximè, quantum utilitatis domui nostræ ex novo hoc cum tanto Rege suæq; Mtis Sernmâ domo Regia necessitudinis vinculo accedere possit, maturè perpendentes vigore præsentium fatemur, & attestamur. Nos non modò matrimonium hoc, & omnia ea quæ circa illud ipsum in suprainsertis pactis conventa conclusa, & à Charmo Filio nostro præstanda sunt grata & accepta ratihabere, verùm etiam spondemus firmiter ac sub fide & verbo nostro Ducali pro nobis nostrisq; Hæredibus & Successoribus promittimus & assecuramus nos omnia & singula quæ in dictis pactis à Dilecto Filio nostro promissa sunt, etiam eo, quem tamen DEus avertat casu, quo ipsum ante nos vitam cum morte cōmutare contigerit in omnibus punctis, & clausulis, & articulis fideliter, & inviolabiliter observaturos, & præstituros non minùs, quàm si nos ipsi hisce tractatibus Pactis, & conventionibus præsentes interfuissemus, eademq; ab initio interventione, jussu, consilio, & authoritate nostra tractata, inita & conclusa essent. In cujus rei fidem præsentes hasce literas manibus nostris subscripsimus, & sigillo nostro corroboravimus; Datæ in residentia nostra Euseldorff die 21. mensis Junij Anno MDCXLII. Volffangus Guilhelmus Comes Palatinus. (*L S.*)

Quas quidem literas præinsertas ratas, & gratas habentes ad acta præsentia suscipi, ijs inseri authenticumq; earum rescriptũ extradi mandavimus. Quibus in fidem præmissorum omnium meliorem, sigillum

Qqqqq 2 Regni

A.C. 1693 Regni noſtri eſt appreſſum. Actum & datum Varſaviæ feriâ tertia poſt Feſtum S. Mathiæ Apoſtoli & Evangeliſtæ proxima Anno 1642 Regnorum Poloniæ 10mo Sveciæ verò 11mo Anno. Haſce itaq; ſupraſcriptas omnes, & ſingulas literas diverſis in locis modo præmiſſo, coram actis præſentibus tam recognitas, quàm per oblatam ad acticandum porrectas & iisdem inſertas prout in iiſdem continentur de verbo ad verbum deſcribi, & ſub ſigillo majori Regni Cancellariæ extradi juſſimus. Relatio Rndmi in Chriſto Patris D. Petri Gembicki Epiſcopi Cracovienſis Ducis Severienſis Regni Poloniæ ſupremi Cancellarij. Quas quidem ſupra inſertas literas prout in actis metrices Regni Cancellariæ cõtinentur de verbo ad verbum fideliter deſcribi, & parti affectanti in forma authentica extradi permiſimus. In cujus rei fidem præſentibus ſigillum Regni eſt appreſſum. Actum & datum Varſaviæ Sabbato ante Feſtum Nativitatis Beatiſſimæ MARIÆ Virginis, proximo die ſcilicet 5. menſis Septemb. Anno Dñi 1693. Regni noſtri 20. Anno. Relatio Illmi & Rndmi in Chriſto Patris Dñi Georgij Albrachti Denhoff DEi & Apoſtolicæ Sedis Gratia Epiſcopi Premiſlienſis Præpoſiti Plocenſis Abbatiæ Vitovienſis perpetui Adminiſtratoris Supremi Regni Cancellarij.

Mathias Ladowski S. R. Mtis Secretarius.

SALUTATIO EPISCOPI PLOCENSIS A CAPITULO.

ANte tuum me ſiſto conſpectum Antiſtes Illme, tuo nutu pro me, & pro tota Diœceſi expecto ſententiam, humillima tibi ſternens vota, ut venias ſponſus in ſponſæ gremium Paſtor ad Populum, Pater ad filios. Habes in me uno omnes tuis acclines plantis Illrme ac Rndme Dñe Paſtor, & Pater noſter ampliſſime. Te ipſum, à te ipſo nobis dari petimus, qui Eccleſiæ Sanctæ, & noſtrûm omnium bono, felicitatiq; temporum noſtrorum favore Superûm es donatus, ut ſi adhuc cum Plinio dubitaremus forte, caſuq; Rectores terris, an aliquo Numine darentur, te tamen nobis liqueret ob inſignia in DEum merita divinitus præſignatum, & cælitus datum, qui etiam à JOANNE III. ter felici auguſto, & bellicoſiſſimo Monarcha, quo virtute, fortitudine & gloriâ major in orbe non ſurrexit nobis in tuo Gentilitio inſigni deſignatum. Ecce Agnus DEi. Trahit nos in vota tua imortalis gloriæ fama Celſiſſimi Principis Andreæ Olſzowski Primatis Regni, & Supremi Regni Procancellarij tui Præſul digniſſime Avunculi chariſſimi, cujus facundus, & non ſterilis ſermo in Senatus Conſulti deliberationibus, ingenium Divinum, & promptum in expediendo, mens generoſa in diſſolvendis arduorum negotijs in te uno repræſentatur, & hæreditario jure tibi vendicatur. Trahit nos in tui venerationem Illmi Palatini Ravenſis Patris tui digna Senatorio ordine prudentia, & incomparabilis bonitas, Illmi Caſtellani Ravenſis, non ita pridem Mareſchalci Tribunalis Regni adminiſtranda juſtitia Fratris tui oblivioni nunquam caſura memoria. Quid dicam de tua pietate quàm Sacra Divorum delubra tuo nomini quovis modo conſignata ubiq; teſtantur. Taceo publicas legationes ad Serñmas Galliarum, Hiſpaniarũ, Portugalliæ coronas comiſſas, cũ quanta gloria ibidem peractas Gentis Poloniæ, & nominis tui. Sed hæc teſtantur annales, legetque poſteritas. Intermitto legationem non ita pridem peractam, apud Seren: Brandeburgicum cum ſummo applauſu, cum non minori emolumento Poloni Orbis immortali gloriâ nominis tui ibi relictâ unicum comemorare cogor non ſine innata tua verecundia.

quòd

quòd prim⁹ Polonorũ Parisijs Seminariũ nũcupatũ bonorũ puerorũ tuâ mãsione decorasti, hoc ipsũ designãdo qualis futur⁹ esses Põtifex. Venim⁹ igitur ad te, ut venias ad nos, & imperes nobis. Venias serenissimo virtutis, generis, & honoris splendore Sol Illustrissime, ad illustranda tuæ præsentiæ radijs minora sydera, & corda nostra pridem tui desiderio accensa, non tam extingue, quàm in triumphales ignes abire concede. Imple exhausta desideria nostra tuo adventu, quæ toties lentum incusare solem, quòd tardè Diœcesi nostræ eum invehat diem, quo tu non tam curru, quàm lætis cordibus, nec tam Allentinus trabeatus equis, quàm candidis gestientis cleri, populique applausibus ad tuam invehêre Cathedrã, cur felicitatem nostram, quam ex tuo speramus adventu moraris, cur nos & tuam Diœcesim felicem esse citò non finis, ut videat novum in sapientia Salomonem Regem suum in diademate, quo coronavit eum *Ecclesia*, & Patria Mater sua, in te oculi respiciunt totius Isràél, te vota *omnium* & pectora tuo nomini devota anhelis expetunt affectibus. Te ipsa Divorum delubra non tam apertis portis, quàm intimis penetralibus suscipere, & in Pastorali throno sedentem videre exoptant; occupa pientissime Numa tuam Plociæ, Dobriniæ, & Mazoviæ totius Romam in Regno fidei tributa ab ea accepturus. Det tibi DEUS, quod solus dare potest, addat annos de nostris etiam annis lectos, amplificet virtutes quarum tu summa es. Det tibi cœlum beatos vitæ soles, quos innubes numeres. Det tibi orbis primos honores, quos mereris, non sit meta, quam non teneas, non annales, quos non impleas, non anni, quos non vivas nostrûm omnium ætatem unus tu vide Ecclesiæ, Patriæ, DEO, & immortalitati. Prehende sacros fasces Divine Tulli pastor, Pater, & mitissime, non ex gentilitio tantùm stemmate, sed ex moribus magnis Agne, ante quem tanquã Apocalyptico candore virtutum consimilem, non seniores solùm, sed omnis multitudo populi prona cadit, illa ingeminando verba, dignus est Agnus accipere virtutem, honorem, gloririam, & benedictionem, dignus inquam, quoniam si in medio populi reget populos, non cadet super illos sol, sed nec ullus æstus, imò deducet eos ad fontes vitæ. Suscipe hæc vota, & humilia postulata nostra, non tam uno omnium ore, quàm unanimi corde prolata. Quodsi benevolâ admittes aure, jam totam Diœcesim sacras Divorum Aras, & amplissimam totius Capituli, favori tuo tributarij coronam novis gaudijs, & novâ coronasti felicitate.

A. C. 1693

SALUTATIO ANDREÆ C. ZAŁUSKI EPISCOPI PLOCENSIS
Per Nicolaum Popławski Episcopum Livoniæ Decanum Plocens.

EXultans, lætabunda, jubilans, laudans, manibus pedibusq; plaudens, procedit hodie in occursum Tuum CELSISSIME PRÆSUL, Plocia, ejusq; Ecclesia, Diœcesis, Cathedra cum suo numerosissimo Senatu Clerus, Populus, Universiq; Fidelium Gregis Tui Cœtus, Juvenes, Senes, cum junioribus psallentes, citharisantes, laudantes Nomen Domini: quia exaltatum est Nomen Tuum super illos, & gloria Tua orta est eis. Quia dum alibi tenebræ operiunt terram & caligo populos, super hanc quasi alteram Jerusalem oritur Dominus, & gloria illius in ea videbitur. Stupet Orbis Christianus, Ausoniæ Regna exultant, Civitas Neapolitana deprædicat magnalia mirabilia DEi, dum in conspectu Sacri Capitis Divi Januarij concretus ebullit, congelatus effervescit sangvis. Plaude & simul mirare Plocia hodie & Caput Tuum Re-

A.C. 1693 gium, Diviniſſimi inquam Tutelaris Tui Sigiſmundi & univerſa Membra, incaleſcere ſangvine, rubicundas oſtentare genas, cordibus efferveſcere, ad conſpectum Præſuleum Capitis; Tui inquam ILLUSTRISSIME EXCELLENTISSIME ANTISTES ad cujus intuitum populus univerſus jucundus ſecundùm faciem Sanctorum, celebrat deſideratiſſimum Tui adventûs diem; Sacrum Tuæ inaugurationis apparatum; plaudit feſtivus in die deſponſationis Tuæ, quo Te Sponſum Patremq; ſuum coronavit hæc Mater Eccleſia, ſibiq; & præeſſe feliciter & prodeſſe utiliter agnoſcit. Ipſa dierum quatuor celebrium ad populum continuata ſolennitate, magnam ſibi tecum adeſſe monſtrat feſtivitatem, dum fauſtiſſimum ingreſſus Tui Natalem, Natali Glorioſiſſimo Principis Paſtorum, adæquare nititur, biduo aut triduo aliarum minimè contenta ſolennitatum, aſſumit illam, quæ eſt ex quatriduo maxima; quæ ut eò magis celebrior appareat ab aſcendente in Cœlum eam auſpicatur, ac triumphante in Cruce terminat Salvatore. (*Plociæ tum quatuor Feſta celebria ad populum*)

Cauſam tanti gaudij ac lætitiæ non à longè quærimus; in Te & in Tuo Nomine tota colligitur, PRÆSUL ILLUSTRISSIME, dum Te & Paſtorem & Agnum, Agnum & Paſtorem deprædicamus, in Agno Paſtorē, Agnum in Paſtore conſpicimus. Bonus Paſtor CHRISTUS; quia priùs Agnus à Joanne annunciatus: Ecce Agnus DEI. Bonum Paſtorem Te Nobis gratulamur; quia ſimul Agnum à JOANNE III. Ter Auguſto Noſtro, Te Plocenſi Eccleſiæ Paſtorem enuntiatum, applaudimus. Grata ſunt omninò Nomina, quæ deſignant protinus actiones, quando tota ambiguitas audienti tollitur, ubi in Nomine concluditur, quid agatur.

Attentum fore te Univerſo gregi, in quo Te Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam DEI, quam pretioſo acquiſivit ſangvine, plùs quàm certò pollicemur, quia in Agno Suo, Paſtori Grex Suus præſens, ac ſub aſpectum continuò veniens erit. Longiſſimè etiam conſtituti, ſerenus mentis Tuæ oculus conſpiciet, & videbit gregis ſui merita: quia in Agno ſuo, ſibi ubiq; occurrentia.

Novus Eccleſiæ, Diœceſiq; Plocenſi oriris Aaron, portavit ille Nomina omnium Tribuum Iſraël ſuper utroq; humero. In Agno Gentilitio Tuo portabis Tu Paſtor validiſſime, univerſi Gregis Tui Nomina, non ſuper utroq; humero tantùm, ſed in Corde, in Ore, in Te toto, quia totus es Agnus & totus Paſtor. Si Hypponenſi credimus Præſuli: Nomen Epiſcopus, nomen eſt operis; non honoris. Aſt ubi magis, hoc ita eſſe oſtenditur, quàm in Te ILLUSTRISSIME PRÆSUL; qui ſimul Paſtor & Agnus fidem ſervans facis facieſq; ſemper opus Tuum, quod datum eſt Tibi usq; ad conſummationem. Intentus gregi, ſedulus olim Paſtor agebat de ſe: Nocte dieq; urgebar gelu, fugiebatq; ſomnus ab oculis meis. Tibi Paſtor Vigilantiſſime Grex Tuus præ oculis in Agno Tuo ſemper aſſiſtens fugere faciet ſomnum, nocte dieq; in Officio Paſtorali Summus ſtabis Sacerdos.

Pridem optavit Eccleſia Paſtorem in brachio ſuo congregantem Agnos, & in ſinu ſuo levantem. Jam plaude manibus Plocia, jubila plauſibus, intona vocibus dicens: Ecce quod concupivi, habeo; quodq; quæſivi teneo; Paſtorem toto corde poſſideo; qui quoties Agnum ſuum paſcet, toties in Agno Gregem ſuum paſcet, toties in Agno Gregē ſuum congregabit, in ſinu ſuo levabit & fovebit; quia ſimul Agnus, Agnus & Paſtor. Providit Te Dominus DEus Spirituum, elegit Te, ac prælegit ex millibus, ut ſis ſuper multitudinem hanc Gregis, ac magnitudinem, latitudinemq; Diœceſis Tuæ, ne ſit populus iſte, ſicut Oves absq; Paſtore

Pastore. Et certò certiùs nunquam erit grex iste absque Pastore; sicut neq; Agnus Tuus sine Te. Non opus est Tibi testem invocare DEum, quomodo cupias Gregem Tuum in visceribus Tuis, spontè hoc credit, legitq; in vultu Tuo idem ipse Tuus, dum se in Agno, Agnum in Pastore Tuo in Tuis collocatum cernit visceribus. *A.C.* 1693

Commissis sibi velint esse alij Pastores semper formidini, raro utilitati; Tibi nunquam præesse, quin simul prodesse innatum: quia quantùm Pastor prælatus ad dignitatem, tantùm Agnus collocatus ad utilitatem, subditorum Tuorum magis Mater, quàm Dominus, amari magis, quàm timeri studens; quia hoc posterius procul ab Agno, prius Agno ingenitum; à quo in Pastore jam quasi prolatas auscultant voces. Ipsi me utantur, ut libet, tantùm ut salvi fiant, parcent mihi, si non pepercerint, & in eo potiùs requiescam, si non me inquietare timuerint pro suis necessitatibus. O gratam! ô dulcem! ô ter quaterq; optatam vocem Agni in Pastore.

Talis Nobis decebat esse Pontifex, talis Pastor; qui non ut suas allevet, subditorum augebit molestias; cui spem superare, cupienda prævenire, præstare, quàm cuiquam optare velocius. Soli Tibi elogium Præsul Illustrissime, bene meritos sine spei tormento munerari, sine expectationis Martyrio præmiari, quandoquidem hæc desiderata in grege, in Suo priùs transparebunt Agno. Quæ reliqui mirantur, generosè despicis, ea tantùm bona ratus, quæ virtutem exercent, aut innutriunt, honesti laboris semper exambiens consortium, lucri dedignans augmentum. Episcopalis namq; mitra Tua, non tam de gemmarum splendoribus, quàm de subditarum Tibi Ovium commodis fulgurans, è domestico Gentilitij Tui Agni Vellere, in utilitatem commissi gregis operosâ sapientiæ, & virtutis Tuæ dexterâ contexta. Hinc æternum laudis Tuæ monumentum; quod nulla inimica manus atterat, nulla ætas decoquat, nulla obscuret ingratitudo. Arcus, Statuas, Aras edacitas sæculorum consumit, oblivionis ingratitudo dediscit, posterorum malignitas carpit, illud solùm, quod in salute omnium lucet, temporibus non valet obscurari. Ergo jam magno Virtutum comitatu stipatus ingredere Basilicam hanc Plocensem Desideratissime Antistes. Ingredere ut Pastor; Ingredere ut Agnus, cui non jam viginti quatuor, sed sexaginta quatuor Seniores, quia Tui gloriosissimi Prædecessores Augustam paravêre viam. Imples eorum vestigia meritorum paritate, temporum serie Succedaneus, Virtutum & honorum splendore Antecedaneus. Mittunt Præsuleas suas coram Te Agno Coronas, secundo ascende gressu Secundus & ipse inter 64 Zodiaci seu Cœli hujus Plocensis signa Agnus.

Ingrediatur tecum absens licet, nostrûm omnium affectibus Præsens Candidissimus sinceritate, Humanissimus societate, Piissimus Religione, Svavissimus conversatione, Modestissimus locutione, Justitiâ celeberrimus, Consilio saluberrimus, Illustrissimus Parens Tuus Palatinus Ravensis, cui illud in vita Beatitudinis obtigit, quod vix paucis obvenire divinitùs concessum. Plerisq; gloria cum vita consenuit, illi revixit, quando se ipso Majorem genuisse sibi, Te gratulatur Senatorem. Talem illum natura formavit, qualem diu requisiêrunt secula, nec parem polliceri sinit ætatum sterilitas: ut enim ad immortalitatis fastigium Illmæ suæ progeniei monstraret iter, ipse per eximiarum Virtutum & meritorum templum ad Aras honoris facem prætulit.

Ingrediatur tecum Illustrissime Antistes pulcherrima Fratrum tuorum Corona, qui hodie steterunt circa Te, quasi rami palmarum, quasi

A. C. 1693 quaſi Cedri in monte Libano, & omnes Gloria, Decus, Præſidium, Solatium Patris, Tuiq; Fratris Illme Ludovice; Tu es, qui in vita Tua ſuſfulſiſti domum, & in diebus Tuis roborâſti Eccleſiam Premislienſem, dum fortiſſimi Atlantis Epiſcopi inquam Premislienſis factus es Suffraganeus. Tu Rndme Martine Cracovienſis Cathedræ Senatum adornans. Tu Illme Alexander, Caſtellaniæ Ravenſis honore inſignite. Tu Illuſtris Hieronyme Faſcium Cujavienſium Præſes. Tu Magnifice Franciſce Vexilli Livenſis ſtrenuus Geſtator.

Ingrediantur tecum Illuſtriſſimarum Familiarum decora; Olſzoviorum, Kazanoviorum, Duninorum, Koniecpolſciorum, Oborſciorum, Fredrorum, Kroſnowſciorum, Koryciniorum; Aſt quantus Tui ſolius Virtutum Comitatus ingreditur? Porta patens eſto. Aperite quotquot eſtis Veſtri penetralia Cordis. Ingrediatur ſuam Cathedram Paſtor, non jam per humeros, ſed per præcordia Civium, Ordinum, Statuum. Tua imprimis Ter Auguſtum Capitulum, Electi Proceres, ac Prælati Cathedræ iſtius. Veſtra Religioſiſſimi Ordinum SS. Benedicti, Dominici, Ignatij Cœtus. Veſtra numeroſiſſimi Cleri populiq;. Hæc profectò Tibi Illuſtrissime Antiſtes, pridem Tua Celſiſſima fecit patere dignitas. In quibus ex voto omnium Fortunatiſſimus vivas, valeas, foveas, gubernes, imperes, diligas. Præſis ſupremâ dignitate ut Paſtor; proſis providâ utilitate ut Agnus. Dixi.

RESPONSUM AD SALUTATIONEM.

Ingredior arduum Virtutum Apoſtolicarum iter ſublimem, Auguſtum Divumq; plurimùm dilectæ thalamum ſponſæ, ſed quantùm trepidare gradu, quantùm reluctari & in ipſo limine pertimeſcere virium tenuitatem cogat imbecillitas mea, faciliùs eſt mihi cogitare, quàm eloqui: Excellentiſſimi, Perilluſtres, cæteriq; Confratres in Viſceribus Chriſti Chariſſimi. Terret me imprimis ſuſceptæ altitudo dignitatis, & quod jam pedibus teneo, lubricum perículoſi theatrũ præcipitij. Ex alto plerumq; ruimus mortales. Ex ſublimi auge prolapſi ſoles occidunt, altiora terris ſydera extingvuntur, humile terrarũ elementum moveri poteſt non cadere, quò ruat non habet. Sola nimirum ſublimitas certa menſura eſt præcipitij infelicis. Occurrunt trepidantibus oculis hinc Regiones albæ ad meſſem, quam à nobis rigidiſſimè exigit magnus Agricola, inde Operarij pauci admodum, hinc ager ſpinis urticiſq; horridus, inde labor mortalis ævi ſpatio major impares tenet in ambiguo conatus. Vocati ſumus in admirabile lumen, illuſtrandis illis, qui in tenebris mortis ſedent. Miſit Nos Dominus tanquã Angelos veloces, ad gentem convulſam & dilaceratam, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti: quid tanto munere ſublimius? hoc enim opus non humanum eſt, ſed ſupra naturæ ordinem, ideoque Divinum cenſetur cooperari DEo in ſalute animarum, quia Domini eſt ſalus. Vocati ſumus à Domino pretioſi lapides Sanctuarij electi de ſæculo nequam in admirabile lumen & lucem gentium. Nos ſumus lux in Domino, nos ſal terræ, quodſi ſal evanuerit in cogitationibus ſuis in quo ſalietur? eligant ſibi alij partes quibus fruantur terrenas & temporales; portio Sanctorum Dominus eſt æternus. Bibant alij mortiferas voluptates, pars calicis noſtri Dominus eſt. Profectò: Nimis avarus eſt cui DEus non ſufficit. Portio noſtra Dominus eſt, nec recedere debemus à poſſeſſione Domini, in hæreditate Domini morari, ut in Re-

gno

gno illius inveniamur hæredes DEI, cohæredes autem Christi. Quomodo autem nimis altum procellosumq; hoc tot difficultatum mare, syrtibus ita frequens, ac infame naufragijs superandum? ingenuè coram DEo, cui nuda & aperta sunt omnia, mentem intimam & cor meum aperio, quòd facilius promptiusq; mihi foret, consideranti profundiùs imperfectum meum tam difficili renuntiare provinciæ, quàm Angelicis humeris formidandum pondus cum tanto periculo suscipere, sive enim præsentia intueri velim, solennem nempe hunc paratum sacrorum, excitos Universæ Diœcesis Mystarum Christi Flaminumq; cœtus atque comprimis Augustum ducalis Vestræ Cathedræ senatum, quid aliud sensibus imponit meis, iste triumphantis Ecclesiæ plausus? quàm ut astitisse Reginam in vestitu deaurato à dextris aræ istius monitu Prophetico credam. Reginam inquam formosissimam, sanctum & venerabile Numen. Civitatem hanc sanctam sicut sponsam ornatam Viro suo Christo, cujus inæstimabilis decor mortalem meum hebetat visum, mentem admiratione suî attonitam, stupentemq; reddit. Sive retroacta altiori cogitatione revolvere libet, occurrent evestigio mihi in hac sacratissima sede veræ pietatis cultricis Masoviæ illa sancti probiq; moris exempla spectanda imitandaq; simul, quibus enarrandis grandes septem sæculorum non suffecêre Annales. Occurrit series longissima Patrum & Divorum Antistitum loci istius splendidissimus ordo, quorum im̃ortali gloriæ ad posterorum transmittendæ memoriam eruditi Lubliniorum Longinorumq; calami succubuisse videntur. Quantus igitur instat sequacibus sudor ad curæ Pastoralis gloriosum obsequium, post tot inclytos Præsules eluctari, quorum exactum vitæ integerrimæ cursum per omnes Pontificiæ perfectionis numeros quicunq; inspexerit, advertet fuisse omnes cœlicolas, omnes supera astra tenentes. Impar credite mihi tanto oneri imbecillitas mea foret quod suprema in terris INNOCENTII XII. gratia, & singulare Clementissimi Regis JOANNIS III. judicium indignitati meæ imposuit, nisi formidinem animaret increata imprimis sapientiæ veritas, sicut fallere ita falli nescia, quæ omne robur & omnẽ sufficientiam Vicariæ suæ in terris potestati ex alto pollicetur usq; ad consum̃ationem sæculi; DEi enim Adjutores sumus, & ubi Christus fundamentũ est bonorũ operum, ædificium sequi debet. Promovet præterea tenuitatem meam ad suscepti Ministerij fastigium & quasdam addit alas amor Vester & conspectus multò mihi gratissimus Dilecti mihi socij in adjutorium hujus Ministerij unà mecum vocati, in quorum insigni probitate magnam spei meæ partem repono, speroq; daturos Vos auxiliares remos & vela exiguæ virium mearum naviculæ quæ non unius cujusdam Cæsaris fortunam sed tot populorum salutem vehit. Tam solido igitur nixus fundamento non sum admodum solicitus, quid ad ea respondeam, quæ in suscepti muneris decursu accidere possunt, credo enim quia dabitur in omni hora quid unicuiq; respondere debeam, quantumvis pari virtutum comitatu destitutus. Animor enim & fortiùs urgeor magnis illorum arduisq; Majorum vestigijs, qui hanc infulam ad im̃ortalem sui Nominis gloriam, prætulerunt & fastos famâ, Clerum præcipuarum virtutum exemplis tandemq; cœlum ipsum meritis impleverunt. Clarissima hæc Diœcesis lumina formidanti mihi quodam̃odo facem præferunt, iterq; tutum difficultatibus superatis demonstrant esse facilius. Occurrunt non tam oculis quàm animo tantorum operum vivæ imagines. Contueor primum illum Religionis S. in loco isto dignum suo Nomine Statorem Angelum qui Sponsæ huic infanti

A.C. 1693

A.C. 1693 fanti verè Angelicos tribuit ortus. Inter offuſa undiq; hæreſum inquinamenta ſic cautè in viis Domini ab originibus ſuis incedens ut nulla macula fidei ejus ſinceritati adſperſa, ad diem uſq; præſentem vel invido oculo poſſit deprehendi. Non ſolo ille capite infulam ſed paribus implens meritis & Pontificium pedum non ſumis ut ajunt digitis, neq; ſolâ manu ſed im̃ortalibus actis exæquans vir non tam ab Urbe Romana quàm ab ævo aureo imò cœlo delapſus, qui ultra alia im̃ortalia acta decimas omnium frugum ad fiſcum Regium olim pertinentes ad hujus Cathedræ alimenta feliciſſimo jure tranſtulit, & ita etiam nunc cùm vivere deſiit, bene de nobis meretur uſq; hodie. Occurrunt in hujus Sponſæ ex Exoticis terris concluſum transplantati hortum à Romano Pontifice miſſi ex littore Tiberino Martiales, Martini, Albini, Paſcales, Marci tanquam matutina ſydera omni Phoſphoro lucidiora; quæ circa aureum Reginæ hujus diſpoſita caput, gentilem caliginem vicerunt peſſimam, & nos in tenebris & in umbra mortis ſedentes jam Sathanæ nexos in apricum iſtud Chriſtianæ libertatis proſperè eduxerunt. Vivit in æterna memoria Nomen Apoſtolicorum Virorum, quos ſuprema ſedes huc deſtinavit, Roma aluit, Polonia ut Patronos & ſuæ ſalutis Auctores colit ac veneratur. Effundit ſeſe iſtius Baſilicæ totis vetuſtæ gloriæ portis domeſticarum ſplendor atq; claritudo, unde tantæ privatarum publicarumq; virtutum leges emanant, charitatis, pietatis, zeli; quæ ſi nullis ſacratiorum literarum proderentur præceptis copiosè ex tot tantisq; exemplis elici, & tacito etiam diſci dictamine poſſent. Maxima pars tantorum virorum cenſus Veſtri Capitularis erat Veſtro ampliſſimo Collegio longè evulgatus per ora honor eorum militavit tam virilis tamq; robuſta Eccleſiaſtica dignitas Veſtra in ipſis etiam ſuis rudimentis fuit, ut jam tum columnas invictas, quibus Eccleſiæ huic & Reip: poli tutò reclinari poſſent, miniſtraverit non parco proventu. Occurrunt Poloni Stephani, Philippi, Simones, Alexandri non tam concordibus Capituli votis invitati, quàm inviti penè tracti ad infulas, qui jam inter ſydera poſiti humana omnia rident elogia, & tantùm non pudet fuiſſe homines. Occurrunt adultiore jam Regni ætate inconcuſſi Senatorij Ordinis Atlantes Gizycij, Duninij, Tilicij, Lubranſcij, Leſcinij, Myſzkovij, Grzycij, Macieiovij, Szyſzkovij, Firleji, Nalęcij, Kurdwanovij, & mihi pares in armis Cielecij, Pſtrokonij, Lubienij, eximia illa raraque tum ſacræ tum civilis eruditionis compendia, non ſine injuria eorum magnitudinis raptim memorandi, qui omnes aut in gremio hujus Cathedræ ad ſpes tantas crevêre aut publicis uſq; ſum̃is laboribus functi hìc ſibi in conſortio veſtro ſolatia & præmia tranquillitatis blandæ quæſivêre. Alia præterea recentioris ævi, Gębiciorum, Madaliniorũ, Dąbſciorum, nomina non memoro, ne quis longè majora de illis tacitus apud ſe proferat, quàm ego poſſum cogitare. Ornatiora enim hæc virtutibus ſuis quàm Nobilitatis titulis ſunt Pontificum Plocenſium ſancta & æternùm adoranda Nomina, & longior illis exactiorq; veſtris hiſtorijs debetur memoria. Tanta quippe moderatio tam ſanctum ſtupendumq; virtutum arbitrium in hoc veſtro Collegio floruiſſe quondam perhibetur, ut quoties indoles vulgares ultra privatum eruditionis probitatis pietatisq; modum contigit excreviſſe, eas præter ora oculosque veſtris laxatis Ordinibus ad Epiſcopale bravium ire pateremini, nihil veſtræ nobilitati demptum putantes quidquid in virtutem contuliſſetis ſuffragij. Quid refero Ducum Maſoviæ quanquam minùs proſperè immixtas purpuras. Quid Sereniſſimum Carolum qui Filius Fraterq; Re-

gum

gum, Plocensem hanc Basilicam non magis cum sangvinea Mtum Poloniæ affinitate, quàm germanis Regiarum virtutum coloribus illustravit. Ingreditur coronam chorumque vestrum Illustrem Vicaria Regis Mtas Primatialis nimirum cum suo Eminentissimo fastigio dignitas ad gloriam imortalem Plocensis Cathedræ, quæ Primates Regni in ordine & in domestica sua pompa veneratur. Ille est Eminen: Cardinalis Archi-antistes Gnesnensis, in quem opes suas omnes ita expendit natura imò & fortuna, ut quas dare possit alteri nascituro post se prorsus non habeat, cùm non Regio tantùm sangvine sed præcipuis excelsi animi dotibus imprimis sit insignis & dignitati ejus nullum in terris iter est, nisi ad primam quam post Christum adoramus dignitatem, non potest indignari sermoni meo, neq; Capituli hujus invidere felicitati, quòd se Natum Canonicum Plocensem audeat jure suo compellare. Obversaris oculis sed magis cordi & præcipuis affectibus nostris ex Majorum tuorum simul tuisq; meritis Romani Princeps imperij, Regni verò nostri magne Cancellarie Præmisliensis Cathedræ decus eximium, sed nostræ quoq; Diœcesis (si gloriari licet) Præposite. Occurrit emeritus Antistes Luceoriæ magni olim Archipræsulis Germanus, & tanti meriti pridem honoris expectatione probatissimus, quem nostra quoq; Basilica Scholasticum suum debito cultu veneratur. Accedis tantis nominibus insignibus zelo & singularium virtutum exemplis conspicue Decane noster sed majoribus olim dignior titulis, interim Antistes Livoniæ. De vobis verò quid proferam Illustria Capituli hujus sydera, fidissimi lateris imò cordis comites confratres mei charissimi. In ea me incidisse tempora video, & tam exactos reperîsse officij mei adjutores, ut omnes vos gemmas Cleri & formam gregis absolutissimam possim appellare. Quantò frequentiùs vos suspicio, tantò profundiùs in eam descendo cogitationem, quòd longè majores ferre infulas nati sitis, pœnè omnes dignioresq; hâc Cathedrâ quàm ego virorum novissimus & peccator. Sed occulta Dei judicia, sæpè suas sortes etiam justis subtrahunt ad demonstrandum exemplum virtutis Heroicæ, & stimulum aliorum. Tot tantisq; mihi animato exẽplis, totq; Diœcesis meæ freto columinibus, non tantopere metuendum, quinimò exultandum mihi in die solennitatis, & publicæ hujus lætitiæ existimo, cum sponsa mea, unica mea, columba mea, immaculata mea, cujus tenerrimis amplexibus hodie primùm me innecto, & jam non meum me, sed totum sponsæ meæ experior. Jam suas prægustat prælibatque animus intimo sensu cordis delicias & magis est ubi amat, quàm ubi animat. Ingredior thalamum in terris cœlestem, non rosis tam diu gratis, quàm diu recentibus, sed immortali gratiarum odore gratissimũ. Hic requies mea in sæculum, hic habitabo. Sed simul votum vovi Deo, quia non dabo somnum oculis meis, donec inveniam locum Domino, & tabernaculum DEO, ut dicat olim omnis populus nostræ curæ & solicitudini Divinâ miseratione impositus: quia non est hic aliud nisi aula cœli & domus DEI, ne unquam blasphemetur nomen illius in nobis, & dicat fortè quispiam inimicus; ubi est DEUS eorum? Ergo cùm huc me providentia æterna, in cujus manibus sitæ sunt hominum sortes, mirabili destinatione direxit, & ex publicæ fortunæ naufragio in tutiorem collegit portum, ante has Divorum Indigetum ac Tutelariũ aras Sacrumq; magni hujus Sacramenti pulvinar corde effuso Regem precor cœlestem, ut gressus dirigat meos, quatenus Divorum Prædecessorum meorum in tuenda Religione zelum, in augendis Ecclesiæ hujus fortunis liberalitatem, in expugnandis Ovilis mei angustiis fortitudinem, in alendis

A.C. 1693

A. C. 169… alendis utroq; pane egenis miserationem, si non exæquare saltem proximè imitari possim. Signetur super nos lumen vultûs tui Domine, confirma hoc in manu forti & brachio excelso, quod operatus es in nobis sine nobis: omnis enim sufficientia nostra ex tua est munificentia. Benedic primitiis cogitationum mearum & memento verbi tui, quod dedisti Patribus nostris & Principibus Ecclesiæ tuæ, ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi, nec portæ inferi prævalebunt. Opitulare Mater Sanctissima servo tuo, ne perdam ex eis quenquam, quos mihi dedit Filius tuus Unigenitus. Adeste Divinissimi Cathedræ hujus & totius Diœcesis Tutelares, date supplici manum, porrigite luctanti dexteram. Respicite blandiori oculo tribulationem nostram, eruite nos potenti virtute ex manu quorumvis inimicorum nostrorum, qui veniunt ad dilaniandam hæreditatem Christi, & contaminanda templa sancta ejus, ut ab ipsis per vos liberati, intra Sanctuaria illius impolluta; laudetur ubiq; nomen DEI nostri. Protegite INNOCENTIUM XII & tam periculosis arduisq; Romanæ Ecclesiæ temporibus, diu servate incolumem, & beatum. Redeat Imperio Christiano tot temporum spatijs proscripta tranquillitas, redeat sacris aris violata Religio, vel depressa. Protegite invictum Regem Nostrum, servate inevitabile Orientis fulmen, adamantinum Christianitatis clypeum servate diutissimè illæsum, servate Orthodoxorum decus immortale, fessamq; illius tot bellorum annis ætatem erigite, geminate vires, quas fortiter feliciterq; opponere possit hostibus donec extingvatur Luna Otthomanica. Protegite Augustam nostram Clementissimam, quæ tot Serenissima Regno protulit columina. Protegite florentissimam Prolem, tot Cæsarum Regumq; ac Primorum in Europa Ducum Principumq; affinitatibus singularem, & dotib⁹ Regiâ Stirpe dignis. Servate Patriæ redivivos hos Scipiones. Servate nobis Serenissimum Principem Jacobum, Regiâ Purpurâ zelantissimis Angliarum Jacobis parem & solâ Martyrij palmâ laureâq; dissimilem. Servate Sarmaticæ Macedoniæ Alexandros. Servate Lechicæ Spartæ invictos olim Hectores, novos Ecclesiæ Romanæ Constantinos, reduces ab ævo immortali Ludovicos. Protegite utriusq; Purpuræ Senatum & universum populum Regni hujus. Mihi verò precibus Vestris impetrate, ut sacri hujus ministerij cursum eâ perfectionis integritate absolvā qualem à me tam sublimis vocatio exigit, qualem ego mihimet ipse voveo, qualem Sanctus Sanctorum expectat, qualem à me vos charissimi mei desideratis, quorum & ante hac benevolentissimis studijs & nunc vivâ voce in hæc adyta sacratissima vocor, quorum promptis suffragijs in hanc sedem sublimor, quorum concordi consensu in jura hujus Ecclesiastici Imperij mittor. Quibus quantum in Domino possum firmâ fide promitto, nihil mihi priùs post immortales honores ritè persolutos inter potiores curas futurum, quàm ut desideria vestra, quæ Ordo vester aut in alijs unquam deliberavit aut spe in me præconcepit pleno affectu in sinus vestos effundam, unum mihi vobiscum individuumque (quoad fata sinent) fraternæ charitatis vinculum erit. Una salus idemque & commune periculum. Interim vobis gratia & pax à Domino Deo nostro & Agno.

EJUSDEM ALLOCUTIONES PASTORALES

In Visitatione Basilicarum Plocensium

ALLOCUTIO PRIMA Dicta in Cathedrali Ecclesia 4ta Maji.

INCLINATA jam hesternæ diei luce, vix Romani Pontificalis volumen accepi, lecturus præscriptum de Visitatione ritè instituenda Caput,

put, & ecce in prima fronte lego, quòd inter Præliminaria actûs istius præmitti debeat allocutio Pastoralis de utilitate & ratione Visitationis, quam sub gravi interminatione districti judicii Divini jubeor instituere. Ergo jam non in sublimitate sermonis, neq; in mirabilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in simplicitate veritatis Apostolicæ, tanquam non alienos, sed domesticos meos, extemporali stylo alloquor, imò per compendium pauca admodum insinuo. Quia Divinò munere tales, præsertim in Augusta hac cathedra, contigerunt mihi Auditores, quibus innuisse satis est. Utilitatem Visitationis Pastoralis, sacra Pagina Sole meridiano clariùs illo textu expressit: *Visitatio tua custodivit spiritum meum.* Ingens enim verò emolumentum istud existimo, tam pretiosum custodire retinereque depositum, tamque sublimi vocationi respondere. Visitat ex officio suo ægrum medicus, ut prostratas vires relevet; corruptum vel intemperatum sangvinem diminuit, expellit humores noxios, applicat malesano corpori vesicatoria, ubi profutura intelligit. Antequam tamen operi suo manus admoveat, priùs causas morbi rimatur, & radicem malorum exquirit, ut ex fundamento artis medeatur. Pereat ex hominum memoria obsoletum illud antiquarum exordium epistolarum, quo veteres omnia prospera ab amicis geri ominabantur, si foret integra valetudo: Si vales benè est. Idem omnino in stabulis jumenta usu rationis destituta, idem in campis animales feræ, idem capræ silvestres proferrent, si fari possent. Nos verò inquit Romanus Sapiens quantumvis Orthodoxæ Religionis lumine destitutus, qui professionem sapientiæ facimus inverso stylo utimur: Si philosopharis bene est. Valere enim hoc demum est, sine hoc æger est animus. Vultis profundiùs expendere Prælati mei, quàm robustâ pollere valetudine, quantisq; præstare viribus insignes & magni viri debeant? Nimirum ut omnes officii sui impleant numeros, & illa perfectissimè exhibeant, quæ suæ dignitatis ratio gradusque postulat, ne solio tantùm, aut eminentis staturæ fastigii, sed absolutissimæ virtutis culmine, cœteris præstare videantur. Ægyptiarum istud ferarum decus est, non hominum, vel monstrorum Africæ, solâ mole corporis aliis eminere. Erigat se ut libet humana superbia, adhuc montium juga non æquabit, in quibus terribiles visu formæ ferarum draconumque sua plerumq; ponunt cubilia. Qui militiæ signa & sublimes martis Aquilas comitatur, qui balteum induit, ferro & manu Patriam tueatur necesse est. Hæc enim armorum meta, hic scopus est, caput galeâ, loricâ pectus, ense manum, clypeo munire Imperium. Qui Religiosum asceterium ingressus es, vide ne latum ungvem, à DEi Optimi Maximi cultu & veneratione declines, humilis cella, cœlum tuum esto, cui more syderis affigaris. Prodigio enim majus esset, si astra relicto tantisper pulcherrimo illo beatarum mentium domicilio per inanes terras vagarentur. Humanæ justitiæ Areopago & ritè cognoscendis componendisq; mortalium negotiis præfectus es, ne discesseris à tuo tribunali; præmia virtuti, pœnas decerne sceleribus, vitia plectas, non personas insequaris. Intimo corde imaginẽ antiqui Judicis feras, oculis carentẽ; hoc est sine respectu personarum. Manꝰ tua non munera palpet, sed bilancẽ & gladiũ. Compendio dicã: absolutissimi Judicis vita, administratione justitiæ, nõ diebꝰ aut prorogati ævi spatio constare debet. Verꝰ vigilansq; Pastor nõ illo intervallo temporis arbitratur se vivere, quo lubricæ ad mentẽ fluunt horæ, sed quo ritè suo fungitur officio. Non eo tempore dolet, quo musculis laborat, aut lentâ febri aduritur sed quo experitur intimo corde se mori perimiq;, sive

A.C. 1693

A.C. 1693 ob irreparabilem tot animarum suæ curæ comissarum cladem, & funera æternis prope digna lacrymis, eò quòd præviis malè munita Sacramentis, tã frequenter, celebrentur sive incognitã à cõplurib⁹ Numinis Optimi pulchritudinem tam novam & tam antiquam, sive demum à paucis satis amatam laudatamq;. Impendatur & superimpendatur ætas, imò pereant anni, modò zelus Pastorum eò quoq; se extendat, quò paucis datur pertingere. Cui integra fiducia est; cui solidus purusq; in amicos amor, ne minimam quidem præterit occasionem, quin de publica nota maculaq; amatum admoneat. Peritus Cytharœdus tangit plectro percutitq; chordas, etiam illas quæ sæpè ingratum beneficæ manui reddunt, sonum. Idolum est me hercule non Pastor, proculq; à Vicario Christi Petro, ille animarum gubernator, qui Apostolicâ reprehensione non fulminat nec prosternit sacrilegum perjurumq; Ananiam, qui umbrâ suæ vestis non sanat prætereuntes, neq; noxios angves viperasq; voce sua necat. Procul est à Doctore Gentium Paulo, qui tribus verbis non excæcat Elimam magum. Non imitatur intimos Christi Apostolos Joannem & Jacobum, qui parcit rebellibus fidei & Spiritui S. neque porrigit manna doctrinæ cœlestis adorantibus Crucem Christi. Sæpe parvuli petunt panem, & non est qui frangat eis. Verùm sint superis gratiæ immortales etiam hoc nomine quod in eos inciderim, qui non debeant à me visitari in virga ferrea, sed in spiritu lenitatis, quia intelligo, & jam cum incredibili solatio meo video, plura me hic laudibus & approbatione, quàm vituperio & animadversione digna reperturum. Utinam verò vel mihi imprimis animi mei interiora penitus inspicere cœlesti munere concedatur, aliorum vitam moresq; diligentiùs inspecturo. Totis quidem artubus contremisco, riget in venis sangvis, comæ pavore horrent, sed iterum redit ad se animus, dum cogito, oblivisci Paulum patratorum à se miraculorum, & in hoc uno gloriari, quòd tot populorũ animas DEo lucrifecisset & sacris tinxisset undis. Divus Joannes quasi minùs æstimans intactæ lilium Virginitatis, & æternæ librum Generationis, cœlesti planè ingenio à se descriptum, & sanctissimum illud suũ in Pathmos exilium, offert devovetq; DEo tanquam oblationem pretiosissimam, Asiam minorem suis DEo partam laboribus, Petrus Synagogam potiore parte conversam, Tutelaris meus Andreas Achaiam, Thomas Indiam. Et ego indignus cui eadem animarum incumbit Provincia, quid dedicabo DEo meo, in illo supremo momento à quo pendebit æternitas? quot animas sistam mea solicitudine cœlo restitutas. Nos miseri quid dicturi sumus exclamat Gregorius, qui Pastorum Nomen habemus & oves quas debeamus ostendere non habemus? An demonstrabo zelantissimo paupertatis & modestiæ amatori Christo, loco conversarum à me animarum, pretioso exornata serico, & affabre depictis imaginibus renidentia palatia mea, argenteâ graves supellectili triclinij mei parietes, stabula tot equis plena? Quâ fronte, quâ fiducia animi, quâ conscientiæ securitate, sistam me coram Christo meo, lacerato, vulnerato & nudo? An Spiritus Angelicos in iras, an nubes ipsas ignesq; cœlestes, non provocabo ad fulmina? in ejusmodi Pastores olim parata, qui diligentiùs inanibus opum lucris inhiant, quàm animabus DEo congregandis. Augustus ille Hipponensium Antistes & veræ aureus non Aurelius tantùm Augustinus inquam, non æstimat imò neq; inter veros Pastores recenset illum, in cujus manibus radiat obriso baculus, in cujus vertice Orientalibus distincta gemmis mitra refulget, à cujus ore tã frequentia Capitulo tamq; numerosi Religiosorum Ordinum cœtus, & Urbes

Urbes à nutu pendent; sed illum appellat verum germanumq; Apostolorum successorem, Pastoremq; secundùm cor DEi, qui manuducit per viam rectam animas tam pretioso Christi sangvine redemptas, qui habet viscera paterna, qui jam jam devorandas eripit orco animas & cœlo restituit, qui nullis difficultatibus deterretur à spirituali lucro animarum, nititur per tela, per ignes, mille per insidias & mille pericula rerum, per infamiam & bonam famam, per angustias & tribulationes, qui Apostolicè vivendo, tanquam leo ignem spirat, & quasi facula ardens sermo ejus consumit omnem paleam, quæ se electo sæpius im̃iscet grano, qui intelligit super egenum & pauperem, qui se reflectit super ea sæpius, quæ expedire censet ovili suo, toties præsens abest, quoties ratio statûs exigit & permittit, qui circuit solicitus Diœcesim suam, manum porrigit periclitantibus, consolatur mœstos, aversos à DEo convertit peccatores, eliminat scandalosos, retinet omnes in officio, alios precibus, alios minis, alios excom̃unicationibus, qui æternos ignes & iras minùs timent, deterret fulminatq;. Uno verbo, qui arguit, obsecrat, in omni patientia & doctrina. Indignus enim verò tiarâ Præsul ille, qui audit gemitus oppressorum, lacrymas afflictorum, spectat prolapsos & non porrigit manum, ut assurgant, non aperit cor paternum filijs ut respirent. Ego divinâ miseratione in hac Cathedra me positum intelligo, ad laborem magis, quàm quietem, ad excubias & vigilias gregis Christi, non ad somnum, ut prosim omnibus, non ut intumescam, ut distribuam gratias, non ut prædas agam, vel obsequia exigam, ut ex eminentiori dignitatis meæ fastigio faciliùs videre possim afflictiones populi mei quantumvis etiam remoti, non ut meditatione vanitatis aut honoris mei abripiar. Coronatis frequentiâ vestrâ Dilectissimi subselliũ meum, non ideo ut sub vestra umbra requiescam, & manum de tabula submoveam, sed ut auxiliaribus suppetiis vestris adjutus sumam majorem animum ad obsequia publica. Hominem me esse memini vestris animabus præpositum, non possum proinde neq; debeo, esse muta, ut ajunt, statua ex frigido marmore cæsa, vel duro ære fusa. Sum Caput Vestrum, igitur non meus tantùm, sed moderando Ovili obligatus. Magnus olim Augustinus ad quasdam unius amici sui literas respondere noluit dicendo, quòd suæ Diœcesis curæ, spatium illi temporis ad paucos etiam apices exarandos non concederent. Boni superi! ille Augustinus, Phœnix ingeniorum, sæculorum prodigium, orbi regendo par, unius Hipponensis Civitatis curam gerens Pastoralem, spatium temporis invenire nequiît, quo uni Epistolæ respondere posset; & ego infelix Præsul, cujus indignis humeris tam vasta Diœcesis imposita est, qua ratione officio meo, tam arduo, tamq; sublimi respondere potero? quomodo cœlestem gubernationis Ecclesiasticæ sphæram, audebo non forti manu portare, sed sum̃is tantùm, ut ajunt digitis attingere, ad similitudinem fabulosi illius Atlantis? Somniũ profectò hoc esset vigilantis, & Chymera Sacri Imperij. Hoc est nimirum, hoc unicum præcipuumq; officij mei Pastoralis debitum, tam corporum quàm animarum Vestrarum necessitates sublevare, prolapsa erigere, perversa instaurare, deformia informare, exerrantem Clerum ad rectam orbitam revocare, gravi peccatorum lethargo indormientes excitare, com̃odis privatis utilitatem subditorum præferre, vigilare, ut nobilissima gregis Christi portio quiescat, & supra omnes delicias ac respiria reputare Vestrarum tranquillitatem animarum & conscientiarum malaciam. Tam rigidâ igitur conscientiæ & officij mei ratione adactus præsentis Visitationis Actum à

A.C. 1693

A.C. 1693 me ipso ordiri volui, plenus spei in Dño, quæ non confundit, quia non ego, undiq; indignus, sed ipse Vos Confratres mei in visceribus Christi Charissimi, visitabit Oriens ex alto, ideoq; Benedictus faciet redemptionem plebis suæ. Amen.

ALLOCUTIO SECUNDA.
In Collegiata Ecclesia S. Michäelis dicta 6. Maji.

PEracta nuper Cathedralis Ecclesiæ primæ & charissimæ Sponsæ meæ Visitatione, non sine singulari solatio meo in Domino, quod ex miseratione divinâ plus ibi gaudij repererim quàm doloris, venio ad Vos Fratres mei Dilectissimi, cum eadem omnino charitate non ficta, & apertis Paterni cordis visceribus. Et quemadmodum cœlestis militiæ Antesignanus Michäel, Collegiatæ hujus Basilicæ Tutelaris præcipuus, arma contra DEo rebelles moturus conclamavit: Quis ut DEus? ita ego quoq; hodie eandem Vobis interrogationem, mutato in mitiorem affectu, & spiritum lenitatis stylo repeto: Estnè hic DEus Vester? DEus Optimus Maximus in cujus conspectu stellæ non sunt mundæ! Sed parùm est per inanes expiraturis auras verbis confiteri DEũ, & factis negare primam summamque Veritatem, sub titulo triumphalis Crucis Christi militare, & servire interim Belial vel Dagoni, censeri in numero servorum JESU CHRITI, & jussa sequi Luciperi. Absit ut in Vobis locum habeat fulmen illud Melliflui Doctoris Bernardi; limina Apostolorum quæ priùs tenebat pietas, nunc tenet ambitio, ut nimirum intumescamus prærogativâ dignitatis, & erubescamus rationem functionis nostræ, ut plùs otio cōmodisq; nostris, quàm Apostolicis laboribus & zelo studeamus. Adducto pro more suo severiore supercilio. Tertullianus, fortiter illum exagitat, qui unicum hoc sibi negotium fuisse gloriabatur, nec aliud diligentiùs curâsse, quàm ne quid propterea curaret; si prædictus fumus (quod non spero) caput Vestrum afflaret aliquando, meminisse necesse est damnari Principes Synagogæ ob hoc unum præcipuè, quòd magìs velint dominari in Clero & imperare, quàm emendare populos, & permissis habenis, ruptâq; lege, jus omne sceleri concedere, se verò turpi inertiæ fœdoq; otio permittere. Proinde ne eò infelicitatis ruamus, surgamus quàm primum de pulvinari diaboli: & erecto ad im̄ortalitatem animo, viæ mandatorum DEi, & Apostolicis laboribus in sudore vultûs seriò Nos accingamus. Clarè fulminat illos Ezechiel Propheta, qui tacendo consentire videntur delinquentibus & frœna laxare libertati. Surdæ quantumvis aspides jactis de cœlo fulminibus percelluntur excitanturq; solúsne ego surdis auribus tam severas interminationes Sanctorum Patrum & Conciliorum excipiam, quibus tam frequenter districteq; admoneor de reddenda ratione supremo Judici Christo meo pro singulis vobis. Cur non inhæream vestigiis D. O. M. qui ignis consumens est, non ut devoret peccatores sed ut accendat, & puriores omni auro reddat animas. Iratus est olim Dñus Moysi & Aaroni, quòd loco Paternæ adhortationis repetitis vicibus durum quantumvis lapidem virgâ percusserit, ut fontem sitibundo Populo aperiret. Exaltabo ego charissimi vocem meam, loquar vobis in amaritudine animæ meæ, nec clamare unquam desistam. Graviter enim delinquit Pastor, si vel ad breve momentum insigne Præsulei Capitis præferat in fronte, & profundo corde non sentiat æternâ se lege premi, ut rectum ordinem inspiret omnibus, suis minimè parcendo laboribus.

Amo

Amo tenerrimè Sponsam meam Ecclesiam, & fero intimis cordis mei fibris profundissimè impressas necessitates illius universas. Zelus animarum, potest alibi habere speciosum titulum, apud me necessitas est, neq; à gravi culpa absolvi possum, nisi totum me illi impendam, ut Christum lucrifaciam. Tot gratiis Divinis & Spiritui Sancto illuderem, qui tribuit nobis admirabile lumen suum, ad illuminandas & salvandas animas tot populorum. Cur ille raptus ex Palatio & in inferno sepult⁹ epulo Evangelicus, nisi quia epulabatur quotidie splendidè, indutus purpurâ & bysso, inter delicias oblitus fuit pauperis, antè suum limen lachrymantis. Idem me barathrum absorberet, idem fatum involveret, si cæcutientibus in via Domini, negarem lumen Apostolicæ veritatis, si ignem subtraherem charitatis, neque cognitionem DEI Omnipotentis & judiciorum ejus timorem solidum instillarem, prædicando verbum DEI, & bonos confirmando in virtutum proposito, malos verò de via perditionis revocando. Nemo mihi jure merito indignari potest, nemo aversâ aure allocutionem Pastoralem excipere. Audiebat attentus Achab Eliam, in vehementi spiritu admonentem, reverebatur Danielem Balthasar, cùm illi scripturas aperiret, & liberè verba veritatis depromeret. Iniquum enimverò id esset, si tantopere affecti speculis, quæ nobis maculas nostras demonstrant, non eluunt, dedignaremur illos, qui nobis vitia nostra nævosque omnes non modò detegunt sed etiam procul eliminant, & evellunt radicitus. Dicere vobis veritatem ego teneor, tanquam Pater unicè vos diligens, vos audire me, cum plena fiducia obligamini tanquam filij. Utinam verò aures vestræ,& corda vestra, lingvæ meæ ita, ut ego voveo, unirentur, prodirent nihil ambigo ex tam intimo nexu, admirandæ illæ virtutes, quæ homines æquant Angelis. Non desidero ego ab Ovili meo, ubera lacte plena, non ambio vellus aureum, sed attentas ad ea quæ loquor, volo aures & executionem sine mora. Si fidem verbaq; mea Pastorali curæ meæ comissæ Oves secutæ fuerint, ducam eas ad montem excelsum ubi pascua plena rore cœli & pingvedine terræ invenientur. Quod si etiam opera audientium, cum voto Regentis concordabunt, dabit nobis Dñus illud solatium, ut & sanctificemur. Divus Augustinus scribens Cœlestino, tot terrarum spatiis à se remoto, non tam in verba, quàm in evisceratos ex intimo corde sensus prorupit; utinam mihi daretur idem tecum limen terræ sub eodem tecto & conclavi degere, singulis diebus imò horis tibi narrarem, qui non observent legem DEI, qui non sint Christi Discipuli. Adfero illlius verba digna cedro, digna gemis. O utinam possim assiduè tibi aliquid dicere! Quando ego cum magna impatientis animi curiositate legendo præfati Authoris volumen, festino intelligere, quid illud esset, quod Cœlestino Augustinus narrare voluerit, & ecce clarè video nō aliud id esse, nisi quod tota viri Ecclesiastici cogitatio circa hoc unum negotium versari volviq; debeat, quod spectat propriam perfectionem & salutem proximorum, declinando nimirum à malo & faciendo bonum. Id autem illud aliquid est, (inquit magnus Augustinus) ut curis exuamur inanibus, & curis induamur utilibus. Prælati mei, Electi Duces populi, Principes militiæ Christi tam stricta severaque stringit eminentiam vestram obligatio, tam vigilantes exigit excubias Divinus character vester, procul à Capitibus Ecclesiasticâ dignitate coronatis illa cogitatio, in qua non invenitur continuum boni exempli studium, emendatio sæcularium, conversio peccatorum. Procul ab ædibus vestris ejusmodi, qui illas vobis actiones tantùm persvadet, quæ vulgi admira-

A.C.1693

 tionem

A.C. 1693 tionem, acclamationes & plausus adulantium populorum conciliant & non sinceros solidosque fructus afferunt. Spuite in faciem illorum, qui nomen Prælatorum ibi attollunt ad sydera efferuntq;, ubi dictis facta repugnant: magna quidem sunt hæc, nec tamen bona. Arrigite aures, & audiendo totis artubus contremiscite, quòd idem unumque inferni barathrum, expectet pariter Prælatum Ecclesiasticum, qui scandalosè vivit, atque illum qui se negligenter frigideq; impendit, promovendæ saluti animarum. Filij Heli Sacerdotis rigidè observabant Sabbatha, & implebant præscriptas à DEO ceremonias legis antiquæ, ritus omnes exequebantur ad amussim, absolutissimam authoritatem suæ dignitatis perfectissimè retinebant, & tamen miserè periêrunt infelices, & titulum Sacerdotij parem Regibus amiserunt. Nemo nostrûm, quos hic video, inter Divinos Mystas censeretur, si nos duo illi Pontifices, Leo nimirum & Gregorius, ante susceptum Sacerdotium examinâssent, probâssentq;. Indignos illi censent, & de gradu Ecclesiasticæ Præfecturæ dejiciunt omnes illos, qui Sacras dignitates aut im̃oderatè desiderant aut suscipiunt studio cœteris eminendi aut sacrilegâ ambitione opum, ex rapina holocausti. Una tam periculosæ ambitionis scintilla, profundâ quantumvis conceptâ cogitatione, satis est ad consumendos in nobis perimendosque omnes spiritualium operum fructus, imò ut etiam ex Apostolis monstra faciat. Compendio rem absolvam, nisi Ecclesiasticus animarum Gubernator Angelicam vitam moribus æmuletur, procul est à Deo, procul ab aris Agni im̃aculati, indignus titulo tam Divini tam Sancti characteris. Non simus ergo similes templis illis Ægyptiacis quoad structuram magnificis & sumptuosis, quò verò ad circumstantia dispositarum hinc inde simulacra ferarum & imagines belluarum, risu potius omniũ, quàm admiratione dignis. Atque hoc modo quod & primæ Cathedræ meæ Paterno ex corde vovebam, hanc quoq; Basilicam non ego indignus, sed ipse misericordiarum DEUS & primus Author totius consolationis visitabit ex alto. Amen.

ALLOCUTIO TERTIA.

In Ecclesia Parochiali dicta 7ma Maij.

VEnio ad Vos Dilectissimi Mei, non modò à tam severa instituendæ Visitationis obligatione, verùm & à Regio Psalte provocatus, qui omnes nos quicunque demũ Pastorũ censemur nomine, hortatur illis verbis circumdate Sion & complectimini eam. Quasi diceret Coronatus Vates: Surgite Principes Ecclesiarum, expergiscimini Pastores gregis Christi, aperite oculos, circuite solicitudine Vestrâ Paternâ Ovile Domini, considerate diligenter, omnes Diœcesis vestræ quantumvis abditas remotasque latebras, non minùs profundè expendentes quàm in tempore providentes omnia & singula corporibus atque animabus pernecessaria. Complectimini. Accedite & vestrismet manibus palpate qualis sit in Clero pietas, qualis in quotidiana cum Secularibus consvetudine moderatio? An non sint fraudes in mercimonijs, avaritia in causarum arbitris, damnosæ in properanda sententia moræ, celeritas in vindicando, seminationes errorum sine pœna, publica delicta sine justa reprehensione. Circumdate. Vestri officij est non diu neque procul abesse, nocte dieque sine intermissione invigilare, observare omnes aditus, ne cruenta bestia irruat in Ovile, incautumq; dilaniet, & ferus Aper deprædetur Vineam Domini. Complectimini adamantino illibatoque nexu Oviculas vestras, sola vos ab illis mors seperet. Exite à vobis

bis, redite ad Ovile, relinquite vestra comoda, alienis inhiate. Duo enim sunt isti clavi qui vos debent officio vestro affigere. Germinabunt olim vobis acutæ quantumvis spinæ istæ rosas, vertentur arduæ difficultates in solatia, labor improbus in quietem, perpetua lucta, in triumphos immortales. Complectimini ea. Vestrum est extinctum in cordibus Spiritum Domini accendere, vivificare mortuos & nimis vivaces ac liberos transgressores legis Christi, mortificare, laudibus cumulare bonos, erigere ad fidem & pœnitentiam conversos ne relabantur, fovere inopes, operire nudos, præmia conferre meritis. Toto diffusa diluvio Divinæ indignationis iræq; tempestas, nihil arcæ nocuit, eò quòd ne minimam guttam admiserit. Nihil nimirum nocet bonis admonitio, quotiès illam non merentur. Circumdate. Imitemur Eliseum, qui unicum Matris suæ in clausi conclavis silentio revocavit ad vitam, sine strepitu, sine tubis & buccina. Instruendo delinquentes, in spiritu lenitatis agendo cum ipsis, qui ad meliorem vitæ frugem redeunt. Parata nihilominus habeamus in manu fulmina in obstinatos & rebelles, districtumq; ensem in pervicaces, qui renuunt obedire Spiritui Sancto, & legi Divinæ recalcitrant. Nam neque ipsi Angeli, cædibus parcunt & minis, sæpius opponunt se pro Domo DEI fortissimi Percussores. In majorem rapit admirationem Philisthæos Pharao in mari sepultus, quàm Manna prodigiosè in terras è cœlo pluens. Si offensa DEI non afficit Pastorum oculos, nec ardente monte Synai fumum sentiunt, neq; favillam considerant. Nomen inane ferunt Idoli, non Pastoris. Circumdate. Complectimini. Nemo sibi blandiatur quòd sit integerrimis illibatisque moribus, quòd habeat manus munificas, cor mite & facile, mentem semper ad cœlum erectam, conversationem in cœlis, quòd sit non ex carne, non ex sanguinibus, quòd habeat domitas passiones, & ductos in victoria affectus, quòd diligat decorem domûs Domini, quòd ad aras incruentam hostiam quotidie DEO litet, quòd spargat in egenos liberali dexterâ quidquid habet in penu. Nam si ejusmodi Pastor vel unam noverit animam suæ curæ comissam, parùm consultæ consvetudini inhærentẽ, de scelere in scelus sensim prolabi, clausis tamen benè conscius id spectat oculis, nec manũ prostratæ porrigit, nec ad cœlum pro officij sui ratione attollit, certa est infelicis æternitatis victima. Sacerdos inquit Divus Chrysostomus si vitam disposuerit suam, tuam autem non diligenter curaverit, cum impijs in gehennam detruditur, & non proprijs actionibus, sed nostris damnatur. Eandem tuentur sententiam Purpurati Ecclesiæ Proceres Athanasius, Basilius, Gregorius, Augustinus. Circumdate, complectimini eam. Illi nempe Angelicis celebrabuntur elogijs, illi à fidelissimo Remuneratore Christo coronabuntur astris, qui DEo exercituum adducent conversas ad pœnitentiam legiones, convictos suis argumentis Acatholicos, reductos ad meliorem vivendi regulam populos, diruta excisaq; penitus vitia, & virtutes feliciter profundeq; plantatas, ætatem juvenum teneram bonis artibus moribusq; excultam, Virgines divino obsequio dedicatas, defensas viduas, pupillosq; miserabiles. Nam hæc tantùm & his similia à cœlo coronantur. Abit è vivis Gregorius Pontifex O. M. & benè conscius, qualem deceret esse Apostolorum Successorem, ad vicinos lecto suo Prælatos, & extremo SSmi Patris fato illacrymantes, non interrogat, quot faces lampadesq; illius impensis fundatæ arderent ante aram templi, an supellex Ecclesiastica esset in securo, an calices aurei, & gemmis distincta Altaria, fortes haberent excubias, sed id unum in extremo illo suo morbo scire voluit, quotnam

A.C. 1693

A.C. 1693 nam infideles in illa quam moderabatur Urbe Antistes Dignissimus, restarent adhuc convertendi, atq; accepto nuntio quòd nonnisi septem supra decem extarent, cum incredibili gaudio & exultatione exclamavit! Jam lætus morior, totidem enim tantùm suscepto Episcopatu inveneram in hac Urbe Catholicos, quot audio superesse infideles, compositisq; manibus & actis solennibus Præpotenti DEo gratijs, obdormivit in Dño. Et hæc demum est vera germanaq; boni Pastoris Characteristica. Noverat enim ille ex nulla re nos præsertim Episcopos & reliquos animarum moderatores, plùs in ultimo illo à quo pendebit æternitas momento, quàm ex animarum numero cœlestibus fastis, nostrâ manu operaq; inscriptarum percepturos solatij. Non gloriabatur Antistes Sanctissimus tot tantisq; suis præclarè actis, non æstimabat tam admiranda aliquorum operum suorum exempla, quæ secuturis ætatibus relinquebat, in hoc uno exultabat, quòd tot infidelium animas ex faucibus Orci liberâsset. Supplices proinde ego quoq; ad Divinam Mtem extendo manus (vestris confisus suffragiis) ut sicut me ita vos quoq; Charissimi mei, Divina manuducat Miseratio per vias rectas, quatenus & ego ad majorem illius gloriam, Ecclesiæ hujus dedicatus obsequio, Me ipsum unà Vobiscum salvare possim. Concludo sermonem, cum profundissimo suspirio, eodem textu quo in alijs quoq; Basilicis: Visitet nos Dominus in salutari suo. Amen.

ALLOCUTIO QUARTA.

Dicta ad Populum Plocensem in Ecclesia Cathedrali Dominicâ Pentecostes congregatum 10. Maji

Spiritum tuum ne auferas à me. Psal. 50
Spiritum nolite extingvere. 1. ad Thessalon. c. 5.

JUsto timore correptus Psaltes Regius exclamavit olim, petij Domine ne Spiritum tuum auferas à me. Fluent dies mei sine emendatione, sumet incrementum malitia sine spe veniæ. Ideoque meritò nos hortatur Apostolus: Spiritum nolite extingvere. Quid enim est aliud extingvere Spiritum S. nisi non dare illi locum in cordibus nostris. Porrò si auferat à nobis spiritum suum Dominus juxta coronati Vatis effatum, vel si illius im̃ortale lumen extinxerimus, omnes unà simul perim̃us. Absit à nobis misericordissime DEus. Hæc erit materia sermonis mei; interim Divino Pneumati supplices tendo manus, oroq; humillimè, ut ita die hodiernâ descendat in me indignum Pastorem Vestrũ, & in vos Dilectissimi mei, ne unquam à nobis elongetur, sed per illas me ducat vias, quas veri Pastores emetiri debent. Ego verò Vos hortari hodie volo Charissimi mei, ut recepto simul munificentissimo Datore munerum Spiritu, nunquam beneficos illius radios extingvatis, sed gratâ semper accepti beneficij memoriâ diligentissimè in animabus vestris foveatis. Loquar non in mirabilibus, sed in simplicitate, quia stylum hunc à Doctore Gentium didici: in Ecclesia DEi, inquit ille, volo quinq; verba sensu meo loqui, ut alios instruam, quàm decem millia verborum in lingva, quæ sine utilitate Auditorum proferantur. Scrutator cordium DEus! magna est imbecillitas mea, fateor quæ unicuiq; vestrûm etiam privato patet, ideoq; Spiritum tuum ne auferas à me. Spiritu tuo impleta Elisabeth beata fuit, Zacharias prophetavit, Simeon mille te benedictionibus cumulavit, Apostoli nullis omnino literis eruditi, nulla librorum lectione imbuti excultiq; in uno momento tantùm pater-

paterni sermonis olim non ignari, disertè omnium nationum lingvis locuti sunt. Protomartyri Stephano contradicere nemo poterat, eò quia te plenus erat. Tuo magisterio Idololatra Cyprianus Præsuleas meretur infulas, Justinus Philosophus Martyrij palmâ coronatur, Augustinus laureâ Theologi Doctoris exornat Ecclesiam. A me quoque non auferas quantumvis immerito sanctas inspirationes tuas. Non obrigescat unquam, neq; ita induretur voluntas mea, ut tibi aliquando claudat ostium, non redituro in perpetuum. Spiritum tuum ne auferas à me Domine. Seminasti Evangelicum semen in corde meo, det igitur illi gratia tua incrementum. Das substantiam & vitam Ecclesiæ tuæ, non permittas ergo ut membra illius, paraliticâ labe corrumpantur, & omni sensu destituta rescindantur tandem à Mystico JESU CHRISTI corpore quod animas & vivificas potenti adjutorio dexteræ tuæ. Rem admiratione dignam lego Psalmo 67. A templo Sancto tuo Divus Hieronymus legit de templo quod est in Jerusalem, tibi offerent Reges munera. Non intelligo quâ ratione Sanctus Sanctorum DEUS, admittere possit illa munera, quæ misera manus humana postquam ex ejus Aris decerpsit, iterùm illi offert dedicatque. Compendio rem absolvo, & respondeo. Qui Spiritum DEI non habet, cor habet, & non diligit, os habet, & non loquitur, nisi Spiritus Domini descendat super illum. Tunc enim etiã è limo terræ formatus Adam, vocem attollit & lingvam movet. Reflectite vos supra vosmetipsos, ad illud spatium prioris ævi quo nos Præpotentis DEI dextera ex tellure finxit Damascena, & victas veritati huic manus dabitis. Primus Author nostræ Orationis in Ecclesia est Spiritus Domini. Hoc munus illius præcipuum est. Templum, Domus Orationis appellatur, inde initium precandi sumimus. Domine labia mea aperies. Hinc sanctimoniâ pariter & doctrinâ conspicuus Fulgentius non sine solido fundamento asserit, quòd nemo dare initium, nemo finem imponere possit orationi: nisi DEUS in nobis hoc quod cœpit augeat, quod seminavit enutriat. Si quis mortalium sine gratia singulari Spiritus Sancti, os suum aperiat, nihil loquetur, nisi quod terram sapit & redolet vanitatem. Nihil nimirum velle possumus ad salutem, nisi supremâ freti voluntate, & alienâ quidem, quia Divinâ. Sed hic iterum nova se evolvit difficultas, dicere quòd homo alienis videat oculis, quod fieri nullâ ratione arteq; potest. Si per impossibile duo soles excæcatis insererentur oculis, adhuc tamen spectarent nihil. Si ergo id in organo corporeo palàm est omnibus, quid de ipsiusmet animæ domicilio sentiendum? nihilominus tamen sole meridiano clariùs est, quòd efficaciter finaliterque salutem nostram velle non possimus, aut dignas æternitate cogitationes elicere, nisi à principio supernaturali elevatas, ideoque alieno, & simul nostro per intimam comunicationem imò quandam identitatem moralem & prodigiosam transformationem, adeo ut exclamare cum Apostolo liceat: Vivo ego jam non ego: vivit in me Christus. Non ego sed gratia DEI mecum. Arctissima profectò hæc est cointelligentia Creatorem inter & creaturam, & unio quædam admiranda. DEUS enim est qui operatur in nobis & velle & perficere. Quia nimirum non solùm nos movet per interiores inspirationes, per prævenientes, concomitantes, excitantes, & adjuvantes gratias suas, per exhortationes, & instinctus, per spem & metum; sed efficaciter quoq; excitat voluntates nostras, suggerendo proportionata media ad finem. Igitur Spiritum tuum ne auferas à me Domine. Aperi lingvam meam, ut te ex toto corde, totâq; animâ meâ laudem, expurga sancto amore tuo polluta hæc labia,

A.C. 1693

A.C. 1693 labia, ut dignè glorificent Nomen Sanctum tuum, Nomen quod est supra omne Nomen: adde suffragium gratiæ tuæ prævenientis, adjuvantis, concomitantis. Suggere inventionem, doce modum, da gratiam efficacem ad extollendam in terris magnitudinem tuam infinitam. Terra hæc inanis & vacua cordis mei tuo calore animata, producat dignos immortalibus aris flores, ut de Templo Sancto tuo offeramus tibi munera. Grandem enim verò difficultatem reperio in verbis illis Apostoli: Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Si enim Dei Spiritus est, ipse quoque verè & realiter DEUS est, postulata nostra acceptare debet, non referre. Si est per naturam & essentiam suam beat⁹, quomodo potest lachrymari aut aliquo dolore tangi? Si est Consolator Optimus, si Paracletus, quomodo non fons omnis consolationis potiùs quàm gemitûs vel doloris? Respondent ad hanc difficultatem Purpurati Romanæ Ecclesiæ Principes, Augustinus, Gregorius, & Anselmus: Spiritus Sanctus postulat pro nobis, id est postulare & gemere nos facit. Imitatur nimirum diligentem peritumque Magistrum, qui ut rudem infantiam literis imbuat celeriùs, ipsemet prima recitat repetitq; elementa, ut legere & eloqui discant, illo præeunte, & primam ut ajunt frangente glaciem. Idem asserit & fidem assertæ adstruit veritati, Laurentius Justinianus: ipse (inquit) Spiritus orantibus nobis nostros erudit cogitatus, informat actus, inflamat affectus. Memini me legisse repertos olim fuisse in barbaro Oriente homines, ita suæ vitæ immemores, ut maluerint in crudelissima Tyranni cujusdam servitute lentâ morte tabescere, quàm unam aperto ore proferre syllabam. Si præfata diri carceris mancipia concordi voce simul pronunciâssent unum hoc verbum, non, discessissent à torturis carnifices & immiti ferro pepercissent. Tribus literis pronuntiatis, primæ suæ restituti fuissent libertati. Sed convenire nullâ ratione poterant infelices, ut simul omnes prædictas literas proferrent. Certabatur diu quis prior syllabam inchoaret, quod nimis quàm arduum singulis videbatur. Difficillima in hac re prima vox, inquit Tacitus: Nihil enim æquè arduum est, quàm in labyrintho literarum primam reperire & liberè proferre primam vocem præsertim quando difficilè theatrum est ad loquendum tam publicè. Quis nostrum non sine formidine singulari, & forti lucta profert verbum illud, quòd nos salvare potest, & gratiæ Divinæ imprimis restituere. Quanta renitentia, quot ambages, quot lacrymæ, quot circumlocutiones quot inventiones ad excusandas excusationes in peccatis, quot difficultates, impedimenta quot, difficillima nimirum in tali re prima vox. Ipse Spiritus Sanctus nisi planè per absolutam potentiam suam, verbum hoc ori nostro pertinaci potest imponere. Nemo potest dicere Dominus JESUS sine Spiritu Sancto, hoc est, nemo potest eloqui ter Sanctum, ter Augustum Nomen JESU, ut misericordiam & remissionem peccatorum consequatur, nisi præcedat illius gratia singularis, nisi nos præveniat speciali instinctu, nisi moveat præpotenti dexterâ suâ lingvam nostram, nisi frigidum cor accendat ad amorem, & rebellem DEo flectat voluntatem. Ita conspectâ aurorâ disparent umbræ, orto sole nox fugit, voce cantantis galli terretur Leo, aspecto lilio virus amittit serpens. At nos millies infelices ter quaterq; miseros, si aversis auribus Spiritûs S. vocem excipimus, qui nobis tam frequenter loquitur. Proh dolor! humanæ superbiæ genius sæpè Divini Spiritûs censorem judicemq; agit, & vel reperit res ad credendum arduas, & inde oritur infidelitas, & audet æternæ veritatis oracula, tã

abdita

abdita tamq; remota, cum sensu suo rationeq; concordare, unde sæpiùs *A. C.* 1693
error repullulat, vel credit ad externam speciem tantùm, interim tamē vacillat interiùs, dubitatq; animus impar solvendo. Verùm quæ est ista audacia nostra, ne dicam dementia execranda, repugnare tam profundis Increatæ Sapientiæ decretis, spernere Supremæ Mtis authoritatem, examinare illius consilia, censorio planè supercilio actiones æternas expendere, & non tantùm cum DEo disputare, sed judicium quoq; suum, Divino præferre in explicatione Scripturarum. Ille qui Matheseos incumbit scientiæ legit Euclidem, & illius principia perinde atq; sacrum aliquem & indubitatum codicem veneratur, creditq; non aliter sibi illius præcepta convenire, quàm ignis vel aquæ elementa. Qui studet medicinæ, evolvit millies Hypocratem & Galenum, colligit Aphorismos, tanquam certum securumq; longioris vitæ thesaurum, tanquam horoscopum solidæ vel infirmæ constitutionis, tanquam amuletum vitæ & frœnum mortis inevitabile. Qui Academiæ olim nomen dabat, in verba Platonis priùs jurare debuit, qui Lycæum frequentabat Aristotelis doctrinam sequebatur. Soli Christiani adeo infelices, ut de sui Magistri præceptis dubitent. Suspecta apud illos (proh dolor) ipsa Sapientia increata, evertunt sensum illius, & æterna examinant principia, ponderant rationes, quæ si non ad gustum accidant sensualem, excutiunt jugum, & ad infideles convertuntur. Proinde initijs eorum non respondet eventus, volunt crescere & minuuntur, volunt in altum surgere & miserè decidunt, volunt assurgere & prolabuntur, volunt aliquid lucrari & interim amittunt omnia. Sæpè externis pressi necessitatibus, nesciunt orationem suam ordinare, jam illa postulant quæ eorum saluti omnino contraria, jam utiliora detestantur, jam bona temporalia & fortunas ævo subjectas, im̄ortalibus bonis præferunt, jam furore quodam malesano, & inconsulto zelo torquentur infelices. Unde tanta insania, unde dementia! Quia nimirum procul sunt à Spiritu Sancto: atq; ideo quid oremus sicut oportet nescimus. Spiritum itaq; tuum ne auferas à me Domine, Pater misericordiarum & DEus totius consolationis. Excita in me divinissimi Tutelaris mei, qui conversâ ad Christi fidem Achaiâ, & Peloponeso, petiit à Domino ne priùs mercedem pro Apostolicis laboribus suis reciperet, quàm Cruci Christi figeretur. Volo quidē Domine (inquit) separari à corpore meo, ut æternâ tecum fruar beatitudine, sed priùs ad similitudinem tuam configi Cruci tuæ cupio. Desidero æternùm coronari, sed renuntiarem quantùm ex me est cœlesti Regno, nisi priùs ferrei clavi manus meas quæ te complecti debent in Patria, & pedes in possessionem æternæ beatitudinis ituros, profundissimè penetrarent. Quæro salutem animarum, quantumvis cum maxima tribulatione mea, quia Pastor earum constitutus nolo sub spinoso capite vivere delicatè. Opto ponere animam pro Ovibus meis. Si illas à peccatis revocare non potero, saltem bonum illis exemplum relinquam. Nolo cœlum Domine, nisi priùs vulneribus meis aperta vulnera tua deosculer, quæ tibi nostri amor inflixit, ut per triumphale illud æternæ beatitudinis limen conscendam. Utinam verò idem ardor cœlestis quo tantopere incensus flagrabat Divinissimus Tutelaris, intimas mei quoq; cordis adurat fibras, & victimā Divini amoris faciat. Volo Dn̄e imò unicè desidero, totum venarū mearum sangvinem, si poscat necessitas, ovibus meis redimendis impendere. Da noctibus totis vigilare, ut illas defendā, produc dierum meorum spatia, ut illas legem tuam docere possim. Volo etiam cum dispendio fortunarum mearū necessitatibus illarū subvenire.
Probè

A.C. 1693 Probè enim novi, quòd actiones omnes meæ, nisi sint conversio infideliũ, sanctificatio animarum, directio regulaq; aberrantium, depravatorum reformatio morũ, aut statui meo repugnent, aut æternam reprehensionẽ mereantur. Salus enim animarum, non modò finis sed etiam præcipuum est decus Antistitum, quos ceu Primates Evangelij, Principesque Ecclesiæ admirabundus orbis veneratur, tanquam veros Apostolorum successores, & Vicarios Christi ad Redemptionem nostram Incarnati. Hæc est prima, hæc præcipua officij nostri ratio dilectissimi, non ut publicâ omnium veneratione cumulemur, sed ut eradicemus zizania ex agro Domini. Qui Apostolici hujus zeli non tenetur studio, ipse contra se æternæ damnationis scribit sententiam. Quanquam severior animadversio nostra plus semper amoris quàm rigoris, plus remedij præferre debet, quàm vindictæ. Quare Clementissime DEUS in omnib⁹ prorsus actionibus & intentionibus meis Spiritum Tuum ne auferas à me.

In secunda parte hujus Parænesis per compendium revoco vobis in memoriam Dilectissimi mei, verba illa Apostoli: Spiritum nolite extingvere. Non loquor hic infidelibus lumine veræ fidei & rectæ rationis usu destitutis. Non ago interea temporis de conversione Turcarum, qui ignorant Evangelium Christi vel rejiciunt, non de Indis Brachmanisque aut Scythis, qui nunquam Nomen Christi audiverunt, loquor infelicibus & perversis Christianis, qui videntur aurum quærere in aëre, gem̃as in arboribus, ficus in spinis, uvas in urticis, molles rosas in saxis sterilibus, & cùm possint cœlestium gratiarum diffuere delicijs, præferunt servitutem diaboli, libertati Filiorum Dei. Nam quid aliud est extingvere Spiritum Sanctum, nisi quod horret lingva loqui, deturbare ex cordis regia Spiritum Sanctum & dare locum diabolo, capitalissimo generis humani adversario, qui sicut incredibili fertur in Christum odio, ita quoque im̃ortali penè invidiâ adversùs eos laborat, qui pretioso ejus sangvine redempti sumus. Amarissima nimirum illa recordatio primæ suæ felicitatis quâ excidit, & quòd ampliùs nunquam futurus sit beatus, incredibiliter illum torquet, atq; ideò tantò diligentiùs ruinam nostram quærit confirmando nos in peccatis, incitando ad desperationem, ut in damnatione moriamur. Operatio ejus (inquit Tertullianus) est hominibus eversio. Dedignamur circumvolantes muscas, quoties faciem nostram petunt repetuntq;, fœdant epulas, crateres inficiunt, quietem turbant & otia. Divus Chrysostomus Satanam appellat Archimuscam, & meritò quidem, cui enim ille parcit, quem reveretur, quem non pungit tentationis aculeo? Neminem præterit sive domi sive foris com̃orantem, noctu diuq; volat, nemini indulget, nulli parcit ætati, aggreditur florentem adolescentiam, luctatur cum viris, depontanos quoque fatigat senes, Non dat quieti spatium, etiam venerandam canitiem & albam frigidamq; jam ævo suo brumam adoritur, gravissimis impeditos negotijs adit, nullo honorum gradu, nullâ dignitatis tenetur reverentiâ. His fœdos amores suggerit sine fronte, illos inflat superbiâ sine modo, in his avaritiæ sitim accendit sine limite. Ante peccatũ facilitatem veniæ pollicetur, post patratum verò scelus metum auget, fiduciã de miseratione Divina minuit, in sacri tribunalis aditu pudorem restituit, quem detraxerat peccaturis. Ille in desperationem actos adhuc superstites ingeniosè edocet loquendi stylũ solis damnatis usitatum, ille avaros instruit usurarios, ut sine circumcisione publicam Hebraicæ fidei professionem exerceant, ille sæpiùs in sexto præcepto dispensat impudentes. Sed utinam verò quisquis demum es, illâ te manu contingeret,

ret, quâ propellit ad peccandum videres imò etiam sentires, videres totum in una manu inferni incendium, videres ignem devorantem, ardoresq; sempiternos perhorresceres. Responde mihi: premerésne adhuc in tali casu illius vestigia, si te infernalis ille carbo adureret? porrigerésne illi iterum adustam semel manum? darésne illi fidem? audirésne suadentem? quare ergo credis tam fraudulento deceptori, qui te jam toties egit in scopulos totiesq; fefellit. Quam tibi ab illo vitam polliceris, qui tibi nihil nisi fel draconum, & venena propinat? Quomodo audes tam apertas insidias inter delicias tuas reputare? Infelices nos & im̃ortalibus dignos lachrymis, qui propter tam levem miseræ voluptatis auram, pulchritudinem æternam postponimus. Exuunt pellem suam serpentes, ut caput servent integrum. Omnes etiam usu rationis destitutæ creaturæ reverentur intimam im̃ensitatis Divinæ præsentiam, solus homo adeò ingratus & im̃emor spectantis è cœlo Judicis. Cui lachrymas non eliciat tam impudens tamq; cæca præsentis ubiq; Numinis oblivio? Amarissimas profectò diffluere totus in lachrimas deberet quivis Catholicus, considerans reperta in cujusdam Idololatræ volumine digna illa Christi Apostoli verba: Multos inveni æquos adversùs homines, adversus Deum neminem. Cur Moyses & Aaron terræ sanctæ ingressu prohibiti nisi quòd è domo servitutis, omnipotenti manu Dei eductum Israëlem, ad grati animi memoriam, sæpiùs hortari neglexissent. DEUS munificentissime, hæc est, singularis tuam inter bonitatem & nostram indignitatem differentia, quòd tu sis liberalis in conferendis gratijs, nos verò nimium avari & tenaces, tu ipsa bonitas, nos ingrati, tu facilis ad indulgendum, nos nimium proni ad te deserendum. Nihil tibi pro collatis muneribus retribuimus, nisi malitiam nostram & peccata. Quem à nobis igitur fructum decerpis DEUS Optime? Ecce amas nos toto te, & quidem infinito amore, & non redamaris, donis cœlestibus nos cumulas perpetuò, & nullam reportas gratiarum actionem. Quò majora seminas spargisq; in nos beneficia eò grandiorem metis ingratitudinem. Majoribus nimirum indies delictis nostris, & quasi ab ipsamet benefica manu tua incrementa sumentibus, gratias tuas rependimus. Fac nobiscum DEus quod vis, fac quod potes, fac tandem quod scis, non invenies tamen quidquam in nobis dignum te, quia non invenies aliud nisi sum̃am indignitatem & ingratitudinem execrandam, & si meritò tibi saltem hoc præstare testariq; nostra deberet fragilitas, quod præstat suo artifici speculum. Prima nimirum imago, quam novum speculum repræsentat, est illius, qui fecit illud, quasi tacitè loquens Authori suo: quidquid pulchritudinis venustatisq; habeo, tuis manibus ingenioq; totum debeo. O si rerum parens natura cordibus nostris pro duris obscurisq; ossibus, quibus teguntur, ita transparens opponeret diaphanũ, ut clarè in illis videri possit Creator noster, nosq; dicere possimus: Amantissime animarum nostrarum DEus, quidquid boni pulchriq; in me video, donum est miserationis tuæ, quid tibi, quid amori tuo immenso par solvere potest humana indignitas? Atq; ideo hac unâ ratione innumera tua quibus quotidie cumulamur, beneficia referre possumus, si tibi corda nostra concesserimus, si illis velut in ara sua domestica cœlestis amor perpetuò ardeat. Contingeret nobis hæc tuo munere felicitas ô Bonitas infinita. Intorquet Apostolicum suum fulmen in rebelles Spiritui Sancto Doctor Gentium: Qui non diligit Dominum JESUM, anathema sit. Flecto ego quoq; ad vos indignus Pastor vocem meam: Nolite extingvere Spiritum Sanctum, si vultis

A.C. 1693

A.C. 1693 vultis (& omninò velle necesse est) videre illum, in quem desiderant Angeli prospicere, ab illiusq; amplexibus non separari in æternum. A.

SALUTATIO ILLmi EPISCOPI NOMINE PLOCEN: URBIS.

ET nos ad aram Celsitudinis Tuæ consistimus Plocensis Urbis incolæ Excell: Illustme ac Rndme Domine Pastor optatissime. Stamus inquam ad tuæ lucis amplitudinem attoniti, ac defixi, dū ipsum propè spiritum gaudiorum ubertas intercipit, & nova felicitatis nostræ prodigia captivant. Tanta nimirum sunt, quæ Plociæ invexisti solatia, ut ea sentire, non eloqui valeamus. Vulgaris illa felicitas est, quam potest adæquare svada nostra, si lingvis omnium liceret proloqui, haud quaquam exprimeretur.

Ad vocem, Vaticana Petri è cymba, sonantem duxisti in altum emeritæ dignitatis omnium in te oculos, omnium animos trahens, omnes ad profundissimam venerationem, ubi nostram simul altiùs attollis felicitatem. Quid enim Sacer iste Pontificiæ dignitatis cultus, nisi nostrā demonstrat fortunam? Biverticem Præsul Tiaram assumpsisti, non ut armatâ fronte terrorem faceres infimis, aut metum indiceres ex alto. Janum potiùs cum fronte gemina induisti, ut alterum nobis servares vultum, cum tua tibi Patriæq; munia eripiunt unum. Cinxisti sacra tænia capacem maximorum verticem, quo faciliùs profusam in latum Diœcesim, ad unum caput colligeres, uno animo clauderes. Asperum magis vellus, quàm aureum humeris induxisti, ut vel hoc ariete vigilem semper pulsares animum, teq; subjectum altiùs nobis dimitteres. Insomne sub apice cornuto caput esse voluisti, ne quando tui gregis oblivio invaderet animum, curamque sepeliret. Pudorem Pontificiæ inferri purpuræ crederes, si Senatorio de Laticlavio candidum nobis amorem non promeres, ruborem imò in vultum transferres à murice, si eum te non dares singulis, quem optant amplecti universi. Honorarius, quem manu præfers, Scipio vigilans pro salute omnium, virga est, quam graviter minitantem timeant Hetorodoxi prædatores, nos proni colimus invitantem. Hujus Anteambulonis ductu ad intimum tui pectoris penetrale nos admisisti, tenesq; abditos, ut tuis ab ignibus incalescamus. Annulus verò quid tandem in pectore Pontificio obsignavit, præter indubitatum nostri amorem, quo stimulante desponsata est in te honori comitas, comitati amor. Sic tuam vectus in Cathedram oculos gregis tui Pastor occupas cujus animos jam dudum possedisti, possides animos, qui totos jam ante non visus etiam occupâsti. An enim oves ovilis tui simus, non impleas Præsul meritissime, qui publicas præter honorum curules vastissima coronatæ Majestatis corda implevisti. Non capiunt dignitatis augustæ amplitudinem angusta gregis tui præcordia. Unde à tua capiendi benevolentia ingressuro tibi non iter floribus coronisque instravimus, non aras disposuimus, non thura odoresque cumulavimus, ut olim Babyloniam petenti Macedoni veteres, sed omnium corda uno conclusa præsentamus, omnia in uno capienda. Floridissimi tamen hic pullularunt affectus, iter tibi adornaturi, ut sua victori cordium pompa non deesset. Straverit Boleslaus Chrabri Othoni Imperatori Gnesnam ingressuro purpureo indumento vias, nos oris verecundi purpuram, quam nostra pinxit tenuitas tibi adsternimus. Hoc super murice ad intimos omnium amores penetra, ut nunquam intermorituram accipias venerationem. Sanè obstinata licet hæc forent pectora,

pectora, Zaluſcianus tamen aries ea expugnaret, ut facere ſpontaneam non abnuerent deditionem. Senſerunt ſuavem hujus machinæ violentiam avitæ Plociæ Turres, hinc prono ad tui cultum nutant vertice, victoreſque ante pedes cadere ambiunt, non ſurrecturæ niſi ut iterum cadant. Quòd ſi tua illas infulata jubet aſſurgere urbanitas, ſtabunt equidem, ſic tamen ut tuæ ſemper maneant gloriæ monumentum, tuis munitæ gratijs, ſi ruant toto concita pericula mundo, ſua non cedent ſtatione, aut tuæ ſemper magnitudinis teſtes ſuperabunt. Plocenſibus verò in Colonijs ver novum virtutis efflorefcet, quamdiu Pontificij honoris Phœbus arietis Zaluſciani ſydus tenebit, & pretioſa Chryſoſtomi facundia imbres aureos non denegabit. Planè felicitati noſtræ tantùm Præſulem ſervarunt ſuperi, ut quando temporum iniquitas, & Martis gravitas corporales nobis ſubtraxit opes, tu luculenter ſpirituales accumules tanto cum univerſorum ſolatio, ut illis ultro privari ambiant, ne iſtis deſtituantur. O Præſul auree, O Chryſoſtome, quo *loco* tantum condemus pretium. Ingredere arcem pectoris & omnium captives animos, teneaſque ſemper devinctos. Habes poſitas in omnium pectore Præſuleæ dignitati curules, quas ſuper reclinatus fer leges avidis populoque jura. En prona ab affectuum pondere non corda ſolùm civium, ſed ipſius civitatis mœnia, quæ tibi ſubmiſſa, totum te concludere geſtiunt, ne qua vel ſiniſtro nobis eripiare fato, vel nos excidamus tibi: Quanquam quid vanos mentimur metus; non tibi excidemus Antiſtes benevolentiſſime, qui tuo nos pectore concluſiſti. A.C. 1693

Longa dies citior brumali ſydere noxq;
Tardior Hyberna ſolſtitialis erit
Nec Babylon æſtus nec frigora Pontus habebit
Calthaq; Pœnaſtas vincet odore roſas. Ovid.
Quam tibi noſtrarum veniant oblivia rerum

Nec tu eripieris nobis, cujus inſculptos alto pectori amores gerimus, aureo benevolentiæ tuæ ſtylo exaratos. Ferrea pleriq; timoris celte ſui nominis characteres imprimunt, ignari credo ipſa corda mutari, in ſilicem affectus dureſcere, ſi durius incumbant, cœlum mitius nos Præſulea dextera tetigit, ſed ſtylum impreſſit profundiùs, quo moniti loquemur, Infulati Patris præconia etiam dum ſilebimus. En enim ut ipſa tacentibus nobis urbis noſtræ monumenta, & ſi ruinis temporumq; invidia premantur, vocale caput erigunt ſuiſq; pulverem excutiunt oculis, in tuum è ruderibus conſpectum enitendo. Auge illorum animã, quam in affectibus expenderunt. Vovent id tot lingvis, quot rimis, ſed tu petentibus liberalior ipſa præoccupaſti vota cum ſquallida omnia Illuſtriſſimo tui cultus radio ſerenaſti. Amabunt eximias Załuſciani nominis Charites, dum ſpiritus ſuppetent, & vita. Tu interim Antiſtes Rñdme ſubjecta ſibi pectora plena cum poteſtate poſſide, atq; ut ſvavi cũ imperio regas diutius noſtrorum omnium ætatem vive Eccleſiæ, DEO.

STANISLAI DABSKI EPISCOPI KUJAVIENSIS AD REGEM 18 Octobris.

NON ignoro Mtem Vram liberæ Genti imperare, in ſpecula, velut ordinum caput, à Senatu libero conſilium requirere velle: Id tamen nunc in dubium juſtè vocare cogor, quando ſub hijce modis, ſi liberè quæ ſenſero, dicam, liberum conſilium in crimen vocatur. *Offenſa Caſtellani Cracovienſis*

Sssss 2 *Etiam*

A. C. 1693 *Etiamnum enim Castellanus Cracoviensis, sumptâ ex meo, ad deliberatorias Vræ Mtis responso, offensionis ansâ, ad manifestam, libertatem sentiendi induxit convulsionem, me incomparabili indignationi, odijsq; Exercitûs exposito: in toto namq; circulo, meis, ad Mtẽ Vram responsoriis legi jussis, conquestus est contra me, effrenatasq; malorum commovit linguas, se à me vexari, carpiq; putans. Nullã certè ejus Exercitûsq; regni his in literis feci mentionem; de generali duntaxat utriusq; Gentis militia quod sentiebam, expressi, in universum asserens de Ducibus, ijs scilicet armatis, non esse securiorem. Patriæ pacem, præsenti bello. Cur alij qui 4. cum eo numerantur Duces, causam inde non sumunt offensæ præter illum, fors ex proximi cujuscunq; ambitûs conscientia. Si unus ille injuriæ id sibi ducit, sequitur, illum omnibus præcellere velle, quod cum natura libertatis stare nequit, ut unus supra æqualitatem cæterorum emineat. Cum ingenti ergo dolore meo, in hac, jam per nosmetipsos labefactata libertate, in qua non est arbitrium sentiendi, beneq; de Repub: consulendi, confugio sub tutelam, ac respectum Mtis Vræ Si enim eo fine pro futuris, DEO dante comitiis, convocandi essemus, ut pro libera voce, & sensu, cavillis exagitemur, malumus de iis longè distantes audire, quàm effundere ibi sermonem, ubi non est auditus; vel consulendo subire periculum. A tenerioribus annis congenitum planè mihi fuit, blandimenta execrari, quî fieri potest, ut in proximo jam, reddendæ Deo villicationis, gradu consistens, à semita deviem veritatis. Nolo hac fœdari labe, sed quàm diu vires, & vita, tam diu recti sensus superstes erit; quo semper tuebor Mtem, & Augustam ejus domum, leges & libertates Patriæ æquali lance manu tenebo, nec confundar, etiam in facie Reip. iis, quæ ad deliberatorias Vræ Mti scripsi; Porrò Resp. dijudicet; utrum Exercitûs censuræ subesse debeat Consiliũ Senatorium? præterea considerabilis mihi est proditio consiliorũ; quæ, ut patet propalantur ab amicis, ad latus Vræ Mtis præsentibus; quibus veritas odium parit: At non curo verba malorum, modò cursu inoffenso, quem, toto Vræ Mtis Dominio tenui; reliquum ætatis meæ perficiam, nec sedebo in consilio impiorum contra Mtem.*

EJUSDEM AD FRANCISCUM GALECKI PRÆFECTUM CULINÆ REGNI 16 Octobris.

Offensa Castellani Cracoviensis

ULtima hæc posta tulit sinistrum erga me Castellani Cracoviensis affectum, qui nescio cujus instinctu, sumptâ offensionis ansâ ex responso ad deliberatorias Regiæ Mtis dato; idem, in facie totius Exercitûs, cum querimoniis legi jussit, ut eo acerbioribus, & injuriosis verbis, à licentiosorum lingvis honor meus impeteretur, in measq; persona libertas sentiendi, & bono publico consulendi conculcaretur. Prô DEUM! in quæ jam devenimus tempora, quibus virtus in crimen vocatur, ut bene sentientibus libera non sit lingva, & sensus

jus malorum? convocamur ad consilia, & generalia comitia, sed in eis, consiliariis molimina adstruuntur, ne veritatem loquantur, & liberè proferant quæ sentiunt. Non est jam, cur eò conveniamus, si penes militiam potestas erit arcendi consiliarios, si, non quod decernit Respub:, Senatus consulit, coronatum approbat caput, sed quod violenta imponent arma, suum sortietur effectum; quod hactenus experientia didicimus, ultima pernicie Reipub:, ac gentis probro, foventes Exercitum non ad defensionem, sed exitium majoremq; ruinam Patriæ: Id tamen de eis non licet sentire, sed potius omnia blanda loqui, & Panegyricos texere, dum omnium periculis uni sit optimè. Meminisse deberent Duces, se in libera Repub: non hæreditario jure eam capessere dictaturam: Habenda eis esset præ oculis æqualitas, sua cum alijs posteritatis; si eam in pessimo Reipub: statu reliquerint. Quare gratis me odio habet Castellanus, consilium meum trahendo in vituperium. Non me in facie totius Reipub: pudebit scripsisse ea, ad quæ Senatoria tenebar obligatione, nec confundar verbis, & acclamationibus malevolorum: aliàs liberi sensus mei redargutio, injuria est, & sublatio libertatis. Nullam ego meis in literis mentionem facio Castellani Cracoviensis, sed quia ille unus ex 4. æqualibus sibi Ducibus, primus conscire videtur, non mihi, sed sibi imputet; alienus enim ab hac ejus impetitione sum, & fui, sciens sensus ejus semper in bonum Reipub: collimare. Verùm quia me responsorias, ad deliberatorias, scribente, venerunt literæ ab Episcopo Vilnensi referentes, quantam à supremo Duce M. D. L. Ecclesiæ, & patrimonia Christi patiantur oppressionem; ob quam cælos penetrant gemitus & lachrymæ pauperum, ea de causa expressi futurum metum imminentem à potentia Ducum, & violentia militum, cum exitio Reipub: & Divina super eam maledictione: adeoq; non erat cur ad se id Castellanus dirigeret, quod ad omnes, pares ei quo ad omnē concurrentiam, extendebatur. Relinquat nos Spirituales Castellanus, si vult longævus esse cum sua posteritate super terram; nec sub virtutis specie Ecclesias, & Sacerdotes persequatur, fallax mundi gratia, citò orientem occasus sequitur, & dum maximè nobis felicitate videmur perennaturi, mutato fortunæ vultu, momento fieri possumus infelices. Quia verò sollicitè à me postulâsti hanc literarum copiam, tu quoq; me informare velis unde nam, hæc Castellani flāma erga me, semper sibi addictum, proruperit? novit ille quantum Placentinos execrer; quantum amem veritatem, à qua quo ad vixero non recedam, nec ullis minis, aut stridore dentium absterrebor, par cuiq; ad respondendum; amicitias tamen, non odia quæro. A. C. 1693

RESPONSUM STANISLAI DABSKI EPISCOPI KUJAVIENSIS AD DELIBERATORIAS REGIÆ MAJESTATIS 3 Septeb.

Licet clementissima Vræ Mtis gratia proximo me in Senatu suæ dexteræ suæ subsellio locaverit; vix cum novissimis tamen delibera-

A.C. 1693 liberatorias ex Cancelleria Regni, ſcilicet 5tâ Auguſti ſubſcriptas, 30 ejuſdem Varſaviâ Thorunium ad me delatas, recipio: diu perplexus hæſi, utrum ſero reſponſo fatiganda eſſet Majeſtas Vra; ne tamen ſilentio delinquam, quidquid fidele Mti, utile Reipub. cenſeo, libens pando. Imprimis debitas Vræ Mti fero grates, pro præſtitis huic Patriæ beneficijs, quam poſt rupta Comitia tanto temporis intervallo conſilijs deſtitutam, indefeſſa Regia ſollicitudine ſuſtentare dignatur: pro quo ſiniſtris Mtem Vram, (ut in deliberatorijs lego) tam domi, quàm extra interpretationibus carpi, nefas foret; ad quod viles non niſi animæ, ſenſuque carentes ſe reſolverent. Ut verò alij Monarchæ, effuſo totum per orbem ſangvine, ſibi omnia proſpera vendicent, adverſa ſoli Vræ Mti imputando, id fidem ſuperat, nec rationi conſonum eſt; verius enim ex præclarè geſtis Mtis Vræ, orbi monſtrabunt hiſtoriæ; omnes inter Monarchas non ſurrexiſſe majorem JOANNE III. unde; quot quot Mtas Vra afflictiones patitur (veniam imploro libertati) omnes proveniunt ab ingratitudine creaturarum ejus; quæ in faciem plaudunt, foris ſibilant: quis apud Miniſtros Principum, quis correſpondentijs cum externis, heroica Vræ Mtis acta, ſi non propria ejus ſubjecta denigrant? quorum aliqui dulcedine mercedis ab externis Monarchis capiendæ; alij ſtudio venandi Romanos favores, comparandique opinionem pietatis, quæ fingunt, ſcribunt, quod innumeris documentis Mtas Vra experiri poterit, reflexione facta ſuper hujuſmodi perverſa capita Sed his relictis deſcendo ad principale punctum, utrum ſcilicet his temporibus celebranda ſint Comitia? Jam certò perpendit cum præſentibus Senatoribus, conſummata Veſtræ Mtis prudentia, neceſſitatem Comitiorum, ſolùmq; ſolvendus reſtat nodus, quomodo nam feliciter ſuum ſint ſortitura effectum. Si enim ſpes non affulgebit univerſalis pacis inter Chriſtianos Principes, certè nec Comitia noſtra coaleſcere permittentur, cum non alio fine Miniſtros ſuos tempeſtive expediant, niſi ut à longè proſpiciant, quibus artibus conſilia ſuorum principalium ſtabiliendo, noſtra evertant, quo Monarchis ſuis activitatem, & fidelitatem obſequii demonſtrent: nec neutralitate amicitiæ ſibi quidquam ſinent perſvaderi; cum hæc juſtum habere nequeat æquilibrium, ſuſpicionibuſque, hanc vel illam partem faciat obnoxiam adeo quiſq; Ablegatorum mallet in tuto, per jacturam Comitiorum, ſui Domini ponere intereſſe, quàm neutralitate incertam reddere amicitiam; cum præſertim ita jam Externorum mores imbibemus, ut rarus ſit noſtrûm, qui Polonicâ loquatur lingvâ, ſed Gallicâ, vel Germanicâ, eorum ſpirando factiones, indeque lucra quærendo. In eam ſcilicet Reſpub: venit depravationem per degeneres filios, quos Patres noſtri nec noverunt, nec coluerunt? Quapropter opto, omnes prius circumſtantias, & diſpoſitiones Externorum Principum, ad futuram pacem, profundiore conſideratione perpen-

perpendi; tum demum determinationem Comitiorum accelerari, vel *A.C.* 1693
prorogari, ne tempestivè indicta, ipsa necessitate protrahantur, cum gravi dispendio Vræ Mtatis valetudinis; & privatarum fortunarum. Si enim acceleratio Comitiorum ad solum providendum stipendium Exercitui est necessaria, non tam Reipub: hoc, quam militum est interesse, qui toto anno Poloniam transitibus vastantes non nisi circa S. Michaëlis ad castra se conferunt. Potius his Comitiis commoditas, & tempus mensuranda circumstantiis tractatuum, de stabilienda pace; de quibus, citra colligationis convulsionem, agi nequit: si enim cum uno hoste deficimus viribus, quantus jam esset, ab ūdiq; paratâ Colligatorum potentiâ metus si suis cum hostibus pacem inierint? adeoq; ipsa propositio pacis, magis invitabit amicitiā Colligatorum, quàm aliquem, per rationem status obtinebit finem. Quo tamen præsupposito, prima nobis in futuris Comitiis meditatio, sit desideratæ pacis, quâ post tot Christiani sangvinis diluvia, post impensos pauperis populi, nullo fructu, inæstimabiles sumptus, post tot deniq; à Colligatis Monarchis erga nos ingratitudines, nihil nobis optabilius. Et licet inviti ab ijsdem Colligatis ita trahimur ad infelicium, nobisq; inutilium bellorum theatrum, ut videamur, quo ad bellum, vel pacem, ab illorum pendere arbitrio; ubi tamen contumax in nobis adverterint armorum fastidium, facilitatem nostram amplius non traducent, ipsiq; tandem inclnabuntur ad pacē, quam nos, ex ultima rerum nostrarum desperatione, poscimus omnes. In ordine ad quod opto, ut ante Comitia Mtas Vestra literis accendat Imperatorem, ut & ille tandem aliquando ad desideratam tranquillitatem, animum advertere velit, aut nos permittat, efficaciùs per tractatus nostris consulere rebus; cum omnium Colligatorum destituamur subsidijs.

Non postrema futurorum Comitiorum materia est, debitum, quod Respub: solvere tenetur bene merito Exercitui, cui in actuali obsequio, & actionibus bellicis existenti, de justo, & congruo, non solùm tanquam Mercenarijs, verùm etiam tanquam Patriæ filiis, deservita debentur stipendia: At nescio quo tepore, aut caligine, nostra damna non advertimus; qui in Comitijs stipendia, pro aliquot decadibus millium Exercitûs, ad opus belli statuentes, illum in codicibus duntaxat, non in legionibus, numeramus. Non revoco transitus militares; per eosq; graves pauperis populi oppressiones; ex quibus ditescunt Officiales; quidam possessiones sibi ex eis coemendo, alij Exotici ex Polonia ad propriam nationem, hic natas, & auctas opes avehendo. Et licet in externa militia, plena in castris Officiales non sistant Regimina, quandoq; accommodatas aliunde ad recensum homines producendo, uti faciunt etiam vexilla Polonica; si tamen (quod DEus avertat) urgente Reipub: fato, simili licentia, illi, quam non pridem sensit, & gemuit Polonia, sua Exerci-

A.C. 1693 Exercitus vindicaturus esset stipendia; vix nunc aliquot supra decem hominum millibus in acie, & castris comparentibus, protunc ad rapinam, & tormentum Patriæ sub colore vindicandi stipendij, aliquot decades millium invenirentur; siq; innumeræ legiones essent, ad opprimendam Rempub: in cujus visceribus ijs præsentib9 hostis nunc impune grassatur. Ea propter, quam efficacissimus inveniendus est modus Reipub:, ut scire possit, quantum, pro quibusve obsequiis, debeat Exercitui; ut in futuris quietetur Comitijs; ne cum gladiatoribus certare primum contingat in arena: Quis enim non intelligit prætensiones in Exercitu excitari ad Rempub: non alio fine; quam propter cupidinem imperandi? libertasne ergo ab hostili metu ab extra speranda erit, si relinquatur domi licentiosa militia hoste crudelior? Imò, nisi Exercitus hic exauthoretur simul cum pace conclusa, nec domus Regia, nec Respub: tuta erit, Ducibus armatis.

Id quoq; in consideratione habendum est, ut Comitia eo tempore non determinentur, quo Tartari habere possint commoditatem impune grassandi reliquosve homines in captivitatē abducendi, nullo resistente. Plura non addo extra orbitam materiæ, quæ tamen, utpote summè necessaria ad regulam reducere dignabitur Majestas Vra, cujus triumphalem, & beneficam exosculor dextram.

CII.
AMICO CONFIDENTI, ANDREAS C. ZALUSKI EPISCOPUS PLOCENSIS.

Comitia. Tristis hic iterum annus fuit geminis Comitijs, ruptis unis, alteris autem ne inchoatis quidem. In primis Crispinus Notarius campi Litvaniæ in Mareschalcum electus 9. Januarij elegante oratione Majestatem salutavit. Grandior deinde tumultus in Conclavi Nuntiorum cœpit, cui causam dedit Castellanatus Lenciciensis Tovianscio collatus, nec minor aliunde ansa, Episcopo Culmensi & Palatino Sieradiensi conquerentibus ibidem & assistentiam Nuntiorum in causa DEi contra Becal Judæum, qui blasphemiæ accusatus erat, implorantibus. Verùm quia excessit Episcopus lingvâ; condolentia nomine publico facta Regi, dataq; admonitio est Præsuli: causa verò ipsa inquisitioni commissa. Sed nec sic diu quietis esse licuit; iterum à D. Kerdey turbatum, qui cum protestatione exivit per rationem; quod per Litvaniam in bonis hæreditarijs locatus fuisset exercitus. At & hoc composito, tandem Conclave Nuntiorum 10. Febr: Senatui conjunctum fuit, non diuturna gaudia facturum: Nam postridie Nuntij Lencicienses Szumowski, Grabski, & Iwanski Comitia ruperunt. Admiratione digna res visa, neminē unum inventum; qui ratione ruptorum Comitiorum turbaretur: quisq; enim videns magnam apparentiam esse, ut rumperentur Comitia, optabat ut id quantocius fieret, quatenus incōmoditates Grodnenses tanto citius effugerent; Regi nihilominus ingratum fuit multumq; indignatus laboravit per me plurimùm; ut Nuntij reducerentur: verùm res erat impossibilis. Ruptis igitur Comitijs habitum Senatûs consilium, in quo audientia data Comiti Nostyc Legato Cæsaris 12. Febr: designatiq; pro

pro conferentia cum illo de Senatu, inter quos & ego fui: verùm nihil lęti in cōmodum noſtrum ex eo colloquio retulimus. Determinata etiam 15 Febr: conferentia cum Legato Gallico, Denewalla: ſed eam repentina mors dicti Legati abrupit. Paraverat ſe pro illa ſolenniter; nā etiam meliora ſedilia mihi vicinus exiſtens pro eo actu cōmodaverat: cùm nocte præcedente nullo morbo prævio vivere deſiit. In poſtcomitiali Senatûs conſilio Dux exercituum Regni informationem dedit de afflictis rebus totius exercitus, contenditq; ſatius futurum ſi pax decerneretur; modò illa cum utilitate noſtra foret. Theſaurarius etiam edocuit de magno defectu in theſauro. Totum deniq; eo dirigebatur conſilium; ut media continuandi belli invenirentur, ſi honoratam pacem concludere liberet. Sub hæc (uti 9 Martij innotuit) Tartari excurſione factâ vaſtârunt Ruſſiam, & mala noſtra auxerunt, Dominus verò Moro Gallus cum charactere Reſidentis Daniæ advenit, nomineq; Galliæ novas propoſitiones pacis particularis obtulit. Pater Vota etiam Româ rediit evicto ut gloriatus eſt jure patronatûs in partem Regis, probataq; authenticè poſſeſſione ab imemorabili tempore juxta mentem Concilij Tridentini. Adjuvit eum in hac cauſa Petrus Ruyter, qui in Dataria reperit: à SIGISMUNDO III. ſemper præſentatos fuiſſe à Regibus Abbates, Romæq; ſecutum effectum. Concluſum igitur erat nominationi Regiæ omnes Abbatias concedere ſub duabus conditionibus prima; ut præter Abbatem Cōmendatarium alter Abbas Clauſtralis eſſet. 2da ut pars proventuum Abbati Clauſtrali cederet. Feliciter hoc negotium, quod aliàs Patriam cum Roma collidebat cum emolumento quietis publicæ conſumatum fuiſſet; ſi non partim deſidia Miniſtrorum, qui tum temporis cauſam eam negligebant, partim privatorum commoda interveniſſent: nam quoties quis pro Abbatia deſignabatur, penſi habebat, quocunq; illam modo conſequeretur; etiamſi cum præjudicio nominationis & juris patronatûs Regij. Videantur hac de re variæ rationes & negotiatio P. Vota. Varia deinde uſq; ad initium Comitiorum calamo occurrunt. 27. Aprilis aſtiti matrimoniali contractui Fratris mei Franciſci Vexilliferi tum Livenſis cum domicella de Rivier ex domo Principum de Arſchot; quæ cum Principis Regij Conſorte advenerat. 1. Maji Cathedram Plocenſem ingreſſus ſum viſitationemq; tam Cathedralis, quàm aliarum Eccleſiaſticarum abſolvi; de qua videantur orationes meæ in viſitatione habitæ. Faceſſiverunt mihi aliquantum negotij Moniales Norbertanæ; ſed hoc mox decreto Romano pacatum fuit. 30. Maji Regiæ domui geminavit lætitiam Principe Mareſchalcâ Conſobrinâ Regis maſculam enixâ prolem, Principis autem Regij Conſorte eodem die Filiam. Sequuntur jam funera. D. Iwanski qui Comitia Grodnenſia ruperat, ſibi ipſi manus intulit, & ex ſclopo caput trajecit, ſuperſtes tamen vulneri aliquot dies fuit, tempusq; pro diſpoſitione animæ habuit. 19. Junij verò Palatini Ravenſis Parentis mei mors acerbo me confixit vulnere, cui poſtmodum 17. Auguſti parentavi. Palatinatus ab obitu ceſſit Germano meo Caſtellano Ravenſi, Caſtellanatus autem Hieronymo Breſtenſi Capitaneo itidem Germano meo; non ſine labore & pretio, quòd Regina obniteretur. Ad concordiam tum etiam res deducta eſt per plurimum conatum tam meum, quàm etiam Palatini Sendomirienſis Warſicki & alterius Palatini Sieradienſis. *A. C.* 1693

Explevit præterea mortalem vitam Epiſcopus Culmenſis; vacans Cathedra Abbati Paradiſienſi Szczuka collata. Primis autem Septembris Princeps Anhaltinus obiit, Palatinus item Wolniæ Mniſzek fatis con-

A.C. 1693 concessit; à quibus Palatinatus Vexillifero Regni Jablonowski, Vexilliferatus autem Germano ejusdem Capitaneo Buscensi datus, Capitaneatus verò Szczerzycensis Comiti de Maligni Germano Reginæ collatus non sine disgustu Cracoviensis Castellani; qui pro eodem concurrerat. Deniq; Palatina Ravensis domo Witowscia Germani mei Consors ex vivis abiit. Hæc inter nostra funera privatasq; clades Christianus orbis graviora longè per mutua Principum odia, infestasque acies vulnera accipiebat: nam Gallis tam mari quàm terrâ feliciter pugnantibus, Anglorum & Hollandorum dissipata classis, mox eodem successu à Mareschalco Luxenburgico altera de Anglis & Hispanis grandis parta victoria; quam nequicquam prohibere Rex Gvilhelmus & Elector Bavariæ præsentes aciei conati fuêre. Mense Augusto Legatus Gallicus Poligniac venit, quem Regina difficile dictu, quanto suscepit affectu. Successerunt deinde 21 Decemb: determinata Comitia, verùm quia Rex ægrè valebat, hæc à 21 usq; ad 24 exclusivè evenerunt.

Quæ facies rerum fuerit facilius lacrymis, quàm calamo expressero. Quamdiu Polonia stetit non existimo majorem unquam rerum cõfusionem fuisse. De valitudine Principis bonorum servorum, quorum paucos videre erat, pene nulla sollicitudo; diversa intenta obliquos agitabant; confidentia debita nec deprehendi quidem potuit; quisq; suorum solicitus, publici verò boni incurius agebat; aliquot duntaxat, quos fama publica facilè prodet, interesse Mtis & in eo commodum totius Patriæ sustinebant. Ipsam rem habe. Accepto universali Cancellarius Regni delatus Varsaviam mox illud resignavit Primati; verùm priusquam rediret à Cardinale, jam universale per copias sparsum in pluriũ manus devenerat. Quis illius copiam fecerit? incertum est. Cancellarius suspicionem à se amoliebatur, affirmando; nemini se illius fecisse copiam: subvereri tamen, ne Wolczynski illud prodiderit. Utcunq; est certum illud omne malum hoc fonte ortum: nam si de illo nemo scivisset, nemo legisset, & censurâsset: crediderim futurum fuisse, ut publicè legeretur, quod deinde ob rationes suppressum fuit. (ut inferius patebit) Ego Varsaviam de nocte dominico die adveni nec moratus; illucescente crastino feriæ secundæ Cancellarium Regni cum Palatino Masoviæ adiî; ubi Episcopum Culmensem comperi. Lectæ ibi fuêre literæ; quibus se excusabat Cardinalis, quod advenire non posset tam ob defectum equorum, quàm conclavia, quæ necdum per calefactionem cruditatem amisissent. Misit nihilominus literas ad status dato titulo fratris, quem ante negare consueverat: verùm has literas legere nemini visum fuit; quòd nemo agnoscere vellet quartum in Repub: ordinem. Ibidem multus sermo de fremitu in populo contra stylum universalis, circa quod diversi scrupuli aut fingebantur aut cujusq; opinione putabantur. Certum hoc fuit, quatuor versus literarum ad Cancellarium Regni datarum, quibus mandabatur; ut denuntiaret Ordinibus de mala valetudine Principis, non potuisse subjacere interpretationibus. Visum his Proceribus in instanti adire Thesaurarium Litvaniæ ad intelligendum; quid sperandum foret? siquidem ex circumstantijs altercationum cum Episcopo Vilnensi ibi quàm plurimùm & quàm diversissimè etiam optimæ intentiones crisi & interpretationibus sinistris subjiciebantur. Invenimus ibi Referendarium & Vexilliferum Regni, nec non complures Nuntios præsertim ex Litvania; quorum 42 fuêre, turbulenti omnes præter aliquot, omnes violentissima quæq; consilia dare assveti, & in turbido piscari: aderant etiam Palatini Trocensis & Polocensis homines scilicet

paca-

pacatissimi. Primum apud illos objectum sermonum excusatio Cardinalis; in quem præter alios solenniter invectus Palatinus Trocensis, culpavit Primatem; non debuisse illum excusationem obtendere, nec plura tribuere commoditatibus suis, quàm bono Patriæ: tandem post multos sermones conclusum; Cancellarius non profuturas scriberet literas ad Primatem nomine tot congregatorum ardentissimè invitando; ut adesse vellet & ex mente Regis consulere, quid facto hoc termino nunquã aliàs practicato opus sit; Petitus Episcopus Culmensis, ut pro veteri confidentia motiva adventûs Cardinali perscriberet; sed irrito effectu uterq; tentavit literas: demum pro more nimietatem verborum nullus insecutus finis, dilataq; non jam in crastinum sed in tempus pomeridianum sessio assecuratione præmissâ; si quidem Thesaurarius ob tumorem oris vitaret auram, eodem omnes conventuros. Circa 4tam conventum à supra nominatis, expeditisq; Matronis, quæ ad Conjugem Thesaurarij diverterant; adfuit etiam Mareschalcus & Thesaurarius Regni, Palatinusq; Plocensis, nec non alij; quibus intimatum fuerat, secesseruntq; à farragine Nuntiorum Litvaniæ ad aliud conclave: in quo primùm ventilatum, quo in loco legendum esset universale excusatorium Regium conclusumq; post multa; in Ecclesia S. Joannis illud legendum esse. Quæsitum secundò, an votiva habenda esset de Spiritu S. decretumq;, ne ulla solennitas Comitiorum fieret, consequenter nec sacrum, & ut ad secundam omnia sacra finirentur, quòd circa hanc horã conventus esset determinatus. Relicta deinde quæstio, à qua totum pendebat, de universali. Mareschalcus illud ingeniosè scriptum, non judiciosè asseruit, ab alijs diversimodè circa illud scrupulisatum; uti quòd Cardinali, qui extra Interregnum nihil sibi prætendere potest, ea denuntiatio commissa; quòd Rex semel assignato Comitiorũ tempore destiterit esse possessor temporis; quodq; sine ordinibus tempus determinare non posset; quòd hoc universale esset veluti vox imperans alicui turbæ, ut congregetur; deniq; difficulter allegata omnia descripserim. Econtra pro Rege allegatum, eum, utpote infirmum Cancellariaq; destitutum innocenter peti, subsecuturis innotescentijs corrigi posse, si quid erratum esset; quòd verò Cardinali negotium commisisset, de authoritate sua remisisse; nec quidquam in universali esse, quod officeret libertatibus, quas Rex in æqualitate existens, deinde etiam in Regno suo nulla re contra gestâ sustinuisset, adeòq; cùm hactenus sinistras imposturas interpretationesq; confudisset, oppidò constare, nullam eum intentionem habere violandi illas; deniq; dictum: viderent, num ob errorem Christiani Principis in similibus praxim non habentis bonus Rex vapulare debeat, num item Patria pati? quam certò passuram liquidum foret, quòd conservatio ejus à conservatione valetudinis Principis, tum etiam comitiorum ut plurimùm penderet. Disputatum tandem de medijs, quorum unum porrectum fuit; ut lectio universalis suspenderetur, denuntiareturq; tantùm afflicta valetudo Mtis à Cancellario: universale verò siquidem nuntij ob tam magnas læsiones non conventuri viderentur ad audiendum illud; in castro præsentaretur: at ad ea Cancellarius zelosissimè reposuit, sibi tanquam Ministro Regio executionem mandatorum, non interpretationem incũbere; & quandoquidem Cardinalis commissam Provinciam in se devolvisset, se etiamsi tantùm unus adesset nuntius, lecturum universale. Frustra in contrarium persvasiones fuêre; quibus quisq; pro virili Cancellarium inducere nitebatur, ut ab lectione supersederet. Cùm ergò ab ea resolutione à se invicem discessum esset; promisissetq; Litvaniæ Thesaurari- A.C. 1693

rari-

A.C. 1693 rarius multis rationibus convictus, se cooperaturum apud suos Senatores & nuntios; quatenùs se permissivè gererent in hac causa, nec nuntiorum Stubam ingrederentur; quia & hoc ex multis rationibus videbatur impediendum; in crastino autem nihilominùs innotuisset (nec enim dissimulabant) omnes nuntios Litvaniæ primùm impedituros lectionem universalis, tum etiam solenniter protestaturos contra illud; quibusdam in ipso puncto prævio lectioni incidit medium: felicius facturum Cancellarium, si à lectione desisteret, quàm in tanto publico, cui tot exteri interfuturi erant, honor Principis in discrimen præceps ageretur. Et reverà nihil meliùs fieri potuit, quàm quòd deinceps factum fuit: nam & honor in integro remansit, & comitia sustentata, quæ protestationibus totius Gentis procul dubio invalidari potuissent. Proindè, cùm in altera parte in formis, ubi umbella Regia esse solet, universi nuntij Litvaniæ consedissent; in altera autem parte nuntij Regni locum occupâssent, jãque ex præmeditato protestationes pararent; in contrarium omnia, nemine id sperante versa fuêre. Nam Cancellarius exscreatione sonorâ præmissâ quasiq; signo dato audientiâ conciliatâ in hunc sensum ut nunquã aliàs meliùs, locutus est: Monarchas quidem sua à DEO habere privilegia, & à pluribus rebus quibus populus subjaceret exemptos esse; per naturam nihilominùs humanam ita constitutos; ut à morbis & casibus humanis nullatenùs excepti sint &c. Is Princeps qui gloriam Gentis suæ extulit, &c. qui valetudini suæ non pepercit, ut benè Patriæ esset; dum jam in procinctu comitiorum laboribus interfuturus iter arripere tentaret, in morbum incidit, ægerrimèq; valens non tam suâ infirmitate angitur; quàm quòd hic adesse nequeat &c. Ille ergò per me tanquam Ministrum suum id Statibus defert, minimè dubitans; quòd per allegatam morbi legalitatem, quæ in omnibus judicijs & subsellijs respici cõsvevit, obtinebit dilationem; mentem verò Mtis in universali expressam quisq; in castro relegere poterit. Secundùm ea dicta ita omnes confusi sunt; ut verba illis non suppeterent, nec prorsùs scirent quid aut dicendum aut agendum foret? tandem tamen ex instinctu duo Nuntij inclamârunt, in quo castro inventuri essent universale? quia verò Cancellarius absoluto sermone ad sacristiam secesserat; rogatus iterum rediît; denuntiavitq; in castro Varsaviensi inventuros dictum universale. Exceptum responsum tumultuariâ voce, repositumq; à Nuntijs: igitur etiam protestatio contrà illud & contra scriptum ad Archivum fiet. Secutus inde risus; nam ex quo termino ea inferri protestatio posset, videbat nullus. Itum deinde ad Nuntiorum conclave; quo Referendarius Regni ob rationes aliquas ire renuit: missi tamen aliqui ex Poloniæ Nuntijs ad impedienda, si quæ fieri voluissent: verùm nihil ibi nisi chaos unum erat, partes Episcopi Vilnensis tenentibus utcunq; temulentis persistentibus in contradictione contra Nuntios Litvaniæ præsertim Vilnenses; qui prætendebant, ut scipio illis redderetur, quamvis Notarius Litvaniæ campestris priorum Comitiorum Mareschalcus adesset, nec honorem sibi debitum cedere vellet. Secesserunt etiam Senatores ad sacristiam, ibiq; in diversos abiêre sensus; optare alij colloquium cum Conclavi Nuntiorum; quatenus ita inirent rationes, quid imposterum faciendum foret? alij contra niti, etsi priores assecurarent nullam aliam materiam se assumpturos, præter solam & unicam limitationem Comitiorum. Visum verò prorsùs id non tentandum; quòd tot malevoli se prodidissent, quibus arduum fuisset ora obturare. Quamobrem veritus Senatus; ne Nuntij per Ablegatos colloquium expeterent,

terent, in sua quisque dilapsus est. Nuntij verò Litvaniæ ad ædes Thesaurarij congregati infremuêre contra eos, qui dissuasissent lectionem universalis, quia omnia intenta illorum hoc modo in irritum cecidêre. Voluerunt deinde protestationem facere; verùm ut audio castrum illam acceptare renuit. Ita feria tertia sine fructu abijt; feria verò quarta in diversis consilijs consumpta fuit. Voluit postmodum Ducatus L. saltem illa pars, quæ Episcopo Vilnensi adhærebat præter Notarium Campestrem ablegare ad Regem conquestum contra universale, petitumq; ut alia Comitia cum omnibus solennitatibns indicerentur, & cassaretur scriptum ad Archivum, mandatumq; datum Palatino Vilnensi; sed nec in hoc concordia fuit: hinc in alia dilapsi consilia quorum notitia ad me non devenit. His non obstantibus certum substitura fuisse Comitia; si modò prudenter innotescentiæ scriptæ fuissent, quas tamen non optâssem citius edi, quàm Rex plenam recuperâsset valeludinem Varsaviæq; substitisset. Priusquam ad finem veniam: subjungere mihi visum est ex diario authentico Abrahami Ducis Radvilij M.D.L. manu ejusdem propriâ scripto, casum in materia simili Anno Dñi 1633 die 31 Ianuarij initium Comitiorum factum Cracoviæ absente Rege, controversia diu orta de sacro, an illud antè celebrari deberet, quàm Senatores in templo adessemus pro consultatione mutua? sed non exspectato adventu nostro sacrum cœptum; ibi stomachabundi nos abire voluimus ad hospitia; placuit tamen exspectare finem sacri, quo absoluto convenit Senatus, tandem misit ad nos Archiepiscopus excusando sese; quòd nos non exspectaverit; nos etiam replicuimus indignabundi rogando, ut nos honore afficeret, quòd socios & concives dignitatis esse nôsset. Postea præsente Senatu & Nuntijs Thesaurarius Regni Legatus à Rege peroravit excusando morbo ingravescente absentiam; quem tamen convaluisse atq; in itinere esse asseverabat; uti in re erat: quamobrem postulabat ut exspectaretur adventus Regis; proponebat exempla præcipuè Regis STEPHANI, qui in medijs Comitijs advenerat ad inaugurationem suam. A Senatu benignè responsum, à Nuntijs itidem per Sobiescium præteritum Directorem; licet multa fuissent interlocutoria volentibus unis, ut Director ante eligeretur, alijs diversa prætendentibus. Tum ad mentem Regis omnia facta; cùm etiam jam adesse Rex nuntiaretur. Subjungo etiam Universale, circa quod tantum turbatum fuit: A.C. 1693

IOANNES III. &c. omnibus & singulis &c. pro Generalibus Comitijs Varsaviam per universalia nostra pro 22 Decembris præsentis anni 1693 designatis, congregatis & faciem Reipub. circa præfixionem innotescentiarum repræsentantibus.

Ea quæ nos ineffabili omnipotentiâ suâ in throno liberæ Gentis constituit, cui non difficile est jam vegeta & constanti nobis favere valetudine, jam diversis subjicere casibus, diuina dispositio, dum jam jam indies accingeremur itineri ad Comitia ex his moturi terris, ad quas studio & de industria securitati & tutelæ finium, uti etiam fortalitiorum, conseruationiq; exercituum prouisuri nos contuleramus, ex beneplacito voluntatis suæ repentinâ valetudinis mutatione & insolitâ uirium debilitatione nos visitare atq; in ipso procinctu itineris h[illegible]obice objecto nos detinere dignata est. Suscipimus clementem hanc & benignam visitationem ex paterna Creatoris nostri manu cum debita tenuitatis nostræ patientia, solidè gratiæ divinæ

 confisi;

A. C. 1693 *confisi quòd illa nos ad ulteriorem gloriam suam, augmentum sacræ fidei, defensionem creditorũ dominorũ, Patriæq; dilectæ tutelã, ex his, quos patimur, paroxysmis clementer adhuc eruet. Quamvis verò omni ope connixi, ut ea infirmitas nostra humanis utcunq; restaurata & confirmata mediis nos quantocyùs pro termino Comitiorum publico reddere potuisset, parati fuerimus etiam cum discrimine vitæ pro tempore præfixo Varsaviæ comparere: quia tamen & ætas ipsa continuis circa bonum publicum laboribus fessa, & tempus solstitij hyemalis perfectam & velocem inviderunt conualescentiam; & super omnia graves & impensæ instantiæ tam Castellani Cracoviensis, quàm aliorum in vicinia Senatorum manifesto nos exponere periculo vetuerunt: visum nobis est hoc authentico documento eam ipsam impossibilitatem accessûs nostri pro termino Dilectionibus vestris denuntiare & deferre: uti re ipsâ præsenti universali nostro denuntiamus & deferimus impensè & ardenter ab omnibus & singulis optantes; ut fracta primùm curis & laboribus, tum iteratò repentinâ debilitate concussâ valetudine nostrâ & sub manu medica spirante pro justa causa impeditæ ad vos pro termino profectionis acceptatâ, breve nobis tempus pro virium & valetudinis restauratione indulgeatis, & hanc moram, quâ cura salutis nostræ indiget, partim ex amore in Patriam, partim ex teneritudine compassionis in personam nostram, amore & pietate filiali, donare æquanimiter velitis. Nos autem quàm primum nos DEus, in cujus manibus sortes nostræ sunt, pristinæ restituet valetudini, determinato jam tantum per solas innotescentias nostras tempore & die Comitiorum, ad rem pro bono publico per Dilectiones vestras paratam primo statim momento accedere & comparere non detrectabimus. Quod ut luculentius omnibus & singulis innotesceret, hoc uniuersale nostrum Reverendissimo &c. Cardinali Archiepiscopo Gnesnensi Primati Regni & M. D. L. publicandum & promulgandnm commisimus; & ad meliorem fidem manu propriâ subscriptum sigillo Regni roborari jussimus. Datum Zolkuiæ die 14 Decembris anno 1693 Regni nostri 20*

Voluêre postmodum Litvaniæ Nuntij ex motu Thesaurarij, qui gravi citra causam in me se ferri diffidentiâ præferebat, protestationem facere; verùm, ubi cum illo in concordiam redij, ab hoc intento ad meam persuasionem prorsùs abstinuerũt: nec verò etiam ratio suberat absolutè, cur ea fieri deberet protestatio? Diversi deinde rumores fuerunt de appropinquatione Majestatum Varsaviam, & verè si illæ advenissent; crediderim feliciter & inchoanda & terminanda fuisse Comitia.

VOTUM ANDREÆ ZALUSKI EPISCOPI PRO TUNC PLOCENSIS IN GENERALIBUS COMITIIS GRODNES: 23. Januarij.

VOcatus beneficâ voce Domini ex nudo, steriliq; subsellio, ad eam Cathedram, super quam, non ita pridem, Germana fulserunt nomina Regum; admotus novo titulo, incomparabili clementia, secundo

cundo per adversa cursu, lateri thronoq; Regio; translatus, ijs ex partibus, ubi, plures errabundas, quàm veras, morigerásve numerabam oves, ad amplam Diœcesim, devotam Mti V, Regi & Dño meo, fero mentem. Fateor cum Apostolo tenuitatem meam: Ego minimus Apostolorum; licet idem sine nota jactantiæ, in veritate sit gloriatus: Plus cæteris laboravi. Sit ea aliorum indoles, ut acturi pro collato beneficio gratias, sua merita longo ordine recenseant, quasi scrupulisantibus in aliena fortuna Aristarchis ostendentes, quòd vitam suam enarrare morum sit fiducia. At ego mereri, non ambire doctus honorum insignia, malo, quidquid habeo, & habui, prævenienti gratiæ V. Mti adscribere. Et licet possem non sterile obsequium meum, quod bono publico, ab extra, & ad intra toties, absit verbo jactantia, non sine gloria, quanquã sæpius cum invidia, impendi; ex fiducia, non arrogantia revocare; non ignarus sub imperio Mtis V. virtutes ijsdem temporibus æstimari, quib⁹ gignuntur; Licet publicum suffragium & ipsius V. Mtis habere possim, cũ *nôrit* Dñus, qui sint ejus, quomodo non obliquis artibus, sed recto fidelis propensionis tramite, in conspectu V. Mtis ambulando, in aula omnia sciente, nihil reticente transegerim; nullum declinando obsequium, nulli adversæ obmurmurando fortunæ; memor, ad me pertinere datam mihi personam bene agere, eligere ad alium: verùm quia omnia hæc mea obsequia, inde rationem habent meriti, & valoris; quòd clementer à Majestate Vestra sint acceptata, potius nomine gratiarum quàm obsequiorum censenda sunt, refero ea ad obligationem immortalis gratitudinis, nec meritorum catalogo accenseo. Fateor enim cum illo Patriarcha, me minorem esse cunctis miserationibus, non tam speciem meritorum in hoc beneficio, quàm incomparabilem Vestræ Mtis perpendo clementiam; cum rara Monarchas inter moderatione, majus esse judices invenisse bonos, quàm fecisse. Licet verò Rex Serenissime, meus usq; ad defectionem desudet intellectus, modum, quo Regiam liberalitatem rependere possit, non inveniet. Licet cor, sinceri affectus rumpatur abundantiâ, aut ceræ instar ad ignem liquefiat, tuis nunquam gratificabitur beneficiis: Licet de ore meo flumina prodeant eloquentiæ, & affectuum, tuam erga me non enarrabunt munificentiam, nec pares ei refundent grates. Didici tamen à S. Chrysostomo mei Natalis Tutelari modum, qui animans ad gratitudinem; non tantùm optimam beneficiorum custodem, ipsam eorum memoriam esse asserit, verùm etiam in accipiendis imitandum suadet S. Spiritum: sui missionem, varijs lingvis designantem; ut etiam illi, qui recipiunt beneficia, ea celebrent, de ijs loquantur, perpetuaq; sint gratiarum confessio non tam ore quàm se totis, lingvâ ad horam, vitâ semper: Sequar exemplum Evangelici Regis, qui non exquisita oratione, non verborum delectu pro revocato filio à portis mortis gratias retulit; sed gratitudinis obligationem inconcussa fide juxta Origenem persolvit; ferventiorem jam fidem, agendarum gratiarum referens loco; vivam promptamq; Vestræ Majestati, publicè, privatimq; testabor gratitudinem. Oculi mei semper ad Dominum; ut sol terram, sic tuis intendam nutibus, & si quando facultatem meæ requires tenuitatis, certò nunquam voluntatem desiderabis. Sequar in sensu meliore illum; qui in reprobo gloriabatur: Vado commovere fratres; beneficia enim tua memori recolam mente, gratâ non minus lingvâ, quàm pennâ fratribus enarrabo, palàm deducens, quomodo non tantùm Typographorum præla, alienis ab assentatione Panegyricis, Bibliothecas perennibus historijs, orbem universum bellorum gloria, & inaudi- *A.C.* 1693

 tis

A.C. 1693 tis impleveris actionibus, Gentis Sarmaticæ nomen, supra priscorum sæculorum attollens fortunam, ibi extendens tentoria, ubi pes ante Polonorum non stetit, non tantùm tristissimi sæculi infortunijs succurrere, gentilitio scuto, ab ultima calamitate, totius Christianitatis supremam nôsti tueri sortem; verùm etiam super omnia, congenita bonitate res olim dissociabiles, principatum, & libertatem pulchro adunas nexu, delicatè foves, fidelium subditorum merita, benequе merendi studia non tantùm contentas, ut habeant virtutes spatium exemplorum, sed illiciis etiam trahis gratiarum, ad majorem accendis promptitudinem, paterno cordi propius admoves, non parte purpuræ involvis vulnera subditorũ, sed toto eos adornas murice, nuditatemq; opperis meritorum: Unde, dum homines supererunt, in eorũ vives memoria: mihi, tam ad celebranda condignè ingentia tua facta, quã ad referendas pares beneficijs grates deficientibus verbis, supplices Numini tendere manus, cũ tota mea convenit Diœcesi, ut M. V. habeat longam vitã, felix Imperiũ, fortes Exercitus, Senatũ fidelẽ, populum probũ. Pertinet ad eandem gratitudinẽ Reginalis Mtas, cui non verbis folio per auras fluctuanti levioribus, verùm reali ad obsequia promptitudine, velut im̃ortalibus tabulis, perenni reminiscentiæ, obligationem debitæ imprimam gratitudinis. Non mihi ita dexteram Episcopale pedum, aut infula, quam ex clementissima capesso promotione, ita gravabit caput; ut in obsequiorum cursu, à quopiam præcurri me finam: Imò Præsuleum Pastorale, meam fulciet imbecillitatem, ut valentiorem reddat ad serviendum. Infula, non tam conveniente dignitati splendore, quàm Reginalibus fulgebit gratijs, indiesq; inflam̃abit mẽtem, ut singulos ad nutus, omnesq; occurrentias faciat vigilantem. Ipsa hæc Episcopalis crux, quam non tam super pectus, quàm intra cordis penetralia, ad perennem Reginalis erga me clementiæ, memoriam, secundò jam gestare incipio, acribus me spinis, pendentis in ea Nazareni Floris, stimulabit, ne ingratus vivã, & moriar, nec occumbam aliter quàm victima obsequij. Sint ergo certæ Mtes Vræ im̃ortalis (audacter dixerim) meæ gratitudinis, cui non intra verba, sed rebus ipsis & effectu, ibi erit terminus, ubi vitæ. Non requirenda erit fenestra ad cor, affectusq; meos; utrum hi verbis non discrepent, intuendos: Non minus enim in facie Reipub:, quam ille in Romano senatu, vel ipsa adstipulãte veritate, gloriari possum: Ego nunquam Patres Conscripti, verba magis, quàm res exercui. Non ita inter nubila phæbus, inter ignes luna minores, pretiosi, in annullaribus sphæris, spectantur uniones; ac gratiæ, & beneficia Vestrarum Mtum meis in obsequijs, quovis loco, momentoq; prominebunt. Persolutis, quæ vestris, pro mea obligatione, debui, Mtibus; nunc ad ea stylum animumq; converto, ad quæ præstãda teneor Patriæ; cui, ut in inferiore subsellio, sincera propensione, & filiali servivi affectu; ita in sublimiore; pictus, ut vulgò dicitur, non sedebo. Super pectus, amantium quispiam filiorum, charissimi Genitoris portavit vivos in imagine vultus; quorum vel ipso intuitu à malefactis abstrahebatur: absit, inquiens, ut aliquid indignum meo Patre geram. Non in pectore ego, sed in corde speciem feram Patriæ, illud identidẽ ingeminans: absit, ut aliquid indignum meâ Patriâ geram. In omnibus occurrentijs illud meo erit inscribendum agno: sic vos non vobis, vellera fertis oves; totum enim me, impendam & super impendam, nullo temeratis interesse, obsequijs Patriæ; non ignarus, neminem nostrûm, quicunq; sub alis Polonæ Aquilæ prognati sumus, posse ullibi melius, cõmodiusvè, quam in Polonia nidificare: Nemo Externorum Monarcha-

rum

rum nobis tantum præstare posset, quantum pereunte, quod superi avertant, Patriâ perderemus: unâ comuni navigantibus cymba, omnibusq; eodem pereuntibus naufragio, nemo suas servabit sarcinas. *A.C.* 1693

Veneror ex veteri forma, consvetudine, & affectu Duces utriusque Gentis, referens ex mea statione grates, pro impensis sumptibus, toleratis incomodis, exanthlatis laboribus, quos ut Mtas Vra, ex merito æstimare, iisq; gratificari; ita Respub:, grata recolere memoriâ non omittit. Ex parte personæ meæ, cum alia desint, gratæ mentis testimonium, cedat in præmium meritorum: Referri debent publicè præclarè acta civium, ne omni interdum præmio carere apud nos, heroa virtus videatur. Non nobis Græcorum, Romanorumve in usu est consvetudo, ut nostris Heroibus imortalia trophæa, statuasq;, in foro publico exhibeamus; id saltem referant solatij, quòd grata recordatione labores eorum, heroicosq; in bellicis actionibus ausus, recolamus.

Circa V.Mtis Instructionē breves formare discursus statui, non quòd dicēda desint, sed quòd multa loqui, parū aut nihil prosit. Experientiâ enim didicimus, sermones nostros velut orationes Salustij in honorē historiarū legi, & audiri inutiliter, cùm & ipsæ leges modicū proficiant. Quid prodest leges constituere statim pravo usu abrogandas? Athenis, qui, quod lege statutum erat, non implevit, de vi publica tenebatur, & semel placita pro æternis servabantur: Quodvis Imperium tamdiu non potest perire, quā diu scit parere. Nos verò, minimè licet ignoremus, quòd Nauclerus navi, auriga currui, Dux Exercitui, id Rebus publicis esse legem, quâ omnis in ea ordo conservatur; frustra tamen atramus sepiâ chartas, inania ostentamus folia, illi similes, qui dum certas uniuersales literas portæ salivâ agglutinâsset, hac exsiccatâ, edictum iu terram cecidit: sic nos, imò pejus agimus, apud quos nondum siccatæ tabulæ, prævaricatione confringuntur: quod amplificare pudor prohibet, cùm ita sit manifestum ut expers luminis intellectùs sit, qui non videat, cor sensu carens, quod dolore inde non tangatur, unde promptus, quem avertant Superi, imminet Patriæ interitus.

In capite instructionis illud primum legitur, quod Mtas V. omnibus suis adscribit actionibus: Dextera Domini fecit virtutem: DEus scilicet plurima apud nos operatur miracula. Quapropter alijs Patriam nostrā, Antemurale Christianitatis; alijs orthodoxi Martis Regiam, quibusdam Magnorum Heroum seminarium, compellantibus; illum ego jure merito illi titulum adscripsero; quem facundo ore magnus signaturæ Minister, in propositione expressit: Miraculorum vocans Remp:. Quæcunq; enim Anno præterito in Externis acta sunt Imperijs, omnia velut in speculo, in mea contemplor Patria. Angliæ, Italiæ, Scotiæ, Niderlandiæ Provincias, inauditus antea terræ motus, ita tremefecit, ac terruit, ut Urbes, & Oppida arundinis instar nutare cernerentur, incolæ domos obliti, in remotos campos profugerent, littus littori collidi videretur, mariaque abyssali altitudine dilabi, & diffluere. Editum in Italia quoddam informe monstrum. Anglia suæ videns in terris fortunæ angustias, tales invenit machinas, quibus securè in profundum maris sese demitteret, ibiq; velut ad lucernæ fulgorem, demersas opes cerneret, ac colligeret. Liceat de his sentire pro placito, quanquam non minus vera sint, quàm publica; primo ego insisto sensui, prodigiosas has omnes raritates in una reperiri Polonia. An enim etiam nobis hi motus desunt? Lassantur tot sæculis ingenia ut humanis in rebus perpetuum ostendant mobile: At facilè id vel extra authorum commenta, in nostra invenire est Po-

 lonia,

A. C. 1693 lonia, quæ ut ut non multum naviget, semper nihilominus jactatur, confundit eam turbatq; continuò quispiam Dux inquieti turbidus Adriæ, in suis investigabilis intentionibus, & operibus. Dici ex vero, ut de nostris consiliis, sic de ipsis Polonis potest: Domum cum supervacanea redeuntes lassitudine, jurant nescîsse seipsos, quare exiêrint, ubi fuerint, postero die per eadem erraturi vestigia: Imò sæpè quem velocissimum esse omnium scimus, nemo nostrûm moveri videt, nec ire crederemus, nisi appareret; verbo: Ixion se sequiturq;, fugitq;; quod antea displicuit, prudens nunc sanumq; censetur consilium: Polonorum phantasia ut luna mutatur, nec unquam in eodem statu permanet. Eo huc fine convenimus, ut pro cōmuni bono leges antiquas firmaremus, statueremus novas: At nos alienis à statutarum viis ambulamus; sicq; dum singuli lædimur, universi periclitamur, irascimur infortuniis, humeros admirabundi contrahimus, quod depressa non attollat Patria caput, nec tamen de remedijs cogitamus. Plures hujusmodi reperias, qui velut sub terræ motu de loco in locum se transferunt, huc illúcve inclinant aurem, aliena curiosi scrutatores rimantur arcana; jactant se scire quid in curia, conclaviq; actum sit, vel agendum; quod quiq; ut Plautiniana utar phrasi in animo habeant, aut habituri sint, sciunt. Quid Juno fabulata sit cum Jove sciunt, quæq; neq; futura neq; facta sunt, tamen illi sciunt. Hinc ex quo fonte teterrimum illud vitium publicorū secretorum inquisitio, multorumq; impertinentium profluit scientia, ex eo promanant perpetui turbines, motusq; in Patriam: Uno ad supprimendam exortam flammam accurrente, suis illi alter artibus fomenta subjicit: Quorundam ut quidam ait, quasi ad incendium currentium misereberis; usq; eo impellunt obvios, & se aliosq; præcipitant, vagātur, quærunt ea negotia, nec quæ destinaverunt, agunt, sed in quæ incurrerunt: In uno duntaxat rotamur loco velut liquidis Phrygius Mæander in undis. Grandis hic profectò, nostro in Regno motus, longeq; supra memoratis, externarum Terrarum inde maximè nocentior; quòd nobis intimus, utpote non in terris, verùm in turbulentis nostrorū animorū Genijs reperibilis. Ex Gallijs inaudita agrorū sterilitas literis nuntiatur: An non etiam hoc reperitur prodigium in Polonia, ubi velut duram super petram nullus consiliorum nostrorum succrescit fructus? Vix non sangvineis jugera nostra rigamus lacrymis, nec ulla ferè terræ particula invenitur, quæ sangvine respersa non sit. Numeramus tot Laureatos, pluribus ab annis, Agricolas; ubiq; tamen, per continua tributa, & expeditiones, fructu vacuam spectamus glebam: Ipsum caput Regni Poloniæ constrictum casside, continuos inter labores vix non sangvinē fundit pro sudore. At quā inde messem colligim⁹? certè non aureā, cum hæc à Saturni temporibus intra fabulas hæserit Pòëtarum: Nos infelix lolium, & steriles avenas metimus. Plurimos nunc natos cernimus Maledicos alienam in contumeliam Venustos; numeramus tot facundos malo publico: si quæras fidam in statibus sinceritatem, percurras mente personas, & oculo; summam in hoc genere spectabis sterilitatem; vix est cui fidatur, aut cum quo sermo de bono publico conferatur, privatum cuiq; decus imprimis, publicum in recessu: aliud in senatu loquimur, domi aliud, nec idem in pyxide, quod in titulo præferimus, similes Pharmacopolarum vasculis, in quorum superficie legitur; Theriaca Andromachi; intus cerasa contusa (Poloni vocant powidła) asservantur: Ideoq; non mirum nos requiem Comitijs, priusquam nascantur, canere; nec aliter ad publica Consilia, quam ad Declamatio-

mationes quasdam, aut amicas salutationes, privatasve conversationes, *A.C.* 1693
convenire. De hujusmodi perversis, maleq; Patriæ faventibus ingenijs, meritò illud dixeris, quod de Gentilium Consiliariis scriptum legitur: Fundâ vinciunt caput. Hoc & ornamentum capitis, & telum est. Utinam ornamenta hujusmodi in Polonorum non reperiantur capitibus; quibus ingeniosiores sunt artes nocendi bono publico, quàm consulendi. Hinc quid mirum, quòd percurrens mente amplum Consiliorũ campum, loco albescentis ad messem segetis; aut summam sterilitatem, aut hac pejores urticas, tribulosq; reperio.

In primò olim semper naturæ respectu caput erat, quod illa supremo, reliquas super partes, statuens loco, sum̃um earum dedit Dominium, totamq; corporis humani molem ejus subjecit imperijs. Nullum unquam membrum cum eo certamen inire præsumpsit; semper illud portauit cervix, sustentabant humeri, tuebantur manus; cor pectusq; fovebant; pedes, quo jubebantur, deducebant. Quævis deniq; corporis particula, locum suum officiumve tenebat, nec cum capite bella gerere attentabat. Nunc primum, ut in Italicis legitur novis, monstrosus quispiam partus, illi intulit contumeliam, transverso naturæ ordine, ad inferiora depressum caput, illis socians, & exæquans. Vtinam monstra hæc, peccantis naturæ fœtus, in Polonia non nascantur! Vtinam subdita membra, in maiore veneratione, respectuq; caput habeant, debitum illi honorem, ac submissionem, pro omni cura, sollicitudine, ac providentia, æterna dignis gratitudine, tribuendo. Consilio malè contentis essem (uni enim contentos omnes reddere impossibile) qui optimas actiones, sinistris invertunt interpretationibus, ut mente recolant illa S. Scripturæ verba: Jnventus es minus habens; ubi ipse DEus in tanta observatione caput Regni Babylonici habuisse videtur; ut non aliter, nisi velato vultu, & summis (ut vulgò dicitur) digitis, licet Rex Regum, & Dominus Dominantium, honorem, thronumq; ejus tetigerit. Severum illud supremi Iudicis decretum: si oculus tuus scandalizat te, si pes, si manus, erue, abscinde, & projice abs te, caput præterijt, ut ut certum sit, nec manum, nec oculum, sinè ejus expresso consensu, delinquere posse, cum nihil sit volitum, nisi cognitum. In tanta scilicet reverentia, & respectu, sapientiæ æternæ semper erant capita terrestria. Grande id esse debet proinde monstrum, quod plus hac in parte ipso DEo præsumit, immemor debitæ sui capitis reverentiæ. Non desunt alia, ordinarium naturæ cursum excedentia, quæ sponte prætermitto, nec illam revoco machinam, qua, angustias in terris fortunæ cernens Anglia, se demittit in maris altitudinem, in eaq;, velut ad lucernam, amissa colligit: Non immoror puncti hujus deductioni, quibusnam machinis, seu potius machinationibus, nos in intaminata Regiæ Domûs arcana immittimus, illa ad fundum usq; rimari cupientes: Vnde nullus convenientius titulus competit Poloniæ, quàm esse Rempub: miraculorum. Intuetur monstra hæc potius quàm miracula, numerat tot Thaumaturgos Majestas Vestra, doloreq; tabescit, sed cum remedium invenire nequeat illud in se experitur quod quispiam de sua villa villicoq; retulit: Ueneram, inquiens, in suburbanum meum, & querebar de impensis ædificij dilabentis: Ait Villicus non esse suæ negligentiæ vitium; omnia se facere, sed villam veterem esse. Agis quantum per vires licet Regum optime, habes in Senatu, & Equestri Ordine subjecta talia, quæ semoto quovis interesse, suâ ad id tecum concurrunt operâ; sed vitijs in pejus vergentis sæculi, fortiora sunt mala, quàm remedia. Queruntur contra Cancellariam Mtis V. nihil in ea

A.C. 1693 in ea tempestivè fieri; quisq; boni communis amans consideret, quàm pessima sit rei non bonæ consvetudo: Tributa statuimus, nec reddimus, militi non solvimus, in tempore nihil agimus, im̃emores; ea non videri seria, quæ serò geruntur, cùm unam rem sero feceris, omnia opera serò facies: Vocabit justus Judex contra nos tempus, nosq; pro eo inaniter impenso castigabit, quod S. Augustinus tantùm valere ait, quãtùm DEus, qui tempore bene insumpto acquiritur. Et quod maximũ est, non intempestivi tantùm, sed & injusti apud nos contribuendi modi; reimprimi deberent præcepta Decalogi, illo addito: Ne fraudes feceris; quæ in eam excreverunt multitudinem, ut ubiq; per eas, ditiores modicum aut nihil, pauperes omnia contribuant. Sacrosanctum illud apud Romanos erat, quòd exiit edictum, ut describeretur universus orbis: Dum verò quærerem quisnam illa solvisset tributa? reperi: Liberi solvebant seu Domini pro se & pro servis. Quanquam vix onus hoc in bona nobilia, & spiritualia non transfertur, cum pro desolatis cogamur solvere: Quæsivi amplius de iisdem contributionibus; reperiq; punctualiter ex eis soluta fuisse, sive domesticis militibus, ut ibi habetur, Romanorum, sive Externis stipendia: At dabatúrne solutio viâ Appiâ exspatiantibus? minimè, iis enim duntaxat, eoque tempore solvebatur, quo in hostem pugnabant: Audito enim; Vade, vadebant, ruptâque morâ instar illius cœlestis Exercitus: Subito militia Cælestis Exercitus; scilicet sine dilationibus, & diverticulis in castris comparebant: sed de hoc tacere præstat, alioq; transferre sermonem, ne verba plus nocumenti adferant, quàm emolumenti; quanquam præcaveo magnis viris in sago merentibus, id me non adscribere: Is se lædi putet, cui ulcus inest. Plurima debemus Exercitui; pessimi debitoris est, creditori facere convicium. Æquum est, cui obligatus es solvere, illumq; fidelem ac prudentem judico, quem constituit Dnus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore; licet dum agitur de stipendio, non injustum censeo, ut quidquid in tractu, supra præscriptũ legum, vexilla in panibus acceperunt, in vim pensionis eis computetur; nec dubito eam nobis jacturam, fraterna charitate; compensatum iri. Dum verò de solutione pro præterito loquimur, libenter vellem illos inquiri modos, quibus pauperibus subditis tributorum onus possit alleviari. Indulgeri ijs, qui pro nobis arant, tantisper convenit; hi enim sunt basis, vel ut scriptura vocat, pedes Reip: In ditiores, nos scilicet ipsos, in delicias, & luxum imponamus tributa, & DEUS benedicet nobis, augebitq; annonam, & mam̃onam. Non desunt nec deerunt media modò seriò de eis cogitemus; in ordine ad quos condicendos, consilium suggero, ut Mtas Vra singularem indicere dignetur sessionem, ad referendum toti Reip.; in illa enim, etiam ego pro sensu meo modos ostenderem, qui non possent non placere, utpote futuri sine subditorum nostrorum gravamine, in quo, toto nisu cogitandum nobis est, & agendum; si Remp. salvam volumus. Pax aut belli prosecutio est, & esse debet primarium, sum̃umq; consiliorum præsentium, & comitiorum objectum: Hinc enim conservatio; vel quod DEUS avertat, interitus pendet Patriæ. Punctum hoc semotis Arbitris, tum tractandum est, & concludendum, quando Resp. integra, quando conclave Nuntiorum, fratres nostri unà nobiscum activitatem habebunt. Dum verò perpendo illos quinq; dies, ex præscripto legis, nullatenus posse sufficere; & aliunde plures Nuntios, non manus, sed lingvas habere ligatas juramentoq; obstrictos esse, ne in prolongationem consentiant; ex duobus malis minus eligendum, apprimèq; necessa-

cessarium esse judico, ut Resp.; velut juris sui Domina, sive pro hac vice, sive in futurum in lege dispenset; ut saltem duabus ante finem septimanis, nuntij se nobis adjungant: An enim non convenientius est id cōcedi; quàm, quod absit, Patriam relinqui sine consilio. Ne tamen videar, sententiam voto meo, in ultimis comitijs, in facie Reip. dicto, deinde typis mandato, expressam, mutare, id ei duntaxat addo, quod ab Hypponensi Præsule didici: Pro pace Episcopi debent esse, aut debent non esse. Pax nobis omnino necessaria, sed bona, certa, & secura. Coæquatio tributorum efficaciter est facienda: In considerationem veniat Podolia, quæ propter injustitiam in contribuendo, à DEo est punita; Nunc fassi sunt illius Incolæ, ex aliquot centenis fumalibus, vix aliquot solvisse. Aliqui Nuntiorum studio bene merendi suis de Palatinatibus, illos tuendo, facultates eorum extenuant, quisq; pro sua domo perorat, cupiens in relationis Comitiolis à fratribus grates, laudemq; popularitatis, in præmium rei bene gestæ, referre: At intento carebit fructu, summeq; erit conscientiosum; justum Patriæ præsidium non providisse. *A.C.1693*

Moneta, quàm insensibiliter, quamvis non sine ingenti sensu, nos enervat; in aperto est. Non sumus nostrorum certi proventuum: Etiam hic ad adventum Mtis V, statuumq; Reip: imperialium decrevit valor; in tota Polonia minore, quàm hic non currunt pretio, unde grandis in privatum injuria; nullum in publicum emolumentum. Omnino ergo, lege circumscribendum est monetæ pretium, ut in æqualitate, æqualiter lucra sint, aut damna. Contra judicium foret, imperialium valorem tum deprimere; quando tantis sumus debitis onerati: Non tantùm 20 grossis, verùm etiam integro floreno augendum optarem, tynfonesque proportioni imperialium respondere. Ad exolvenda tanta debita; & providendum sumptum, pro extraordinariis necessitatibus quarum in instructione Mtis V. justè Cancellaria facit mentionem; cùm indispensabiliter de iis sit agendum, non sicut in præteritis Comitiis, ubi nulla earum fiebat mentio, sed totum illarum onus, in caput & marsupium Mtis V. devolvebatur, censeo, collato consilio cum peritis in arte, exēplo ordinatarum Nationum, de officina monetaria, taliq; moneta esse cogitandum; quæ sine depauperatione publici lucrativa sit futura: Cuimodi non deerunt, modò nos seriò applicare velimus.

Quàm necessarium sit per legem occurrere; ut legi satisfiat; ne id, quod in Comitiis statuimus, in Comitiolis liceat invertere; nemo non videt. Impedimento currui est rota non volubilis; nulla felicitas est, si desit obedientia. Cur ad antiquam formam redigi Respub: non deberet? Nihil enim melius iis excogitavimus, quæ in innocente sæculo, Majores nostri statuerunt; cum eis etenim DEus erat, eorum consilia dirigebat, nam & illi cum DEo fuerant, ab eo se non evulgaverant; nunc aliter fit, quod dicere nolo.

Censuerunt magni viri statim post conditam legem, ego quoq; ijs moveor rationibus, dicoq; ingentem per hoc fieri fraudem, quod Palatinatus, & Comitiola, Thesaurum ad se transtulerint, Unde majora, quàm ante inconvenientia; Multa publica pecunia in Commissarios impenditur; multæ largitiones, & contentationes in Deputatos à Vexillis; diminutio Exercitûs, tot Deputatis ad Comitiola, cum famulis dilabentibus. Scio in aliquibus locis à Comitijs imperari militarem executionem, ad quam multi officiales, & milites extero more servientes, à Regiminibus avelluntur, habito prætextu repetendorum in Comitiolis, stipendio-

A. C. 1693 diorũ. ExactoresComitiola turbant, & rũpunt per suosProtectores, per Cõsangvineos; multæ sunt latebræ, multa effugia Tribunal Radom., nec pœnas peculat⁹norũt; verificatur in hacRep:, Quæ cõvertũtur, interi⁹mutari; quodve profuturum putabamus, necare. si possibile esset, facta omnium agrorũ dimensione; perspectum habere, quot quisq; pagus, districtus, & Palatinatus, in universum habeat mansos, vulgò Łany: suppono in Polonia, & M: D: L: inveniri ultra 10 milliones mansorum; ex quorum singulis, quovis anno unum, aut alterum, florenum contribuendo, sciremus omnes, quantum in militem expensum esset quantúmve restaret in ærario. Et si tributa in quovis Palatinatu colligerent iurati Thesaurarij & advitalitij Officiales, conveniente provisi salario; eo persoluto essemus felicitate æquales Venetis, qui terrâ, mariq; bella gerendo, dato juxta cujusvis facultatum proportionem, prout in Senatu statutum fuerit tributo, ignorant, quid sit statio; quid hyberna, quid tractus militaris ad castra. Ad bonum ordinem pertinet conclusio circum circa limitum totius Regni; ne ullus mercatorum, sive ex nobilibus. sive ex Magnatibus audeat merces cujuscunq; speciei, ad Exteras Nationes evehere; scilicet equos, boves, cinerem, frumenta, ferrum, metalla, cerã, sevum, coria, lanam; verum hæc omnia, si quis habuerit venalia. mittat ad Civitates in confinijs sitas; quo Externis venire licebit, eaq; pro placito emere: Permitterentur etiam totum peragrare Regnum, mercium coëmendarum gratiâ, dummodo Regno excedentes, pro rebus quas asportant, in confinijs solvant, telonia; nos verò quantos inde proventus haberemus, quisq; prudens intelligit. Omnia enim telonia ex alieno, non nostro marsupio currerent ad ærarium; quod autem, à nobis Vratislaviæ, vel alibi extra limites solvendum esset, domi retineremus: similiter quod conquirendarum mercium studio Lipsiam, aut Francofortum profectis impendendum esset, id in nostro remaneret marsupio: Econtra Externi ad nos mercatum venientes impensas facerent, solvendo pro mercibus, quas adveherent, telonia, si etiam Gedanum, & Regiomuntum defluitare desisteremus, sed frumenta supra Vistulam, & Nemanum in Granarijs asservaremus, ipsi ad nos venirent Gedanenses; veherentq; aromata, vina, aliaq; necessaria; nobilibus domi vendentibus frumenta, prout vellent, non prout nunc Gedanenses mercatores jubent, & statuunt; quando nos oneratis navibus, secundo ad eos delati flumine, adverso redire non valemus. Deinde deberent Gedanenses ipsi navigia conducere, Remigibus solvere, telonia omnia, quæ falso subinde juramento expedimus, ex æquo reddere, pericula naufragij subire, per Poloniam commigrando nostras tabernas ditare. Cessarent defraudationes teloniorũ per falsa juramenta, quæNavarchi, vulgò Szyprowie, fictè, quasi ex Actis Castrensibus exhibentes, frumenta Mercatorum, aliasq; merces palliant; liberi essemus ab oppressione Gedanensium; qui pro libitu suo pretia pro substantijs nostris, quarum potissima portio est in frumentis, iam attollunt, iam deprimunt, Instructionem M. D. L. non attingo: pro uno duntaxat puncto, non tam stimulante me obligatione erga magnam Principis Radivilij Domum; quàm ipsâ impellente justitiâ, supplices Vestræ Majestati fundo: Rogat efficaciter, qui causas reddit rogandi: si ille, qui substantiam vitamq;, obsequio Reipub: impendit, non inveniet gratitudinem, quis deinceps ad sumptuosa se resolvet ministeria? si publicam Crassus non obtinuit statuam, Dares nunquam habebit obeliscum. Magnis actibus, non dare præmia, est, quo minus alij sint boni, impedire. Non dubito ergo tam meritos, quàm merentes respectum inventuros.

Mul-

Multa mihi hic dicenda essent, sed metu creandæ molestiæ, reliquis commodiori tempori reservatis, ex statione mea supplico Statibus Reipub. quatenus amemus aliena interesse, sed nostra maximè, si nolumus tam singuli periclitari, quàm omnes perire; studeamusq; ventum, si directus non est captare obliquum; id agendo, quod vires sinent, quod svadebit bonum publicum; utendum remis si deficit aura: Opto autem, Deoq; ante omnia, supplico, ut Comitia hæc sint eorum instar, de quibus S. Pagina: Convenitq; universus Israel ad civitatem quasi unus homo, eâdem mente, unoq; consilio: si enim unanimis fuerit concordia, cuncta optimo eventu cadent, pauperisq; patriæ velut quondam Israelis reliquiæ, salvæ fient. *A.C. 1693*

VOTUM ANDREÆ ZALUSKI EPISCOPI PRO TUNC PLOCENSIS IN CONSILIO POSTCOMITIALI GRODNÆ HABITUM.

ETIAM verba deficere necesse est, Rex Serenissime, ubi res adversæ omne adimunt consilium. Disordine subsistit Polonia, Superi avertant, ne eodem, cum minimè speratur, corruat. Si cujuspiam id hactenus fidem superabat; experimentali scientia in his didicit comitijs, quorum dolenda, & erubescenda, præ magnitudine doloris tristi prætериens silentio, illud duntaxat effari cogor; nos ad eum statum deduxisse Remp: ; ut corruptior sit, quàm juvari, instaurariq; possit. Dissolutam licentiosè, in spiritu vertiginis, priscam quærimus, nec invenimus libertatem, & ut clariùs dicam: Quemadmodum Majores nostri ad effusionem usq; sangvinis, circa ejus egerunt conservationem; ita nos nihil intermittimus, quo labefactetur, corruatve, sum̃o conatu ruinam ejus urgentes ac interitum. Aut id non credent Posteri nostri, aut non ignòscent, ubi legerint vel audiverint, nos nec amore Patriæ, nec legum respectu, nec gratâ nepotum memoriâ permotos fuisse, ut eis, acceptam nostris à Majoribus libertatem, integrè traderemus. Sat faustè nobis comitiorũ cessere primordia, ubi sedula Vræ Mtis manuductione, facilitatis per authoritatem difficultatibus, Director cujvis par muneri electus esset, ac præliminaria expedita, omine certè non infelici, si hominum malignitas respondere ultima primis permisisset, nec finem fecisset in exordio. At nõ is fuit malevolis animus, ut bene cœpta consilia ad desideratum salutis publicæ terminum deduci paterentur: Cum enim pro more, imò nunc pro æquitatis exigentia, ad res gerendas nuntijs esset accedendum videndoq;, imò sentiendo bellum, de medijs pacificandi Exercitûs cogitãdum; quales hujus loco intervenerint materiæ; palàm omnibus sufficit, vix duos dies & quidem non integros, utiles Reip: relictos esse; in quib⁹ tamen plures contentiones, quàm verba salutis audiuntur. Fecit, ut solet, im̃enso in Patriam amore, quidquid naturaliter potuit Mtas Vra; verùm non tam occulta fatorum lege, quàm intenta in Patriam malignitate, prævaluêre nostris infortunia consilijs; in quorum multitudine deficere debuimus, uno sed gravi ictu eorum præciso filo. Huc ex recepto in similibus more, sum̃a rei pervenit ad pauciores, eo discrimine; quod, quæ Resp. sui juris Domina, Arbitra agere potuit; de ijs nobis loqui dũtaxat est licitum; ex hoc enim consilio nihil tale resultare potest, quod, sive ad solvendum stipendium Exercitui, sive ad prosequendum ulterius bellum, sive ad condicendos modos alleviando oneri pauperibus, per naturam Patriarum legum, tentare liceat. Hinc nisi scirem Mtem Vram, numinis dextera non ad vulgaria in lucem editam in solioque locatam esse, prorsus mihi esset desperandum minimè ijs pensi habitis,

Kryszpin Notarius M. D. Lit.

quæ

A.C.1693 quæ historia Romana refert: scilicet post Cannensem victoriam non Varoni conclamanti actum esse de Rep. sed Scipioni Africano in spem erigenti populos debitos à Romana Repub. honores delatos esse. Quò ergo magis lapsæ res nostræ; de Reip. salute desperare jubent; eò demissi⁹ Vræ supplico Mti; quatenus Regale caput à corpore divellere nolit, ne informe fiat cadaver. Vident omnes ingentem Vræ Mtis dolorẽ quod cũ se totum impendit & superimpendit bono publico, gratitudinis loco disgust⁹ percepit; omniũ tamẽ maximè ille cor Paternũ sauciat, Patriã qui jugulat. Continuatis negotijs & in se quodã orbe redeũtib⁹, somno vix aliquãtũ captato; sine viriũ refectione integris trãsactis dieb⁹, cõstãte ad prodigiũ patiẽtiâ, aliquot supra 10 horis protracta sedẽtaria rectè facere suos cives, faciẽdo docebat, sed nullo prors⁹ emolumẽto; nisi à Deo solo in Personam M. V, & Filiis Filiorũ infallibilib⁹ præmiis coronãdi laboris; si enim minima quæꝗ irremunerata transire non permittit, quanto magis imensam illam charitatem, qua cor V. Mtis exæstuat, mercede carere non patietur. Quapropter, de statione mea supplices fundo preces Rex clementissime, sepeli oblivione dolorem, quo justè angeris ab iniquis; absterge lacrymas, quas amor exprimit erga Patriam; indulge quietem cordi, quod velut torculari stringitur afflictione; diu in altum hanc Patriam, cui summum supra omnia anteacta sæcula comparâsti honorem; non remitte manus, quibus eam toties saluti restituisti; non averte nostris à miseriis oculos, quibus semper bono publico prospexisti: De messis probitate non est certus agricola, nec minus tamen ferit. Grave quidem, procul dubio, est Mti V, super arenam seminare; super petram, seu secus viam spargere semen, à volucribus cæli (quænam sint illæ, non explico) devorandum, ex quo uberes fructus erant colligendi. At magnus Gubernator etiam scisso navigat velo; proinde nec Mtas V. deserere velit navigij reliquias, sed eas utcunꝗ aptare ad cursum. Quid agendum? Etiam post malam segetem serendum est, post naufragiũ tentanda maria; si fortè DEus ipse, in quo solo summa, & unica spes, modum porrigat; ut reliquiæ Israëlis fiant salvæ. Eò major in cœlis corona, in terris manet gloria Mtem Vram, quò miserabilius res desperatas, conservabit, depressas attollet, emortuas vivificabit. Tribuat itaꝗ spiritu consilij roboratæ Mti V. cum firma valetudine, eam mentem DEus Optimus; ut offensis publicis, privatisꝗ in corde locum non præbeat; quo facto prostrata infortunijs assurget, & eluctabitur Resp: quæ, quanto sit externis despectui, cernimus, & sentimus. Opperiebamur optimas propositiones, & ecce hæ cum Comitiis mutatæ sunt, ideoꝗ ex præmissis nihil nobis boni; à nobisque Patriæ sperandum est. Quo ad puncta Senatus consilij; nunquam amplior fuit dicendi materia, sed nec unquam difficilior: Quocunꝗ enim mens quæsitura modos convertatur, nuspiam invenit efficaces; sive impossibilitate, sive Patriarum legum vinculo omnia media dissolvente. Ruptis Comitiis, alia imminentia erant antè remedio; nunc ea indicere nulli absolutè probari potest; cum id esset pejus morbo remedium; non tantùm spectatis iis, quæ aguntur in Comitiis; Verùm etiam perpensis penitiore trutina circumstantiis ipsius temporis; quo manus ad agendum, non ad loquendum lingvæ aptandæ erunt, resꝗ exercendæ, non verba: Priusquam ex lege, & more ad Comitia veniretur, tota hæc æstas decurreret, cum eaꝗ agendi opportunitas elaberetur. Nullo ergo in publicum commodo forent Comitia; contra quæ præter V. Mtis valetudinem, impensasque nostras; quibus magna stipendij pars Exercitui solvi posset; plurimæ militant

litant rationes; quas, utpotè manifestas, producere, supervacaneum esset.- *A.C.* 1693
Quapropter optarē dādos quātoci⁹ pro Comitiolis Relationis universales, in eisq; graphicè describendas horum Comitiorum acta; necessitates verò Reip: patheticè demonstrandas, ferventerq; ad extradenda detenta hacten⁹, pro præterito tributa, omnes accendendos. Non abs re judicarē cōpellādos omnes Senatores, ut singuli pro suo munere sint in Comitiolis, cum per experientiam constet ordinatius ibi res, & consilia procedere, ubi illi sunt præsentes. Si præterea visum fuerit, expediendos à V. Mte per Palatinatus Ablegatos, viros capaces ad eadem Comitiola; id quidem esset, ut verum fatear, novitatem præseferens, nec nisi in antecomitialibus usitatum: verùm quid agendum? in extraordinariis necessitatibus, cur non etiam extraordinaria remedia adhibenda? Addet enim momētum V. Mtis authoritas, & visâ seriâ applicatione, tamq; evidente necessitate citius ad solvenda debita, quæ, quandocunq; omnino essent soluturi, movebuntur; Exercitus consolationem inveniet, & aliquali satisfactione pro præteritis obsequiis reficietur. In quantum etiam placitum fuerit hibernam solutionem, quæ comuniter in Novembri usq; dari solet; practicato usu anno præterito, extradi citius, prævia omni nostra securitate; in hoc etiam ex mea parte consentio: Licet enim subditi ad incitas redacti, contributionibus dandis pares futuri non sint, paratus sum tamen, etiam invadiato, si superest, Ecclesiastico argento, tantæ necessitati Patriæ succurrere. Cosacorum contentio, eo potissimū tempore, quo alienas in partes, tam ferventer trahuntur; munitio fortalitiorum, eorumq; conservatio, quàm sit necessaria, nemo non videt. Licet Thesaurarium peterem; ut in fidem publicam, etiam cum oblivione dandi notabilis censûs, aliquot centena millia pro tam gravibus & indispensabilibus Reipub: necessitatibus, aliunde procuraret, dubito id posse fieri, cum nullibi fidem habeamus.

Cum futura expeditione quidnam agendum sit, facile Majestas Vestra cum peritis in arte bellica Ducibus decideret, si fundamentum esset, si quo Exercitus iuduci possit non deesset. Palàm est quomodo nobis succedant valla circa loca Ss. Trinitati sacra: memini altissimum de hoc, aliquot ante annos, Vestræ Mtis judicium; quo similem modum efficacissimum recuperandi Cameneci esse censuit; cur ergo etiam futura Campania, siquidem forsan in hostico comparere per penuriam non licebit; eo converti non posset, tempestivè fæno, lignis alijsq; necessarijs provisis? At de hoc ego censeo, non pugno. Ad objectum vocati Pomarzanijs Consilij aliter dicere nequeo, nisi revocando Majestati Vestræ præsentiq; Senatui, quod ante triennium, in sensu meo per rationes non facile refutabiles deduxi, exponendo impossibilitatem ulterioris belli, promptæ pacis necessitatem: optavi conservandos à nobis esse debitos gradus, scilicet summo Pontifici, velut hujus conjunctionis mediatori, Colligatisq; deferendo, quærendove: vel colligatio nostra est utilis & necessaria in futurum? De præterito enim non est dubium: vel non? si necessaria, cum soli sufficere nullatenus possimus ulteriori bello: Ergo juvemur: si non est necessaria: liceat nobis eo modo præmonitis illis & colligatione defensiva in futurum conservata, pacisci. Legatum Tartarorum expediri opto quàm optimè, cum Gentem hanc, quæ nobis summè nocet, magisq; nocere potest, fas non sit exacerbare: Nonne censeretur cum eo mittendus aliquis? Hoc enim causam offensæ non videtur daturum Colligatis; cum etiam nos transitum Marsili æquo animo tulissemus.

A.C. 1693 CONSTANTINUS CASIMIRꝰ BRZOSTOWSKI DEI & APO POSTOLICÆ SEDIS GRARIA EPISCOPUS VILNENSIS.

AD Dm̃ Rñdis Decanis &c. salutem in Dño, qui est vera salus. Neminem latere debet, quibus Ecclesia DEI Privilegijs, & im̃unitatibus gaudeat, non tantum circa Antistites, & Ministros, verum etiam circa bona, census, fructus ac quosuis reditus sibi debitos liberalitate Sũmorum Pontificũ: INNOCENTII III. BONIFACIJ, BENEDICTI VI, & CLEMENTIS V. aliorumq; concessis, & per SS. Synodos Generales, Lateranenses, videlicet III. & IV. & novissimum Concilium Tridentinum approbatis, ita, ut omnium laborum, onerum, & expensionum præstandarum sit im̃unis, & oneri bellicæ servitutis nullo modo subjici possit. Sed nec defuerunt piissimi Poloniæ Reges, qui ejusmodi Ecclesiæ, & Bonorum ejusdem im̃unitatem desuper concessam, non tantum libenter amplexi sunt, verum etiam singularibus eam sanctionibus adornârunt, & roboraverunt. Hi fuerunt LUDOVICUS JAGIELLO, & CASIMIRUS III. in suis Privilegijs, & libertate nobilium; ubi postremus rationem addit: *Quoniam simul suscepimus, jura & Ordinationes cum fide Ecclesiæ Catholicæ Christianæ, adeoq; immunitates Ecclesiasticas ab omni onere tam in realibus, quàm in personalibus Ministris ejus fidei ad quam accessimus ab Ecclesia DEI datas, & concessas ijsq; servientes.* Testantur id ipsum nostra Chronica, quæ singulariter in hoc Boleslaum extollunt, eique debitas pendunt gratias, quòd in suis ordinationibus Ecclesiasticis omnium laborum, onerũ, & expensionũ, Regno & Reip. præstãdarũ im̃unitatẽ jure sempiterno concesserit. Perhibet hoc Privilegia in archivo Spiritualiũ asservata Boleslai Pudici, Venceslai Bohemi, Casimiri Magni Zemoviti Masoviæ Ducis. quæ in se habent: *Clerus Universus ab omnibus solutionibus in perpetuum est immunis.* Confirmant hoc omnia jura vertera, quæ ante omnia semper, im̃unitates, & prærogativas Ecclesiasticas memorant. Approbant tandem Constitutiones, primò Sigismundi Senis, quòd Bona Ecclesiastica ab initio fundationis semper fuerunt libera, & nunquam oneri bellicæ servitutis subjecta, cum annexa ibidem ratione: *Quia Bona Ecclesiastica non sunt donata pro oneribus, & necessitatibus bellicis, sed pro usu, & onere ad perficiendum DEI cultum;* Deinde totius Reip. nimirum consensu trium Ordinum latæ scilicet annorum 1591. folio 2. & 9. 1593. fol: 6. 1601. fol: 37. 1609. fol: 4. & 5. 1620. fol; 7. & 13. 1626. fol: 6. 1628. fol: 8. 1653. fol: 6. 1654. fol: 20. 1655. fol: 30. & 30, 1688. fol: 18. 16. & 29. aliæque plurimæ earundem reassumptiones Bona Ecclesiastica generaliter omnia in M. D. L. sita ab omni genere militari cujuscunq; tituli, & prætextus unà cum bonis nobilium terrestribus exemerunt & liberarunt. Hinc est, quòd supra memorati Pontifices, & Concilia Ecclesiastica im̃unitatum violatores, Bonorum, Ecclesiæ fructuum, censuum aliorumque ejus redituum per se vel per alios quosvis subordinatos Deoccupatores anathematis fulmine feriendos esse decreverint; sic in Concilio Lateranen: sub INNOCENTIO III. cap. 46. ne Laici Ecclesijs imponant onera, ita decretum est. Non minus pro peccato illorum, qui faciunt, quàm pro illorum detrimento, qui sustinent, gravis nimis esse dignoscitur, quòd diversis in partibus mundi Rectores, & consules civitatum, nec non & alij, qui potestatem habere videntur tot Ecclesijs frequenter imponunt onera, & ita gravibus eas crebrisq; exactionibus premunt, ut deterioris conditionis factũ sub eis Sacerdotium videatur, quàm sub Pharaone fuerit, qui Divinæ legis notitiam non habebat. Ille quidem omnibus alijs servituti subjectis Sacer-

Sacerdotes suos, & eorum Possessiones in pristina libertate dimisit, & de publico illis alimoniam ministravit. Isti verò universa fere onera sua Ecclesiis imponunt; & tot angarijs eas affligunt, ut illud eis quod Jeremias deplorat competere videatur: Princeps Provinciarum facta est sub tributo sive quidem fossata, sivè expeditiones: sive quælibet alia sibi arbitrentur agenda, de Bonis Ecclesiarum, Clericorum, & Pauperum, Christi usibus deputatis cuncta volunt fere compilari. Jurisdictionem etiam & authoritatem Episcoporum, & aliorum Prælatorum ita evacuant, ut nihil potestatis eis in suis hominibus remansisse videatur. Super quo dolendum est pro Ecclesijs, dolendum etiam nihilominus & pro ipsis, qui timorem DEI, & Ecclesiastici ordinis reverentiam penitus videntur abjecisse. Quocirca sub anathematis districtione severiùs prohibemus, ne de cætero præsumant talia attentere, nisi Episcopus & Clerus tantam necessitatem, & utilitatem aspexerint, ut absque coactione ad relevandas comunes necessitates, ubi Laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias existimant conferenda. Si autem Consules & alij de cætero id præsumpserint, & comoniti desistere forte noluerint, ne comunioni fidelium reddantur, nisi satisfactionem fecerint competentem. Item in Concilio Lateranensi 4. sess: 9. Præsumptionem ejusmodi sub anathematis districtione prohibuit. Transgressores, & Fautores eorum excommunicationi præcipiens subjacere, donec satisfactionem impendant cōpetentem. Hoc ipsum renovavit sumus Pontifex BONIFACIUS, vidēs abusus sæcularium, qui Ecclesiarum Prælatis, Ecclesijs Ecclesiarumque Personis sæcularibus, & Regularibus imponunt, ab ipsis suorum provētuum, vel Bonorum dimidiam decimam, seu vigesimam, vel quamvis aliam portionem, aut quotam exigunt, vel imponunt extorquent, eosq; moliuntur multifariæ subjacere servituti, suæq; submittere ditioni. Et quod dolenter referimus: nonnulli Ecclesiarum Prælati, Ecclesiasticæq; Personæ trepidantes, ubi trepidandum non est, transitoriam pacem quærentes, plus timentes Mtem temporalem offendere quàm æternam; abusib⁹ non tam temerariè, quàm improvidè acquiescunt, Sedis Apostolicæ authoritate, & licentiâ non obtenta. Nos igitur talibus iniquis actibus obviare volentes, de Fratrum nostrorum cousilio authoritate Apostolicâ statuimus. Quòd Imperatores, Reges, seu Principes, Duces, Comites, Barones, Potestates, Capitanei vel Officiales, Rectores, quocunq; nomine censeantur, civitatum, Castrorum, seu quorumcunq; locorum constitutorum ubiq; vel quibusvis alijs, cujuscunque praeeminentiæ, conditionis & status, qui talia imposuerunt exegerint, vel receperint, eo ipso sententiam excomunicationis incurrant. A supra dictis autem excommunicationis, & interdicti sententijs nullus absolvi valeat, præterquam in mortis articulo, absq; Sedis Apostolicæ authoritate; & speciali facultate. Idem statuerunt BENEDICTUS XI. CLEMENS V. & specialiter PAULUS V. in Bulla Cœnæ Dñi. *Item excommunicamus, & anathematisamus omnes, & singulos qui jurisdictiones, vel fructus, reditus, & Proventus ad nos & sedem Apostolicam, & quascunq; Ecclesiasticas Personas, ratione Ecclesiarum Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes usurpant, vel etiam quàvis occasione, vel causa sine Romano Pontifice vel aliorum, legitimam ad id potestatem habentium, expressa licentia sequestrant. Quive collectas decimas, tallias, præstantias, & alia onera Prælatis, Clericis, & alijs Personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorū Bonis, illorumq; fructibus, & reditibus hujusmodi, absque simili Romani Pontificis speciali, & expressâ licentiâ imponunt, & diversis* A. C. 1693

A. C. 1693 *etiam à ſponte dantibus, & concedentibus recipiunt, nec non qui per ſe, vel alios directè, vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eiſdẽ conſilium, favorẽ, & auxilium præſtare non verentur, vel cujuſcunq; ſint praeminentiæ, ordinis, vel dignitatis, conditionis, aut ſtatus etiamſi Imperiali aut Regali fulgeant dignitate, ſeu Principes, Duces, Comites, Barones, & alij Potentatus, quicunq; etiam Regum Provincijs, civitatibus, & terris quomodocunque præſidentes, conſiliarij vel Senatores aut quàvis etiam Pontificali dignitate inſigniti* Quod poſtremo S. Tridentina Synodus decrevit & confirmavit Seſſ. 22. cap. 2. in hæc formalia. *Si quem, Clericorum, vel Laicorum quacũque dignitate etiam Imperali vel Regali præfulgeat, in tantum radix malorũ omnium cupiditas occupaverit, ſeu cujuſvis ſæcularis, Regularis beneficij, montium pietatis, aliorumq; piorum locorum juriſdictiones, Bona, cenſus, ac jura etiam feudalia, & Emphyteutica, fructus, emolumenta, ſeu quaſcunq; obventiones, quæ in miniſtrorum, vel Pauperum neceſſitates converti debent, per ſe, vel per alios vi, vel timore incuſſo, ſeu etiam per ſupraſcriptas Perſonas Clericorum, vel Laicorum, ſeu quàcunq; arte, aut quocunq; quæſito colore, in proprios uſus convertere, illoſque uſurpare præſumpſerint, ſeu impedire, ne ab alijs, ad quos jure pertinent percipiantur, ei anathemati tamdiu ſubjaceat, quamdiu juriſdictiones, Bona, res, jura, fructus, & reditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocũq; etiam ex donatione ſupra poſitæ Perſonæ pervenerint, Eccleſiæ illius Adminiſtratori, ſive Beneficiato integrè reſtituerit, ac deinde à Romano Pontifice abſolutionẽ obtinuerit.* Veruntamẽ jam eo deventũ eſt, proh dolor! per indebitas in Bonis Eccleſiaſticis locationes, & conſiſtentias, ac per eadem tranſitus, quẽadmodum publicè perſpectum eſt, ut fructus à militibus ſint conſumpti, expoliati, & diſperſi, Bona Eccleſiarum funditus deſolata, cenſus non reddantur, unde Officia Divina vacant, ſuffragia pia ceſſant, Eccleſiæ ſine ſolita devotione ſquallent, Miniſtrorum numerus eſt diminutus. Quorum omnium malorum cauſam adſcribere non eſt, niſi Excellentiſſimo, Illuſtriſſimo Domino Caſimiro Sapieha Palatino Vilnenſi ſupremo Exercituum Magni Dtûs Litvaniæ Duci, qui contra citata jura, & omnem æquitatem, licet notabilem ſum̃am pro neceſſitate præſentis ſacri belli dictam Hyberna, ſeu Generyka, ex prænominatis Bonis Eccleſiaſticis, à Spiritualibus libere titulo charitativi ſubſidij, quolibet anno ſolvi declaratam cum auctione nulliter per ſe impoſita receperit; Nihilominus vel per expreſſas ordinationes, vel per implicitas, aut conniventias, & diſſimulationes, tot damnorum Eccleſiaſticorum cauſam dedit, quin imò reſiduum Patrimonij Chriſti, non tantùm continuâ militum tempore operationis bellicæ ſtatione, verùm ad eoſdem in literis ſuis intimatoriis per ſingulos Palatinatus, & Diſtrictus M. D. Lit: recenter transmiſſis ultimæ expoſuit ruinæ. Hinc ne ad nos illud extendatur, quod eodem modo in Concilio Lateranenſi IV. anathemati ſubjacere præceptũ eſt. Quod nos plùs timentes, poteſtatem humanam, quàm Divinã, Eccleſiæ Bonorumq; ejus deſolationem diſſimulemus; Vobis ſupra ſcriptis Executoribus in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna mandamus, quatenus perſonaliter accedentes, ſi commodè poteritis, aliàs vel non obtento acceſſu, vel in Eccleſia, vel in literis obſigillatis præſentibus porrectis, aut transmiſſis vel etiam quomodocunq; ad notitiam deductis præaſſertum Illrm̃um Supremum M. D. L. Exercituum Ducem, authoritate ſanctæ ſedis Apoſtolicæ moneatis, pro ut & nos eâdem authoritate, utpote mandatorum ac cenſurarum ab eâdem S. ſede fulminatarum ad executionem deduci obſtricti, tanquam ejuſdem S. ſedis Delegati eundem monemus, obſecramus, & requirimus,

quatenus

quatenus ab executione, vel qualicunq; intimatione, & notitia præsenti intra octodecim hebdomadas, anni præsentis, quas ipsi pro tribus peremptorijs terminis, & pro trina Canonica monitione, & ultima, primas quidem sex pro primo, secundas sex pro secundo, tertias sex hebdomadas pro tertio, & ultimo peremptorio termino Canonico præfigimus & assignamus, cessare velit ab ulterioribus Ecclesiasticorum Bonorum, pari cum Nobilium Polonis terris immunitate gaudentium aggravatione, aliàs non ægrè laturus, quòd nos rigorem prohibitionis Ecclesiæ, & cẽsurarum à Canone latarum fulmen, eundem incurrisse publicabimus & declarabimus. In quorum fidem. Dat: in Bonis nostris Hæreditarijs Szydłovice die 22. Junij 1693. *A.C.1694*

COPIA LITERARUM CARDINALIS SPADA AD EPISCOPUM VILNENSEM.

JAM Illrm̃a Dominatio Vra fuit certificata de gravi dolore, quem habuit Sua Sanctitas, propter illatas injurias Suæ Ecclesiæ, ex occasione ortarum differentiarum cum Magno Generali Litvaniæ, qui dum appellaverit cum debito respectu & filiali obsequio ad S. Sedem à censuris, qua eũ Illrm̃a D. V. declaravit incurrisse, Sua Sanctitas judicavit, (ex consideratione ipsius Ministerij propter quod continuis periculis propriæ vitæ propter defensionem Christianitatis censetur esse expositus) concedere facultatem Illm̃o D. Nuntio suspendendi dictas censuras, durante præsenti belligerandi tempore, usque ad finem proximi Decembris. Confidit Sua Sanctitas, actum hunc clementiæ ipsi declaratum, ei incitamento fore, non solùm ad abstinendum in futurum ab aliis læsionibus im̃unitati & libertati Ecclesiasticæ inferendis, sed etiam ad dandam convenientem satisfactionem pro præterito. Ad quem effectum interponent se de novo D. Cardinalis Radzieiowski, & Illrm̃us Nuntius. Gratum erit Suæ Sanctitati, cùm Illm̃a Dnão V. ex parte sua monstrabit convenientem facilitatem, ut non interrumpatur illa unio animorum, quæ est multum necessaria ad defendendam fidem Catholicam, & nationem in periculis, quæ insurgunt à com̃uni hoste.

Æquali doloris sensu Sanctitas Sua intellexit, quòd aliqui Regulares minimam obedientiam præstiterint ordinationibus Illrmæ Dñis V, unde illa obligata fuit procedere ad fulminandas censuras contra illorũ Superiores & interdicto supponere eorum Ecclesias. Cùm ergo hi Regulares in utroq; appellarint ad hanc S. Sedem, Suæ Sanctitatis est, ut Dõ V. Illrm̃a, postquam illi per unius hebdomadæ decursum, signum obedientiæ suæ dederint, cum observatione interdicti & excom̃unicationum occlusas tenendo Ecclesias, & abstinendo se à celebratione, & ab omnibus actibus aliis, qui prohibiti sunt excom̃unicatis, in tali casu facultate (quam ex jussu Suæ Sanctitatis Dõni V. Illm̃æ com̃unico) impertiatur ipsis absolutionem cum reincidentia post quatuor menses, & per idem tempus suspendat interdictum, si super hoc humiliter instando supplicaverint, ut interim rationes suas apud Sedem Apostolicam deducere valeant.

Romæ 7. Augusti 1694.

A.C. 1693

INFORMATIO

De violata immunitate Bonorum Ecclesiasticorum M. D. L. signanter Diœcesis Vilnensis ad requisitionem Illrm̃i & Rndmi D. Nuntij Apostolici per Illrm̃um Episcopum Vilnensem Varsaviæ 7. Junij Anno Dni 1693 exhibita.

BOna Ecclesiastica generaliter omnia in M. D. L. sita tam à Regibus Poloniæ & Principibus olim Litvaniæ, quàm Nobilibus aliisq; Personis Ecclesiis inscripta & incorporata, primò ante unionem dicti Ducatûs cum Regno Poloniæ per specialia Regum Privilegia, postmodum per Constitut: totius Reipub: & plurimas earundem reassumptiones, universaliter ab omni onere militari cujuscunq; tituli ac prætextûs unà cum Bonis Nobilium Terrestribus sunt exempta & eliberata. Probatur hoc demonstrativè ex Privilegiis Serenissimorum Regum & Constitut: videlicet Annorum 1591 fol: 8. & 9. 1593 fol: 6. 1601 fol: 37. De Stativis Militaribus in M. D. Litv. 1609 fol: 4. & 5. 1620 fol: 7. & 13. 1626 fol: 6. 1628 fol: 8. 1649 fol: 14. & 3. ejusdem anni 1650 fol: 4. 1652 fol: 11. 1653 fol: 6. 1654 fol: 30. 1655 fol: 3. & 30. 1658 fol: 18. 19. & 29. aliisq; plurimis Patriæ Legibus.

Hæc immunitas longo temporis tractu ab im̃emorabili penè ævo fuit illæsa tandem gliscente militum licentiâ per com̃eatus frequentes labefactari cœpit, maximè stantibus hostilitate Moschoviticâ, Sueticâ, Cosaticâ, & seditionibus internis, quibus pacatis iterum reassumptæ Leges ut patet in Constitutionibus Annorum 1659 fol: 7. & 1661 fol: 16 & aliis in volumine Legum contentis.

Quinimò post bellum Civile cum Anno 1667 injuriæ publicæ pro bono pacis militibus per amnestiam condonatæ fuerint, textu sequenti, salvis per omnia juribus Rom: Ecclesiæ actio repetundarum injuriarũ Spiritualibus conservata, prout docet Constit: Anni proximè dicti fol: 1. tit. Amnestia Generalis, & fol: 22. tit: Securitas Bonorum Spiritualium.

His sopitis Anno 1678 ingruente bello Turcico universæ Christianitati & extremæ necessitati Reipub: consulendo Status Ecclesiasticus, de Bonis suis præsertim fundationis Regalis, titulo charitativi subsidij adinstar Spiritualium Regni Poloniæ onus solvendi hyberna annuatim liberè in se suscepit, hoc pacto ut à stativis, com̃eatibus & quibusvis oneribus militaribus esset im̃unis, quod manifestè indigitat Constit: ejusdem Anni tit. Hyberna M. D. Lit. fol: 3.

Satisfaciendo huic Legi Diœcesis Vilnensis de Bonis Episcopalibus, Capitularibus, Parochialibus, & omnibus dicto dicto oneri subjectis prænominata Hyberna quolibet anno, circiter sexaginta millia florenorum Illm̃o supremo Exercituum Litvaniæ Duci punctualiter solvebat, & usq; ad præsentem annum inclusivè exsolvit: Deniq; falsis pollicitationibus Illm̃us Dux spondet se se amplius dictis stativis Bona Ecclesiastica non oneraturum, auctionem præfatorum Hybernorum scilicet viginti millia florenorum extorsit, pro qua exsolvenda Cathedralis Ecclesia aurum, argentum, omnemq; thesaurum suum impenderat, quinimò Coloniam certam Vilnæ in suburbio Antocolliensi sitam antiquitus ad se pertinentem alienare eidem Illm̃o Duci coacta est.

Nihilominus Illm̃us Dux postquam sum̃am Hybernorum cum auctione nulliter per se imposita recepisset, illico ex præconcepto aliquo contra statum Ecclesiasticum odio, declarationum suarum oblitus, Illm̃i

Episcopi

Episcopi & totius Venerabilis Capituli Vilnensis supplicationes, obtestationes, & submissiones tenerrimè semper exhibitas spernens & contemnens, quolibet anno in iisdem Bonis ex quibus Hyberna percipiebat, & defacto percepit contra citatas leges & omnem æquitatem, in meram Ecclesiæ oppressionem, militibus stativa continuò assignari faciebat. Permittendo illis propriâ auctoritate pro singulis equis aliquãdo centum quinquaginta, centum octoginta, quinquaginta vel octoginta florenos, paratâ pecuniâ, dein etiam victum ipsis militibus, famulis &equis eorũ pro suo libitu ab egenisColonis extorquere. Per quas illicitas & gravaminosas exactiones, fundit⁹ omnia Bona Ecclesiastica bina imponẽdo onera scilicetHyberna &Stativa & auctionẽ devastavit,Colonos dissipavit qui de præsenti& penit⁹exhausti relictis suis casis,quidã adBona Illmi Ducis Exercitûs, alij in Moschoviam, Sueciam, Curlandiam, Prussiam, & Cosacos transierunt, irrevocabiliterq; cum animabus & corporibus suis perierunt. Unde ad eam miseræ calamitatis tempestatem deventum est, ut in multis Ecclesiis & Capellis, signanter in Capella S. Casimiri solita devotio non sine planctu piæ plebis ad sepulchrum S. Patroni concurrere assuetæ cessare debuerit ob defectum provisionis ex Bonis Poniewiesz & Remigola penitus devastatis, provenientis, quibus dictum Sacellum dotatum censualis proventûs præter quingentos floren: pro sartis tectis quolibet anno expendendos amplius non habet. A.C. 1694

Cum itaq; nullus ultra tolerandæ oppressionis ob extremam egestatẽ superesset modus, nec longâ patientiâ hoc malum vinci possit Illust: Episcopus facto consilio cum Venerabili Capitulo, de usurpatione indebitæ locationis in Bonis Ecclesiasticis excessivos milites, ad judiciũ Illmi Ducis citavit, ubi sententiam loco apprehensionis approbantẽ hoc facinus, assecutus, contra eam tanquam præjudiciosam & legibus Patriæ dissonam protestatus est. Quam protestationem favente Numine ad vindicandas omnes injurias nulliter Diœcesi suæ illatas coram totâ Repub: prosequi intendit.

Præmissâ igitur plenâ informatione de statu Bonorum Ecclesiasticorum, & gravi eorundem oppressione, Illmus Episcopus responsioni ad sinistras delationes non studet, Illrmi Ducis Exercituum Litvaniæ. Omnes enim sunt falsæ, contumeliosæ & ex præmissis sufficienter refutatæ. Verùm pro finali Excell: D. Nuntium obnixè petit quatenus justo zelo & conservandæ immunitatis Ecclesiasticæ assistere dignetur.

BREVE APOSTOLICUM AD EPISCOPUM VILNENSEM.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Venerabilis Frater salutem & Apostolicam benedictionem. Tristati planè majorem in modum sumus intelligentes ex literis Fraternitatis Tuæ angustias, in quibus unà cum demandata tibi Vilnensi Ecclesia constitutus eras, nos enim ipsos feriunt vulnera, quæ Ecclesiarum juribus inferuntur. Commendamus autem meritisq; laudibus efferimus zelum, quem de ijs omni studio, tuendis propugnandisq; geris. Nostraq; erga te hoc nomine benevolentiæ testem, Apostolicam Fraternitatis Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. MARIAM Majorem sub annulo Piscatoris die 1. Maji Aõ MDCXCIV. Pontificatûs Nostri Anno I.

MARIUS SPINOLA.

A.C. 1694

COPIÆ LITERARUM P. GENERALIS CARMELITARUM AD VILNENSEM PRIOREM S. GEORGII. Romæ 21 Octob.

CUM ad aures nostras non sine magno mœrore animi nostri pervenerit, propter aliquas inter Illrmum & Reverendmum Dnum Vilneñ: Episcopum, & Regulares, dissensiones exortas, eundem cum reliquis Regularium, istam nostram Ecclesiam interdixisse, cui interdicto, minimè Ptas Vra paruerit: Quare ne exinde aliquod inconveniens exoriatur, Prti Vræ totiq; Conventûs communitati, Ssmi Dñi nostri voluntatem exponimus, quæ Regulares hujusmodi in facto, jubet parere Episcopo; & in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipimus, ut statim post præsentium receptionem, Ecclesiæ fores claudatis, publicisq; à functionibus abstineatis, donec eidem Illrmo Episcopo à quo de transgressione veniam petetis, tale interdictum benignè removere placuerit, taliter enim agentes, profectò dicti Illmi Præsulis, nunquam satis laudata pietas & veniam dabit, & in pristinam gratiam P. V. reliquosq; Religiosos collocare non dedignabitur. Interim præsentium executionis certitudinem expectans, vobisq; cœlestem apprecans benedictionem maneo Prtis Vræ amantmus in Christo Fr. *Fr. Daniel Scoppa Proc: & Vic: Grlis.*

Similis tenoris erant literæ Generalium aliarum Religionum mandantium executionem interdicti etiam sub comminatione privationis vocis activæ & passivæ & inhabilitatis ad quævis officia.

BREVE APOSTOLICUM AD CARDINALEM ARCHIEPISCOPUM GNESNENSEM.

Dilecto Filio Nostro Michaëli S. Rom. Eccl. Cardinali Radzieiowski nuncupato.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dilecte Fili Noster salutem &c. Ingenti cum intima tristitiæ sensu intelleximus ea, quæ adversùs immunitatem Ecclesiasticam, à Magno Generali Litvaniæ perpetrata sunt: Quia verò idem Generalis filiali cum fiducia ad Nos confugit, habitâ etiam peculiari ratione officiorum tuorum, indulgere ipsi in quantum potuimus non omisimus, quemadmodum à Ven: Fratre Andrea Archiepiscopo Seleucensi cognosces. Cæterùm firmam in spem venimus, te pro zelo quo flagras, & dignitate quâ fulges, tota animi contentione curaturum, ut præfatus Generalis illata supra memoratæ immunitati præjudicia de medio tollat, ejusdemq; jura in pristinum restituat, tibiq; interim, Dilecte Fili Noster Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ 7 Augusti.

AD ILLUSTRISSIMUM EPISCOPUM VILNENSEM.

Venerabili Fratri Constantino Casimiro Brzostowski Episcopo Vilnensi.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Venerabilis Frater Salutem & Apostolicam Benedictionem. Cùm muneris Nostri sit, Ecclesiasticam immunitatem sartam tectam servare, inq; ejusdem reparationem omni ope studioq; incum-

incumbere pro explorato habere poteris, non omissuros Nos prastò tibi esse in eis, quæ demandatæ Pastorali curæ tuæ Ecclesiæ Vilnensi contingunt. Quid verò sentiamus de censuris & interdicto quod edidisti, mentem Nostram, à Ven: Fratre Andrea Archiepiscopo Seleuciensi cognosces Venerabilis Frater. Cui interim Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. MARIAM Majorem sub annulo Piscatoris 7 Augusti. A.C. 1694

AD ILLUSTRISS: SUPREMUM LITV: THESAURARIUM.

Dilecto Filio Nobili Viro, Benedicto Comiti Sapieha Thesaurario Supremo Magni Ducatûs Litvaniæ.

INNOCENTIUS PP. XII.

Dilecte Fili Nobilis Vir, salutem &c. Attentis meritis, quæ apud Christianam Rempub, abundè sibi comparavit Supremus Exercituum M. D. L. Præfectus, Germanus Frater Nobilitatis tuæ, ob præclara invictæ fortitudinis documenta, quibus præfatam Rempub, adversùs immanissimum ejusdem hostem tutatus est, admisimus appellationē ad hanc S. Sedem ab ipso interpositam; mandantes Vener: Fratri Andreæ Archiepiscopo Seleuciensi Nuntio Nostro ut suspendat censuras pro toto decurrentis anni tempore, quo Magni istius Ducatûs Exercitibus imperaturus, vitæ discrimen subire debet, minimè dubitantes, quin acriores hinc stimulos capiat ad illustria gesta patranda, animumq; convertat non tantùm ad reparanda damna, quæ Ecclesiasticis in prædicto M. Ducatu existentibus illata sunt, sed ad sedulam etiam operam impendendam, ne ullum in posterum detrimentum patiantur, quemadmodum ad idem præstandum, Dilectum quoq; Filium Nostrum Michäëlem Radziejowski vehementer incitavimus. Reliquum est ut studiis in hunc scopum tuis accuratè incumbas, persuasumq; habeas non defutura tibi, ubi id agas, præcipua benevolentiæ Nostræ testimonia. Nobilitati verò interim tuæ Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ 7. Augusti.

COPIA LITERARVM EMINEN: CARDINALIS ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS, AD SVAM SANCTITATEM

respondendo ad ejusdem Breve Apostolicum.

Ex dissidijs inter Reverendissimum Episcopum Vilnensem, & Magnum Generalem Litvaniæ continuatis, duplex me tenet angustia, una quod Paternum Sctis Vræ pectus super injuria immunitatis Ecclesiasticæ gravatur, altera, quod studia & conatus mei, quos meq; ipsum huic negotio evacuando, & tot motibus, exinde exortis leniendis, propè trimestri spatio Varsaviæ moratus, impendi, sine fructu decesserunt. Puto quòd Sanctitati V. ex literis & relationibus Illrmi D. Nuntij innotuit, quàm arduum hoc negotium ad tractandum, in quo scilicet non tantùm res Ecclesiastica, sed etiā ratio-

A.C.1694 *rationes Status Politici concurrunt. Utraq; autem tangi delicatum est. Exindeq; est, quòd præterita Comitia per turbas, differentias, & animositates evanuerunt, discessumq; est magis acerbatis animis, nullo pro publicis necessitatibus, maximè è stipendijs militaribus, tamdiu retentis, exolvendis, & periculis belli avertendis, consilio, imò nec effectu quidem. Ita ejecti sumus discretioni fatorum, & quod tandem eveniat Nobis. Suspendimur expectatione, nec vanæ erant apprehensiones meæ, quas in exordio horum dissidiorum, Eminentissimis DD. Cardinalibus, Sctis V. in Urbe Ministris annotavi. Ex ingenio enim libertatis & gentis (quæ nec regnat, nec regitur) consequentias, quas jam videmus, prævidi; Quod autem Sctas V. dignatur me exhortari, ut nihilominùs insistam operi pacificationis, quoadusq; negotium hoc, cum Ecclesiasticæ immunitatis reparatione absolvatur. Fateor & confiteor etiam Scti V. non tam parvi momenti esse desolatam in Regno hoc Rempubl: ut non totus anxius sollicitusq; sim de redintegratione Status quem causa hæc confudit & allisit. Totis itaq; viribus & curis incumbo, moderandæ & evacuandæ illi, quantum scilicet ex me est, non enim à dignitate vel existimatione mea quantacunq; fuerit, ut eventus rerum, hujus loci totaliter & principaliter, sed saltem mediatè dependeat. Hoc tamen in tractatu hujus negotij comperi, quod Generalis Litvaniæ, maximè in puncto honoris sensibilis & difficilis est. Credit enim se vacare à culpa violatæ immunitatis, in vigore legum Regni de Stativis Militaribus latarum, tota quoq; Nobilitas Litvanica, ac etiam plurimi ex Provincia Polona Proceres & Nobiles Generalem defendentes, non illius sed suam & Reipub: esse arbitrantur. Ita ut res in his circumstantijs positas remedia aliqua non facilè sopire possent. Medijs potiùs instandum est, quod ego ulterius improbo etiam labore, arguendo & obsecrandò facere non cessabo. Sed supplico humillimè Scti V. dignetur Sanctitas Vestra Episcopum quoq; Vilnensem Paternâ & Apostolicâ authoritate admonere, ut & ipse amaritudines, quà publicè, quà privatim demonstratas in suavitatem commutet, & animum ad concordias sincerè inclinatum exhibeat, independenter à quovis fomento. Frustra enim de medijs, priusquam partes ad ea disposita erunt. Hoc autem fiet, dum ab exacerbationibus utrinque cessabitur, & honestè animis designabuntur. In ea sollicitudinis meæ intensione, opem Divinam & Paternam Sanctitatis Vestræ benedictionem, ac protectionem humillimè implorans, beatissimos pedes reverenter exosculor.*

COPIA

COPIA LITERARUM NUNTII APOSTOLICI AD ILLUST: DUCEM EXERCITUũ M. D. L. CASIMIRUM SAPIEHAM. A.C. 1694

9. Martij.

CUm quanta sollicitudine, & attentione controversias inter Excell: Vram; & Illrmum Dnum Episcopum Vilnensem vertentes componere contenderim, tum ab earum initio tum postquam â Sanctitate sua mandatum accepi ad hunç finem laborandi pluribus ex argumentis perspicuè noverit E. V. nec dubito ipsã eodem tempore animadvertisse, sollicitudines meas pariter dirigi à zelo, quo Apostolicus Minister pro Ecclesiasticæ immunitatis conservatione moveri debet, & à vehementi desiderio E. V. quietem captandi, illisque eventibus obviandi, qui aliquomodo magnum ejus nomen lædere possent. Hinc mihi ipsi persuaseram fore, ut in Excell: Vestra illas ad justitiam dispositiones invenirem, quæ benignæ applicationi debebantur, quâ Sanctitas sua tale negotium respicere voluit, & quas mihi pietas, & E. V. æquanimitas appromiserant. Sed ob quale infortunium ignoro perditam hucusquè operam videre debui, minimo, non solum ex mea mediatione non habito fructu, licet Illr: Dnũ Episcopum ad quãlibet facilitatẽ induxerim ac pro parte iteratò promissũ mihi fuerit, quòd etiã pro justa existimationis Sãctitatis suæ debitæ significatione Ecclesiastica Bona militariũ pondere exonerata fuissent, honestisquè ejusdem Domini Episcopi satisfactionibus præstita manus: sed & ulterius videre coactus, res in dies in deterius labentes, & in factis respectu prædictorum Bonorum gravaminibus, & in verbis, dum projecta in scriptis data, exaggerationes potius contra Episcopum, quàm satisfactionum oblationes semper præferebant, Unde cùm res jam tanti ponderis ad extrema deducta videatur nec ego ulterius Illrmi D. Episcopi instantijs resistere valeam, qui medijs sibi â DEO, & propriæ causæ justitia præstitis indemnitatem suam procurare & Ecclesiæ suæ consulere intendit ob amorẽ ingentem, paremq; æstimationem, quâ Exc: V. ejusquè Domum prosequor, ultimum experimentum apud eandem tentare non omittam. Agam quantum scio, valeoq; enixè rogando, quatenus seriò super negotij qualitate animaduertat, in qua assistentibus Domino Episcopo, tum sacris Divinisquè, tum & ipsis Patrijs, & in faciem ipsarum illata sibi violentia nemo erit in mundo, qui in favorem ipsius non judicet, præsertim postquam ab illo facilitas omnis, cujus ego Depositarius sum, exhibita fuit, ex quo evidenter totum eorum omnium, quæ accidere poterunt dedecus in E. V. redundabit. Quanti momenti sit hoc punctum exquisitæ E. V. prudentiæ, facile patebit. Egoquè; quem pro singulari interesse, quod in ipsius gloria reposui, illud præ omnibus premit, cùm damnari, & argui nolim ex eo, quòd aliquid ipsi occultaverim, illud E. V. efficacissimè exhibere non omitto, unaq; protestari, quòd impletis partibus mediatoris, & Amici E. V. redargutiones

torum,

Ao. 1694 eorum, qui pro causa DEI zelant, diutius sustinere non possum ob nimium seram eidem præstitam assistentiam, sed libertatem Illrmo Dno Episcopo relinquere compellar, remediis utendi, quæ opportuniora crediderint, & quæ gravissimos, & potentissimos effectus, tam in temporali, quàm spirituali parare poterunt. Quatenus tamen adhuc E. V. placeat ad ea, quæ decent inclinare, ex parte Illrmi Dni Episcopi, quamlibet honestam facilitatem mihi spondeo. Ad cujus normam negotium tanti momenti cum debita quiete poterit terminari, perniciosissimiq; eventus evitari, qui aliàs sunt inevitabiles. Et in hoc &c.

RESPONSORIÆ AD PRÆCEDENTES

INter initia mei negotij cum Illrmo Episcopo Vilnensi, jam nunc præsentem conniventiam Illrmæ Excell: Vræ pro parte Illrmi Episcopi Vilnensis cum totius Gentis nomine conquerens Senatorius & Equestris ordo, ejusmodi accepi responsum ab Illr. Excell: Vra, quòd ex mandato Sanctissimi omnes modos mediationis adhibere esset paratus, nihilominus cum sit Ecclesiastica, Ecclesiæ, & ejus Personarum causam tueri obligetur, hoc tamen responso minus contenti Gentis Ordines; postularunt non mediationem, sed administrationem justitiæ ex prædicto Illrmo Episcopo tanquam legum violatore, convulsore status, concitatore seditionum. Denique egomet ipse toties, quoties per literas, & declarationes Illrmo Dno Thesaurario M. D. L. supremo datas requisivi, non in causa locationum (nam hæc spectat ad determinationem Reip. non meam, multò verò magis non ad externi Principis Ministrum) sed in causa multis nominibus læsi honoris mei à Dno Episcopo. Idem petij à sede Apostolica, ex cujus mandato Illrmæ E. V. injuncta honoris restitutio, mihique per Brevia Apostolica honorifica hac in re data declaratio. Cõtra hæc omnia ex novissimis literis apertissimè constitit partialitas Illr: E. V. cum nulla prævia Reip. decisione jam mihi imperiosè denuntiat. Nisi ego ex meo Jure dato à Rep. decedam, nisi miles ex nunc Bonis Episcopalibus excedat, omnem culpam, & vituperationem in me casuras, & Dno Episcopo fulmen Ecclesiasticum contra me quãvis nullo decreto permittendum. Imprimis ipsa per se impertinens declaratio ista, multò magis quòd tam importuno tempore moveri miles ex stativis nequeat, nisi cum summa ruina Populorum & Exercitûs incommodo. Cujus conservationi pro bono sani fœderis incumbens, & in ea egestate Reip: Jam verò quod juris Illr: Excell: V. externi Principis Ministro in res status Nostri, quid contra ordinationem Reip., quid contra officium meum, & personam. Qui à Majoribus meis acceptam Reip. defensionem, & Ecclesiæ gloriam pretio sangvinis, & impensarum mearum in facie Orientalium, & Occidentalium tot Exercituum omni conatu promovi, eoque nomine Brevia

Aposto-

Apoſtolica, & legum literas accepi plenas gratitudinis; & tamen Illr: Excell: Vra ſcribit in ſuis literis orbis judicio innocuum eſſe Epiſcopum, ſe ipſum judicem, teſtem, & depoſitarium contra me pronuntiat. Hæc omnia quàm manifeſtè arguant Illrm: Excell. V. partialitatis, & ſanctæ ſedis Apoſtolicæ refragarium viderit S. Sedes Apoſtolica. Cùm verò Illr: & Excell. Generales Exercituum Regni Poloniæ Duces, quietam habeant locationem Exercitus militum in Bonis Epiſcopalibus, unde Illrm: Excell. V. hæc fulmina contra meum officium & perſonam in remedium tanti ſui fervoris; optarem ut Illr. Excell: Vræ. Secretarium alat gnarum officiorum noſtrorum honoris, quem per tot ſæculorum gradus ingenti ſudore conquiſivimus, nec vituperatione actionum noſtrarum, nec tam gravi jactationum, fulminum in nos ſæviat, quorumvis innocua in tam evidenti cauſa. Sed etſi prædictis fulminibus ſua vis inſit, ferenda eſſet Eccleſiæ poteſtas, abuſus verò ſpernendus. Cùm nos in rebus Status noſtri externorum mandatis parere non obligemur. Exemplo Serniorum, Auguſtiſſimorum Imperatorum, Regum Hiſpaniæ, Galliæ, Angliæ, Principũque Belgii &c. &c. qui contra indiſcretum Dominium Cleri ſuo jure uſi ſunt, & etiam nunc utuntur. Hæc contra gravaminoſas Illr: Excell: V. literas intimanda duxi. Interea maneo. *A.C.* 1694

COPIA LITERARUM REGIS AD EPISCOPUM PLOCENSEM ANDREAM C. ZAŁUSKI Villanoviâ 13 Septemb.

EX reſponſis, & legationibus ad comitiola, quæ hactenus trahũtur, intelligere licet; omnes ſentire mala, Patriam noſtram, aliquot ab annis, ſine cura prementia, quibus eam extricare velle, difficilis eſt combinatio. Multis licet placeant generoſiora, in Equeſtribus comitiis, aut Communi motu; nemo tamen eſt; qui in pace, ſolita non præeligat conſilia, extremis remediis. Eundem ſenſũ difficile in corde noſtro premere potuimus, qui nihil ſtudioſius in vita noſtra curavimus, quàm Patriæ ſpectare tranquillitatem, ac perpetuam malaciam, eaq; exhauſtos, uſq; ad exinanitionem valetudinis, dies noſtros recreare. Ex hac igitur ratione, & cognita nobis ob publicam quietem propenſione, cum optantibus comitia ordinaria, etiam nos ea ſummè neceſſaria eſſe judicamus: Hæc indicere non facilitatâ cauſâ non tantùm Epiſcopi Vilnenſis cum Palatino Vilnenſi, quæ præterita perplexionibus involvebat conſilia, verùm etiam recentiore Principum Radiviliorum ratione bonorum poſt fata Principiſſæ Palatinæ Rheni emergente, foret ad eaſdem Syrtes & charybdes allidi, cum inæſtimabili, non tantùm in publicum damno, verũ privatarum jacturâ fortunarum, quas comitia per expenſas exhauriunt. Sicut ergo ſemper, quidquid poſſibilitatis in nobis erat, has cõponere adnitebamur ſimultates; ita nunc vel maximè, cum eæ, pareſq; augeantur; nec alius occurrat modus, præter antepræliminaria

Cauſa Sapiehana & Radiviliana comitijs nociva.

A.C.1694 comitiorum, vocatis ad ea Senatoribus, quà Spiritualibus, quà Saecularibus earum causarum peritioribus, ut privata per mediationes combinentur, ne publicis officiant. Si plenæ concordiæ inventi fuerint modi, re ipsâ spes magnæ, fortunatè concludendorũ comitiorũ aperientur. Si verò complanatio optatum effectum sortita non fuerit, saltem media aliqua non impediendi cursus comitiorum inveniantur. Si enim in priore causa, ut plurimum agitur de Excommunicatione, cur hæc relinqui non possit summo Pontifici, cum ad eum jam sit relegata; à quo etiam honori, ratione cujus vel maximè pars querulatur, omnimodè prospici posset? In statu verò politico, siquidem utraq; pars legibus nititur Reip:, cur hæc discernere inter jus utriusq; partis non posset? Posteriore quoq; causâ simili facilitatâ iudicio felicia comitijs adferrentur auspicia. Quòd si etiam id partes acceptare noluerint, iterum hic recurret difficultas incertorum, adeoq; non necessariorũ comitiorum, nisi ad supervacaneos fundendos sumptus, extremamq; nostræ ruinam valetudinis. Quapropter; quidquid tuo, nunquam non salutaria suggerenti judicio, in his omnib9 circumstantijs visum fuerit, prudentissimum tuum, probatumq; sensum anticipativè ad eam complanationem requirimus, pro designãdo tempore, elabente commoditate bellandi præsentiam tuam unicè desiderantes. Præstabis non necessarium modò, sed & salutare obsequium in gratiam Patriæ, publico consilio destitutæ, nunquamve magis, ac in præsenti calamitate subsidium exigentis; ut ipsa tua consummata prudentia sine nostra exaggeratione abunde penetret; nec hoc ignorans, quòd tanta solicitudine nihil privati, sed publicam quæramus salutem, in cujus utinam felicissimo usu, etiam tibi bonã precamur valetudinem.

COPIA RESPONSI AD PRÆCEDENTES LITERAS.

2. Octobris Pultoviâ.

NON referre grates, cum obligationum titulis parem literarum numerum, pennæ sit difficilè reperire; verùm obstrictam perennè gratitudinem, testari tenemur Mti V. pro ea circa nos sollicitudine, cujus, à primordiis ter fausti Dominij, paternâ providentiâ cursum tenere dignatur. Non solùm vigili oculo, benigno pectore, sed & jugi memoria concussam, ruentemq; fovens Rempub: non sua, sed orbis commoda; agitq; negotia solis instar, indefesso labore universum, citra unius etiam momenti pausam circumeuntis; cum exinanitione Regiæ valetudinis, fractas naufragæ pene Reipub: colligit tabulas. Nunquam nihilominus manifestiùs paternus V. Mtis erga hanc Patriam amor, quàm nunc se prodidit, cùm vel maximè votis omnium, hoc infelici rerum statu, expeteretur. Perpendit non sine magno animi sensu Mtas V. cõmune bonum, à quibusdam negligi, subverti ab aliis. Cernit propter privatorum deliria periclitari Remp: quæ antiquâ virtute, antiquâ formâ oblivioni datâ sine consilio, præsidio, ac ærario relinquitur. Perstringit cor Mtis V. præsens Reipub: status, meo judicio jam corruptior, quàm, ut juvari vel corrigi possit, nobis nec vitia, nec remedia

pati

pati volentibus. Judicat Mtas V. Divinâ fermè providentiâ; summè esse necessaria Comitia: qui enim ea nollet, vellet hoc ipso Patriæ exitium, vellet eam sub perpetuo spectare malleo tam grandium pressurarum, quæ nos non vincent, sed obruent; vellet deniq; Exercitûs desperationẽ, ex qua, quidnam sequeretur, facilis conjectura. Optare verò Comitia rebus non compositis, Divino V. Mtis judicio, cui etiam ego meum subjicio sensum, foret magnæ operæ, magnum nihil. Impossibile, etiam peritissimo cytharædo gratos, solutis nervis concentus edere; De futuris conjectura, ex anteactis sumenda: Revocatis in memoriam, ingratâ licet reminiscentiâ præteritis Comitiis, esset principium sine fine, folia sine fructu; iterum enim inter mortalia certamina, priùs finem invenirent, quàm exordium. Quapropter sapientissimè, more suo, sciens, ante jacta fundamenta ædificium non extrui, nolens cum adversis pugnare ventis, quidquid potest fieri in futurum prospiciens, optansq; inserere vites, ut uvam proferant non pampinum; Vult Mtas V. Comitia, prius immortalitate digno uniceq; in publico necessario labore, discordiis & simultatibus, velut lenta de corpore tabe sublatis, animisq; cognatas acies instruentibus, ad pacem compositis. Quid his desideratur amplius? (bene eum sequuntur omnes, qui bene ducit omnes) nisi magno subjici judicio Mtis V, cujus caput profundorum est consiliorum Capitolium, supplicareq; quatenus ultiores inire dignetur rationes, ne pereamus in finem: advocare partes, congregare eos, qui jam ingrediebantur negotium, omnesq; habent in memorato gradus; summè est necessarium; tum demum finitis, DEo dante, feliciter hisce tam perplexis negotiis, descendere ad præliminaria Comitiorum: sat fit celeriter, quidquid fit satis bene; ut ex aurora futuræ formamus serenitatis indicia; sic ex hac complanatione certa spes securitatis affulgeret Comitiorum. Unde, hanc cunctationem utilem esse sentio Reipub: in unico duntaxat puncto subortum mihi scrupulum, fiducialiter, ut teneor Vræ Mti aperio: Siquidem nec Summi Pontificis; ratione reparandi honoris, nec Reipub: judicio, ratione dijudicandorum jurium, se partes, ut jam patuit permittunt; Consiliumq; futuri, ex præterito venit: convocatæ verò à Mte V. ob conjuncturam mortis Vilnensis Palatinæ congregari tã citò partes non poterunt; cùm periculum sit in mora; non ne conveniens foret compellare easdem; quatenus licet ad propriorem locum à Mte V. designandum, v. g. Grodnam, pro majore sua cōmoditate conveniant; Vestra autem Mtas, utatur jam negotij gnaris, amore Patriæ, qua nihil carius, ne se excusent, obligatis; sicq; minore compendio, eadem gloria foret pacatæ Reipub: magno nomini Mtis V: Hoc enim non modo sub ejus fieret suspiciis, sed etiam à nutu penderent Mediatores, cũ quibus facilis, dispositâ postâ correspondentia, sæpiusq; habere possent V. Mtis ordinationes in ordine ad finẽ. Non est id novum tam ad intra, quã ab extra exemplum, plura hujusmodi allegarẽ, si liceret, ultra praxim epistolæ, paginam extendere. Cæterùm ut valemus agimus, quando ut volum[9] non licet. Utiq; etiam Nautæ aliud in tempestate, aliud agunt in malacia. Meus ut sensus est, scribo, stet beneplacito V. Mtis. Comitia Equestria, aut communem motum, quantumvis aliqui Palatinatus, vivido libertatis impetu, quam condemnare non ausim, optaverint, ego interim perpenso, tum jam vergente in hyemem tempore, tum aliis rationibus, velut Episcopus ea potiùs, quæ pacis sunt, quàm generosa hæc consilia, insinuare præsumo. Et præterea affusus aris, supplices tendo palmas; ut ille, qui novit vias hominum, ita sancta Mtis Vestræ, pacandorum

A.C 1694

A.C. 1694 dorum subditorum dirigat intentiones, quatenus alienato à nobis contradictionis spiritu; tribuat, quàm diutissimâ Mtis Vestræ gaudere valetudine, antiqua decora, pristinamq; Patriæ felicitatem intueri: Ad quod quia Mtas V. seriã applicare dignatur operã, actis iterũ iterũq; gratiis, triumphalem exosculor dextram.

COPIA LITERARUM REGIARUM AD EPISCOPUM PLOCENSEM Gorä 24 Octobr.

IN materia complanationis dissidentium in M. D. L. partium, collato cum ijsdem consilio de termino, ubi elabente jam bellandi commoditate nullum adest obstaculum, Senatoresve, quorum per literas sensum requisivimus, omnes ferè iudicant, prius dictas pacificandas esse difficultates, quàm comitialia consilia conjiciantur in periculum non evitandorum scopulorum: Invenimus aptissimum, huic, utinam fortunatissimæ complanationi tempus, diem Sabbathi in crastinum post S. Martini; scilicet 12 mensis Novembris. Ad hunc ergo dum & ipsi nos cum summo conatu, & sincera paterna solicitudine offerimus, & Regina consors nostra, à partibus expetita toto corde, tam necessariæ pacificationi allaborare, inter amoris erga hanc Patriam reputat documenta, tu quoq; eidem necessitati, & utilitati publicæ tuam negare, præcise pro prædicta die Varsaviæ nolis præsẽtiam, tamq; efficaci & perfecta de nobis, ac Rep. bene mereri applicatione, ut intentiones nostræ illâ coronentur felicitate; quæ ex unione animorum optatis solet implere Regna successibus. A quo obsequio, quemadmodnm obnixè, ferventerq; per felicitatem hujus Patriæ desideramus te non excusatum, ita certi sumus omni optimo consilio affuturum.

CIII.

AMICO CONFIDENTI ANDREAS C. ZALUSKI
30 Septembr. Varsaviâ

UBI nihil est, quod scribam, idipsum te id poscente scriberem, sed ampla semper occurrit materia; effundere vacat, quæ tacere non possum; ideo non me accusabis, sicut ille, Brutus meus silet, nec Persas cogitabis: apud quos silentij quoq; colitur Numen; Ego enim sæpiùs scribendo ad te, non unde incipere, sed ubi desinere debeam, difficultatem invenio. Cùm singula, quæ scio, in memoriam reduco, nihil eorum sine flagitio prætermitti posse existimo, & cùm rursus universa contemplor plurima mihi necessariò omittenda esse cognosco.

Habui literas à Regina, in quibus mœrorem justum Regis exprimit, & resolutionem constantem non ampliùs se cum DD. Sapiehis dissimulaturum; repullulat aconitum, quod non radicitùs extirpaveris; expressè enim videmus fodisse illos cisternas dissipatas, quæ tamen non valebunt continere aquas, bifacem habere mentem, præsentibus benè loqui, absentibus detrahere. Timeant, ne à nobis convicti, manus dare aliquãdo clamante ipsâ veritate cogantur.

Disputatum interim Varsaviæ, utrum ista comitia subsistere possi[illegible] vel non? & crederem, si Rex veniret, certò certiùs & benè inchoari, [illegible]

benè

benè finiri possent. Habui literas à Rege cum sumo affectu gratitudinem monstrantes, in quibus & verborum multum dedit, & benignitatis plurimum pro hac cura, quam Domûs ejus ago, promittens id eundem pro mea facturum; Ita quippe prosperum cœptum virtus vocatur. A.C. 1694

Misi autem Bruxellas copiam literarum Baronis Plumbek, in quibus expressè insinuat Matrimonium nostræ Principis cum Rege Romanorum, ut eò citiùs ad agendum Electorem inducerem.

Interim scribitur, quòd venerint nuntij à Ducatu Litvaniæ Zolkieviam; (grave vulnus est solium Mtis in ordinem velle redigere; sic habet malitia, semper contra virtutem pugnat, & illi sua peccata affricare, & imputare vult) & eodem tempore Kryspin Notarius Campestris Litvaniæ impedire voluerit eorum audientiam, & ita recepissent vulnera, quæ in alieno pectore designabant, nisi Rex pro solita sua bonitate admisisset omnes.

Interim Consilium determinatum Leopoli, ad quod sum invitatus; Princeps Radziwiłła verò Soror Regis vocato me petiit, ut testamentũ conficere ex meo consilio posset, sed ego in nullam dispositionem me ingerere volens, simplicem tantùm Præfationem scripsi, quam illa præ dolore scribere cùm non posset, ab uno ex meis Ecclesiasticis sigillo Confessionis priùs obligato, conscribi illud voluit, manu tamen propriâ nomen suum & aliqua puncta expressit.

12. Februarij optimam dispositionem in literis Bruxellis ad me scriptis, circa Matrimonium Electoris legi.

Scribitur mihi Cardinalem multa contra Regem, & Reginam, eaq; honorem Mtum lædentia loqui, cui nihil satis est, nihil turpe est, sed nolo id exaggerare, cum puerilis sit jactantiæ, quòd olim Adolescentuli facere consveverant, accusando Illustres viros suo nomine (ut ait Hieronymus) famam parare.

Scripsi fortissimas literas Episcopo Vilnen: qui excommunicare Palatinum Vilnen: intendit, persvadendo multis rationibus dilationem; prævideo enim multa inconvenientia, & magnum in Patria fore exinde motum. Interim à 24. Februarij, usq; ad 6tam Martij visitavi aliquas Parochiales Ecclesias Diœcesis meæ, & Pultoviam ad faciendum Jubilæum veni.

Ernestus Dönhoff Palatinus Mariæburgensis, Reginæ Mareschalc⁹ mortuus est; &, cùm Varsaviæ fuissem, considerans infirmitatem Regis, quæ sæpiùs renovatur, consilium dedi Principi Jacobo, ut se resolveret pro aliquo tempore, & residentiam suam figeret in Fortalitio Sanctæ Trinitatis, non deerunt tot fortes viri, qui illi assistent, & ingens hoc meritum de Republica in omni casu juvare eum, & viam sternere ad altiora poterit. Cùm per hanc suam finium Regni defensionem, non nimis faventes sibi Polonorum spiritus devincere, conciliare poterit. Gubernandi Regni habenæ infantili nequaquam committuntur dexteræ, sed ijs tractantur manibus, quas robur, & magnitudo cõmendat. Adeo te (dicebam) Princeps natura; ne quidem in teneriori voluit degenerare complexione, quin etiam hanc grandem Regiæ Coronæ supportes molem. Ignosce, vera ex zelo dicenti, & jam cognosce, quòd per hanc actionem facies gaudium magnum, omnibus Domûs tuæ Servus; Nonne scis? quòd illi tantùm inficiunt ac interficiunt lethali famam Parentum dolore, qui non tantùm augere, sed & conservare eandem negligunt; taliter agere debent, qui in luce honoraria sunt quandoq; victoria. Titulum Regum juremerito tibi, & splendida præmia certus nectet honos, si

A.C. 1694 ſi ſangvine prius hoſtili viderit erubuiſſe, antequam purpurâ induêris, & bellicos à te viderit Polonia ſuperari horrores. Accedit, quòd Helenam habeas, ſed ſanctam, quam, Gratia, non Græcia, educavit; Scimus quippe de concha hac ſanctiori nihil poſſe præteriri, præter unionem diademati tuo aptiſſimum, & de viva in terris ejus ſanctitate aliud ſperare non poſſumus, niſi tibi ob illius pietatem obventurum Imperium.

Habui deinde notitiam eundem Principem Jacobum ad Aulam abijſſe, gaviſus ſum credens meum conſilium ad effectum deducturum.

Venit iterum Curſor Bruxellis ſignificans brevi adventurum Dnũ Mayer pro contractu Matrimoniali faciendo, qui 12 April. Pultoviam venit & quem ego immeditatè in curribus meis, & omni commoditate proviſũ, ſumptu meo ad Aulam duxi, & in Zołkiew comparui, præcedens Baronem, qui in craſtino venit. In Arce locatus, ubi & ego ex mandato Regis vicinam reſidentiam habui. Interim Rex adjunxit mihi Cõmiſſarios ad tractandum, & conſcribendum Contractum Matrimonialem Caſtellanum, & Palatinum Cracovienſes; Palatinum Maſoviæ & alios qui in meo cubiculo congregati, plenipotentiam imprimis requiſivimus, & noſtram monſtravimus, & agere agenda incepimus, ſed, cùm ille magnam prætendiſſet dotem, & Rex loco auctionis diminuere, & ad quadraginta tantùm millia Imperialium reſtringere viſus eſt; unde maxima difficultas fuit & per aliquot dies cum ſummo meo angore tractatum negotium, & ego non ſinè periculo offenſionis multa egi. Voluimus nos ut bona Materna in dote iucluderentur, ſed Plenipotentiarius omnino id recuſavit.

4ta Maji concluſus quidem tractatus de quanto, ſed de tempore difficultas erat, cùm Rex ratatim tantùm ſolvere voluiſſet; non tibi exprimo omnes meas hac in parte mortificationes, noſti benè chartam Aulæ, & divinabis, quæ paſſus ſum, quæ pertuli, ſed inferius omnia duco, modò zelum meum pro debito juxta ac officio Domui Regiæ palàm faciam, &, ut omnino id, quod cœpi, conſequar, enitor, quantum in me eſt; Interim venit notitia Electori Colonien. ceſſiſſe Epiſcopatum Leodienſem, quanquam Magnus Ordinis Theutonicorum Magiſter Imperatricis regnantis Frater itidem à medietate Capituli fuerit electus, ſed hic inter aliquot dies febri malignâ extinctus eſt.

20ma Maji poſt ſubſcriptum parte ab utraque contractum, fecit Rex convivium magnum pro legato, qui pòſt, acceptâ licentiâ multis donis oneratus abijt, quem ego ſumptu meo in aſſiſtentia fratris mei D. Suffraganei Præmiſlien. uſquè ad fines Sileſiæ conduxi, & ipſe abivi, negotia mea in Diœceſi particularia habens, & Pultoviam veni, ubi Rex Caſtellanatum Woynicenſem pro fratre meo Franciſco miſit. Interim ego viſitationes Eccleſiarum mearum faciebam, difficultatem magnam habens propter Smarzow ubi omnino hæres loci miraculoſam imaginem habere voluit, & à me approbari, in quo negotio multa conſilia Theologorum adhibui, ipſeque cum illis adhibito Medico, & Chirurgo pro more in loco loci fui; ſemper enim talia neceſſitas exigit. Mitto tibi omnia in hac materia ſcripta; qui nihil metuit, nihil ſuſpicatur.

Habui notitiam optimè Tractatum Matrimonialem ab Electore acceptum, quanquam Dnus Mayer parum inſanire poſt reditum ſuum in Bavariam viſus eſt.

Venit Caro de Celles ab Electore, quem ad Aulam duxi, & de adventu Comitis Thering notitiam habui.

15. Augusti cum magnis ceremoniis & solennitatibus Cardinalis Primas dedit benedictionem in Ecclesia S. Joannis, Principi Jacobo Electorem repræsentanti. A.C. 1694

Abiverunt Baro de Celles, & Comes Thering non sine pulcherrimis donis. Fuit conferentia cum Cardinali & Nobis, utrum Alexander, & Constantinus reducendo sororem extraneas Regiones videre non possent, quod, quamvis Regina summè voluit, Rex tamen non permisit.

Habuit Rex literas à Pontifice, ut mediationem in Europa super se sumeret, quod & consilium ad id vocatum maximè approbavit. Et, cùm maximis promissis Reginæ denegare non potuerim, ut conducerem Electricem Bruxellas; fui 9na in Ploczko, ubi Fratrem meum pro Administratore pro interim constitui.

29nâ Mortua est Princeps soror Regis, Principum decus, Matronarum Heroina, optima omnium existimatione, & dignissima omni fortunâ judicata, pietate in DEum insignis, constantiâ in amicos firma, in pauperes liberalitate profusa, ut aliquando argueretur de nimia dans indignis, ex cujus obitu apud te lacrymis meis vel laus est parata, vel venia, quamvis sciam, quòd tu scribenti dolorem meum dices, quòd frustra doleam mortuam, quam sciebam mortalem; quòd non eripuit DEus, nisi quod suum, cum quo nec expostulare potest quisquam, neq; justè queri, cùm jus suum teneat, in dando, & adimendo, in omni ætate, in omni sexu. Illud, quod gemimus, Majores nostri experti sunt, experientur pòst futuri. Non amisimus illam; sed præmisimus, non obiit, sed tantùm abiit, & ad lætiora; nam peregrina nuper in terris virtus, nunc certè in cœlo vivit, quomodo fabula, sic vita, non quamdiu, sed quàm benè acta refert, nihil ad rem pertinet, quocunq; loco desinas, tãtùm bonam clausulam impone. Scis quanta beneficia ab ea habuerim, & mœrorem in me meum divinabis, qui ampliùs scribere non permittit &c.

COPIA LITERARUM EPISCOPI CRACOVIENSIS, AD EPISCOPUM VILNENSEM. 6. Januarij.

Audita tuî persecutione, justè Litanias de Omnibus SS, genu flexus, cum energica illorum verborum: Ut inimicos S. Ecclesiæ humiliare digneris, recitatione, absolvi; imò in tota Diœcesi mea, eosdem versus, per omnes Collegiatas, quovis die Dominico, repetere non intermittam. Non est possibile, à DEo, sponsoque Ecclesiæ, ipso promittente: Non relinquam vos orphanos, te desertum iri. Quia verò has ferias Deúsve casúsve nobis indulsit, sepositis ad menses aliquot Comitiorum luctis; ne Varsaviæ otieris, demissè postulo; quatenus compensando illam præteritionis figuram, quâ me, dum nuper Częstochoviæ, nullo meo demerito, præterivisti; nunc ad me deviare velis, siquidem melius est otiari, quàm nihil agere. Quæram tum tuâ desideratâ fruens præsentiâ in visceribus CHRISTI nostrarum media afflictonum: Nunc autem legendo Brevia Apostolica ad Persecutorem tuum scripta; agnosco, Ecclesiam, quemadmodum persecutionibus crevit, ita eis, ad extremum diem, non cessuram. Ego interim quoadusque vixero, scribam me semper cultui tuo devotissimum.

COPIA

A.C.1694

COPIA RESPONSI STANISLAI SCZUKA REFERENDARII REGNI, AD LITERAS PALATINI PODLACHIÆ MARTINI OBORSKI MARESCHALCI TRIBUNALIS. 26 Augusti

NUnquam mihi non solatio erit conscientia, me semper affectum, favoreq; tuū procurâsse, dumq; nullo meo demerito, peculiū juxta, ac honorē meū aggressus esses, læsus requisivi unâ Epistola à te justitiam: quâ à Lublinensibus proventibus, tuum Golembensē alienares locatarium. Alterâ coram solo duntaxat Præsidente querulabar, quod tua extollens coram meo Administratore merita, me depressisses; quasi nulliter ex gratia Domini Vacantias capientem. Ad utramq; quia mihi rescripsit, non solùm omni amicitia, verùm etiam tui characteris exuta dignitate; quæ in primo capite inclyti Tribunalis, reliquis eminere deberet, hoc ipso me, respectu utriusq; posthabito, intaminatum honorem meum tueri coëgisti, monstrareq; quantum elatus scriptorum tuorum fastus, ne minimo quidem veritatis puncto, magnæ menti tuæ correspondeat. Imprimis merito pompa, quam fusè tuis producis in literis, non ex propria forsan, suiq; amante admiratione, sed ex hominum æstimatione nasci deberet, pro qua tamen nondum evicta securitas, ne illi comptè depicto libro inscribatur. Non mihi est, aut fuit animus, mea tuis æquandi meritis, multò minus de eis quidpiam invidendi; cum malim de me alij loquantur. Quo ad nominatum à te Tribunal Radomense; gloria cohibitarum militarium desperationum, ignotum mihi nomen est, cum ad eas nunquam sub felici Regiæ Majestatis Imperio ventum fuerit, ubi præsertim non difficilis est cohibitio, ex parato decreto Comitiali, nisi fortè gloria hæc, cruentis Heroum inscripta est meritis, usurpata ex eo portione, deinde in Senatûs Consilio evicta. Quod à me postulâsti, non defui; licet id alij ante te Directores, pares tibi meritis & charactere non prætenderint. Decem millium Cadorum vini Lublini reperibilium; nec lingva, nec calamo feci mentionem, nec id meæ genuinæ consonum est relationi. Non suppono enim Lublini posse plures, quàm 1000 Cados reperiri; à quovis verò dum taxa Castrensis, Terrestris, & Civitatensis statuitur, prætendi solet olla in partem jurisdictionis Mareschalci; separatim pro Instigatore; similiter ab alijs mercibus: Ad id tamen, ut virgam directricem tenente Persona tua; enutritā, (ut scribis) in Regum penetralibus, non deveniretur; supplicârunt Regiæ Majestati Cives, sed non meo instinctu: Qui citius sperâssem mortem; quàm ea sub tua fieri jurisdictione, quæ me possidente nunquam sunt practicata Nec Lublinum, utpote primæ Classis Civitas, eget ad Regem manuductore, cum ipsa probè vias ad eum nôrit, velut suum Dominum, & absolutum jurium suorum Patronum: Cujus Cives, uti etiam meos Castrenses homines; ante nihil, nisi protectionem aliorum Mareschalcorum expertos, cum fulmine Termini Tacti ferias; nihil aliud sentire,

nec

nec dicere possum, nisi illud: Diminuti sunt dies potestatis nostræ. *A.C 1694*
Nec ignoro, non te solùm ad sententias ferendas, sed totum inclytum Tribunal pertinere, cujus finis est, justitiam; in justitia veritatem: in veritate DEum ipsum colere. Mortes aliorum odorari, caducoq; obvenire plura tibi poterant, quatuor, ut iactas, Regum Inquilino, quàm mihi, unius, & ejus quidem Ministro; qui hujusmodi detestatur, nullosq; caducos distribuit. si ratione Aulæ Kotowscij invida te tangit meditatio, falleris: Eam enim pretio à successoribus acquisivi, cum scitu Domini. Quoniam verò præter iniquum, & elatum tuæ malevolentiæ stylum, etiam ad vitam meam temerè scrutandam descendere usurpâsti: noveris, nihil in ea repertum iri, excusandum. Me enim augendarum fortunarum gratiâ eò unquam descendisse, quò me iniquissima detrudis objectione, nec per annos ætatis meæ demonstrabis. si enim es, quod non nego, Familiaris Regis: à 19 annis vidisti me continuato Ministerio, huic Domino famulantem; & tamen nondum 40 annos habeo, quando ergo eo, quem obijcis labore, curandi fortunam tempus erat? Nec id per necessitatem Patriæ fortunæ meæ, in utraq: gente tam in Polonia; quàm in M.D.L. sitæ deduces; cum, nunquam mihi defuerit victus, & amictus ex eadem paupere substantia, etiam ad honestissimos obsequij Domino præstandi, usus. Non nego, nec me pœnitet Leges Patrias 17 mensibus didicisse; sed id, illi duntaxat probrosum sit, quem illa crisi vapulare non pudet: Turpe est Patritio, Leges Patrias ignorâsse. Adstantes curribus, quos mihi exhibes Æmiliones; quidem non video, pro responso tamen suffecerit ejusdem Satyræ initium: stemmata quid prosunt, quid prodest Pontice, longo sangvine censeri? Interim hisce curribus oppono illud: Nos autem in nomine Domini. Intaminatam, labisq; expertem vitam meam, etiam morte tueri sum paratus. Id penitus non capio, quomodo ad judicium, favores, gratiasque Regias te referas, qui me ejusdem Domini servum, à quo æstimari, eiq; placuisse, summa est mihi eritq; encomiorum Consulatus mei, damnare incipis? Licet virtus premi non opprimi possit, referens eum vitæ tenorem, quo itur ad astra, in qua etiam per tubum Opticum nævos non reperies. Nunc interim unicam hanc postulo gratiam, ut induere reminiscentiam velis æquitatis, saltem post fasces; quibus ego, ut & toti inclyto Tribunali, genu flectens cum ea petitione accido, ut illud in meam non trahas afflictionem.

COPIA LITERARũ PRINCIPIS PROCANCELLARII M. D. L. AD EPISCOPUM VILNENSEM. 7. Septemb.

ACceptâ notitiâ, ex tuis primò, ad Comitiola datis, te Mandatũ contra Palatinum Vilnensem protulisse; ut quisq; intelligens consequentias; sic ego, cui cum alijs, & præ alijs, hæc prima curarum cordi est, & esse debet; ut Respubl: in pacato servetur statu,

A.C. 1694 tu, attonitus hæsi, nec potui facto non cordialiter indolere: Nunc demum reddito mihi ad manus ipso, in originali, Mandato cum minore sigillo M. D. L.; cum sciam me non petitum à te, illud ut extraderem: nec à me ullam in eum finem datam esse membranam, utpote, cui recens semper memoria juramenti, quod ut quotidianâ menti imprimo lectione, sic hactenus inviolatè conservo, nisi tibi forsan aliquod eorum exemplar obtigit, vi quorum aliqui justitiæ jam dedêre pœnas, aliqui sub aresto ultimam decretoriam expectant sententiam; cernens illud non tantùm erroneè esse scriptum, titulis ipsis, quos Cancellaria, ex præscripto Reipub:, & usu antiquo, dare solet, inconsultò diminutis, & immutatis; verùm etiam nullius Notariorum subscriptione insignitum; perpendens, in angustiore expressum esse membrana, arctatis literis, & versibus, id evidenter monstrantibus: Indolere imprimis Patriæ; cum tristi experienttia compertum sit, ex similibus scintillis ingentia, nec nisi sangvine exstingvenda, consurgere incendia; Indolere tuo characteri, qui, cum nobis in conservatione tam Divinarum, quàm Patriarum legum, exemplo prælucere debeat, nunc fabricando hujusmodi contra conscientiam, & leges, mandatum; quid aliud agit, nisi dat jus sceleri? Quis enim similia deinceps verebitur, ubi ea à primo, statûs Spiritualis, in nostro Ducatu capite, viderit attentata? Indolere deniq; cogor, & quidem eò graviùs, quò proniori in te, affectui meo; cum videam juribus amicitiæ postpositis, tam enormiter in honorem, & reputationem meam, quæ delicatè more Majorum meorum foveo, DEoq; favente fovebo, te sævire; quid enim est aliud, in membrana ex Cancellaria mea scribi, Mandata imperare, quàm manifestum mihi imponere perjurium? Quapropter ipse dijudica, utrum non justè ringar dolore intrinsecus! & utrum non convenientiùs, non conficto contra jus, & stylum Cancellariæ, sed verè & competenter scripto, tu sis citandus mandato? ad quod forsan ipso jure naturæ inducar, cum nefas sit iacturâ proprii, alienum tueri honorem, & conservare. Non satis erat, te Duci omnem voluisse jurisdictionem adimere; etiam contra signaturæ Ministros, me singulariter, sed puto non impune, bella cies. Respondebis imprimis DEo, quòd Christianæ immemor charitatis, tantam honori meo labem inusseris; respondebis Regi, qui me certo certius tuebitur, cujus manibus hoc concredito Ministerio; hactenus non reperit, me vel in minimo functioni Procancellarij defuisse. Primum, imò unicum est Regiæ Majestatis votum, ut bene sit Patriæ, quam cùm tu turbare incipias, Regi, Reipub: es injurius. Brevibus ergo, dolore meo in antecessum, expresso, rationem saltem à te expecto, quæ te ad conculcanda Patriæ, & amicitiæ jura, induxit; assecurans etiam me non segniter circa reparandum honorem meum, acturum.

COPIA

COPIA LITERARUM PALATINI VILNENSIS AD AMICOS, PRO COMITIOLIS ANTECOMITIALIBUS CONGREGATOS. 8. Augusti.

A.C. 1694

PRiusquam exuberâſſet malevolentia Vilnenſis Epiſcopi ſuper me innocuo, paſſivus hærebam, ſperando meliora, ſubeunte illi in mentem reflexione, grandibus ſuper puncturis, quas honori meo per dicta, & facta inflixerat. At ubi eadem crudelis activitas, ſuas contra me pergit exercere artes, proteſtari coram vobis hac ſolenni manifeſtatione cogor, dareq; per præſentes brevem de omnibus informationem. Poſt rupta Comitia Grodnæ ex levi valde occaſione illatæ per unum Vexillum prætenſæ injuriæ in bonis menſæ Epiſcopalis, & quidem ſummo cum rigore executionis in Ducalibus meis judicijs, vigore quorum duo Commilitones capitis dederunt pœnas, & pro injurijs 5000 exoluta. Ex nunc Epiſcopus Vilnenſis excitatus zelo quaſi deſolatorum bonorum Eccleſiaſticorũ, ſcriptis eũ, aliàs paſquinatis, palliando ſtatuit, me inquietare: Mandatum in blanca ſine ſolennitatibus à jure omnino requiſitis, & fere famoſum libellum formavit; Comitiola antecomitialia per ſeditioſa turbavit inſtrumenta; ut, ſi ventum fuerit ad celebranda Comitia, hoc ipſo conſilia Reipub: confunderentur: Ad extremum non auditâ totius Reipub: cujus eſt condere leges, & interpretari, de locatione Exercitûs, ſententiâ; extendit manum ad fulmen anathematizationis contra me, non victum jure: non cognitâ juxta leges, causâ, ipſe ſuſceptâ in ſe perſonâ Delatoris, Actoris, & Judicis, ipſoq; facto id implevit, quod ei præceps, an etiam ſubminiſtratus dictabat impetus. Id inſuper ſummam meretur admirationem: quòd contra remedia juris, quaſi non pro filio, & cliente S. Eccleſiæ præparata, contra ſublévationem apud Metropolitanum, cum citatione ad ejus judicium; contra omnium Religioſorum, de invaliditate hujuſmodi Excoñunicationis, ſenſum, per eorum Theologos porrectum; contra ſancita de excommunicatis & excommunicandis in fundamento Jurium Canonicorum facta; & quidem duplici interpoſita appellatione ad S. ſedem Apoſtolicam, & breviore viâ ad Metropolitanam; continuat ſuam malevolentiam, dum me ſingulis diebus dominicis, & feſtis, inuſitato termino, latronibus nonniſi & Publicanis, competente, ex Pontificali anathematizare iubet. Quia ergo in perſona mea læduntur jura Majeſtatis, & Reipub:, variæ ſectæ, & hæreſes in ſua hoc ſcandalo firmantur obſtinatione. Mihi quoq; & Exercitui ſi in reflexionem non veniret, Eccleſiam creviſſe ſangvine Reipub:; juſtè fortiora, contra ferocem, ultra fines ſpiritualis modeſtiæ, vehementiam arriperem media, quibus tamen relictis; congrua uſus moderatione, te poſtulo; quatenus authoritate tua, his occurrere velis inconvenientiis, ut juſtitiæ & conſervationi ſtatûs Reipub: conſulatur, in his præſertim conjuncturis, ubi agitur de bello ſacro.

CO-

A.C. 1694 COPIA MANDATI, DATI PALATINO VILNENSI, AD INSTANTIAM EPISCOPI VILNENSIS. 15 Novembris.

JOANNES III. &c. Casimiro Sapieha &c.

Mandamus, quatenus de omnibus bonis, personis, & factis infra nominatis causam dicturus primò coram nobis, Senatoribusq; nostris, in Comitijs Generalibus Varsaviensibus anno DEo dante sequenti 1695 Varsaviæ incidentibus, ab inchoatione Comitiorum die 12. Januarj peremptoriè personaliter compareas; ad instantiam Instigatoris M. D. Lit. ex delatione Constantini Brzostowski Episcopi Vilnensis, Vener: Capituli, totiusq; statûs Spiritualis Diœcesis Vilnensis, te citantium, quia tu immemor timoris DEI, & rigoris legum, tam spiritualium, quàm Patriarum; quæ uniformiter, immunitatum Ecclesiasticarum violatores, publicæ pacis turbatores, licentiosè aggravantes bona, oneribus militaribus non subjecta, pro excommunicatis, infamibus, & hostibus Patriæ declarârunt, illosq; velut ipso facto judicatos, & condemnatos, publicârunt; in summum statûs Ecclesiastici præjudicium, usurpando injustitiam quampiam, legibus prohibitam, super bonis Episcopatûs Vilnensis, vigore privilegiorum, statutorum, & constitutionum Comitialium, ab omni militari onere liberis, & à jurisdictione sæcularium exemptis, potestatem; violando immunitatem Ecclesiasticam, privato, & temerario ausu abutendo officio tuo, post exactas hybernas portiones, sponte, titulo charitativi subsidij, annuatim paratâ summâ persolvi concessas, contra expressas constitutiones, præsertim anni 1601. & 1678. iteratas aßignationes Exercitui M. D. L. adinvenire, stationes & consistentias, cum seorsiva indictione contributionum, pro equo annuatim, pro libitu, & arbitrio tuo, paratâ pecuniâ, & frumentis redimi imperare, stante ministerio tuo, annis, mensibus, & diebus per manifestationes eo nomine datas, expreßis præsumpsisti; quo duplici onere, scilicet hybernis, & consistentijs, indebitè aggravando, hostiliter, & gverrico modo invadendo, transennis, discretionibus, pernoctationibus, triduanis respirijs, expeditionibus ad Castra, & innumeris aliis exactionum titulis ruinando bona spiritualium, Diœcesis Vilnensis, nulla inevitabli neceßitate impellente, imò ex mero favore possessiones quasdam liberando; ab aliis redemptiones exigendo, funditus vastâsti; fundationes antiquas Antecessorum nostrorum & Nobilitatis ruinâsti; manifesta, & vera interitûs animarum Christianarum, per dilapsum subditorum ad Moschoviam, Sveciam, Curlandiam, Prußiam, & Cosacos, causa fuisti; in Ecclesia Cathedrali, aliisq; compluribus, per totam Diœcesim, præsertim in Sacello S. Casimiri Regni nostri Patroni, desolatis reditibus, & censibus; gloriam DEI sustulisti; thesauris, auro, argento, calicibus, Monstrantijs, peristromatis, tapetibus, omniq; splendore Ecclesiastico, Cathedram Vilnensem, exolventem annuatim, punctualiter, cum auctione per te inju-

injustè impositâ hybernâ spoliâsti, ad cedendum tibi jurisdictione Monvidana Vilnæ in Suburbio Submontano Antocolle dicto sitâ, Capitulum Vilnense adegisti; ac per hæc omnia gravamina, & oppressiones, damnorum ad aliquot milliones, statui Spirituali Diœcesis Vilnensis intulisti: Et quod maximum, de his omnibus violentijs, querelas deponentibus justitiam subtraxisti, judicia, ut lex stringit, non administrasti, & licet in elusionem injuriatorum aliqua tulisses decreta, executioni non mandâsti; extradita pro stipendiis aresta caßâsti, recurrere volentibus ad Tribunal, contra expressas constitutiones, appellationes non permisisti: Insuper postponendo potestatem Mtis nostræ, contra datas de jure à nobis literas sponsorias Delatori, & Clero illius juridicè ad te perlatas, violando securitatem publicam, pendente, lite in juridicâ Episcopatûs Vilnensis, intra mœnia civitatis sitâ, per favorem jurium, & privilegiorum, ab immemorabili ævo, ab omni militari onere liberâ, anno 1693, die 26. mensis Octob. violentè vexillum Equitum, in alijs bonis alia locâsti vexilla, utens frequenter ijsdem Reipub: hominibus, contra expressam legem in oppreßionem Nobilitatis; deniq; ulteriorem oppreßionem, & ruinam super residuitate bonorum Cleri Vilnensis prosequendo, per vim & potentiam hyberna pro placito, & arbitrio tuo, ex bonis non subjectis extorsisti; adeoq; tam perniciosis oppreßionibus, exceßibus, injuriis, æqualitatem juris sub palliato neceßitatum publicarum prætextu; omnes, quos velles vastando, exuisti; jura, libertates, M.D.L, quæ nos non solùm ex vinculo juramenti, sed etiam ex amore Patriæ, & observantiæ Antecessorum nostrorum ad vitam nostram manutenemus, enormiter evulsisti: Authoritatem Regiam contempsisti; status omnes ingentibus, ac inæstimabilibus damnis affecisti, tranquillitatem publicam, & universa Reipubl: Cardinalia libertatum, & immunitatum jura nocivo officij tui abusu, & ambitu turbâsti, & evertisti; totumq; fere M. D. L. obnoxium unius tui arbitrio reddidisti; prout in termino advenienti luculentiùs, ex notoreitate facti, famâ publicâ, authenticis documentis, & legitimis probationibus coram nobis, nostrisq; Senatoribus deducetur. Quapropter ad irrogandas legum pœnas, in illo termino ad Delatoris querelas compareas. A.C.1694

COPIA LITERARUM KRISPINI EPISCOPI SAMOGITIÆ AD EXERCITUUM DUCEM PALATINUM VILNEN. 10 Xbris.

INscrutabili Divinæ voluntatis dispositione indignus sacerdos citra omne votum, spem, & curam meam in sortem ministerij Diœcesis Samogitiæ assumptus, ingenti dolore tabesco; quòd Diœcesanos meos in luctu, lacrymis, ac ejulatu ob gravissimam à militibus oppressionem deprehenderim. In hoc ancipiti non aliud mihi succurrit consilium; nisi ut delatâ Relatione S. Sedi Apostolicæ & Mtati Nostræ laborarem; an non promulgatâ in coinciden-

A.C. 1694 ti injuria Epiſcopatûs Vilnenſis complanatione hic etiam ab iſtis preſſuris liberaretur. Potuiſſem ſaltem ſi ex me tempeſtas iſta, eandem lenire depoſitione infulæ; verùm nihil precibus lacrymiſq; profeci. Accepi in abſentia tua tam à Rege, quàm Cardinale aliiſq; declarationes; quòd apud te inſtantias facturi eſſent, ne bona Eccleſiaſtica ultimæ ſubjacerent ruinæ: non dubito hactenus in manus tuas eorum literas deveniſſe, quibus audeo & ego non jam pro me ſed pro patrimonio Chriſti ſubmiſſas adjungere preces, pulſare ad teneritudinem conſcientiæ, ſcrutariq; pietatis viſcera; ut velis compaſſione duci ſuper vita afflicti populi & ſalute tot animarum pretioſo Chriſti ſangvine redemptarum. Defero tibi rem prout ſe habet, ſacerdotali fide & conſcientiâ: transferunt ſe, & jam ſe tranſtulerunt indies pauperes ſubditi, deſertiſq; pagis, quorum jam plures vacui ſunt, migrant in Pruſſiam & Curlandiam; ubi mutatâ Patriâ utinam non mutent & fidem! fiantq; ex pretio ſangvinis Chriſti præda inferni! Quare ſi conſiſtentiæ impoſterùm protrahantur; nonniſi ſolitudo ſequetur, locuſque manebit ubi Troja fuit : Respub. carebit contributionibus, nec miles impoſterum hiberna nanciſci poterit. Quãtas exactiones deputati, quantos exceſſus tractu ſuo vexilla & quæ criminalia compleverint; præſentium lator referet. A tota Diœceſi in vim ſubſidij charitativi conceſſa 18 millia currentis monetæ; nunc verò vexilla per conſiſtentias ſuas tantùm extorſerunt; ut æquivalentia bona pro ea ſumma comparari poſſe crediderim. Sequitur inde ſubtractâ ſacerdotibus proviſione, ſine qua ne ordinari quidem poſſunt, illos exulaturos ab Eccleſijs, ceſſaturam devotionem, carituras animas ſuffragijs, vivos autem baptiſmo & confeſſione: reliquos verò apud quos modò ſubſiſtit miles, ingruente vere fame infallibiliter morituros. Nam & modò ob ſterilitatem jam ejuſmodi veſcuntur pane, qualem niſi metu mortis vitæq; protrahendæ amore guſtaret nemo. Non appello ad jura Eccleſiæ & Patriæ; ſed ea alto venerando ſilentio ad conſcientiam duntaxat tuam ſupplicẽ mitto libellum; fac hoc propter nomen DEI, fidemq; ſacram ac amorem proximi; quod olim poſt ſera (faxint Superi) fata ſub felicis agonis momentum apud ſupremum Judicem copioſâ mercede penſandum reperire velles. Si verò aliqua adeſſet in perſonam meam averſio; quanquam ea citra demeritum meum radices egit, & jam hactenus remittere debuiſſet: tum ſanè uſu veniat; quod inter offendentes & offenſos, lædentes & læſos, practicari ſolet; perſequere me pro libitu tuo uti hactenus feciſti, honorem, ſubſtantiam & vitam domûs meæ diripiendo, me ure, me ſeca, modò Eccleſiæ parcas, quod millies iteratis precibus per omnia ſacra te obteſtando, divinam Majeſtatem cum univerſo Clero placare non deſinam; ut benedictionibus ſuis repleat tam egregium Ducem univerſumq; exercitum. Submiſſa ſub hæc mea obſequia meq; benevolentiori gratiæ tuæ commendo.

COPIA

A.C. 1694

COPIA LITERARUM PALATINI VILNENSIS, AD SUPREMUM THESAURARIUM M. D. L. Mense Novemb.

Læsio ducis in milite

POst meum à te abitum, etiam minimam non intermisi occasionem qua ex opportunitate loci, temporis, aliarumq; circumstantiarum, quæ hic agantur, tibi non deferrem: Postquam venissem Vilnam, collato cum amicis, præsertim cum Palatino Polocensi, consilio, dispositionem feci Comitiolorum, in qua, quales intervenerint altercationes, & difficultates, impeditura optatos immunentium Comitiorum effectus, brevibus innuo. Mittendæ erant, ut mihi narrasti à Principe supremo M.D.L. Cancellario, omnes, tuas ad manus expeditiones; aliter factum, nam universales pro Comitiolis per minorem Thesaurarium, per Palatinatus & districtus sunt transmissæ, heri autem & hodie, Prætor Vilnensis solam expeditionem pro Comitiolis ad se directam, transmittens, Palatinatum Vilnensem, aliosq; viciniores informat de errore Cancellariæ; ex qua sine Regis instructione, & literis generalibus, contra antiquum morem, missa est ad Palatinatus expeditio, quæ dum hic in Actis Castrensibus replicatur, loco informationis à Majestate, ad felicem Consiliorum Comitialium conclusionem, invenitur fomentum quoddam nondum extincti in Civium animis incendij per prolatum mandatum à Principe Cancellario contra Capitaneum Feudanensem, quasi de locatione in bonis terrestribus Exercitûs. Astus hic si cui est investigabilis, in Litvania apud bene sentientes sat perspectus; ministerium officii mei exinde petitur; ut per Wołłowicz persona mea transfigatur. Quid miles habet citra Ducale cum Comitiorum judicio? Taline via Consilia Reipub: optatum sortientur effectum? ubi excommunicatio mole sua ruens, successu caruit; impetum in Ducalem authoritatem, prolato mandato contra militem, non missa instructione Regia, pro Comitiolis, vertere, quid aliud est, quàm dare jus sceleri, causamq; machinantibus rumpendi status Reipub:? Declarationes Varsaviæ datæ, captiones sunt ad sopiendos bene sentientes; at probè hic eas novimus, ac ex documentali, datarum pro Comitiolis expeditionum, informatione, aliò ea dirigemus; non ut hactenus modestus meus agebat stylus. Nihil mihi pejus eo, quod ab eis factum, fieri potest, nec amplius metuendum; nisi, ut me illaqueato, libertates, juraq; nostra dentur in præcipitium. De me quidem minus; at non deest libertatis sensus tot inclytis, veriq; amantibus viris; ut se pro libitu non sinant duci. Unde, scire te, de mea velim resolutione, qua remittere cogar omnes meas intentiones; fortiusq; agere; teq; præmoneo, ne blandis sopiri; decipiq; pollicitationibus patiaris.

A.C.1694 *PUNCTA IN CONGRESSU ULTIMO APUD EMINENT: Cardinalem Radzieiowski Archiepiſcopum Gneſnenſem Primatem Regni Poloniæ inter Illmũm Epiſcopum Vilnenſem, & Illmũm Sapieha Exercitûs M. D. L. Generalem, præſente Illmo Theſaurario ejusdem Ducatûs Fratre ſuo in ordine ad ſatisfactionem violatæ immunitatis & injuriarum Eccleſiæ ſuæ, propoſita & agitata Varſaviæ 13. Februarij.*

Illuſtriſſimus Epiſcopus Vilnenſis obtemperando mandatis Ssm̃i ac Clementiſſimi Dñi Noſtri, nec non inſtantiſſimis inſinuationibus Illuſt: ac Excellmi Dñi Nuntij ejuſdem, media pacis libenter arripiendo has conditiones adimplendas aſſeruit. *Imo* Ut ſecundùm juſtitiã & com̃une jus, Bonis Eccleſiaſticis omnibus; quibus tam ipſe, quàm Capitulum ſuum & Clerus Diœceſanus ſpoliatus & realiter per Illmũ Generalem expulſus eſt ante omnia reſtitueretur: ſcilicet per inſtantaneã militum ex iisdem evacuationem. *2do* Ut damna & injuriæ illatæ ex moderamine Mediatorum reſarcirentur. *3tio* Ut ſecuritas conſervationis jurium Eccleſiæ in futurum per aſſecurationem in forma juris patrij ſcriptam provideretur.

Ad hæc Illuſt: Theſaurarius M. D. L. nomine Fratris ſui per Eminentiſſ: Cardinalem reſpondit taliter. *ad 1mum* Nolle ſe pro Fratre ſuo ſpondere, ut queat Exercitum de Bonis Eccleſiaſticis in continenti amovere; quia miles tam longo ſpatio temporis in his Bonis exiſtens licet integram annonam ſibi aſſignatam exegerit, tamen per iſtam amotionem & locationem in aliis Bonis ſecundariò vellet extorquere, quod eſſet contra juſtitiam & cum injuria aliorum; deinde hanc ſubitam amotionem, nihil Bonis Eccleſiaſticis levaminis allaturam, quandoquidẽ miles quidquid potuit, à Colonis accepit, vel exeundo accipiet: deniq; magnam ſe perdituros Amicorum copiam, quorum Bona oneribus ejusmodi ſubjecta, ex favore Illm̃i Generalis libertata recenti aggravarentur locatione. *ad 2dum* Ratione damnorum ſperandam aliqualem ſatisfactionem, prævia nihilominus verificatione per Com̃iſſarios ab utraq; parte deputatos facienda. *ad 3tium* Non poſſe ab Illm̃o Generali aſſecurationem juridicam dari, quia præjudicaret jurisdictioni ſuæ & Succeſſorum ſuorum, quam habet ſuper Bonis Eccleſiaſticis; ſed ſolummodo pro Perſona Illm̃i Epiſcopi Vilnenſis, ejuſq; Capituli, excludendo cæteros Epiſcopos, Religioſos, aliasq; Perſonas Spirituales; ad inſtantiam Eminentiſſimi Cardinalis poſſe fieri ſecuritatem per literas privatas ad eundem exaratas.

Replicavit Illuſt: Epiſcopus aſſerendo tales reſponſiones non ad concordiam, ſed ad irritationem & majorem aggravationem Eccleſiæ operari; quia quò *ad 1mum* illatæ rationes tanquam injuſtæ & frivolæ poſitivo jure: *Expulſus ante omnia reſtituatur*: facile refelluntur; deinde quia privatum commodum & utilitatem Illm̃i Generalis tantummodo reſpiciunt. *ad 2dum* Verificatiouẽ damnorum non eſſe neceſſariam, uti modum arte ad ulteriorem protractionem & eluſionem repertum, ſed abbreviando litem, paratum ſe cum Capitulo & Clero corporali juramento ſuper realitate damnorum ad comprobationem diſponentibus legibus Patrijs; quæ non tantùm ipſos Bonorum Poſſeſſores, ſed etiam Præfectos eorum, hoc efficere poſſe docent absq; ullis inquiſitionibus. *ad 3tium* Securitatem in futurum eſſe cardinem rei, à quo pendet ſalus

&

& conservatio jurium Ecclesiæ ad præsens per Illust: Generalem enormiter convulsorum; ac proinde publico & juridico instrumento esse firmandam pro comuni Bono Ecclesiæ, non literis privatis, quæ in hoc Regno nihil possunt opitulari: neq; se in præjudicium aliorum Episcoporum & Personarum Spiritualium, recedendo à jure communi, posse aliquid privatim statuere. *A.C 1694*

Quantum attinet jurisdictionem Illmi Generalis; quo ad Bona Ecclesiastica esse nullam, nec eam unquam posse prætendi ab ipso; cùm nec unum jota juris pro illa referre possit, econtra verò pro immunitate dictorum Bonorum tot legum Patriarum, juriumq; Canonicorum & communium extant volumina.

In tali conflictu rationum cùm à pluribus Illmus Episcopus impeteretur, vitando periculum ad deliberandum inducias expetiit. Quam deliberationem resolvendo in crastinum, Perillustres Officialem Generalem & Cancellarium Vilnensem cum recapitulatione conditionum præassertarum, urgendo realem & punctualem earundem efficaciam delegavit. Quibus exauditis Eminentissimus Cardinalis, & perpensis multis rationibus, respondit: omnes ex persona sua officij partes explevisse, & quamvis ulteriorem ad componendum hoc negotiũ operam non negaverit, tamen Illmum Generalem propositas ab Illmo Episcopo conditiones acccepturum & eis satisfacturum se non posse sperare expressit.

FABIANUS ZYWERT POSTÆ MAGISTER LEOPOLIENSIS ANDREÆ CHRYSOST. ZAŁUSKI EPISCOPO PLOCENSI.

Leopoli 16 Junij.

TAndem omnes Tartari Nahajenses, Budziacenses Białogrodenses, de quibus quotidiana percipimus nova, viritim congregati, sub Jałaagazo superintendente Białogrodi; & quasi supremo vices Regente Hani postquam constitisset in Cecora, moverunt cum comeatibus versus Camenecum, numero 40000; uno duntaxat Bekmurza, & quidem infirmo Budziaciis relicto; ubi venissent sub Usciecko ad Tyram, illum, intra biduum hujusmodi trajectu superârunt. Apud centũ tumbas, è regione Stepanowsciorũ, exciderunt ingentem copiam Cannæ, seu Scirpi (cujus ibi sunt admodũ fertiles lacus) eumq; ad ripam fluminis super equos devexerunt, ac illos in grossiores fasces colligatos, fascibus verò aliquot simul internexis currus imposuerunt, junctisq; equis transfretârunt. Numerabantur aliquot centeni currus tam Mercatorij, quàm alij; cum butyro, oriza, mulso, reliquisve præsidij necessitati servituris, triticum verò, pro quo pecunias à Porta accipiebant, in curriculis duarum rotarum vehebant, quibus omnibus trajectis; refecti dierum aliquot in campis Camenecensibus, respirio; 8. Junij, die Martis, profecti omnes supra Strypam, usq; versus Jezemam, quâ prætermissâ direxerunt vias per latifundium Regis directo versus Złoczoviam tractu. De his acceptâ nostri Exercitus divisiones notitiâ, in variis se locarunt tractibus, scilicet à Volhinia, Pokucia, aliisque, cùm ignoraretur, quam nam in partem, hostis signa versurus esset. Undiq; providis Castellani Cracoviensis ordinationib⁹ tempestivè ad omnes missis, ex vallis SS. Trinitatis, & S. Mariæ, evocatus omnis Equitatus relicto solo peditatu, & Raytaris in fortalitiis. Accidit hic res notanda, & scitu digna. Tartaris ab ævo fuit consvetudo, ut appropinquante Exercitu ad latifundium exnunc per excursiones varias in partes dilaberentur, relicto in certo loco corpore Exercitûs seu Kosz; ad quod post biduum circiter, solent *Irruptio Tartarorũ*

 redire

A.C.1694 redire Tartarici exploratores, & prædatores. Id non ignorans quidam cohortis Valachorum Tribunus nomine Gurski, auditis tormentorũ explosionibus, in omnibus fortalitijs, uno ad sum̃um aut medio milliario distantibus, profectus est in comitatu 100 Equitum adversus hostem, in primasq; Tartaricas irruens excubias, aliquot accepit indices, à quibus informatus, totum hostilem Exercitum retro vias dirigere; ipse quoq; cum iisdem indicibus reditum celeri passu tentavit; sed undiq; à Tartaris cinctus, vix suam eduxit Cohortẽ, aliquot amissis Com̃ilitonum, eo die Tartari noctârunt sesquimilliario Złoczoviâ; nostræ verò copiæ undiq; à partibus congregabantur, illisq; imminebant; scilicet soli Equites non habitis ullis tormentis bellicis, nec desultorio milite, præter unam divisionem, in qua erant mille Cosacorum; qui iverant Sorokam, ac inde se Budziakos expediverant, sed visis vestigiis Scythici Exercitûs, versus Camanecum tendentis; citato cursu retro cesserunt, repertoq; supra Tyram illo scirpo; quem Tartari trajectis com̃eatibus, miserant secundo flumine, edocti; Tartaros versus Camenecum transfretâsse; illi quoq; superato Tyra moverunt contra Tartaros, sociatisq; viribus cum vexillo, in eo tractu subsistente, profecti ad Baworowski Chiliarchum; inter Tarnopolim, & Trebowlam consistentem. Sic igitur à parte dextera imminebant simul omnes Scythico Exercitui; Łasko quoq; Chiliarchus, cum sua divisione, cum qua sub Wiśniowiec, à Volhinia consistebat, sciens hostem rectà Złoczowiam petere, indeque, ut ejus erat intentio, Leopolim properare; Zahorowscium sub Złoczowiam est secutus; à sinistra porrò parte, divisiones, quæ Pokuciæ & Podguriæ erant præsidio, scilicet Brzuchowski vice-Colonellus vexilli Loricatorũ S. R. Mtis qui sub Rohalyna; Kalinowski, qui circa Sniatynũ ad limites Valachiæ suam habuit consistentiam; Capitaneus Haliciensis Halicio; deniq; Zahorowski cum 400 Equitibus, ex variis vexillis lectis; Eliarow ex Vallis SS. Trinitatis; Tyszkowski cum 200 Equitibus ex ex vallis S. Mariæ, omnes pro una propemodũ die; sive Złoczowiam, sive Pemerzanios celeriter carpebant iter: Sedes enim belli in solis duntaxat hæreditarijs Regiæ Mtis latifundiis figebatur. Quod ubi innotuit Regiæ Mti, Leopoli eò temporis agenti cum Castellano Cracoviensi, eâdem fermè horâ, die Veneris circa meridiem expediverunt, quotquot tunc aderant Aulæ Familiares, aliosq; sponte sua se offerentes in illas partes; cum quibus junctis suis copiis, Palatinus Belzensis; Venator Regni, Capitaneus Kasmiriensis, & Chiliarchus Vilga, nuperrimè ex expeditione Ucrainensi redux, sunt profecti. Tartari verò nocturnâ quiete captatâ, ut supra dictum, sesquimilliario Złoczowiâ; summo manè moverunt die Veneris versùs Złoczowiam, substiteruntq; uno ab ea milliari super montem; ubi planè amplissimi illi Podolienses campi terminantur; vallis autem, & alia Regio, versùs Złoczoviam tendens, incipit; vel ipsis id indicantibus aquis, quarum aliæ ex eo monte per Hypanim ad mare Balthicum; aliæ per Tyram ad Pontum Euxinum defluunt: Dũ se demitterent in Zloczoviensem tractũ; ille Gurski Tribunus Cohortis Valachiæ, moræ impatiens, hesternam compensare volens jacturam, arbitratus tandem Tartaros in excursiones dilapsos, iterum in eorum Exercitum incidit, sed DEi ope, evasit incolumis, duobus duntaxat suorum desideratis. Videntes itaq; Tartari se ingressos Regionem, ubiq; munitam fortalitiis, ad quæ populus ex pagis concurreret; acceptâq; ab indicibus captis, notitiâ, omni ex parte nostrorum eis impendere divisiones, eò magis dilabi timuerunt; sicq; relicto Zloczoviensi tractu, arripue-

ripuerunt priorem Zvaricensem, per idem Regium latifundium, versûs Pomarzanios. Iverunt verò hoc ordine: Equites 500, vel 600 circiter in primis præibant vigiliis, comitantibus aliis militaribus turmis; à tergo Exercitûs succedebant tria, vel quatuor circiter millia lecti militis, relicta ad distinendam nostrorum incursionem. Appropinquantes Zarudnio, ubi non postremum erat fortalitium in Pomarzaniensi latifundio, inciderunt duo vexilla Palatini Cracoviensis, ad famam hostis, in ordine ad sociandos cum aliis divisionibus vires, tendentia; quæ, forti conflictu facto cum primis excubiis, recesserunt ad Zarudziecense fortalitium; quos Tartari insecuti in ipsum irrupissent oppidum, nisi, quà tormentis, quà manualibus sclopetis, jam ab iisdem vexillis, jam à militibus pedestris Regiminis, Regii Principis Jacobi; nec non ab ipsis incolis, quorum sat strenuè agentiũ, aliquot decades interiêre, repressi fuissent. Quapropter frequentia spectantes fortalitia, populosq; undiq; contra se confluentes, jã nõ Pomerzanios, quo aliquot dũtaxat millia in suburbiũ irruperunt, repulsã passi cũ clade suorũ; verùm in ampliores tractus, jã quasi retro, vers⁹ Camenecũ, per villã Regiã; tota hæc direxit gressꝰ colluvies. In pago hoc cõcurrerunt cũ Zachorowscio Chiliarcho, & Cõmendante Equitum toto Exercitu lectorum, ex Valle Ss. Trinitatis; & cum Tyszkowski vice Colonello Potoccij Castellani Camenecensis, Commendante Vexillorum in Valle S. Mariæ; apud Vasiloviam supra Tyram subsistentium, Koniuchis tendentibus; qui arbitrantes obviare sibi Tartaricas excursiones, ex nunc, impetum in primas fecerunt excubias, cum quibus strenuè conflictati, duobus è medio earum acceptis copiarum Præfectis, seu Murzis, omni ex parte à tumultibus Tartaricis cincti, alium non habentes sui salvandi modum, armatâ manu ad pagum Hodoviam vertêre gradum; in cujus ipso ferè medio, interceptos reperientes passus, inter sepimenta, & viarum obstacula; quæ rustici propter arcendas inopinatas struxerant incursiones, subsistere sunt coacti, defensionem sibi facientes, ex sepibus & asseribus: Scythici major pars Exercitûs, equis desilientes, assultus ad eos faciebant, factis sibi ex asseribus, stramineisque cophinis objectaculis; sicque 6 circiter horis, ad vesperarum usque tempus, protracta oppugnatione; post quam, tum persvasione Tartarorum, Lipkowie dictorum, tum jacturâ suorum; quorum mille & alterum ibidem, præter alios complures, globis trajectis sauciatos; occubuerunt; inducti, recesserunt. Hi Tartari Lipkowie, nostris adequitantes, svadebant; ut mortem pretio deditionis redimerent; sed auditâ eorum resolutione; qua palàm responderunt; se in eas angustias sponte, ad oppetendam mortem devenisse; retulerunt Tartaris, notam sibi, probatamque quotidianis, sub Cameneco experimentis, invictam horum hominum strenuitatem; qua, omnibus, inquiunt: vobis priùs erit pereundum, quàm eos expugnetis. Tam grandi suorum relata clade Tartari, receptui, sine omni præda, novô & inauditô exemplô, cecinerunt, versus Camenecum, eò majore infamia; æternaque labe; quò cum validiore potentia, vias directuri. Nec nostri jacturæ exortes erant, amissis non paucis, qui animosè Hodoviæ sunt conflictati: Tynkowski vice Colonellus, in prima statione distinens insequentem hostem; in ipso, inter sepes, ingressu, in captivitatem acceptus. Gutyter commilito hastatæ cohortis vexilli Regij, lectorum ex Exercitu Tribunus, occubuit, cum aliquot supra 10 commilitonibus, aliquot in captivitatem abducti; prope centeni vulnerati, Pomarzanijs sunt relicti. Equi vix non omnes jaculis sauciati: Sagittarum enim comminutarum, in sum-

A.C. 1694 ſumma copia, fragmentis totus fere pagus inſtratus; integrarum verò collectarum aliquot currus ſunt impleti. Æquiparari profectò poteſt horum Heroum virtus 300 illorum Leconum ſtrenuitati; quæ enim alia oſtendent ſæcula, aliquot centenos homines, ſine fortalitio, ſine tormentis bellicis, ſine peditatu, & deſultorij militis ſubſidio, aliquot decadum millium, impetum ſuſtinuiſſe? In latifundijs Regiis exiguum, Deo præſervante, damnum, hominum aliquot ſupra 10 capti, armenta manſerunt in integro; at ſegetes tam autumnalis, quàm vernæ conſeminationis, à tam numeroſa multitudine, funditus conculcatæ: in pagis quibuſdam aliquot, in aliis aliquot ſupra 10 domus exuſtæ; in quas Barbari ſuorum cadavera ad comburendum conjecerant; ſed quia caſæ illæ fuerunt argillaceæ, tectis igni conſumptis, manſerunt integræ; cum aduſtis cadaveribus; ex quibus procedens fœtor ad pagum, præſertim Hozoyiam, in qua hæc tranſactio facta, acceſſum prohibet.

DISCURSUS SUPER PROPOSITIONE LEGATI SCYTHICI Grodnam ad Comitia miſſi in Januario.

Subſidia Tartarorũ

EO planè temporis, quo Legati Scythici, delata propoſitio, magno animarum motu agitatur, & à multis acceptatur, inſtinctu externorum: Contigit mihi legiſſe literas Chriſtophori Tyſzkiewicz, Palatini Czerniechowienſis; tũ, cùm anno 1655 conjunctio nobiſcũ Tartarorum concluſa eſſet, Regni Regiminum Præfecti; ſuper quas reflexione facta, combino præſentem Legati Tartarorum propoſitionem; qua vult, ut relictis Colligatis, privatam pacem concludamus, hocq; pretio defectionis; cum Porta nos complanare, cum reſtitutione Cameneci & 100000 framearum pro quovis belllo, in ſubſidium declarat.

Quis non optaret, poſt annis 24 geſta, pacificatam hanc ſpectare Patriam, tandemq; poſt tot clades reſpirantem? At quæ inde noſtri, in ſupremo orbis capite, totaq; Chriſtianitate eſſet reputatio, quæve fides? palpabiliter quiſq; videt, nec id ampliare, operæ pretium duco, quod orbi eſt manifeſtum. Hanc ſolùm 100000 framearum promiſſionem, penitiore intra me conſideratione diſcutio; quasnam trahat conſequentias, quis fructus, aut effectus ex ea ſperari poſſit? Concluſioni pacis minimè contrarius, nec eorum ſpernens, aut vituperans amicitiam (cũ meliùs ſit illos amicos habere, quàm hoſtes) unicè hanc obligationem mente perpendo, vereorq; ne his 100000 framearum, bellum aliquod, aut aliquot centena millia ſclopetorum, milleq; tormenta bellica, in nos concitent. Semper id Statiſtæ cavent, ne ſubſidia ab Externis ſuppidita-ta, potentiora ſint viribus ea conducentium; defectum enim hac in parte cautelæ, ſemper damna, ſemper exitia ſunt ſecuta.

Ita Imperatores Græci Turcas, incognitam gentem, primò contra Perſas, tum contra Bulgaros, tandem inter civilia bella advocârunt: Qui dulcedine prædæ, ſoliq; illecti; primo Ægyptum, & Syriam occupârunt: deinde Amurates loco 15000, ductis 100000 Exercitûs per Helleſpontum munitâ ſuis præſidiis Adrianopoli (ſimiliter ex alia parte à Dardanella) ferè cinxit obſidione Conſtantinopolim; ut jam non eſſet ſui juris: Hinc, annis poſt, aliquot ſupra 10, Filius ejus Mahomethes majoribus auctus viribus, vocatis in partem prædæ, variis gentibus, debilitatam urbem fortius ſtrinxit, & expugnavit.

Prætereo antiqua ſubſidia Nortmanorum, aliarumq; gentium in Italia, quæ confluentes à Septemtrione, illud Imperium occupârunt, & in

in ſuam poſſeſſionem redegerunt: Recentiora adduco exempla. Dum Poloni horrendum eſſent geſturi bellum, cum Oſmano Imperatore Turcarum; 30000 duntaxat habuerunt ſub Chocimo Exercitûs, quem ita terruerat Othomanicæ potentiæ moles; ut ſe plurimi Gedanum ſubducere intenderent, alij, acceptis pro authoramento militum pecuniis, domi reſiderent, alij pecunias reſtituerent; donec 30000 Coſacorum veniſſent in ſubſidium; cum quibus, unitis viribus, quàm ſtrenuè noſtri egerint ſub Chocimo, legendum Comentariis belli Chocimenſis. Verùm Coſaci ſubſidiarij noſtri, perpenſis Polonorum viribus, minoris nos æſtimare cœperunt. Hi ne ſunt, (inquientes) Poloni; quibus ad tam grande bellum ampliores defuêre vires, nobis ſe velut muro tuentur; nobis bella gerunt; perituri, niſi nos ſuppetias tuliſſemus? Hinc continuas excitabant rebelliones, pridemq; jugum noſtri Dominij excuſſiſſent, niſi eos fortuna VLADISLAI IV. in officio continuiſſet. *A.C.1694*

Imperator tempore tam gravis belli; licet Rex Sveciæ ſe pro Generaliſſimo, cum toto ſuo Exercitu; cujus dicuntur eſſe 60000, offerat; mavult tamen geminum bellū incomparabili ſuo onere, ſolus ſuſtinere, quàm tam potentem Colligatum Subſidiarium intromittere; memor anteactorum, Guſtavi Regis Sveciæ Hoſpitis olim in Imperio. Apud nos Ludovica Maria expoſtulàvit cum Imperatorijs Generalibus ſub Thorunio, ea de cauſa; quòd Rex Poloniæ unum duntaxat pontem ſuper Viſtulam habuerit; Illi verò cum eſſent ſubſidiarij; auſi fuerint in Externo Dominio, in conſpectu præſentis Monarchæ, geminum coſtruere.

Ex his alijsq; innumeris exemplis, facile quiſq; inferat, in quantum ſe periculum conjicit Reſpub; ſi 100000 framearum pro ſubſidio ſibi deſtinavit, contra ſenſum omnium Statiſtarum. Quæ autem conſequentiæ ex noſtra, cum Krymenſibus conjunctione, eſſe poſſint, per diſcurſum colligo. A pluribus annis, Hani Krymenſes, optabant excutere iugum Turcicæ ſervitutis; licet enim ſtringat eos Mahometiſmus; innatum tamen inter eos eſt Gentis odium; ut, alio Turcæ vocabulo, niſi canum, Tartaros non compellent; his viciſſim ſcommaticè, ignaviam, & mollitiem Turcis objicientibus. Unde ubicunq; aſſiſtunt Turcis, ſemper eos furantur, mergunt, perduntq;. Ut legere eſt variis in hiſtoriis, præſertim, ubi ipſi Turcis impedimento fuerunt, quominus Volgam cum Tanai conjungerent, Anno 1559: imò ipſi magnam Turcarum partem per furta perdiderunt. Metus non niſi ſemper impendens à Conſtantinopoli illos continet in obedientia, ac præſidia Oczakoviæ ſupra Boryſthenem, Ozoviæ ſupra Danubium &c. Aliàs, ſemper Hani Crimenſes, recurſum habuerunt ad Reges Poloniæ, (antequam Conſtantinopolis ceſſiſſet Turcis) Arzygerey à CASIMIRO III. inveſtitus inductusq; in ſuum Dominium: Alter quoq; ad Regem Poloniæ legationem, volens ſuas nobis, ad communem defenſionem, ſociare vires, in eumq; finem dedit inſtantiales à Perſarum Rege, ad eandem conjunctionem invitante, ex ſuaq; parte promittente diverſionem.

Contigit mihi ab inſignibus viris, Legatorum aliquando ad Krymenſes munere functis, audiviſſe; Tartaros ad libertatem aſpirare; verùm ſibi, potentioribus viribus, quàm Polonæ ſint, opus eſſe. Ergo ſic ſtantibus rebus noſtris, Turcæ illis contra nos utentur, quando voluerint; nos verò contra Turcas nunquam; (nec enim tutum eſt) imò nec contra ullum vicinorum, quoſcunque circumcirca numeramus. Imperium Romanum nobis arcto nexu eſt conjunctum, conſequenter Regnum Hungariæ: Et licet (quod DEus avertat) alicujus inſtinctu fomen-

An. 1694 mentatâ inimicitiâ, hostile quid contra nos molirentur; Tartari certè tam profundè, sine nostra assistentia, ingredi non auderent; uti etiamnum Turcis, eo usque assistunt, quousque illi progrediuntur: soli autem non nisi volante campo, prædæ conquirendæ gratiâ nôrunt excurrere, ab igne se subtrahentes.

Ex alia parte viciniam habemus cum Marchionatu Brandeburgico, & Ducatu Prussiæ: tertiam cum Regno Sveciæ, & Livonia. Contra hos autem vicinos, promissis 100000 framearum, bellare velle, esset contra omnia principia status: potentiora enim subsidia, quàm nos ipsi, ducenda essent per viscera nostra, quo ipsi prius periremus, quàm perderemus hostem: cum Transmarinis quoque bella, per illos gerere, est res per omnia impracticabilis; dumque Regi Daniæ eadem 100000 per Legatos Krymenses, declararentur; risu explosa propositio. Verùm sit sanè aliquando deducibilis ad effectum hæc promissio.

Certè si Tartaris, prædæ & spolia à nostris Adversariis accipienda non successerint; à nobis ea sibi compensabunt, imò licet successerint, aviditate prædæ, ipsi pro libitu accipient, ut eorum est consvetudo. Nostrâ memoriâ licet hujus Legati Parens, Zupankazyaga, in Prussia, ingentia spolia, prædasque accepisset; quantam tamen multitudinem hominum, ex Palatinatu Podlachiæ, & Mazoviæ, imò toto tractu, quo revertebantur Tartari, secum abduxerit; deplorare facilius est, quàm numerare. Idem utique forsan hic Legatus intendit, belloque nos implicare vult Moschovitico. Et quidem videretur per hoc affulgere spes recuperandæ Kijoviæ, cis Borysthenensis Ucrainæ, Smolensci, aliorumq;.

Verùm ostendat Legatus intentum finem, modosque deducendarum ad effectum intentionum. Si enim eò tantùm collimat; ut insufflet in alveare; vel ut nos ipsi Kijoviam; & Smolenscum oppugnemus; illi interea congestis prædis, cum 100000 framearum Krymum, nobis relictis revertantur, non id foret salvare nos, sed dare in exitium. Ita fecerunt Wyhowscio post magnam victoriam Konotopscensem; ubi acceptis hominibus, spolijsque Krymum repetiêrunt, prædis divites, & beati. Sub Czudnovia parum abfuit, quin nos desererent, nam cointelligentiâ factâ cum Szeremet, pretio corrupti erant, nisi oculati Duces advertissent: idem factum sub Ochnatovia. Porrò quod attinet modos bellandi, si ipsi in se, recuperandi suis 100000 framearum Smolensci, onus suscipiunt, justè hæc laudanda subsidia; sin autem à solis nobis illud oppugnari volent, conveniet hæc eorum conjunctio modernæ nobiscum contra Turcas Moschoviticæ; quibus domesticos Lares incolentibus; nos interim annuatim bella gerimus: quanquam, literis Christophori Tyszkiewicz, prænominati, Exercituum Regni Regiminum, Præfecti 1655 informor; Tartaros, dum illis in Ucraina assignatæ pro sustentatione civitates, clausis portis fecissent resistentiam, nunquam eas se ipsis oppugnasse; sed semper datam eis à nostris fuisse assistentiam; imò excubias singulis noctibus pro securitate, ex Exercitu Regni expediri debuisse. Quid, aut quando Tartari pro nobis sine nobis effecerunt? Si nos successum habuimus, illi primi ad rapinas, prædas & spolia; nobis adversam fortunam expertis, illi itidem primi, sed ad fugam, damna interim, si quæ sunt passi; à nobis ea jusserunt resarciri.

Moschovia in casum nostræ, contra se colligationis cum Porta, & Krymensibus, tale defensivi belli inivit consilium, quod patuit ex Legati discursu.

Primo, habendo Kijoviæ validum præsidium, impedire, simul cum

Cosa-

Cosacis trajectum per Tyram. Si id non successerit, disposito Exercitu Moschovitico cum Cosacis in omnibus civitatibus, præterea dispositis in opportuno loco 100000 Cosacorum, retardare, & arcere hostilem potentiam quàm remotissimè à limitibus Moscoviticis. Si id quoque successum non habuerit, & si ab eis Cosaci defecerint, spem adhuc ponunt in magno vallo, à desertis campis, hicq; ab Ucraina, in strage excisarum sylvarum, quas habent in illis partibus. Hicq; exercendæ erunt omnes Equestris, & Pedestris populi vires, ad propriorum limitum defensionem. Præterea nostris Legatis exigentibus restitutionem Kijoviæ, & Ucrainæ, claris terminis responderunt Moschi, inaniter id ab eis expeti. Nos, inquientes, etiam extra tempus belli, habemus in Vcraina 40000 Exercitûs, item præsidia Kijoviæ, Peresłaviæ, in Nizyna, Czernichoviæ, Ostruzy, Baturini, insuper Exercitum semper paratum, non sumus tamen liberi à periculorum metu; vos verò 20000 non nisi habendo Exercitûs; vultis & urbes munire præsidiis, & Vcrainam tenere? Siquidem ergo Moschovia, tempore pacis tam validum habeat in Ucraina præsidium, addictosq; Cosacos, quid putandum, quantâ se muniret potentiâ in casu belli? Siquidem in tot munitis civitatibus, tot habet defensionis media; siquidem Cosaci sunt nobis infensissimi, præeligentes ipsi esse Domini, quàm sub Dominis, ipsi uti Dominorum proventibus, quàm eos Dominis in sui redemptionem, contribuere. Scire vellem quemnam bellandi modum ostendat hic Legatus; & utrum declaret nobis in singulas civitates (quæ ibi plurimæ inveniuntur) suis 100000 framearum impetum se facturum? Quod si faceret citò forsan centum millium numerus decresceret, illaque, quam nunc offert, deficeret alacritas, aut nobis jussis cum peditatu, tormentisq; bellicis ad assultum præcedere, ipsi clamoribus, nobis animos addere, obsidione cinctis terrorem incutere conarentur, spoliis interim, prædisq; inhiantes. Satis id spectavimus sub tempus expeditionis Regis Casimiri extra Borysthenem; ut ipse supradictus Tyszkiewicz Regiminum Præfectus clarè suis in literis, infra ponendis exprimit. Citius hæc Legati Scythici promissio, novum induceret bellum, quàm ferret suppetias; vix enim id fama deferret in Moschuam; ex nunc Exercitus Moschoviticus inundaret Dominia Regia; adeoq; tota Alba Russia à nobis deficeret, & priùs, quam Legatio Krymum expediretur, in ordine ad evincenda 100000 framearum; actum est de Litvania, Czeherynumq;, Korsunum, Czerkasia, Kaniowia, aliaq; Vcrainæ fortalitia præsidiis firmarentur, tam propter impediendam Tartaris viam per Vcrainenses ditiones; quàm propter Dominum Borysthenis, totiusq; Ucrainæ, quæ illis supra modum gustui accidit; munita verò præsidiis Grodnâ, Brestâ, figerent pedem usque Varsaviæ. Quanquam fallax est, vel ipsa harum framearum certitudo: quoties enim eas evaginare tentaremus, toties solvendum esset pro manubriis: adeoque, quemadmodum ad Regem Daniæ, Krymo formata hæc Legatio, accipiendorum nonnisi donariorum gratiâ fuit, ita nobis 100000 framearum promittuntur, nonnisi ad nos fallendos, à rectaque via abducendos; postea enim promissa subsidia à nobis emi vellent, ut fecerunt Chmielniccio. A.C. 1694

Quis autem fructus, aut certitudo hujus Scythicæ Colligationis sit futura, libenter ab eodem Legato discerem? Certè dicet; suæ gentis interpositione redditum iri nobis, à Turcis Camenecum: At certò certius à nobis exigent, ut Turcis reddamus Niemcium, Szocaviam, Sorokam; quæ prudentissimo Regis consilio Camenecum strinxerunt, Dominiumq;

A.C. 1694 miniumq; Valachicæ Terræ, vix non in tuto tenent. Neſcio ergo majusne nobis, an Turcis creſcet emolumentum. Si partam ferè prædam manibus dimittamus? Niſi fortè Reſpubl: nullum ob præmium, nec avida augendorum finium paciſci cupiat, ſicq; hanc colligationem, tanta ſangvinis & opum profuſione, hactenus ſervatam præcipitare, ſine commodo, ſine honore, ac fama, imò cum ignominia. Vel etiam Legatus dicet, gentem ſuam exnunc 100000 framearum, unà nobiſcum evaginare contra communem hoſtem. Nullum mihi de hoc dubium: Gens enim vivere prædis aſſveta, hoc intendit; ut eas nobis auxiliantibus, rapiat; & infallibiliter, ſine caſu emergentis in Rempub: periculi; Crimenſes bellum nobis propter ſuum emolumentum, fabricarent, nosque ad bellandum, unitis ſecum viribus, compellerent; quòd facilè deduci poteſt. Noſtro enim ære, imò auro refundendæ eſſent hæ frameæ; aliàs tenacitatem adſcribent nobis, dicentq; (ut dicebant 1655) Duces ſe occaſioni ſubtraxiſſe, in Exercitu Polono deeſſe præparamenta, ſe eſſe ſpoliis oneratos. Conſiſtentiæ eis concedendæ eſſent in civitatibus, oppidisq; ex quibus quot homines Chriſtiani, jam vi, jam furto, in captivitatem abducerentur? Quod totum practicatum eſt 1655. Ubi autem deſolationem, tum in noſtra, tum in hoſtili terra fecerint, tum demum ſuo beneficio partam, pacem appellabunt: Nos verò, ſine hominibus, per eos in captivitatem redactis, ſine Kijovia, ſine Smolenſco, ſine Ucraina, ut ante, gratiâ eorum, poſt tantas impenſas ſumptuū maneremus. Verùm, ne videar proprio niti judicio, relegam informationis gratià, literas nominati ſupra Tyſzkiewicz; quo, nemo melius hanc Colligationem penetravit, utpote qui in Regiminum præfectura, Ducum Polonorum locum tenuit.

LITERÆ CHRISTOPHORI TYSZKIEWICZ PALATINI CZERniechovienſis, in Polono Exercitu Regiminum Præfecti, tempore Conjunctionis Exercituum Scythicorum; ad Principem Radivilium, Palatinum Vilnenſem, Ducem Exercituum M. D. L.
Braclaviâ 16 Maji 1655

LOcum tenens in noſtro Exercitu Ducum, frequentiora à te perопто nova. Deſeruerunt me ambo Duces; alter paulò ante Podhaiecios, alter nunc animo inſtaurandæ valetudinis, Leopolim; & quidem eo tempore, quo vel maximè, ſeriâ operâ opus habet, quo integritas Reipub: tuenda eſt; onere imparibus meis impoſito lacertis, ſibi per commoditates indulturi, ſunt profecti. Minoris foret noſtri Exercitûs tenere regimen. At ubi 150000, continuò providendis panibus alenda inardeſcit caput, veſpertinoq; ac matutino ſudore diffluit. Dedit nobis DEus hoſpites expeditu difficiles; & dum prioribus, poſt geſtum cum eis totius hyemis bellum, expeditis, quietem, poſt labores, in conſiſtentijs captare meditamur; Soltan Gala cum omnibus Tartaris venit ad nos, novumq; voluit ipſo reſolutionis tempore ordiri bellum, victus tamen rationibus eo animum inclinavit; ut hic ſtatueret 10 ſeptimanis expectandam eſſe bellandi commoditatem, præfixo circa feſtum S. Georgij termino; his poſitis conditionibus, ut portiones & conſiſtentias ille ſolus haberet: In ordine ad quas, vix invenimus 25 integras civitates: ſed hoc ſucceſſum non habuit, Ruſtici enim edocti de Tartarorum adventu, civitates & caſtella occluſerunt; nec intromittere voluerunt, donec nos induxiſſemus, & in poſſeſſionem tradidiſſemus.

Quin-

Quinque adhuc civitates resistunt, scilicet Ruszkowia, Dniestrowia, Camenecum, Tarkanowka, & Kaznica: misimus eò desultorios milites, ut eorum subsidio intromitterentur, quod quidem, ut voluim⁹ factum; sed illi nec his contenti; miserunt ad me 300 Officiales, ut illis præterea 10 civitates exdividerem; sicq; meis cedere debui, totamq; Legionem ad desolatam urbeculam subducere: meo exemplo quisque Chiliarchus civitate unâ, & alterâ cessit, nescio utrum his etiã sint contenti, plus præstare non possumus, nisi locentur in Pokucia. Difficile est tantam multitudinem, jam precibus, jam minis, jam vi extorquentem, contentam facere: Rationes spernuntur, persvasiones nihili æstimantur, promissiones non habent locum, sola valent, quæ dantur in parato: Hæc enim Natio opum magis, quàm gloriæ lucra curat: quæ videt, sua reputat; & tamen meo sensu minimum nobis subsidium, majorem adferunt metûs causam: Quàm enim sint homines meticulosi, vel inde facile intelliges. Venerunt eorum plura quam 15000 Tarkonowkam, sed ingredi civitatem non permissi, nihil ipsi sunt tentare ausi; donec illis misissem 200 Equites, & 100 Desultorios milites, seu Dragunarios, quibus visis, Cosaci, & Rustici ad arcem se receperunt, Tartari verò in civitatem sunt introducti; ex qua 4000 armentorum abegerunt, opesq; omnes suam in possessionem redegerunt. Biduo circa eos Dragunarii egerunt excubias, post quorum abitum, suis viribus non fidentes Tartari, miserunt ad me, ut pro singulis noctibus designarem aliquot supra 10 milites, ad eorum custodiam; ne rustici ex arce, facta excursione, somno gravatis inferrent cladem: Actæ sunt hæ circa eos Vigiliæ integrâ septimanâ, donec rustici in sylvas dilapsi essent; qui quam diu mansissent, tam diu Tartari à nostris fuissent custodiendi: pro excursionibus nullatenus expediri volunt, sine aliquot nostrorum vexillis. Soltanus oppugnare volens Ruszkowiam quinquies ad me misit pro subsidio, cui 300 dedi Dragunarios; licet enim suos habuisset Janczaros, nihil tamen illis effecit. Id scilicet hæc subsidia nobis attulerunt emolumenti, quod ex amplissimis latifundiis, desertos fecerint campos: civitates enim & Castella incinerârunt; hominum ad 300000 in captivitatem abduxerunt; indies prædas; ut equos, armenta, imò famulos rapere pergunt: nuper 20 equos ex curru tormentario, & 100 ex Officialium equis: acceperunt: En cum Barbaris societas! misi requisitum justitiam, nescio, an, & qualem evincam? Ex parte mea optarem saltem aliqualem cum Moschis compositionem; scio enim nos citò non posse verno tempore expediri, illi verò pro S. Georgio terminum designârunt. Exercituum externorum magnam habebimus copiam: iam enim certo Tartarorum sunt 120000: Valachi, Moldavi, Hungari, viritim jussi confluere, Sylistria est in parato; Bosnienses iam venerunt: Turca misit universales literas, seu Emiry ad Feudarios, ut viritim contra Cosacos, & Moschos prodirent, non ignarus illorum cum Græcis machinationum. Nobis hactenus utcunque fortuna favit; si nos Tartari juvissent sincerè, finem bello fecissemus sub Ochmatowia: fuissent nostris in manibus Szeremet & Chmielnicki, qui, velut ex cassibus præda, elapsi sunt. Kach Machmet Murza, in causa fuit, quem, famâ fertur, non levi sũma fuisse corruptum: ademimus eis 21 tormentorum bellicorum. Primò vere non expectata opportunitate, bellum nobis erit aggrediendum in gratiam sociorum, quos fames ultra moras trahere non sinet.

A.C. 1694

A.C.1694 Habeo ad manum alias ejusdem Regiminum Præfecti literas, quarum contenta de verbo ad verbum considerationi proponam.

Conjunctis copijs cum Tartaris, processimus sub Kupinicium, ubi visâ Civitatis proterviâ, jussi Desultorios tentare fortunam; cum quibus, famuli quoq; militares, sua sponte fecerunt impetum: Accurrerunt etiam Tartari, ac in spatio duarum horarum, expilatam civitatem exusserunt; In crastinum famuli nostri circumcirca cinxerunt arcem, in eamq; irruperunt; successerunt Tartari, & in captivitatem ad 10000 hominum acceperunt, alijs internecione deletis. Sperabamus hac prædâ illectos, ituros nobiscum versus Borysthenem: Et ecce nobis de suo consilio his verbis ferunt Nuntium: Domini Poloni quid amplius vultis agere? Nos consilio facto, à vobis abire statuim⁹, prædis sat onusti: Tormenta bellica non habetis, supremus Dux Vester aufugit, vos leviores facti, nos deseretis: Potius relinquite bellum, ac extra Hypanim nos reducite; in vim contentationis date nobis tres civitates, quas sine pugna, opibus, & hominibus evacuemus; Majores Officiales nostros donariis contentos reddite, & pro verno tempore melius vos præparate. Petiimus, ut tantisper expectarent, sed frustra; debuimus cum eis versus Hypanim progredi. Uscij, Bersadi, invenimus Rusticos, quos defendimus à Tartaris, qui verò in arce erant, eorum ad 10000 Dux in prædam permittere debuit, additis, cuivis ex primoribus, 10 pecoribus, quibus acceptis nobis valedixerunt. Sic cum sociis divisi, dum cogitamus, ubi nam sit locandus Exercitus; literæ venerunt à Soltan Galga invitatoriæ, ut ad se sub Humemum rediremus; quod ubi fecissemus, post mutua visitationum officia gratulabamur de ejus adventu, alacritatem nostram ad bellum, defectus interim tegendo) testabamur; sed remisisse nos Peditatus, & tormenta bellica dicebamus, eò, quòd adventum ejus non sperassemus: Respondit ille se ad bellum cum tantis copiis venisse; dareq; nobis 4 septimanarum inducias, ad Peditatum, & tormenta bellica reducenda; assignari sibi imperans, qua interea temporis, subsistere posset; sufficientem sustentationem: Voluit à nobis osculo manûs salutari, sed politicè declinavimus. Id ergo tantùm à nobis evictũ est, ut eis 30 civitates cum omnibus opibus pro sustentamento monstraremus, sed plures quàm 25, quarum pars media fuit incolis vacua; pro nobis verò plures, quàm 30; ex quibus nonnisi 8. erant Colonis habitatæ, invenire non potuimus. Tertiâ ergo die cum assignationibus moverunt Tartari, assistentibus ubiq; nostris, ad singulas civitates, sed civibus eos intromittere nolentibus, per ignes bellicos induci à nobis debuerunt. Quantas miserias subsidij loco passi sumus, DEo soli melius notũ. Raszkoviam Soltano misi 500 Desultorios in ordine ad civitatis expugnationem: interea ille quoq; 15 ad me misit Murzas, querulando, Ducem secum fraudulenter processisse, datis vacuis civitatibus, adeoq; cominatoriè exigendo, earum loco, 9 alias hominibus opibusq; divites, à nobis assignari; sicq; nostris iterum illi cedere debuimus.

Summa miseria est cum proprio Exercitu, incomparabiliter major cum Tartaris, quorum sunt 12000; Officiales seu Murzæ devorârunt mihi spatio duarum noctium, 15 pecora, 30 verveces & quidquid habui, fraternè abstulerunt. Tales scilicet hi fratres sunt; continua per eos afflictio; nunquam munus id in me suscepissem, nisi Ducem gravi morbo correptum vidissem; imò etiam nunc, si mei respectus non habebitur, onus mihi injectum cogar deponere.

Insuper quisnam sperandus sit per hos subsidiarios exitus; in iisdẽ literis sic exprimit. Licet fraternè juraverint; excursiones faciunt sub civita-

civitates, armenta prædantur, & homines etiam equis à curribus tormentarijs non parcentes. Sunt quidem nobis necessarij; sed plùs damni inferunt Reipub: quam præstent obsequij. Campi hic deserti erunt; vix Braclaviã, & Humanium subsistent; Civitates verò 170 inter Hypanim & Borysthenem, in cineres per eos redigentur. Intra hoc breve tempus, ad bis centena millia hominum, Krymum abduxerunt. Infantiũ in viis & civitatibus suffocatorum ad 10000 numerantur, quorũ nullus anni excessit ætatem, majores enim natu in prædam cesserunt; injunxi eorum sepulturam Ruthenis Presbyteris; qui & ipsi, turmatim nostrum comitantur Exercitum, suas deplorando calamitates: 1000 circiter Ecclesiæ numerantur, quæ suis cineribus sepultæ jacent: Defendimus quantum possumus, sed parum proficimus. His omnibus perpensis circumstantiis, seriò consideremus, quàm cautè accingenda sunt lateri nostro, hæc 100000 framearum, ne apud nos pro placito suo stabilem infigant clavum; ut eas semel evaginatas, pro libitu nostro invaginare possimus. Inter omina mutationis Persicæ Monarchiæ, id quoq; observatum; quod Darius more Macedonico frameæ usum cœperit adhibere. Absit omen; nos tamen magis ad mutationem inclinamus; cum sacrosanctè jurata colligationum fœdera convellamus, imò contra omnes, 100000 barbaricarum framearum accingere lateri nostro intendamus, id utiq; in votis habent, id ter geminis, in singulos dies precibus expetunt Turcæ; ut Gauri, hoc est Christiani, se invícem more canum rodant; ipsi verò nostris captivis, sibi vires augeant; colonias extendant, ut sub tempus belli hujus fecerunt. *A.C.1694*

Sequatur qui vult propositionem Tartarorum, ego illam incertam esse censeo, cum & ipse Hanus, adhuc Dominij sit incertus. Imò meo judicio, non favet ille Regiæ Majestati, ejusque Domui, qui hanc ei optat amicitiam: timendum enim, ne cujuspiam ambitus sumat inde occasionem, ad augendam propriam potentiam, statumq; domûs Regnatricis, aut Reipub. & liberæ Electionis evertendum.

RUDOLPHUS II. studio abstrahendorum à SIGISMUNDO III, & Repub: Cosacorum, suum illis misit vexillum, tympana, tubasque argenteas. Eosdem Osmanus Imperator Turcarum, item nostro ævo Porta, Moschi, & Sveci ad se trahere, non alio fine nitebantur, quàm ut per eos Regnum hoc, suis subjicerent imperijs: potiori id nunc jure timendum; quando Cosaci tam arctè cohærent cum Krymensibus, idemq; sentiunt.

MANIFESTUM NUNTIORUM.

NOS Senatores, Dignitarij, Nuntij ex Palatinatibus, terris & Districtibus Regni Poloniæ; & M. D. L. pro Generalibus Comitijs, Varsavienfibus anno currente, mensis Decembris die 22 universalibus Regiæ Majestatis convocati; dum ardentissimo voto, quàm faustissimorum, & efficacissimorum circa bonum commune consiliorum, stimulante Paterna Regiæ Majestatis per instructionem, pro Comitiolis antecomitialibus, missam, providentiâ, id ardentissimè pro fideli nosta erga Regiam Majestatem propensione expeteremus; ut ex optata perfectæ valetudinis Regiæ Majestatis recrearemur integritate; at ubi per publicam famam ad nos delata infelix ejus alteratio, gravi dolore congregato ad defensionem Reipub:, affecit *Infirmitas Regis*

A.C.1694 status, lacrymas quis restituet? ille non nisi, qui sublunarem hanc machinam divisit in classes Regnorum; si valetudinem Patris Patriæ communi bono, totiq; Christianitati summè necessariam, in seras ætates conservaverit; pro quo supremo cæli terræq; Moderatori, illis supplicamus verbis: Dies super dies Regis adijcias, & annos ejus in generationem: Hæc enim Regiæ Majestatis ægritudo, totum simul Reipub: affecit corpus; quando per rupturam præteritorum, & modernorum translapsum Comitiorum, & consilio destitutam, ac præsidio disarmatam reliquit. Licet ergo, non sine cordolio, deplorabilem agnoscimus Reipubl: statum, non dubitamus nihilominus, quin supremus Regum, & legum dator, roboratâ heroâ Regiæ Mtis dexterâ avertat mala inimicis nostris, & in veritate sua disperdat illos. Quo ad præsens verò; coram Mte V, omnibus Reipubl: statibus, totoq; universo, hoc manifesto protestamur; quòd dum acceptis per circulares literas, ad Senatores datas, informaremur notitijs statibus Reipub: Cardinalem Primatem Regni, per instrumentū publicum repræsentare debuisse legalitatem infirmitatis, circumstantias protrahendorum Comitiorum, mentemq; R. Mtis dilucidare; sed quia in Varsaviensi S. Joannis Ecclesia ubi nec ex lege, nec ex usu practicatus consiliorum conventus; advertimus novam Reipub: formam; quando supremus Regni Cancellarius non adveniente Archiepiscopo Primate Regni, delata Reipub: Regiæ valetudinis alteratione, ore publico cum præjudicio libertatis, & ignominiâ prærogativæ Senatorij, & Equestris ordinis, in Actis Castrensibus, contra legem, & praxim, universales literas, à statibus Reipub quæri jussit, quod est cum evidenti Regiæ Majestatis postpositione, & Reipub, contemptu; siquidem hoc instrumentum non ad Acta, ut nos literæ Senatorum informant; sed ad Primatem, aut ad Ministros status est missum. Iam ergo sine ulla informatione, in hoc perplexo Reipub: statu, si nobis optaremus impulsu congeniti Genti nostræ erga Dominum Patriamque amoris, fraterno colloquio, & Consilijs, quæ interea providentia Divina suggereret, infelici Reipub: subvenire sorti, simulque de voluntate Regiæ Majestatis, & paterna circa Rempub: sollicitudine informari, Consiliaque Domini, zelo & pietate erga eum, ac Rempub: sacrosanctè venerari; omnes has intentiones, & propensionem nostram insolitus hic, nec unquam in libera Gente practicatus processus turbauit, & impedivit. Nullam itaque publicam, & certam habentes de Comitijs, (quæ omnium sunt malorum medela) notitiam, nè quid detrimenti Respub: patiatur, ne ruptis præteritis Comitijs, præsentibusque dilapsis, irreparabilibus Respub: malis involvatur, uniformi Consilio nostro submissè Regiæ Majestati supplicamus, quatenus scriptum ad Archivum, contra quod in Comitiolis relationis; solennes in Palatinatibus, & Districtibus factæ sunt protestationes, Anno 1690 pro conclusione Comitiorum

rum

rum datum, fine diligenti Reipub: circa futura, mala, & consequentias circumspectione, in turdido formatum utpote Reipub: perniciosum, perenniter ad effectum non deducatur, contra quod etiam nos solenniter manifestamus: cum præsertim ex ejus causa, jurata nostræ Reip: fides, vicinis nostris esset opprobrio, & sub triumphali R. Mtis dexterâ, cederet in derisum gentibus, cum irreparabili jactura gloriæ, reputationis, præmiorumque deservitorum sangvine, quē Exercit9, DEi, gloriæ R. M. imperijs, boniq; publici conservationi litavit: Et certè si præterita, singulari infortunio non rupta comitia, modernaq; fuissent celebrata, subvenisset cum Serenissimo Capite Respub; sui juris Domina, subsequentibus periculis; cum hæc sit solita praxis; ut scripta ad Archivum non amplius durare debeant, quàm à comitiis, ad aliorum imminentium cadentiam: Ita nihilominus fida civium pectora ominantur; ut omnibus his malis, clementissima providentia, paternusq; Regiæ Mtis amor, brevi medelam adferre velit; per citò indicendæ comitia; utinam feliciore eventu celebranda! Eodem manifesto nostro protestamur contra Constantinum Brzostowski Episcopum Vilnensem qui forensibus subjectis, ignotiq; nominis collectis asseclis congressus, & consilia publica Palatinatuum, Terrarum, & Districtuum; nescitur quo fine; turbare attentavit, deindeque scommatico confictο, citra scitum signaturæ Ministrorum, nec ex Senatûs Consilio dari concesso, mandato, potestatem Ducum, innocuè criminari, nomini, meritis, & honori detrahere, jura Ducibus indita à Repub: præjudiciosissimo exemplo statuit convellere. Vnde nos Senatores, Dignitarij, Nuntij ex Palatinatibus, Terris, & Districtibus, Regni Poloniæ & M. D. L., pro Comitijs Generalibus Varsaviensibus congregati, nostrum hoc solenne Manifestum in fundamento, primario supremæ Regiæ Mtis venerationis, adeoque Paternæ ejus super afflictam Reipub: sortem, compassionis; nec non boni publici conservationis, manibus nostris subscribimus. A.C 1694

RESPONSUM EX CANCELLARIA CONCLAVIS, DATUM ad puncta delata Regi, per Casimirum Tyszkiewicz, Capitaneum Starodubowiensem, & Martinum Wołłowicz Vexilliferum Mścisławiensem. Zołkwiâ 20 Januarij.

EXpressam cum profundo cultu à quibusdam Senatoribus & Nuntijs M. D. Litv. pro termino incidentium Comitiorum, Varsaviæ congregatis, super adversa sua valetudine, condolentiam, ex teneritudine fidelis erga Majestates observantiæ, procedentem, pleno Paternæ gratitudinis documento, Regia Majestas dignatur suscipere; agnoscitq; in hac testificatione, immutabilem erga se, suamq; valetudinem, filialem propensionem; qua in melius vovent convertere fata: & sicut omnibus diebus, nunquam satis laudandæ vitæ suæ, inglorium esse judicabat, non ultro totùm se Patriæ impendere; sic à primordiis imperii; tanquam ense, & Galea inauguratus Princeps, in variis castris, & expeditionibus, manifestè sacrum caput devovebat ærumnis; ut vitæ

A.C. 1694 tæ etiam suæ dispendio, in pace & securitate concreditas sibi servaret gentes, seipsum impendendo, ne interirent universi. Nunc quoq; considerans post rupta Grodnæ Comitia, cunctis casibus expositam Remp. præsertim à tam potente ab Oriente hoste im̃inentibus; non ullius quietis, aut com̃odi gratiâ, his in partibus personaliter consistere est dignata; sed ut fortalitiis, in limitibus, tam in Valachia, quàm in Ucraina & Podolia sitis, per tempestivam eorum munitionem, ulteriorẽ provideret subsistendi modum; tamq; Exercitum in bellicis operationibus interea temporis, existentem, proximâ suâ præsentiâ animos addendo, confirmaret, quàm hosti in vicinia agenti, invicti sui nominis famâ; efficaciorem faceret resistentiam. Quapropter tot laboribus, & incom̃odis, quà in bellicis actionibus, quà diu non raro protractis publicis consilijs, sine alterna requie, debilitatam, & enervatam Regiæ Majestatis valetudinem, non mirum fatiscere; & contractæ, per continuam, circa bonum publicum lassitudinem, ægritudini, succumbere debuisse; licet enim congenitus vigor, supra vires, fortemque naturæ humanæ eluctari contenderet; nunquid caro ejus ænea est? Ubi tamen nunc singulari numinis providentiâ, pristinæ restituitur valetudini; ubi, post aliquot septimanarum paroxismos, debitis roboratur ac vegetatur viribus; serias init cogitationes circa conservationem boni publici, Deo favente, exequendas; quo citius, certiusque in prima se deprehenderit esse convalescentia. Ad puncta verò sibi delata, considerando ea esse à quibusdam duntaxat Senatoribus, Nuntiisque ex Provincia M. D. Litv. conscripta, & formata; nequit reali, & plena, hic & nunc, Regia Majestas respondere declaratione: siquidem ex Residentibus, lege publica ad latus suum destinatis, nec ex Regno Poloniæ nec ex M. D. Litv. nec Cancellarios ullius gentis præsentes habeat; à quibus sensus essent, & consilia depromenda; utrum in materijs statum tangentibus, aliquæ M. D. Litv. Provinciæ potuerint talia, & quidem nunquam practicata, formare proposita; & quasi separantes se ab universo, singulariter ad mentem, sui resolutoria urgere responsa, à primo statu, scilicet Regia Majestate? & utrum divisæ aliquarum M. D. Litv. Provinciarum sessiones, & conferentiæ, non præjudicent sacrosanctè coalitæ, totq; Comitiis, tot publicis legibus confirmatæ, & per bina sæcula roboratæ cum M. D. Litv. unioni, de qua ea exstat in volumine legum declaratio, ut hæc utraque Dominia, ab antiquis temporibus in unum arctissimo nexu sint conjuncta, ut non tantùm in unum animum, unum sensum, unam concordiam, unum amorem, unam com̃unem amicitiam, sed præterea in unum, indivisum, ut privilegia obloquuntur, corpus sint conglutinata; adeoque in unam Rempub. ex uno populo, qui per vinculum, & coadunationem duarum gentium, in uniformem, & indivisam unitatem coaluit ita, ut hæc Dominia, sicut non sunt duo corpora, ita esse nequeant duæ Respub: sed una ex duabus gentibus; adeoque com̃unia Comitia, & consilia habere debent, sub uno Rege, sub uno capite. Quanquã etiam formandis responsis ad expressa, expediebat Notarios M. D. Litv. aut Regentes, saltem alicujus Litvanæ Cancellariæ præsentes adesse; siquidem Polonia ab his excluditur; conclavis verò non ad mentem forsan reflueret; ex quo in præteritis universalibus acriore censura, & impugnatione trutinabatur. Ea propter omnia hæc ad futurum suum, Deo dante, Varsaviam adventum; post ejus juxta datum verbum denuntiationem, & efficacem valetudinis meliorationem, reservare dignatur; & sicut exhibitam super rationes valetudinis compassionem, pro solatio,

&

& singulari acceptat levamine; ita studia benevolentium, imutabili affectu se declarat prosecuturam, Regiamque offert gratiam. *A.C.* 1694

FORMA EXCOMMUNICATIONIS
Per Episcopum Vilnensem, contra Palatinum Vilnensem, Supremũ Ducem Exercituum M. Drũs Litvaniæ, Dominica I. post Pascha ex Pontificali promulgata.

SIquidem Casimirus Joannes Sapieha Palatinus Vilnensis supremus Dux Exercituum M. D. Lit. instigante diabolo, Christianam, quam in Baptismo suscepit, obligationem exuens, jura Ecclesiæ DEi, à Sede Apostolica, Majestatibus Regum Poloniæ, totaq; Repub: concessa, manifestè violans, bona Spiritualia in M. D. L. sita, Capitularia, Parochialia, Religiosorum, DEoq; dicatarum Sanctimonialium, post accepta annuatim sub hujus belli tempus, sæpè cum extorto additamento, hyberna, aliàs Genericæ nomine appellata, ex Bonis oneri huic subjectis; hoc demum ultimo anno contra consvetudinem, & constitutionem Reipubl: ex bonis impertinentibus incomparabiliter, majore numero per vim expressa; insuper intolerabilibus, singulariter eò ordinans militem, consistentiis, frequentatis triduanis respiriis vulgò Trzydniowka, expeditionibus, tractibus, discretionibus, stationibus, & innumeris oppressionibus funditus evertit, ruinavit, & in desolationem dedit; adeo ut hoc pessimo, contra jus & fas omne facto, publici scandali, relictæ pluribus in Ecclesiis devotionis, ruinæ piarum fundationum, obligationum, & anniversariorum, notabilis detrimenti in animarum cura, solutionis Seminarij, dispersionis subditorum, & æternæ eorum, præsertim in provinciis Hæreticis, perditionis; insuper, nunquam reparabilis Ecclesiarũ DEi desolationis, manifesta factus causa; ipsos etiam servos DEi, verbo, opere, & perniciosis scriptis, persequi non desistit. Ideo ex Pastorali sua vigilantia, Rñdmus Constantinus Brzostowski, DEi & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus Vilnensis præcavens, ne per aliquam Pastoralem incuriam, incauta hæc pereat ovis, pro qua in tremendo judicio coram Primate Pastorum, Dño nostro JESU Christo causa ei dicenda, ratioq; reddenda esset; ipso Domino intonante: *Si non annuntiaveris impio, ut avertatur à via sua impia, & vivat; sangvinem ejus de manu tua requiram.* Juxta Canonum dispositionem ter, imò quater salutares dabat admonitiones; ut se in sua recolligeret obstinatione; utq; ad emendationem, ita ad satisfactionem, & salutarem excitaretur pœnitentiam, paterna semper eum inducebat dispositione. Quia verò, quod dolendum est, idem Palatinus Vilnensis, supremus Dux M. D. L. omnes has Pastorales admonitiones vili pendens, Ecclesiæ DEi, cui tam grandes, & intolerabiles injurias, & oppressiones intulit; & inferre non desistit, ex inflata sua protervia, nullam satisfactionem, & contentationem pro injuriis, tamq; gravibus oppressionibus fecit, nec facere cogitat, imò ulteriorem malitiam practicare appromittit: Rndmus verò Pastor confirmiter ad Divinas, & Sedis Apostolicæ leges, præscribentes, quidnam cum hujusmodi Prævaricatoribus agendum sit, verba enim Christi sunt: *Si pes, vel manus scandalizat te, abscide eam & projice abs te*: Et Apostolus ait: *Auferte mala de medio vestri.* Et in alio loco: *Si is, quem fratrem vocas, fornicator est, aut avarus, aut idolis serviens, aut ebriosus, aut raptor est, cum eo cibum non manducaveris.* S. verò Joannes dilectissimus Christi Discipulus, hujusmodi impium in domum suscipi & salutari prohibet: qui enim eum salutaverit, particeps ejus iniquitatis efficietur: Satisfaciens itaq; Vilnensis Episco-

A.C. 1694 piscopus Divinis & Apostolicæ Sedis legibus; putridum hoc, & incurabile membrum, salutaria pharmaca respuens, excommunicationis gladio, à corpore S. Ecclesiæ rescindit, ne alia quoq; ejusdem corporis membra, tam venenoso afficiat morbo. Itaq; siquidem Casimirus Sapieha Palatinus Vilnensis supremus Dux Exercituum M. D. L. toties Pastoralẽ sprevit admonitionem; siquidem quater circa leges ad emendationem invitatus, induci ad salutarem pœnitentiam noluit; siquidem culpam suã, nec ipse coram Pastorali fassus est officio, nec per Ablegatos, aut amicos ullam factorum suorum fecit justificationem, imò in obdurati, per hostem animæ, cordis obstinatione perseverare non desistit, juxta id, quod Apostolus dicit: *Secundùm duritiem suam, & cor impœnitens thesaurisat sibi iram in die iræ;* ideo præfatus Constantinus Brzostowski Episcopus Vilnensis, potestate DEi Omnipotentis, Patris, Filij, & Spiritûs S. nec non S. Petri Apostolorum Principis, & omnium SS, simulq; Pastorali suâ authoritate, ad ligandum, & solvendum super terram & in cœlo, à DEo sibi datâ, eundem Casimirum Joannem Sapieha Palatinum Viln: supremum Ducem Exercituum M. D. L: tanquam Principalem omniũ Ecclesiæ DEi injuriarum Authorem, cum omnibus earundem ejus actionum complicibus, Consiliarijs, Auxiliatoribus, non implicando tamen his totum Equestrem ordinem Exercitûs M. D. L; à cõmunicatione Ss. Sacramenti corporis & sangvinis Christi, nec non à communi conversatione omnium Christianorum, sejungit & separat, uti etiam liminibus S. Matris Ecclesiæ, arcet & excludit, ac illum pro excommunicato declarat; simulq; æternæ cum diabolo, & Angelis ejus, omnibusq; impiis damnationi, æternisq; ignibus adjudicat, tradens eum potestati Sathanæ in perditionem, donec se laqueis diaboli expediat, & ad veram pœnitentiam, seriamq; redeat emendationem, DEiq; Ecclesiæ, cui tam grandes intulit injurias satisfaciat; quatenus per hoc animæ suæ in extremo judicio lucretur salutem.

COPIA LITERARUM EPISCOPI VILNENSIS 26 Maji

TAM graviter me conjurata apprehendit calamitas, ut una alteri catenatâ succedens serie, per conspirationem malignantium, ad ultimam fere trahat ruinam. Non ignotum tibi arbitror, me extrema malorum adactum necessitate, ubi post attentata omnia pacificationis media, nullum salvandæ integritatis bonorum Ecclesiasticornm, in Diœcesi mea, modum reperissem; imò ex facili tolerantia, majorem indies sensissem persecutionem; consulendo indemnitati Ecclesiæ Dei, pro zelo, & vigilantia Pastorali, ultimum arripuisse remedium; scilicet sacrosancta Conciliorum, & Bullæ Cœnæ Domini decreta, contra Palatinum Vilnensem; velut publicum jurium, & immunitatum Ecclesiasticarum, ex pulpitis denuntiando. Quod licet non mediante forma judiciaria, sed velut singularis duntaxat, sententiæ à jure latæ Executor in facto Notorio, & permanenti, feci; tamen Cardinalis Primas, in derogationem jurium, & eversionem statûs Ecclesiastici, à censuris, soli sedi Apostolicæ reservatis; non tantùm impropriè excommunicatum sublevavit; sed quod majus est, prætensa authoritate, ad judicium suum me personaliter citatum, literis privatis, stylo acerrimo, nullo respectu scriptis condemnavit, exaggerare tam grandem injuriam, nec tempus, nec ingens dolor patitur: quapropter, in lenimentum fatiscentis ferè dolore cordis; uberrimas in singularis tuæ gratiæ sinum effundo lachrymas; simulque copias Brevis Sanctitatis Suæ, dictarumq; Cardinalis Primatis lite-

literarum, mitto; ex quibus combinatâ ſenſuum differentiâ, altiſſimo tuo perpendes judicio, quàm diſpare modo, ſupremum Dei Eccleſiæ caput; ac ille, cui nulla in perſonas noſtras eſt juriſdictio, authoritatem, Epiſcopalis characteris, tractent. Et quia ſpecificata remedia, pro parte Palatini Vilnenſis, ex Cancellaria Cardinalis Primatis extradita, tanquam in notorio defectu juriſdictionis ſunt nulla, & frivola, nec ullã ſibi vendicare poſſunt obſervantiam; ideo, perpenſa eorum nullitate, conſtanter in rigore publicatarum cenſurarum perſiſto, teq; demiſſè peto, quatenus inhærendo ſtatutis Provincialibus, & generalibus Concilijs eaſdem per Diœceſim tuam denuntiare jubeas; ut excommunicatus in uno loco, juxta expreſſam Canonum diſpoſitionem, ubiq; ſit vitabilis. Cedet id in ſortem magnorum tuorum meritorum, ſi pro ſolita libertate, & zelo; ſanctæ juſtitiæ, alacri animo litaveris. *A.C.* 1694

COPIA LITERARUM CARDINALIS PRIMATIS AD PALATINUM VILNENSEM.

Senſus de Excõmunicatione.

SI quando, nunc vel maximè mea ſum deceptus opinione, quando plus ſupponens de æquanimitate & prudentia Vilnenſis Epiſcopi, fidem præbere nolui, eum tam præmaturè, ad hæc extrema properaturum, quæ tamen audio præcipitâſſe, evibrato, cum ſtrepitu magis, quàm gloria hoc fulmine, quod non tam latè characteri noſtro creditum eſt, ut in obvios, & ſanabiles caſus, eſſet dirigendum; A nemine factum hoc plauſum referet, nec inconſulta actio confuſionem tibi pariet; adeoq; quietem animi non conturbet. Ego certè ut ſemper obſtiti, tam violento conſilio; ita nunc minimè moror extradendis ex Cancellaria mea remedijs, quæ celeri paſſu tibi mitto, ſcriboq; etiam ad Epiſcopum pro gradu meo, & veritate. Reflectet ſe ille, ſed ubi excitato incendio, fumi amaritudinem ſenſu perceperit: non deduco amplius dolorem meum, quem ex hoc caſu percipio; id duntaxat à te poſtulo; ut eam moderationem, quam exuit Epiſcopus, tu in te aſſumas, dolorem verò tuum in eos partiaris; qui, & compati, & mederi ſcient; me non dubites, ut in proſperis, ſic in adverſis tibi fore addictum.

COPIA LITERARUM CARDINALIS PRIMATIS AD EPISCOPUM VILNENSEM Skierniewicijs 16 Aprilis.

Reprobat Excommunicationem.

SPerabam indubitanter, non contemnendas eſſe rationes, & reflexiones meas, quà oretenus, quà literaliter toties iteratas; tibique mitiora cogitanda erga Palatinum Vilnenſem; quandoquidem ipſo ſtatu rerum, & circumſtantiis plurima conſiderationi repræſentantibus, habita propenſione Palatini, jamq; declarata & utrinq; acceptata mediatione, & admiſſis favorabilibus in rem tuam, ad honeſtam concordiam conditionibus, deferveſcere debuerat hæc paſſio: At ubi mihi innotuit, te jam fulmen illud evibrâſſe; obſtupui ſuper inconſiderata reſolutione, cujus ſvaſorem, ignarum eſſe rerum neceſſe eſt, quæ per prudentiam ſolent, & debent tractari: Per hoc

A.C. 1694 hoc enim, apertâ ulteriorum simultatum, & inimicitiarum viâ, plus detrimenti referes, quàm emolumenti. Quod attinet publicum: addidisti ad calamitatem Patriæ; nam Exercitus M. D. L. quem, cessantibus tributis, Dux hactenus privatis modis educebat, nunc ignominia ejusdem Ducis, præsertim sui causa, & ratione publica patientis, offensus; ad Campaniam venire nolet; cum vel maximè necessarius erit Reipub: Hanus enim cum Tartaris prodiens, sævam minatur procellam. De futuris Comitiis, omniq; in publicum consilio penitus est, propter hanc exacerbationem desperandum. Hactenus res fuêre medicabiles; potuerunt amica compositione complanari; interposuisset se authoritas Ætatis, moderataq; fuisset, ut tu habes, & satisfactionem pro injuriis, & pro zelo gloriam; nunc ignoro, quis jam poterit manum apponere. Ostentanda erant hæc jacula, non evibranda, juxta meam continuam sententiam; Ipsa Roma, licet habeat supremam potestatem, nunquam tamen præcipitanter ad hujusmodi descendit excommunicationes, quibus status turbentur, & confundantur; attendit enim, & considerat, ne medicina, sit pejor morbo. Constat ex historiis variorum temporum, Summos Pontifices, diu hoc fulmen continuisse, dissimulando, mollificando, dando spatium pœnitendi, nec nisi tum fulminâsse, cum nulla spes affulgeret emendationis. Non es secutus modestiam, & patientiam Ecclesiæ, quæ in primordijs etiam suis, sangvine crevit; non æmulatione, pertinacem, & potentem mundum sub jugum Christi inclinavit, & adduxit, sed humanitate, oratione & patientia; zelus te forsan eò impulit? at non omni spiritui credendum: nec tu privatim potuisti, re non collata cum toto Collegio Episcopali, hunc effectuare zelum: ad excommunicandum enim Ducem, plura requiruntur quàm ad excōmunicandum qualemcunq; alium Parochianum, præsertim ob rationes publicas, in quibus non tua solius cognitio, & authoritas requirebatur; quòd quia tu solus, sine toto Collegio attentâsti, totum statum Ecclesiasticum, DEO soli melius notis consequentiis involvisti. Non tantùm ergo factum non approbo; sed omni ex ratione dolore tangor, super tam inconsiderata tua præcipitantia, & mearum considerationum postpositione: licet enim ignari essemus principiorum & arcanorum Politicorum, deberemus tamen non ignorare longanimitatem positam esse inter fructus Spiritûs S. ut quid enim tibi illa, cum qua protestatus es patientia, siquidem in mediis adversitatibus, imò dum fructus, & solatia esset collectura, defecit? Ego tamen cui in hac statione propiore jure incumbit sollicitudo publicæ rei, quemadmodum adnitebar, ut hæ simultattes, in utramq; partem, quàm optimè componerentur, & Rempub: non implicarent, ita post hoc attentatum, publicum nequeo deserere, agereq; debeo per authoritatem in ordine ad occurrendum nocivis, inde profluentibus consequentijs: scilicet quia Palatinus Vilnensis, ab hac, ad me appellavit excommunica-

municatione ; ego velut Primas, Legatus natus, & Metropolitanus, jussi extradi illi ex mea Cancellaria competentia remedia; ne Palatinus finaliter affligatur; &, quod absit, repulsâ justitiæ scandalizetur. A.C. 1694

CIV.

ANDREAS C. ZAŁUSKI EPISCOPUS PLOCENSIS REMIGIO SUSZYCHI CANONICO CRACOVIENSI REGIORUM PRINCIPUM PRÆCEPTORI 12 Januarij.

EX tuis, 6 Januarij ad me datis colligo, hactenus, propter varios sensus, vaga consilia à me dici meritos, determinationem non stetisse, capessendúmne iter, aut non? nováne ordienda, aut antiqua sint prosequenda Comitia? Sentiat, consulatve, prout cuique ex præoccupato animo, placet; non obscuro ego sensu, nec pendentibus verbis censeo, licet non pugno; Comitia nova, nec cum tempore; vix enim post Pascha inciperent; nec cum pace Patriæ, celebratum iri; altercationes enim, quæ nunc à solis cientur Litvanis, in novis Comitijs, Minorem inter & Majorem Poloniam, ratione alternatæ, certò certius excitarentur, iisque ipsis (falsus sim Vates) allisa Comitia, frangerentur. Nihil verò facilius, quidquid præoccupatæ dicant, sentiántve mentes, quàm antiqua reassumi Comitia. Spondere non ausim fore, ut desint, qui primordiis obloquantur: at præstat audiri eos, quibus rationes, ob quas impugnent, deerunt; quàm qui exquisitorum figmentorum, invenire poterunt fundamentum. Muta fient labia dolosa, ubi adverterint Majestates velle Comitia. Cæterùm melius est in hanc partem peccare, stando verbo Regio in antiquis universalibus dato: aliàs, quis scit, utrum nequitia hunc non sit arreptura prætextum ad obtendendam veritatem fabulis, quibus plena fuit Varsavia. Fiducialiter ergo, ponderatis hinc inde rationibus, non tam svadentibus, quàm cogentibus hæc, tibi scribo. In reliquo Monachorum est murmurare, Abbatis non curare. Hæc suma rationum ponenda est, quæ pro Repub: facit; in quo quia toties jam sensum meum tibi aperui, stringo calamum, animum semper ad nutum Majestatum, ubi opus fuerit, laxaturus. Ne mireris verò me tam ferventer scribere: fidelis sum Majestatum servus, maloque successum mihi, quàm fidem deesse. Audiam ergo quid loquatur mihi Dominus, optans ejus, ubicunque fuerit, advolvi pedibus; teque fraterno affectu complecti.

Comitia antiqua assumenda.

COPIA LITERARUM REGIARUM AD STANISLAUM WITWICKI EPISCOPUM POSNANIENSEM. Zołkw. 17 Ianuarij

DE amplis tuis in materia Juris Patronatûs nostri, nemo amplius sentire potuit, nisi eas per specimina enixæ pietatis cum juribus Patriæ dissentire: quasi inclyti, honestiq; tenaces illi Majores nostri, sub quorum Imperijs, ut tuæ sonant literæ triumphis florebat Respub:, ignorassent; & securitatem Patrij juris in tuto tenere; & pietatem erga sedem Apostolicam in salvo conservare: Utiq; illi rigore legum Corthesanos percusserunt, nec erat, qui tum huic zelo, circa congenitam & naturalem Reipub: authoritatem, obsisteret. An forsan hoc, quod tu adducis, ignorabant Evangelium: *Qui vos tangit, me tangit.* An Apostoli non audiêrunt verba: *obedite etiam discolis:*

Jus Patronatûs.

A.C. 1694 *colis:* Utiq; etiam Episcopos, olim ad nos mittebat Roma; verùm id tum non nisi fiebat, quando Respub: in incunabulis existens S. fidei, Apostolicam exigebat missionem: nunc verò postquam ad lumen perfectum pervenit, munijsq; Senatorijs, decoravit Episcopatus; non amplius aliunde, quàm à nobis datis subest Episcopis; Hoc tamen nihil obest pietati, quòd eam nominationem in nos Respub: transtulerit; cui jure Majestatico, & pactis conventis cautæ, insistimus inviolabiliter. Si quem ergo Regni Instigator citavit; fecisse id debuit ex forma, & præscripto legum Regni:His autem non subesse, ab eisq; eximi, nefas esset: Qui non est pro lege; non est pro Patria. Id tamen ingredi nolumus, sufficit, iuxta hanc explicationem, nos non esse liberos à ligamento Pactorum, cùm vim facti obijciat: & nos opponemus &c. Eò tamen præcipitanter non procedimus, sed impellimur, & provocamur. Etiamnum enim id non capimus, quod te frequentius recurrente ad Breve Apostolicum; Nuntius Apostolicus recenter scripserit, jam futurum fuisse melius, nisi obices conscientia Sanctissimo posuisset. Ergo tali ratione omnia edicta possent revocari. Nec id meminimus, qui nam sint illi duo porrecti modi: tertius silentio prætermissus. Prorsus hac in causa; si omnia perpendanrur, in aperto est, induci, quod nunquam erat, (omnis autem novitas nociva, & gravis est) pulcherrimisq; insinuationibus, pessimum injuriæ genus Reipub: inflictum esse adeo, ut vel ipsi, qui se hoc in negotium ingesserunt, tam facile malis, inde profluentibus mederi nequeant, quàm facile Romam permoverunt ad disputandum contra jura Reipub:. Quod quia tu profundius perpendere potes, quàm nos scribere, stricto calamo bonam tibi à DEo precamur valetudinem.

PROJECTUM EX PARTE PALATINI VILNEN: SUB TēPUS NON CONCLUSORũ COMITIORũ DATUM SUPRA VERBA:

Quod latet in tenebris revelabitur supra tecta.

VIX non æqualis inquisitioni Hispanæ, disquisitio voti Senatorij, non jam in tenebris, sed in aprico, tollit unicam liberæ vocis gloriam, sentiendi quæ velimus, & quæ sentimus dicendi: Grandis hic impetus est contra jura & libertates nostras; quo, sicut omnia Cardinalia suis sunt mota fundamentis; ita non mirum hanc quoq; basim labefactari: Obrigescendum esset, ex conniventia Majestatis, ad inconvenientia; obstupescendum ad consideratam obedientiam signaturæ Ministrorum; qui ad instantiam venalis animæ, solenni expostulatione examinare sunt ausi, à Regia Mte, votum magni Senatoris, hocq; ipso exanimare vitalem spiritum omnium trium hujus Reip: statuum. Profectò non erat, quod tantopere inquireretur, nisi ad illud in se verificandum: Conscius ipse sibi de se putat omnia dici. Quod ex vi sacri fœderis, cum Colligatis, conferendi gratiâ agitur, manifestum sit oportet: Nullisq; obnoxium tenebris, quod verò cum æmula gente tractatur, id clandestinè fit, cum sit directè contra mentem Reipub: juratam fidem, propriamq; conscientiam. Dijudicandum ergo, quidnam lateat in tenebris, quod revelari possit super tecta, in communi, DEo dante, motu, non

non Chymeræ, non entia rationis proponenda, non nebula ſpargenda civibus, ut commodius in turbido piſcatio exerceatur; aperienda rei facies, detrahenda larva prætextûs Religionis, ad interitum Regionibus ordinatæ. Attigit id ſuo hodierno voto Rex ipſe, fatendo non cauſa Epiſcopi Vilnenſis cum Palatino Vilnenſi, ſupremo Duce Exercituum M. D. L. ſed ſcripto ad Archivum, ex præteritis comitiis, dato turbari, & confundi Rempub; Peregrinus ſit in Iſraël neceſſe eſt, qui verba hæc oraculi inſtar eſſe non conſiderat, eorumq; trutinæ non immoratur: Utiq; præter M. D. L, tot in Regno Palatinatus, exnunc poſt illa comitia, publicis manifeſtis, ex Comitiolis Relationis, illi ſcripto reclamârunt, velut abſolutam poteſtatem, & dictaturam perpetuam, certis perſonis adferenti, & eorundem comitiorum continuationem ex iisdem ſubjectis delectu, intolerabili æqualitati, ſtatuenti, ac proinde, quod nemine contradicente in comitiis peragendum eſſet, viam privati conſilij convertenti, ubi unus cenſet, quod omnes ſequantur, & omnes improbent, delicatis enutritæ libertatibus, Reipubl: communi Matri noſtræ difficile erat, non ſentire telum, æqualitati Nobilitatis intentatum, cum de nobis ſine nobis conſulere ſtatueretur, ad rubricas imprimis aſtui Mazarini, per mille aſtus, arteſq;, hoc verò non ſuccedente per oppreſſiones Magnorum nominum premendo veſtigia ſangvinolenti Rychelij; utriusq; hujus Pſeudopolitici fidus Miniſter Legatus Galliæ, proximus, & continuus inquilinus conclavium Dominorum, & perverſorum conſiliorum, ex ratione ſtatûs ſui principalis inſuſurrator ſtrenuus, eò majorē in populo ſuſcitans certitudinem ſuarum machinationum, quò avidiùs in mediationem cum Epiſcopo ſe inſtruſit, non accitus, ut hàc occaſione proſequeretur ſui principalis intereſſe, tamdiuq; res confunderet, donec, quali tali modo particularem conciliaret pacem, non tam ad roborandas vires Colligato noſtro, ad proſequendum bellum, quàm ad nos fœdifraga labe, coram nationibus denigrandos, ex eisq; Sarmatis, qui quondam audire ſunt meriti: Maxima pars hominum, nec te pulcherrima Roma, curat, nec Auſonium militis arma timet, in deſidioſam, imbellemq; Judaicam gentem, transformandos. Verùm quidem Krymenſes antea vividè in tractatum ſe ingerentes, nunc minimam pacis propoſitionem non prætendere; at latet angvis in herba technarum, & machinationum Gallicarum: falſus ſim vates, ne nos retibus, ſub Leopoli elapſos, extremis nunc involvant laqueis: Attamen conclavia hæc Domini ſunt velut turris Babel, in qua varijs lingvis confundit DEus ferocium Gigantum ſuperbiam; eodem modo hic quiſq; pro ſenſu ſuo loquitur, Rex, Regina, Senatus, Nobilitas, cointelligere ſe nequeunt, ad latus Regium ludicra fiunt cum hac Repub, quam ſi hæ ſcindent factiones, certè juvabunt ad deſpotiſmum, cum ita nitore priſcæ libertatis ſpoliati ſumus; ut unicum ſacrarium jurium, & libertatum noſtrarum, Regum & Senatorum promptuarium, Conclave Nuntiorum, officina legum ſublata ſit, conculcatusq; Senatus. Quæ verò ſit ratio ſtatus Gallici mutationi noſtri ſtatus inhiantis? Qui priſca Polona virtute abdita illius imperij penitius perſpexerit, deprehendet, eam eſſe ad depreſſionem omnis æmulæ ſibi poteſtatis: Abſolutum in Polonia Dominium unicus eſt eorum ſcopus, qui noſter ſcopulus: Facilius enim cum unius Regis Perſona, quàm cum tot ſeparatim Nobilibus rem peragere; pro eoq;, quod hic deſudat, ſi non ſua omnino evincendo, ſaltem noſtra impediendo, in abſoluto Dominio ſemper eſſet ſecurus rei, partim ex captatione erga ſe affectus Regij, partim ex ipſa herilis imperij aſſecuratione.

A.C. 1694

A.C.1694 tione. Initium hujus operis est pax fœda, trahens post se infallibile, cum Imperatore, Sveco, Moscho, Brandeburgico, bellum, ad idq; reprimendum invocationem 100000 framearum Scythicarum, quæ nos certo confunderent sub manuductione Regnantis, à quo expetenda est protectio, si tam inops consilij foret Respub. Quod difficile vitari posset pace particulari sancita. Connubium Regij Principis Alexandri cum Ducissa Aurelianensi Nepte ex Germano fratre Regis Galliæ, certa esset occasio turbinum in Repub: inter fratres collisos Austriaca, & Gallica factione. Imposturæ objectæ magnis in Patria viris sub colorata Patrimonij Christi nomenclatura, non aliò collimant; missa tamen in orbem fama per inventionem Machiavelli, aut Calimachi, ut quod antea per occultos fiebat cuniculos, nunc per apertos oppressionum cumulos ederetur. Improbè facta contumacis Episcopi laudata, ex alia parte innocentia justi Ducis condemnata, quibus actis dum complanatio procuratur, quid aliud, quàm supplantatio struitur magnorum nominum, in eisq; integritatis totius Reipub.? Ut tot Proceribus Regni, ad domos proprias, quasi sub apparentia cujuspiam culpæ reversis, ipsi impunè nefanda loquerētur, ut jam cœperant plenis buccis in Senatu garrire conductitij zelantes, asperiora dicta contra dignos Senatores congerendo: Hæc tamen vexa cuivis Patriæ filio cachinnum potiùs, quàm animum movit; vim tamen exerti veneni manifestavit, & inevitabilem partialitatis notam in Majestatibus detexit, insolentemq;, ac ferreum stylum Vilnensis Episcopi in ultimo ejus sermone, in hoc Senatûs-consilio proprio fuisse motu, fomentatum, ostendit. Hinc; Concurrite Cives, dum mœnia civitatis labuntur; illud verò Regia caveat præventio: Et transferetur Regnum de domo tua, propter injustitias.

SALUTATIO ILLUSTRISSIMI LEGATI BAVARIÆ à Mariano Collegio Jaroslaviensi ibidem hospitantis.

LEgatum à latere Serenissimi tui Ducis accepit te nuper Polonia & fecit Legatum à corde Excellentissime Illustrissime Domine. Quanquam etiam cor magni Principis tecum attulisti augusti amoris Nuntius, & interpres. Unde comune quidpiam cum DEO tibi est siquidem Regum & Principum corda in manu habes. Redis jam altero corde auctior, quia Serenissimæ Principis nostræ junctam sacra in connubia dextram manuducis. Habeat suum Alcidem Gallia; beatior est te Hercule suo Bavaria, qui nexu adamantino corda Principum catenasti. Venit in partem publici plausus minima Societas nomini Serenissimorum Bavariæ Ducum ex toto mancipata, quia illorum stat liberalitate. Venit & Polona Provincia, atque tali te in Regiam tui Principis deducit voto, ut Serenissima Bavariæ Domus post augustum connubium hoc sibi Duces nobis etiam Reges olim pariat.

MEMORIALE EPISCOPO PLOCENSI DATUM à S. R. Mte Electori Bavariæ proponendum.

JAM quidem satis notum arbitramur esse Serenissimo Domino Electori Bavariæ Genero nostro affectum, quo personam ejus uti filij nostri gloriam, Domum, resque omnes amplectimur, & pro nostris habemus, unde consilia nostra ut paterni amoris argumenta eundem accepturum esse, longè certiores sumus. Itaque Illustrissimo Domino Episcopo Plocensi Legato nostro Extraordinario specialiter comendamus, ut

ut præfato Dño Electori ſequentia puncta, nomine noſtro ſignificet & exactè penſanda ob oculus ponat. A.C. 1694

Conſideratis igitur omnibus, quæ ad Dnum Electorem pertinere poſſunt, nihil ipſi debet eſſe antiquius, quàm ut amplam illam, & optimam Hiſpanicæ Coronæ ſucceſſionem, ubi jam nulla ſpes Carolo II. Regi videtur eſſe prolis, filio ſuo quem ex prioribus nuptijs ſuſtulit procuret, & quantum fieri poteſt afferat. Id certè Dñus Elector veluti ſummam rerum ſuarum, & ſcopum univerſæ vitæ ſuæ ſpectare debet. Cætera quamvis haud negligenda, minoris momenti ſint & inferiore loco ponenda ſemper.

Hæreditatem hanc æquè ambiunt duo magni Rivales, Imperator, & Rex Galliæ, qui ſuum uterque jus in medium proferre, & armis vindicare non dubitabunt, ſtatim atque aderit præſens, & urgens occaſio, cumq; non eas habet vires Elector, quæ poſſint alterutri, ne dum utriq; reſiſtere, prudentia prorſus exigit, ut maturè jaciat tantæ molis fundamenta, ne à potentioribus obruatur, atque adeo neceſſe eſt jamjam, & quantociùs Electorem cum una ex illis partibus concordare, quæ videbitur aptior, & faciliorem ſe præbebit, ut cùm tempus advenerit, non debilis inter duos potentes medius reperiatur, ſed ab uno juvetur adverſus alterum.

Hoc poſito, utrum ad ſui tutelam vocare debeat in hancce cauſam, facile judicare eſt, nam ſi vocabit Imperatorem, vix ullum ab ipſo ſperandum eſt auxilium multis de cauſis.

1mo. Quia vult Imperator totam hanc Hæreditatem abſorbere, & Carolum Archiducem Hiſpaniarum, Monarcham aliquando conſtituere. Non alio certè conſilio motus, extorſit renunciationem tempore Matrimonii, quo junxit Electori Filiam, eamque filiæ teſtamento confirmari curavit, unde voluntas Imperatoris ab Electore Domuſque Bavaricæ incremento prorſus aliena cenſeri debet.

2do. Quia & ſi vellet Imperator, quòd profectò non vult partibus Electoris favere, eas promovere non poſſet, imò vix par erit proprium jus armis defendere, nam cùm ille ſit locorum ſitus, ut Gallia facilè ſuos Exercitus mittere in Hiſpaniam poſſit per diverſos aditus, qui Gallis ſemper patent. Contra verò Germani nonniſi per Galliam terreſtri itinere poſſint in Hiſpaniam ingredi, nec præterea ullam habeat claſſem Imperator, quæ Germanos in Hiſpaniam deferre valeat, prius hæc Peninſula Gallorum armis occupabitur, quàm Imperator de ſua expeditione cogitaverit.

Idem de ditiónibus Hiſpanorum in Italia dici poteſt, quamvis enim Germani jam aliquam Italiæ partem ſub jugo tenere videantur, non ita poſt pacem initam erit, vel ſi erit, hoc totum pro partibus Imperatoris futurum eſt, non Electoris.

Quòd ſi quis dixerit, tunc temporis Regem Vilhelmum cum Anglis, & Batavis opem laturum Electori, potius, quàm ſinant Angliam ad tantum potentiæ faſtigium extolli, ideoque claſſibus ſuis Electori præſto fore, vel Imperatori, decipitur; etenim

1mo. Quis ſcit an fœdus, quo tot Principes colligantur ad ea uſq; tempora permanſurum ſit, quo vacabit Hiſpaniæ thronus, atque adeo futura ſit eadem rerum conſtitutio, quæ nunc eſt.

2do. Quamvis foret eventus belli, ſemper dubius erit, & ſi Gallia tot hoſtibus circumdata, tamen hactenus non vincitur, incertum eſt, an tunc vincenda ſit.

A.C. 1694 *3tio.* Vix credibile est Anglos, & Batavos cum suo Rege sic amantes fore Bavaricæ Domus, ut eam augeri velint; nam in negotio Leodiensi satis comperta fuit eorum omniũ invidia, cùm in eã Electorem Coloniæ totis viribus suscitare conati sunt, & Principem Neoburgicum Ordinis Teutonici Magnum, & Decanum Mean, ne scilicet tot ditionibus Bavaricæ Domus Provinciæ Batavorum involverentur, unde si tantâ zelotypiâ cōmoti sunt ob Principatum unum, quid erit cùm de vastissimis Regnis agetur.

4to. Etiamsi de illorum benevolentia certus esset Elector, quis non videt totam Anglorum Batavorumque cōmotionem circa Belgium unicè versari, quia vicinum est, quodque spectat ad Italiam, & Hispaniam, utpote remotissimas Regiones minus attentè, & quasi sine studio contemplari; quare si semel pax conclusa cum Gallis esset, vix adduci possent, ut arma deposita resumerent, bellique novam aleam tentarent, Regnorum causa, quæ tam longè ab ipsis dissitæ sunt, & quasi ad eos nihil pertinent.

Itaque cum neque à Cæsareis, neque ab Anglis; neque à Batavis prudenter sperare possit Elector, quod ipsi tamen omnino necessarium foret, nosq; tam ab illo, quàm ab ijs partibus, ubi bellum exardesceret, remotiores sumus, quia ut ipsi dare suppetias alioquin semper paratas penes nos esset, existimamus nihil ipsi magis convenire, quàm si cum Gallia talibus devinciatur pactis, quæ partem magnam, & solidam Hispanicæ Hæreditatis, ipsi filioque ejus certam, & ratam faciant, in hujusmodi enim rebus, quæ cum majoribus dirimendæ sunt, conjungi cum potentiore præstat, quàm cum minùs potenti, neque tempus ullâ expectatione terendum est.

1mo. Quia his in circumstantiis posita est Gallia, ut faciliorem nunc in paciscendis conditionibus se præbitura sit, quàm si pax iniretur, tunc etiam hoste nullo circumventa proprijsque fidens viribus, nihil fortasse dimittere vellet, ex eo, quòd totum sibimet ipsi reservaret, & adipisci posse speraret.

2do. Quia si filius Electoris fato abriperetur, tunc nullo prætextu posset Elector hanc successionem appetere, cùm è contra stipulari etiam nunc possit, ut quod Electori cessurum est, stabile in gratiam ejus neque unquam revocabile sit, quamvis filius moreretur.

Nostrûm est statim, atque Dominus Elector consilijs nostris assensum adhibuerit ita rem disponere, ut cum impenetrabili arcanò, omnimodâ securitate, facillimâ viâ salvoque præ cæteris omnibus honorare & decore conficiatur &c.

COPIA LITERARUM REGIS AD EPISCOPUM PLOCENSEM Varsaviâ 14 Novembris

BInas unâ vice literas heri à te accepimus; quarum nos non tam primæ, quæ consolatione uberrimâ affectuq; tuo plenæ sunt lætificant, quàm secundæ, quibus dolorem tuum aperis, alterant & affligunt. Præter intentionem prorsùs citraq; culpam nostram evenerunt ea omnia, quæ non sine admiratione tantopere apprehensa intelleximus, Imprimis namq; Castellanæ Vilnensi nullas partes cōmittere potuimus; quæ quidem ad tuum characterem pertinerent, quæq; ipsius excederent statum: sed eas duntaxat tribuimus, quæ ejusmodi sexui respectu Dnæ competunt. Deinde quòd se illa non obligaverit Castellanæ Woinicensi ad dormiendum in eodem conclavi cum Srma Electrice Filia nostra charis-

charissima: fuit in eo & respectus præsentis Mariti & consvetudinis; quæ semper viguit apud Srmam Conjugem nostram, quæ nunquam etiam in itinere nobis absentibus ullas desiderat concubicularias præter Palatinam Kijowiensem; etsi aliæ non desint primæ admissionis & confidentiæ, uti Palatinæ Czernichowiensis, & Mariæburgensis, nuperq; etiam Russiæ idq; per respectum præsentium Conjugum. Dum igitur commendavimus; ut Legata in conclavi ad latus Filiæ nostræ pro nocte persisteret; nulla nostra intentio fuit: ut id in dishonorem alterius Dnæ vergeret, solus & unicus prænominatus respectus, quem & à te necessariũ re penitius consideratâ existimandum non dubitamus. Nam quantum ad nos, nullum quo ad id delectum facimus; totumq; arbitrio Electricis relinquimus. Demum quòd Nobili Doumont tanquam Thesaurario hujus viæ rerum & munerum, si quæ illa contingerent, curam commiserimus, ut ea Electrici in integro deinceps restitueret: absit, ut per hoc tuam fidem, rectitudinem, & summam generositatem aliquando in dubium vocare voluisse existimemur: sed solummodò æquitatem id ipsam postulare judicavimus, ut alteri ea incumberet provincia reddituro deinde illius rationem, quòd infra dignitatem characteris tui eam esse censeremus: præsertim quòd non defutura grandiora negotia tibi tanquam primo hujus viæ mobili prævideremus. Pro remisso contractu Majeriano summè utpotè necessario grates habemus, Diarium autem promissum imò quàm frequentissimas literas expetimus, quæ nos recente semper solentur memoriâ felicis viæ; pro qua ut altissimus Dñus suos Angelos Comites submittere dignetur, omniq; commoditate dilectissimæ Filiæ nostræ, quam paternè & gratissimè salutamus, provideat, tibiq; ipsi valetudinem bonam & fortunam indulgeat, cordicitùs precamur. A.C. 1694

Secunda Litera.

EXistimavimus præteritis literis nostris in abundanti tuis expostulationibus satisfactum iri; quia dum dilectissimam Filiam nostrã Electricem tuis manibus commisimus, non aliud intendimus; nisi ut & te contentum redderemus, & nostro honori quàm plenissimè consuleremus: quia nihilominus hactenus tuæ Dilectionis nobis deferuntur amaritudines, quæ suam sumpsisse originem ex quadam inæqualitate characteris videntur; volentes eas ex fundamento tollere, Episcopum Posnaniensem nuper simili perfunctum provinciâ de industria advocavimus, graphiceq; ab illo informati sumus. Hic igitur nobis affirmavit, quòd de manibus Maternis Fraternisq; receptam Regij Principis Jacobi Consortem in suam suscipere rhedam ob defectum competentis (minus enim dignâ advenerat ex laribus Paternis) necesse habuerit; quam ubi Sponsa cum Legata inscendit ipse eâdem prorsùs abstinuisset, nisi reluctantem Mater Sponsæ ad illam inscendendam compulisset: quâ tamen etiam imposterùm in ordinario cursu viæ abstinuit, solumq; inscendit; dum publicus aliquis occurreret locus: deniq; quàm primùm nostra rheda obviàm venit; ne semel quidem eâdem cum Principe Sponsa vectus est. Id genuinè pro ut oblatum habemus, tibi non alio fine intimandũ duximus; nisi ut cognoscas te Legatum nostrum esse æquali cum aliis charactere, pleneq; contenteris, omnimodum nostrum in personam tuã respectum pro comperto habens, quem etiamnum offerimus prosperamq; à DEo valetudinem precamur.

Tertia Litera.

LIteræ tuæ datæ 26 Novembris tam per Cursoriam Posnaniensem, quàm per Jachimowicz, qui hodie circa meridiem hic constitit nobis

A.C.1694 nobis redditæ sunt: lætamur non tantùm prosperò Electricis Filiæ nostræ itinere, sed etiam secundâ valetudine: Tibi verò obligatos Nos esse recognoscimus, pro omni labore & cura, quam te subire in ordine ad prospiciendum commoditatibus per iter hactenus necesse fuit: precamur insimul; ut providentia divina in ulteriore via susceptis faveat intentis. Hoc etiam cum non exigua admiratione nostra tibi deferim⁹, cum certis fasciculis literarum ad Electricem Bruxellis geminum Cursorem 16. Novembris Gedanum delatum, cum quibus in crastino Nobilis Grata suum recentem Cursorem Posnaniam expedivit, existimans Electricem adhuc ibi offendendam. Constitit ille Posnaniæ 26 Novemb: quo die dilectio tua & Cursoriam & Jachimowicium ad nos expedivit, nullâ mentione dictarum literarum factâ. Quare an eæ in manus devenerint? quaq; de causa scriptæ & quid continentes fuerint? anxiè & impatienter notitiam præstolamur: siquidem cujus importantiæ illæ fuerint, facilè tibi ex his adjunctis patebit; quæ tibi pro majori documento transmittimus. Sub hæc bonam valetudinem precamur.

Quartæ Literæ.

REdiens ad Nos Nobilis Zeligowski reddidit Nobis literas tuas & cum illis tam panegyricos ab Academia Posnaniensi, quàm à Rñdis PP. Societ: JESU cum inscriptionibus & epigramatis diversis. Gratè accipimus id obsequij à viris literatis, nec minus tibi obligamur; quòd innatâ suadâ sensus grati animi Nostri repræsentaveris. Idem Zeligowski plenam Nobis Relationem fecit itineris, subsistentiarum, & diversoriorum, qualiterq; Serma Filia nostra sat prospere & commodè suas continuet vias. Quæ omnia, quia tuæ singulari solicitudini & applicationi debentur non possumus non cum singulari solatio ejusmodi percipere notitiam. Non dubitamus & de ulterioris itinerarij progressûs prosperitate, præsertim quòd apud nos sat faventem experiamur auram, mitiorq; duntaxat se se exerat hyems; cui tuam indefessam curã & studium non defutura uti non ambigimus; ita à DEo tibi prosperam valetudinem precamur.

Quintæ Literæ.

QUò frequentiorem de successu viæ Serenissimæ Electricis à te recepimus notitiam; eò gratiùs indefessam curam & solicitudinem tuam recognoscimus. Satis gaudere non potuimus, de tam enucleata relatione, quam Berlino diffusis literis expressisti. Non minùs itidem gavisi sumus de humanitate & speciali tractamento Electoris Brandeburgici, qui non contentus in persona sua, sed insuper cum tota Electorali domo obvio cultu transeuntibus occurrit, & aliquot diebus solennissimo apparatu tractavit, quodque eandem hospitalitatem per omnes ditiones suas exhiberi mandavit. Jam verò dum specialibus literis nostris pro exhibitis studiis dicto Electori gratias habemus; tuæ indefessæ solicitudini momentum addimus, minimè dubitantes; te in ulteriore suscepti itineris tractu non absimili solicitudine nomen & sangvinem nostrum portaturum.

Sextæ Literæ.

DEvenerunt ad nos literæ à te Magdeburgo 13 Decembris datæ. Gaudemus multùm prospero vos uti itinere, parique valeludine frui; verùm id satis mirari non possumus, cur literæ nostræ ad te destinatæ seriùs in tuas manus deveniant? præsertim cùm illas in manus Nobilis Sarde resignari aut ad Abbatem Olivensem transmitti mandemus

demus. Injungemus imposterum majorem diligentiam; ne correspondentia mutiletur: nunc verò gratè accipimus à te singula quæque referri non dubitantes; quòd & ulterius eandem curam & studium testari voles, attendesq; competenti pro comisso tibi pignore nostro per itinera comoditati, quò nos obligabis & convenientem exhibitis evinces respectum, quem gratiosè declarantes precamur &c. A.C.1694

Septimæ Literæ

UNâ eâdemq; hebdomadâ quinas tuas insimul literas accepimus, primas 18 Octobris Hildeshemio datas, 2das 23 ejusdem Mindâ, 3tias 24 Horfordio, 4tas 26 Bilfeldio, novissimas 3tiâ Januarij Vesalia: in singulis illarum legimus indefessum laborem tuum, quo nostræ expectationi & non in cassum præsumptæ spei respondes. Supremæ nihilominus ultra alias nos affecerunt literæ; quibus significas ratificationem contracti Matrimonii prævià generali confessione Serenissimi Electoris Baveriæ fratris & filii nostri charissimi, cum magna ædificatione & exemplo præsentium pro tunc populorum successisse. Reponimus enim in DEO spem, quòd ab illo auspicata hæc ulterioris in sacro Connubio vitæ primordia omnimodam in egregium istud par conjugum effundent benedictionem, & Parentum animis indubitatum fructificabunt solatium. Sub hæc quemadmodum gratè accipimus plenam quoad omnes circumstantias factam à te relationem; ita cum suma animi nostri satisfactione recognoscimus, cordiq; habemus actum hunc cum novi anni initio sua sumpsisse auspicia; cum quo omnia fausta & prospera paternè & medullitus precamur certi existentes, te etiam ratione securitatis dotis omnimodè provisurum & ad locum Residentiæ Neosponsi concreditum tibi pignus nostrum fortunatè deducturum sub eo charactere, qui tibi opportunissimus videbitur, quo tibi nostrum obligabis ita affectum, ut quâcunque occasione tam erga tuam personam, quàm erga totam præclaram domum tuam gratiam & respectum nostrum non desideres. Nunc prosperam valetudinem precamur.

Nec aliæ deinceps defuêre literæ quæ tam extranea, quàm Patria detulêre: peregrina quidem hæc innotuerunt; Capitaneum quendã Hollandũ audaciâ duce Namurci provisionem fœni, quam Galli paraverant succendisse, ipsumque salvum evasisse: ex Patria verò tristia tam quò ad Comitia quàm ad valetudinem Regis quæ nos plurimum perturbârunt: scripsit enim Regina tanquam desperabunda, actum prope de vita Regis indigitans: minus tamen ea nova afficere visa Electricem, manifestiùs in Electore sese intrinsecus prodebat dolor, quem subinde auxit Electricis morbus sæpiùs per recidivam redux. Effectus ejus præter alios etiam hic fuit; ut mappas & mappulas & quidquid de lineis probè elutis esse poterat, odisse cœperit, non illis aut ad mensam uti, non indusia & syndones mutare, &c. solicito interim Electore; qui raro ab ea recessit, ad conclave illius assiduus etiam prandia cœnasq; sumpsit; velut excubitor, Mareschalco Electricis ex more mensæ ministrante. Accessit hypocondria, quâ factum ut dissidia inter Conjuges componere assiduè cogerer. 11mâ deinde Februarij Bruxellas venit Elector Coloniensis Neonuptos visitatum. 16 Februarij distribui cineres Electori & Electrici more Polonico: hic enim loco aspersionis cinerem admiscent aquæ; cui deinde cruculas imergunt, easque præsertim Hispani & devotiores totâ die in fronte gestant. Notandum hoc: primam Dominicam Qradragesimæ vocari hic Grand Carnawall, saltusque & choreas ubiq; etiam in publicis vigere locis: huic malo ut occurreret Archiepiscopus Mech-

A.C. 1694 Mechlinienſis, cujus jurisdictio etiam Bruxellas extenditur proceſſum ab initio jejunii edidit fruſtra indignante & iraſcente Electore, imò inhibente, ejus promulgationem; etſi poſtmodum convictus Elector iras remiſit diſſidiumq; ſopitum. Circa hoc accepi literas Varſaviâ de data 21 Januarij quarum partem hic duntaxat inſero; quòd altera ad triſtia Patriæ ſpectet.

Magnâ voluptate Majeſtates legerunt proſperum Electricis rerum ſucceſſum & Matrimonij prima rudimenta; ipſa quin Electrix literis ſuis activitatem tuam & gratitudinem in te Electoris non parcè extulit: quocirca, ſi opera bona in pretio ſunt apud Majeſtates noſtras; cur non & author eorum ſummè æſtimari credatur? Ego neceſſariò concludo; quòd etſi huic negotio amara quædam ab initio fortuna immiſcuit, finis nihilominùs glorioſus & plenus præmiorum erit: non enim veniunt ſincera bona; niſi primùm Deus adverſis aſpergat. Securus igitur ſum opus hoc tuum glorioſè finiendum, nec apud Aulam duntaxat noſtram ſed apud orbem univerſum debitam ſibi vendicaturum æſtimationem.

Habui tum etiam longiorem conferentiam cum Abbate Szarlato, inviſi deinde palatium partemq; conclavium Electoralium. Quadrageſimæ hic miſerrima facies; nam diſpenſatio conceſſa pro milite in expeditione futuro extenſivè ètiam ad Adoleſcentes in obſequiis Electoris eo tempore extituros. At non minùs & alij ventris mancipia vetitis veſcuntur cibis. Captato ſereno die Elector à Rege tranſmiſſos probavit equos; verùm præ omnibus meus placuit. 20 Febr: iterum literæ mihi redditæ ſunt à Rege in hunc ſenſum:

Illuſtriſſime & Rndme &c. Delatæ Nobis literæ tuæ ſunt quarum primæ 5tâ Januarij Venloâ datæ, alteræ Antverpiâ, 10; 3tiæ Bruxellis 13. ejuſdem. Ex iis intelleximus tam abſoluti itineris felices progreſſus, quàm etiam fortunatum in Reſidentialem Urbem Bruxellas ingreſſum. Non tantùm proinde plurimum felici gaudemus ſucceſſu; ſed etiã debitas ſpeciali divinæ providentiæ ſuper ſangvine noſtro reddimus gratias; quod dies noſtros & ſolatijs auget & replet benedictionibus. Profuit ea à te notitia ad perfectam fractæ valetudinis convaleſcentiam; ex quo ab ipſis Natalitijs Chriſti feſtis diverſis affectionibus afflicti his primum diebus priſtinæ ſumus reſtituti valetudini. Sub hæc gratè recipimus efficacem curam & ſolicitudinem tuam præſertim, quòd in concredita tibi functione omne tuliſti punctum, quodq; etiam ulteriùs non alio fine morari ibidem mediteris, præterquam ut vota noſtra optato impleas adventu. Comitia novo modo tumultuariè vix non ſeditioſè per Nuntios Terreſtres inchoata hactenus ne ad præliminaria quidem devenerunt: in cauſa ſunt negotia Senatorum Litvaniæ, quorum alij ſubterfugere & declinare volentes judicium, alij pro injuriis ſatisfactionem requirentes Rempub: diſtrahunt. Nihilominus quantùm in nobis eſt faciendo, ingreſſum ad pacificationem hanc paravimus. Combinavimus imprimis Nuntium Apoſtolicum cum Palatino Vilnenſi, deinde Cardinalem Primatem cum Epiſcopo Vilnenſi, & ad hunc tractatum 16 circiter Delegatos ex ordinibus deſtinavimus, qui jam dies aliquot in hanc mediationem inſumpſerunt. Bonam ſub hæc valetudinem dilectioni tuæ precamur.

Labebantur interim tempora, nec de dote quidquam affulgebat præter ſpem; turbationes interim non deerant; quas ut ſolarer cum diverſis per mutuas conferentias ſolicitum animum diſtraxi: præter alios cum Archiepiſcopo Mechlinienſi longiuſculum colloquium habui. Is

inter

Inter cœtera querelas deposuit contra Missale in Gallicum Idioma versum, contra quod exhibuit mihi Decretum tam Alexandri VII., quàm suum: primi hic tenor est. A.C 1694

DECRETUM ALEXANDRI VII. CONTRA MISSALE ROMANUM IN LINGVAM GALLICAM VERSUM.

AD aures nostras ingenti cum animi nostri mœrore pervenit; quòd in Regno Galliæ quidam perditionis Filij in perniciem animarum novitatibus studentes, & Ecclesiasticas sanctiones ac praxim contemnentes ad eam nuper vesaniam pervenerint; ut missale Romanum latino idiomate, longo tot sæculorum usu in Ecclesia probato, conscrriptum ad Gallicam vulgarem lingvam convertere, & ad cujusvis ordinis & sexûs personas transmittere ausi fuerint; & ita sacrosancti Ritûs Majestatem latinis vocibus comprehensam dejicere & proterere ac sacrorum Mysteriorum dignitatem vulgo exponere tentaverint. Nos quibus licet immeritis vineæ Dni Sabaoth à Christo Salvatore nostro plantatæ, ejusq; pretioso sangvine irrigatæ cura mandata est; ut spinarum hujusmodi, quibus illa obrueretur, obviemus incremento, earumq;, quantum in DEO possumus radices succidamus; quemadmodum novitatem istam perpetui Ecclesiæ decoris deformatricem, inobedientiæ, temeritatis & audaciæ, seditionis, schismatis, aliorumq; plurium malorum facilè productricem abhorremus, & detestamur: ita Missale prædictum Gallico Idiomate à quocunq; conscriptum vel imposterùm aliàs quomodolibet conscribendum & evulgandum, motu proprio, & ex certa scientia, ac maturâ deliberatione nostris perpetuò damnamus, reprobamus, & interdicimus, ac pro damnato, interdicto & reprobato haberi volumus, ejusq; impressionem, lectionem, & retentionem universis & singulis utriusq; sexûs Christi fidelibus, cujuscunq; gradûs, ordinis, conditionis, dignitatis, honoris, & præeminentiæ, licet de illis specialis & individua mentio habenda foret, existat; sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ipso jure incurrendæ perpetuò prohibemus. Mandantes, quòd statim, quicunq; illud habuerint, vel in futurum quandocunq; habebunt, realiter & cum effectu exhibeant, & tradant locorum Ordinarijs, vel Inquisitoribus; qui nullâ interpositâ morâ exemplaria igne comburant & comburi faciant, in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscunq;. Datum Romæ apud S. Mariam majorem sub annulo Piscatoris 12 Januarij 1661. Pontificatûs Nostri anno 6to.

DECRETUM ARCHIEPISCOPI

Humbertus Gwilhelmus à Precipiano D.& A. S. G. Archiepiscopus Mechliniensis Primas Belgij ad Exercitus Regios delegatus Apostolicus, & suæ Majestati à consilio status omnibus has visuris salutem in Domino.

Tem-

A.C. 1694 TEmporum calamitas haud dubiè peccatis nostris accersita, cùm unumquemq; moneat; ut ea quæ muneris sui sunt quàm diligentissimè exequatur, ad sic avertenda à nobis DEI iustissimè nobis irati flagella; tum præcipuè Nos, qui cæteris præpositi sumus; eadem monitio concernit: ut in ea quæ curæ nostræ Pastoralis sunt, animum acriùs intendamus. Quod ubi attentè apud nos ipsos consideravimus, commodum hoc tempore accidit; ut occasione ordinationis unius ex Rdmis Dnis confratribus Nostris Episcopis Comprovincialibus consilia coram miscere licuerit, inter plerosq; nostrûm, ad opportunum malorum quorundam remedium, quibus Ecclesias nobis commissas magis & magis indies infestari constabat. Et hæc quidem omnia simul & semel curari non posse vidimus; ut tamen alicunde incipiamus, curam nostram primam applicandam duximus ad extirpationem abusuum nonnullorum: unde mala alia complura derivari compertum est, nempe ex nimia illa licentia circa librorũ quorundam lectionem, quam hactenus quidam è nobis in suis quisq; Diœcesibus per varia & saluberrima decreta coërcere conati sunt: sed tamen arctiùs adhuc coërcendam boni quiq; judicarunt. Hunc itaq; in finem statuenda & ordinanda duximus, statuimus & ordinamus quæ sequuntur. Primùm circa ipsius sacræ scripturæ lectionē sicut vehementer hortamur, atq; adeò ita injungimus; ut sacerdotes quibus fidelium cura & directio commissa est, quique ad ea jam per studia præparantur, divino illi sapientiæ thesauro, quàm maximè sedulò & diligenter incumbant; ut ex eo dent esurientibus escam in tempore: commendantes etiam examinatoribus nostris; ut hujuscè rei magnam in examine suo rationem habeant; ita quo ad cæteros cùm non minùs hodiè, quàm superiore sæculo experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari linguâ passim sine discrimine permittantur; plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quàm utilitatis oriri: innovamns hiscè statuta quævis & ordinationes, quæ sive in synodo Provinciali Mechliniensi, sive in diœcesana alitervè à Prædecessoribus nostris hucusq; emanârunt; quoad exactam observantiam 4tæ regulæ indicis Tridentini, quam ipsam regulam olim etiam in his partibus publicatam & receptam hic subjicimus: Cum experimento manifestum sit, si sacra Biblia à vulgari lingva passim sine discrimine permittantur; plus indè ob hominum temeritatem detrimenti quàm utilitatis oriri: hac in parte judicio Episcopi aut Inquisitoris stetur, ut cum consilio Parochi vel Confessarij Bibliorum à Catholicis Authoribus versorum lectionem vulgari lingvâ eis concedere possint, quos intellexerint ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei & pietatis augmentum capere, quam facultatem in scriptis habeant. Qui autem abq; tali facultate ea legere, seu habere præsumpserit; nisi prius Biblijs Ordinario redditis peccatorum absolutionem percipere non possit. Bibliopolæ verò qui prædictam facul-

cultatem non habentes Biblia Idiomate vulgari inscripta vendiderint, vel alio modo concesserint, librorum pretium in usus pios ab Episcopo convertendum amittant, & alijs pœnis pro delicti qualitate ejusdem Episcopi arbitrio subjaceant: Regulares verò nonnisi facultate habitâ à suis Prælatis ea legere, aut emere possint. Porrò quibus vel Prædecessores nostri vel Nos, aut alij inferiores licentiam ante hàc fortè indulserunt, ut Scripturam Sacram in lingva vulgari legant, vel aliis dent legendi facultatem revocantes adimimus; donec juxta ejusdem Regulæ præscriptum, illam si visum fuerit, reddiderimus. Tum verò ubi aliquibus dictam licentiam concedi contigerit, solicitudinem magnam adhiberi præcipimus circa ipsas quæ legendæ sunt versiones, ut ne aliquæ vel hæreticæ vel suspectæ vel aliter ab Ecclesia prohibitæ in manibus versentur; inter quas peculiaris ratio habeatur ob peculiare periculum versionis Gallicæ novi testamndi vulgo dictæ Montensis; ubicunq; impressæ, quam decretis sedis Apostolicæ insistentes etiam cum notis vel explicationibus, quas additas habuerit ac quocunq; sub titulo prodiêrit denuò damnamus, & sub pœnis ibidem contentis prohibemus. A.C. 1694

Similiter cum eadem sede Apostolica ob graves rationes Gallicã Missalis Romani & signanter S. Canonis Missæ, in quocunq; vulgari Idiomate translationem reprobamus, & sub pœnis in Indice librotum prohibitorum contentis prohibemus, etiam quatenus talis translatio cum notis vel additionibus, aut sub quovis alio titulo edita fuerit. Ac generatim omnes nobis subditos monitos volumus, ut in tanta hodie librorum anonymorum minimè approbatorum atq; ita suspectorum & passim nocivorum multitudine decretis sedis Apostolicæ peculiariter circa libros iam prohibitos aut prohibendos omni cum exactitudine obtemperent. Deniq; ne cuilibet liceat sub Catechismi nomine sensa sua & dogmata tanquam doctrinam Ecclesiæ, quæ sub illo titulo proponi solet, vulgare, utq; major conformitas sit in hac Provincia non solùm circa fidei nostræ mysteria, & fundamenta, sed etiam circa ipsam illorum expressionem; volumus & mandamus ut imposterùm nonnisi Catechismus communis totius Provinciæ, pro ut ille anno 1623 approbatus & editus est, sine ulla mutatione aut additione impressus (quod singuli nostrûm in sua quisq; Diœcesi curaturi sumus) in Catechesibus & scholis prælegatur, renovantes idcirco editam eo tempore ordinationem tenoris sequentis: Catechismum hunc ab omnibus hujus Provinciæ Coëpiscopis examinatum & approbatum de eorundem consensu approbavimus, atq; juventuti proponendum decrevimus, neq; alium ab eo post 3tium Mensem ab ejus primâ impressione datum Mechliniæ 22 Aug. 1625 Iacobus Archiepiscopus Mechliniensis. Atq; ut supra dicta omnia executioni debitæ mandentur, præcipimus; ut Concionatores omnes primis tribus Dominicis ab hujus decreti nostri receptione illud populo è suggestu proponant, nec non ut Confessarij singuli de eodem pœni-

A.C. 1694 pœnitentes suos, ubi eos aut ignorantes aut defectuosos hac in parte repererint, opportunè & efficaciter moneant. Datum Bruxellis 9nâ Ianuarij 1691 H. G. A. M.

Dum ita distinerem animum conferentijs cum varijs; cursoria Poloniæ præter literas Regias, quas mox subjungam novam honori meo à Litvanis aspersam detulit calumniam. Vocata mea in suspicionem Legatio est; quare inter alia puncta à Palatinatu Vilnensi ex Comitiolis & hoc in instructionem illatum; ut à me ubi perfunctus Legatione redijssem, exigeretur juramentum super hoc, me sub prætextu deductionis Electricis nulla cum Rege Galliæ miscuisse consilia, non factiones cudisse. Adeò prona malevolentia in interpretationes est, securiusque in absentes grassatur. At virtuti nihil obest, quæ suam secum famam ubique portat: vilis verò animi prorsùs nota est, quem præsentem ferre non possis, quin perhorrescéres, absentem persequi.

LITERÆ REGIS AD EPISCOPUM PLOCENSEM
Varsaviâ 7 Febr. 1695.

AD literas Electricis Filiæ nostræ sequenti DEO juvante cursoriâ rescribemus; nunc verò breviter ex occasione certi puncti literarum tuarum de mediatione insinuamus, nos non meminisse à dilectione tua postulatam fuisse aut expetitam hujus negotii commendationem; certò enim utpote à Ssmo invitati ad hoc desiderabile opus, comendassemus tibi, ut eam materiam recenti memoriâ sub has revolvisses occasiones quæ, quia, uti scribis, ultrò se obtrudunt, iniquum & cum demerito contra Christianitatem fuerit, si illas amplecti detrectaremus. Poteris ergo pro tua prudentia & zelo quo in publicum Christianitatis bonum te ferri non dubitamus, non tantùm ejusmodi invigilare occasionibus; sed etiam pronam nostram mentem aperire. Comendamus sub hæc quàm impensissimæ solicitudini tuæ ea quæ in singulari charta intuitu valetudinis nostræ expressimus, quam tibi quàm prosperrimam precamur.

In reditu Deo dante impensè comendamus, ut Amsterodami quempiam tuorum expedias ad domum Indicam; quò ibi quàm optimam & quàm recentissimam Salsaparillam in sertum sive coronam contextam & convolutam, item radices Chinæ electæ ponderosæ cujusqꝫ 7 pondo insuper cortices Chinæ, dumodo itidem recentes & boni sint, emat; nã in proxima valetudinis nostræ alteratione eâ nos uti necesse fuit: verùm jam vim per mucorem & diuturnitatem amiserat.

Hæc quidem à Rege uti deinceps & alia dabo, at de re quæ concernebat dotem, nihil prorsùs, nisi quod animum angeret, veniebat. Contuli cum diversis tam ratione dotis, quàm salarij pro domesticis, quod mihi minus esse videbatur, item de clenodiis & gemis quorum pretium exile admodum ab omnibus censebatur. Convocavi privatim Gemarios & Aurifices tentando omnem viam, si quomodò eum valorem, in quo à Regina nobis consignata fuerant, deprehenderem, sed frustra. 50000 Imperialium æstimatio non nisi ad 19000 pretium redacta fuit. Accesserunt demùm Reginæ literæ quibus mihi vitio vertebat, quòd tam ardenter identidem dotis exsolutionem urgerem: cùm interim nec apicem unum circa eam materiam Elector scriberet. Apprehendi eam censuram, ut meritò debebam: quare ut me imposterum ab ea cura absolverem, idipsum Electori retuli, deinde permissurus res ire ut eunt. Subiit

Subiit non exigua alteratio Principem ex ea relatione; verùm penſi habui, quidquid æquiſſimè ille prætenderet. Nam quid amplius agerem? conſumpſeram modos & media quibus honorem Regium imò & meum vindicarem, in caſſum recidentibus omnibus, ludente oleum & operam Reginâ, cujus maximè intererat. *A.C.1694*

Sub hæc aliqua notavi, quæ alibi praxi carent, hic verò ſingulariter vigere comperi. Inter inviſendum Patres Ord. Prædicatorum offendi tres tumulos aggeſta deſuper arena altiores, quibus tres laureæ iminebant. Interroganti quid ſibi ea ſerta vellent? repoſitum non pridem tres in Theologia Doctores conceſſiſſe fatis, quibus ſic pro more parentaretur. Alterum occurrit in Aula Electorali. Moris ad illam eſt; ut quoties ſive diſceſſurus Princeps, ſive rediturus jamjam appropinquare creditur; omnes quotquot tum in Electorali Palatio rhedæ inveniuntur, ex area primaq; contignatione Palatij ſive in occurſum ſive velut in comitatum moveantur cæremonialiter, ultraque portam, ubi cuſtodias miles agit, delatæ tantiſper expectent; dum aut Principis rheda excedat, aut regrediatur, arciſq; limen prima ſubeat. Quod & me præſente factum, motæ omnes præter meam lecticæ fuêre. Interea Elector Colonienſis valedixit fratri Electriceque oſculo ſupremùm pro more gentis ſalutatâ, aquâ Antverpiam, inde ad ſuam Diœceſim moturus, diſceſſit. At mox alter adfuit hoſpes; qui poſtea nonnihil circa punctum honoris turbarum ciet. Princeps is Vaudemont fuit vir humanitate eximius, bellique artibus clariſſimus, qui hocce dum præſentes exaro literas tempore in favorem Domûs Auſtriacæ ſe declaravit, pugnaturus abhinc in proprium Parentem, qui pro Borbonica Domo ſtabit, triſti utique utrinque certamine; quæ enim ſolatia ſint? ſive Parenti infeſta proles, ſive Pater Nato pietatem exuant. Verùm interveniet mox cœlum, & impiam ſortem per alterutrius diſſolvet fata. Nam dum pro Gubernatore Mediolano Pater præerit; cum ſummo Cæſarianæ partis dolore fervens hic Juvenis malignâ extingvetur & expectationem gloriæ & curſum famæ abrumpet. Ex ejus occaſione de obſervatione honoris in templo diſputatum; nam dum Elector & Electrix in ſuperiore parte templi pietati intenderent, tapeſque deſuper pro dignitate inſtratus in publicum promineret: Conſors etiam Waudemontii ſuper pulvino flectens tapetique ſimiliter propendenti innixa devotioni vacavit: mirum quantum Electorales Principes indignati fuerint; nihil effecturi. Nam Waudemontius expoſtulantibus repoſuit; Electorem, & Electricem quoties in ſuperiore parte ſacris intereſſent videri eſſe incognito, adeoq; neminem teneri de hoc ſcire: aliàs utique ſe habiturum reſpectũ, ubi umbella in publico erigeretur. Eluſum potiùs à dicto Principe Electorem, quàm ex animi ſententia prolata ea tum temporis fuiſſe brevi poſt eventus docuit. Nam dum 15 Martij in proxima arci Eccleſia umbella ut ſolet ſurrecta fuiſſet, jamque excubiæ ſecundùm ordinem ſtarent: Princeps Waudemontia, penſi habito dato à Marito verbo ſuper pulvino flexit ante majorem aram. Furere inde Elector læſumque honorem obtendere, quin tam manifeſtus eſſe; ut extrema tentaturus videretur. Facturuſq; procul dubio erat: niſi interveniſſem mitioraque perſvaſiſſem, proponendo tum Regis Angliæ arctam cum dicto Principe confidentiam, tum Regis Hiſpaniæ, quem idem ſummè ſibi devinxerat, authoritatem. Porrexi medium inſuper, quo & honor integer maneret, & illa ſuo dimoveretur propoſito. Quanquam id effectu caruit.

Doctorum Theologiæ ſepultura

Ceremonia in rhedis

A.C. 1694 Nam dum ab Electore Baro Simeoni supremus Archimagirus ad Principem Waudemontiam Ablegatus fuisset, ut eam ad Electricem in superiore parte divinis vacantem invitaret, quo sic illâ motâ cultus ille incompetens ut putabatur tolli posset, dicta Princeps forsan præmonita à prætacto Barone (nam illi favebat) excusavit se ab ejusmodi ascensu, unde Electori ex templo cedendum fuit. Prodidit in crastino suam indignationem Elector obliquiore vultu, nullo itidem operæ pretio: ne apprehendere quidem Waudemontius videbatur. Interea tum alijs tum à Rege sequentibus literis 28 Februarij datis visitatus sum, quæ tantò amplius meum perturbârunt animum, quantò atrociora Patriæ denuntiabant pericula. Subnecto illas.

Comitia infelicia

Quâvis hebdomadâ binis vicibus à te accepimus literas; quas uti benevolè gratas habemus, ita plurimum gaudemus prosperis successibus Electricis nostræ, nec minus lætamur eo, quòd solicitâ curâ & studio ejus interesse ad securitatem promoveas. Apud nos nihil læti est; quod tibi significari possit: præterquam quòd per gratiam DEi utcunque valeamus: at comitia per sublationem Conclavis Nuntiorum nova formâ vetandi uti non inceperunt, nec Mareschalcum habuerunt; ita neque finita sunt, sed in termino sex hebdomadarum per privata dissidia & differentias disparuerunt, quæ etiamnum composita non sunt, etsi comitiorum pretio componi videbantur. In Russiæ verò provincia misera rerum facies, quòd & exercitûs nostri paucitas multitudine incurrentium Tartatorum fracta & suburbiorum magna pars incendio deleta, insuper per vias ferro & igne, præter plurimos in captivitatem abductos sævitum sit. Prosperam à DEo valetudinem sub hæc precamur.

CV.

AMICO CONFIDENTI ANDREAS C. ZALUSKI EPISCOPUS PLOCENSIS.

Acturus de Connubio inter Principem Regiam, & Electorem Bavariæ, meique itineris, quod Bruxellas deducendo Sponsam exantlavi, nec non laboris, quem plurimum, ut prænominata Colligatio coalesceret impendi, fidam relationem facturus; ex re futurum existimavi: si primùm varia, sive illa læta & honorifica, sive tristia & turbulenta, sacra aut profana intervenerunt, præmitterem; ne ea cursum & seriem rerum interpolata deinceps turbarent, legentemque distraherent.

Simultates inter Episcopum Vilnensem & Sapiehas

A turbulentis initium esto; quæ hoc anno inter Episcopum Vilnensem, & Sapiehas cœpta in longum ibunt, catenamque in sequentes annos mittent tristi utrinque eventu, redundantibus ex privato in publicum malis; quæ postmodum etiam sanissima consilia per roboratas tempore simultates corrumpent. Certatum ab utraque parte manifestis protestationibus, mandatis, imò etiam ab altera famosis libellis (si credere fas est) ac si per scelus causæ bonitas probari posset. Coactus excesse suâ Diœcesi Pastor, alibique asylum quærere, cui etiam me appellanti pro mensa & reclinatorio Jabłonensem Clavem concessi. Pronior in Episcopum Vilnensem Rex, perosus scilicet Sapiehas; quòd novis indies adinventis machinis non tantùm Majestatem; sed etiam Patriam fatigarent. Non deerant tamen Magnates, qui illis faverent; & imprimis Duces Exercituum Regni, & Campi-Dux Lituaniæ; qui deinde 10 Octob. communes ad Pontificem, quas hic subjicio literas dederunt.

Ad

SANCTISSIME PATER. A.C. 1694

Ad oscula Beatissimorum pedum advolvimur; ut vel in pedibus benevolas aures in causa Illmi Palatini Vilnensis inveniamus. Sentit ille eò graviùs sævientem in se Ecclesiæ Vilnensis censurã; quò magis eum sua absolvit conscientia. Compatitur infelici tanti senatoris Ducisq; fato universa Respub.: sed nemo magis, quàm noster Triumviratus, quem ei Collegam Ducalis honor voluit. Occasionem latæ censuræ dedit violata (ut prætenditur) bonorum Ecclesiasticorum immunitas, quando nimirum Palatinus in bonis Ecclesiæ duas cohortes locavit. Atqui id factum authoritate universorum Reipub. Ordinum; quæ id juris Exercituum Ducibus sancito Comitiorum esse voluit, etiam Infulato non reclamante Senatu. Quodsi ultra jusq; fasq; militaris sibi permisit licentia; id contra mentem Ducis factum evincit plusquàm Manlianus rigor: quia ad primam requisitionem sontes datis cervicibus noxam sangvine eluerunt, damna verò ex asse refusa, sed prob fatum! dum Palatinus pro justitia vindicativa gratias exspectat; gladius spiritualis in illum stringitur, & quidem ad altius subsellium Metropolitanæ, imò Vaticanæ sedis provocantem. Suadebant equidem Sapiehanæ Domûs semper in Ecclesiasticos benefica, imò & Palatini merita (qui dum singulis annis in gratiam sacri fœderis Exercitum Lituaniæ per ducenta facilè milliaria in hosticum educit, fortunas utiq; suas & sanguinem Ecclesiæ litat) ut in tam graui negotio laneis saltem pedibus procederetur; si plumbeis utendũ manibus zelus (utinam secundùm scientiam) imperabat. Sed prævaluerunt violenta consilia; ne turbatus passione animꝰ ea videret incommoda, quæ jam sentire incipit Polonia. Quis enim indicendis proximè Comitijs benè ominetur stante hoc infelici litigio? & tamen à Comitiorum decursu felices seu pacis seu armorum progressus Christiana præstolatur Respub. Quis satis explicet; quantum exinde Ecclesiastico Ordini conflatum sit odium? quàm numerosæ Patrimonio Christi immineant Harpyiæ? quas in turbido piscari gestientes nulla rationum momenta coërcere valeant. Sed hæc satis innuisse esto: quia prece, non rationibus agimus apud Paternum pectus Sanctitatis Vræ. At verò si factis majus, quàm verbis pondus inesse creditur; inveniet (ut speramus) gratiæ locum apud communem Christianitatis Parentem de hæreditario Christianæ Reipub. hoste insignis nuperrimè relata victoria; cujus non minima pars debetur Palatino, Litvanisq; copijs. Auspice namq; DEo, & sanctis Indigetibus sextâ præsentis, altero ferè à Cameneco milliari superato Tyrâ, non modò Soltanum Sabas Gerei Hani Regnantis Filium pluribus Scytharum Turcarumq; millibus Nobis infestum campo victum, ad integram leucam vindice ferro insecuti sumus, ad internecionem utiq; delendum; nisi nox prælium dirimens fugæ spatium concessisset: verùm etiam continuatâ sequenti die victoriâ, carraginem Camenecum inducendam, quæ facilè quatuor

A. C. 1694 *tuor millia curruum annonâ & mercibus grauium censebat, ita nostri juris fecimus; ut superstes hostis cladi nihil nisi vulnera dedecus domum reportârit. Quantum verò per hanc scytharum diversionem clademq; Sacro fœderi accesserit incrementi, quantum desperationis Camenecensibus tam pingui offæ inhiantibus; tempus docebit. Interim Victor Exercitus pro coronide cælitus sibi indulti solatij, unicum Paterni affectûs authoramentum à Sanctitate Vra exspectat; ut nempe Palatinus* Vilnensis *Romæ Ecclesiam experiatur Matrem; quam Vilnæ hactenus sensit Novercam: licet pro Ecclesia unà nobiscúm propitio cœlo bella Domini prælietur. Ita è voto Poloni Litvaniq; exercitus supplicamus ex castris ad Tyram fluvium* 10 Octobris.

Sanctit: Vræ humillimi servi, *Stanislaus Ioannes Iablonowski, Castellanus* Cracoviensis, *supremus Exercituum Regni Dux. Felicianus Casimirus Potocki, Palatinus Cracoviensis, Campi Dux Exercituum Regni. Iosephus Boguslaus* Słuszka, *Castellanus Vilnensis, Campi Dux Exercituum MDL.*

Nec soli duntaxat Sapiehæ Regi infesti erant; Cardinalis etiam cũ Palatino Lenciciensi in Regiam armârunt consilia. Zolkwiæ insuper ad latus Regium Venator Regni Potocki, Affinem suum Pomeraniæ Minski clavâ pulsavit; quo & Mtem & Senatûs authoritatem despectui habuit: hinc merita offensa Principis; quam ægrè sontis deprecatio sustulit. Mihi interim Varsaviæ subsistenti visum est consulere Regio Principi Jacobo; ut SS. Trinitatis adiret tantisper fortalitium: tum ne otio virtus sterilesceret, tum ut gloriam Nomini in futurum pararet. In Diœcesim verò meam delatus, cùm jam ante à me occupatum Episcopatũ, Ssmæ DEiparæ iconem Smarzeviæ miraculis claruisse, nec tamen ab Antecessoribus pro miraculosa declaratam fuisse intellexissem; processum edidi ad ineundas supplicationes, comissionemq;, ne quid erroris lateret, absolvi; tum deniq; præhabitis Theologorum responsis in hac materia decretum tuli, quod alibi videatur.

Imago Smarzeviæ miraculosa.

Porrò sub tempus Tractatûs Connubialis alibi (Leodij scilicet) circa Electionem novi Episcopi Leodiensis turbæ aliquæ fuerunt: quas mors deinde maturior ab altera parte Electi sopivit. Mansit ergò in possessione Elector Coloniensis; etsi Theutonicus Magister, Germanus Imperatricis concurrens cum aliqua parte Capituli protestatus fuerat, facturus indubiè etiam ampliùs negotium; nisi brevi post febrim calidã mors subsecuta litem Electori adjudicâsset. Eodem tempore Anna Korniaktowna de Gynecæo Reginali humanis exempta est. Vitam etiam finivit tentatis, non finitis litibus clarus ille Palatinus Mariæburgensis Łos; cui deinde Septembri mense successit Episcopus Culmensis Szczuka; cujus fata tantò mihi acerbiora fuêre, quantò pluris virum, dum viveret æstimaveram. Secuta 26 Septembris Germana Regis Princeps Radivilia; de qua dubitari poterat, illustriorne genere an virtutibus fuisset? cum utraq; in illa summa essent; ingentem certè luctum non aulæ solùm Regiæ, sed etiam indixit universis. Reseratum mox ab obitu testamentum in præsentia Majestatum, & accelerata commissorum executio: exequiæ deinde 14 Octobris Varsaviæ ad S. Joannem, 15 ejusdẽ apud me Skariszeviæ, 16. apud Carmelitanos pro dignitate celebratæ. Paucis post diebus Sigismundus Dönhoff Thesaurarius Curiæ Litvanæ natu-

Mortes variorum.

naturæ legibus concessit, & dolorem Majestatibus geminavit. Quid jã reliqui querantur mortales, quos in infimo reliquit fortuna contra fatorum injurias; dum etiam summa metuntur capita. *A.C.* 1694

Honor sub hæc DEo habitus: nam 11 Octobris Capucinorum templum Varsaviæ ritè æterno Numini dedicatum. Hic verò etiam meminisse decet grandis de Principe Nro Romanæ Sedis judicij. Jam supra innui à Nuntio Apostolico Cantelmi nomine Pontificis desideratum fuisse; ut Rex noster inter Christianitatis Augustum & Christianissimum Galliæ mediatoris partes assumeret: nunc idipsum à Pontifice postulatum fuit. Nec defuisset piissimo operi Princeps: quis enim id abnueret, votis universorum cum capite universi conspirantibus? nisi jam fessa ætas, annisq; gravibus graviores morbi inhibuissent. Subinde gemino indicio mihi suum Rex affectum testari voluit; uno: dum Miedrzycensem Castellanatum Germano meo obtulit, quanquam is non acceptatus: Altero; dum ad me literas affectu plenissimas dedit cũ gratiis pro impensa solicitudine circa elocationem Regiæ Principis, assecurando præterea; se non minùs de domo mea cogitaturum, quàm ego de illius. At carò hic favor stetit, uti ex Relatione connubij, quam ex principiis reddam, patebit.

Relatio connubij Bavarici.

Anno 1693 comperto excessisse è vivis Bavariæ Electricem, filiam nuper Romani Imperatoris Leopoldi, quæ masculam enixa prolem aliquot duntaxat hebdomadis partui superstes fuit, ortu filii in occasum vertente matri, compluribus qui faventiores Majestatibus Poloniæ habebantur, in mentem venit; ne tantæ Colligationis occasio per neglectum periret. Et quidem non pauci erant; qui verbis multi rem quotidianis discursibus ventilarent, at quorsum verba dabantur? nemine uno existente, qui manum dictis accomodare vellet. Quamobrem quò aliquod gratitudinis meæ in Domum Regiam exstaret monumentum, seriò in eam cogitationem incubui, qualiter huic necessario, etsi, prærarduo negotio initium darem, tum etiam si cœlum faveret, coronam. Suprema difficultas erat aperire viam, quâ in tam delicata materia tutò progredi liceret, præsertim, quòd Viennensis Aulæ antipathia naturalis exiguam spem fortunati successûs faceret. Nihilominus (ut brevibus complectar) non me vicêre ardua, quibus superiorem, ut aliàs semper, ita & inpræsentiarum animum gessi. Reperi tandem medium, quo primùm res inchoata, deinde etiam consumata antè finem accepit, quàm suboluisset. Imperatricis Soror, Consors autem Regii Principis Jacobi, Virginem la Riviere de Arschot (memini præterito anno illam circa finem Aprilis per respectum Natalium & dignarum avitâ familiâ qualitatum Francisco Załuski Germano meo, qui nunc Czernichoviensis Palatinus est, in conjugem cessisse) duxerat secum in Poloniam in comitatu Gynecæi. Ea ut Illustrissimâ per Belgium domo, ita non minori prudentiâ & dexteritate in similibus clara, quodq caput rei nostræ est, speciali in Regiam Principem affectu ferebatur. In illius ubi utcunque notitiam deveni, semel quasi aliud agens mentionem intentionis injeci, quam haberem, cum Aula Bavarica correspondendi; si modò ibi homo non deesset, cum quo quàm secretissimè tractari posset. Facilè dicta Domicella assecuta finem meum invenit virum, quem optabam, proposuit Dñum Dupre vocatum, sibi satis antè in Aula Paterna notum; in cujus obsequiis fuerat: tum verò etiam pro Residente Episcopi Leodiensis consangvinei ejusdem virginis apud Bavarum agebat. Non alium ullum opportuniorem intentis nostris futurum credidit. Cum hoc igi-

A.C.1694 tur primitùs agi cœptum, expetitaq; ab illo quoad nova correspondentia; per quæ gradus ad alia sensim majoris momenti fieret. Successerat equidem res ad votum, pronum ad correspondendum invenimus: quare dextrè postmodum insinuatum: dubium propemodùm non esse, quin Elector in ipso utpote adhuc flore juventæ, nec nisi unius filii compos, ad secundum connubium animum appliciturus videretur; aut jam forsan actu applicaret: optare igitur edoceri, quorsum potissimùm propenderet? non desiderari quidem alibi, sed nec per Poloniam, si nubere placuisset, objectum; quod exterus posset amare oculus, virginem genere, ætate, formâque florentem, nec divitijs cuiquam posteriorem. Tulimus responsum, sed quod repulsam præferret: aliò enim reposuit Electorem suum affectum divertisse: alteram nimirum ab Imperatore filiam suppositam dispensatione (de qua jam ageretur) offerri, nec aliunde deesse imò obtrudi sponsas, uti à Rege Galliæ ex fratre Neptem, ab Hanoverensi item unam Principum Filiarum. Infregisset aliorum vota & solicitudinem ea responsio, mea verò ampliùs dictæq; virginis accendit. Itum ad alios modos, quos secundum affectui ingenium suppeditabat, ut exploderentur cæteræ, nostra verò stabiliretur. Longior fuerim si singulos memoravero: suffecerit dixisse, & per amicos dictæ virginis, & per Legatum Hispaniæ (nam & eò respicere placuerat) in Hollandiam Dñum de Guiros, imò per ipsum Principem Angliæ Guilielmum dextrè in partes nostras pertractum de hoc negotio actum fuisse. Quid multis? jacto hoc fundamento ventum ad Capitulationem. Petita primùm imago Regiæ Principis, quâ transmissâ quæsitum de dote, declarataque pro illa quadringenta millia Imperialium, item centum millia in clenodijs. Cùm verò plura postulata fuissent (millionem enim sponsus prætendebat) & à Rege negata; relictum id ulteriori negotiationi. Expeditus deinde ab Electore confidens ejus Dulac, qui oculis suis exploraret, num imago sponsæ Originali responderet? Venit is in Poloniam Novembri mense, & à me Zolkviam devectus vidit, locutusq; Regiæ Principi, muneribus affectus redux condignam Electori suo itineris & expeditionis reddidit rationem. Diversæ postmodùm intervenêre difficultates; nam & Viennâ & aliunde ea Colligatio impugnabatur, nec in Polonia defuêre, qui novis impedimentis objectis rem irritam vellent. Verùm frustra objecti laquei: arcanum negotium subrui non potuit, mira sanè felicitas conclusum ante stetisse, quàm de tractatu quidpiam in publicum emanaret. Adfuit demùm ab Electore Plenipotentiarius Baro de Majer, quem ab ipsis confiniis cum comitatu aliquot ultra decem personarum excepi, meisq; equis & sumptibus primùm ante Pascha Pultopolim, deinde etiam Zolkviam, non attento rerum mearum dispendio, post hebdomadarium respirium deduxi: ubi quàm ardua compositio tractatûs fuerit, explicatu difficile, imò propè impossibile; quæ item pro affectu pati contigerit, qualiter malo bonum pensatum, melius equidem esset silere quàm pauca loqui; satisque foret innuisse, post multas tandem tribulationes conclusum stetisse contractum: verùm quia series & ratio rerum exigit, utcunque eas difficultates delineabo.

Secundùm præsentatas ab utraq; parte Plenipotentias à Barone nimirum Majer ex parte Electoris, à nobis verò ex parte Regis venimus ad contractũ; at mox in primo ipso statim limine offendimus. Rex augere debuisset dotem, absolutè illam minuere volebat; inficiabatur insuper à se mandatum fuisse, ut tanta sum̃a promitteretur. Gravis inde mihi incubuit labor, quo & Reginæ probarem literis, & Regem ád meliora infle-

flecterem. Absumpsit hic conatus dies aliquot, dilato interim sub diversis prætextibus Tractatu, quòd nimium manifestus Rex esset, nonnisi trecenta millia Imperialium in dotem concessurum, in quorum partem etiam Materna venirent bona. Id verò prorsùs renuere Plenipotentiarius; quin prætendere ea bona jam absq; eo nomine successionis teneri: dum tandem expugnatus Rex ad priora trecenta millia, centum millia adjecit. At nec contentus Baro exegit plura, quodq; gravem Principis accendit iram, ingentes Mtis nostræ perstrinxit divitias. Disputatum deinde de Maternis bonis, quorum ne mentionem quidem se ferre posse Ablegatus præferebat. Desideravimus ab illo; ut clenodia etiam ad rationem Maternorum bonorum admitterentur; sed & hoc postulatum rejectum; etsi postmodum hominem rejectionis hujus pœnitentia subiit. Demum conclusis jam circa Tractatum punctis, tempus exsolutionis in disquisitionem venit, quod itidem dierum aliquot spatium occupavit. Nam nemo propè crediderit; quàm facilè Rex levi de causa iras conciperet, quæ etsi facilè itidem cadebant, moras tamen negotio minimè secundas facessivêre. Volebat scilicet nonnisi per ratas præstitutis temporibus summam sancitam exsolvi. Quin insuper offensam in me prætulit, quòd pro sanciendo contractu Baronem adduxissem. Dolebat enim cætera inclytus Princeps tanta pecuniarum dispendia (adeò etiam magnorum mentes auri præstringit amor; ut non raró dignitatis respectum auferat) credebatq; faciliori negotio per factorem aliquem opus tantum coronari potuisse. Tandem tamen cùm ultimum Regia Princeps admovisset arietem; (miserat enim, qui Parenti nuntiaret longè sibi gratius imposterum futurum, si religiosas inter Cœnobij cujuspiam latebras abscondita DEO soli vacaret, quàm in aulæ luce Paternæ offensæ ansam semper præbere pavens persisteret: Regina verò etiam pollicita; se sumptibus non parsuram, quo è dignitate Filia ad Sponsum deduceretur) victus Rex, sopitiq; tumultus fuêre. Stetit contractus sublatis impedimentis, comprecationes subinde Majestatibus Regiæq; Principi factæ, deniq; à Plenipotentiarijs utriusq; partis subscriptus Tractatus, cujus tenor est talis:

IN NOMINE DOMINI AMEN.

AD perpetuam rei memoriam, notum sit testatumque universis & singulis. Serenissimus ac Potentissimus Princeps ac Dñus JOANNES III. DEi gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ &c. cognitâ & luculenter perspectâ Seren: Principis Dñi Maximiliani Emanuelis, Comitis Palatini Rheni, Romani Imperij Archidapiferi, & Electoris, superioris & inferioris Bavariæ Ducis, Gubernatoris Belgii, tũ aliàs, tum recenter per suum Plenipotentiarium infra nominandum optimâ intentione; quòd scilicet ille, postquam ob Statum ac subditorum preces, consangvineorumque & Agnatorum suorum persvasiones, præcipuè ad stabiliendam magis Electoralis domûs successionem post præmaturam mortem olim Srm̃æ Principis Mariæ, Antoniæ, Hungariæ & Bohemiæ Regiæ Principis, Archiducissæ Austriæ, Ducissæ Burgundiæ, prioris Consortis suæ desideratissimæ, vota sua conjugalia secundò repetere in animum induxisset, non alibi ea salutariùs in emolumentum rei Christianæ, perennemque nominis sui gloriam componenda locandaq; constituit; quàm in Serenissima Regia Poloniæ domo, non ob eam tantùm rationem: quòd per quàm secundum ducat domûs suæ, cùm adhuc Impe-

A.C. 1694 Imperatoriis gauderet faſcibus, cum Polonia renovare nexus: ſed etiam, quòd perquàm glorioſum cenſeat cum ejus Regio ſangvine copulari, qui à Regali Poloniæ Piaſtorum ſtirpe in Sobieslao Duce Bohemiæ deſcendens, per tot ſæculorum in Avis Abaviſque ſuis glorioſiſſima merita, perq; continuos in Chriſtianitate triumphos profectus, velut poſtliminiò Regium repetens diadema novaſque palmares de barbaris totâ vitâ ſuâ referens victorias, atque memorandis, quos hucuſque ſum̃o Dei auxilio Chriſtianitas de iiſdem barbaris numerat, inductus latè triumphis; huc quoque adſtipulante generis claritudine Sereniſſimæ Principis Dñæ Mariæ Caſimiræ de La Grange Reginæ Poloniæ, à Ludovico VI Rege Galliarum, perinde ac Regibus Hungariæ, Armeniæ, Cypri & Hieroſolymæ, Ducibus Burgundiæ & Sabaudiæ Flandriæq; Comitibus derivatæ Conjugis ſuæ amantiſſimæ, fixas perenneſque in Sereniſſimis generationibus divinas demonſtrante benedictiones, in quarum obtinendum benedicente Dño finem, cùm eadem Serenitas Bavariæ Electoralis vota & deſideria ſua de jucunditate Matrimonii cum Sereniſſima Regia Poloniæ & M. D. Litv. Principe Dña Thereſſa Cunegunda Carolina, Caſimira, Maria Filia ſua unica chariſſima explicuerit, & plenipotentiarium Conſiliarium ſtatûs ac Præfectum in Statamhof magnificum Marcum Chriſtophorum de Majer ſpeciali mandato inſtructum ablegari fecerit: idem verò ſuus Plenipotentiarius nominatam Sereniſſimam Principem Poloniæ & M.D.Litv. in veram & legitimam Conjugem Sereniſſimo Principi Bavariæ Electori petiêrit, proq; determinando hoc negotio ex mutuo partium conſenſu viciſſim Regios deſiderârit Plenipotentiarios: tali videlicet altè memorata S.R. Mtas Poloniæ cognitâ ſuæ Electoralis Serenitatis voluntate, ac propenſo & enixo in Regiam Domum ſuam ſtudio; imprimis ſpontaneo ſuo Paterno beneplacito, pòſt accedente Materno Sereniſſimæ Reginæ conſenſu, ac etiam cum præſcitu & libera voluntate Seren. Principis Virginis Filiæ ſuæ, grata habet vota & deſideria Seren. Principis Electoris Bavariæ, Matrimoniumque petitum juxta ritum S. R. Eccleſiæ peragendum concedit, ac permittit ac Plenipotentiarios ſuos ad id ipſum concludendum deſignavit, Reverendiſſimum, Illm̃os, Excellm̃os, Magnificos, Andream Chryſoſtomum in Załuskie, Blędow, & Kozietuły Załuski, Epiſcopum Plocenſem; Stanislaum in Ducatu Oſtrogienſi Lachow, & Jabłonow Jabłonowski, Caſtellanum Cracovienſem, copiarum Regni campi Ducem; Marcum in Warąz & Michrow Matczynski, Palatinum & Generalem Terrarum Ruſſiæ, Belzenſem, Rubiſzowienſem & Braclavienſem Gubernatorem, Franciſcum in Noſſiesk Weſſel Palatinum, & Generalem Terrarum Mazoviæ, ſupremum Sacræ Reginalis Majeſtatis Mareſchalcum, Gubernatorem Roſanenſem & Mazovienſem: Martinum Borowski Caſtellanum Gedanenſem, Gubernatorem Graudentinenſem; Chriſtophorum in Vſada, Michałcze, Habdanck Skarbek, Caſtellanum Halicienſem; Nicolaum à Wyzyce in Sluzewiec & Zarbierzec Wyzycki, Secretarium Regni ſupremum, Abbatem Czervenenſem, Præpoſitum Niſtowienſem; Stanislaum in Szczuczyn & Radzyn Szczuka Referendarium Regni, Lublinenſem & Varecenſem Gubernatorem.

Igitur inter modò dictos Regios & ſupra nominatum Plenipotentiarios, factâ priùs mandatorum ſeu Plenipotentiarum permutatione; quod felix lætumq; ſit toti Reipub: Chriſtianæ, ad gloriam omnipotentis DEi, pro decore & commodo utriusq; Seren: domus, pro bono & immortalitate Seren: Reipub: Polonæ, firmandisq; in ejus uſum quàm pluribus

pluribus amicitijs itum eſt in ſubſequentes concluſi tractatûs Matrimonialis conditiones & articulos. *A.C.* 1694

Imo S. R. Majeſtas Poloniæ juri divino ac naturali, amoriq; ſuo ſingulari erga Seren: Filiam unicam ſatisfaciendo, vigore ſuæ Paternæ ac legum Regni authoritatis, dotem de omnibus bonis ſuis mobilibus & immobilibus, conſtituit & aſſignat, præter mundum muliebrem & ſupellectilem mobilem, ſum̃am videlicet quingentorum millium talerorũ imperialium in ſpecie, eamq; prædictæ ſuæ Serenitati Electorali Bavariæ poſt conſum̃ationem Matrimonii actualemq; cohabitationem realiter enumerandam & tradendam declarat, relictâ Maternâ ſucceſſione poſt fata ſera & longiſſima Seren: Reginæ Matris, juxta leges Patrias obſervanda; ſi interea ſuper ea particularis conventio fieri non poſſit, acceptis tamen ad rationem ejuſdem Maternæ portionis gemmis clenodiisq;, quæ in inventario authentico in utramq; partem conſcripto ſpecificantur; vigore cujus conſtitutæ & levandæ dotis Sereniſſima Princeps Filia ſtatim poſt celebratum & benedictum Matrimonium, antequam de laribus ſuis egrediatur, ſolennem coram Cancellariis metrices Regni faciet abrenuntiationem, juxta morem & ſtatuta Regni Poloniæ, de omnibus generaliter habitis & habendis Paternis, Avialibus, ac quibuſvis ſucceſſivis bonis de linea Paterna collaterali & Aviali venientibus, tam mobilibus, quàm im̃obilibus in rem & favorem Srnm̃æ domûs ſuæ per lineam maſculinam deſcendentis, juxta fuſiorẽ tenorem abrenuntiationis, poſt conſum̃atum Matrimonium ſeorſivo ſcripto ſuo diplomate ratum habebit & approbabit.

2do Seren: Princeps Elector Bavariæ ſum̃am hanc dotalem quingentorum millium talerorum imperialium, tum & aliam contradotem ſimilem quingentorum millium talerorum imperialium, in ſpecie ſummas utraſq; junctas millionem unum talerorum imperialium in ſpecie Srm̃æ Sponſæ ſuæ futuræ, in bonis ſuis liberis & mundis ab omnibus quocunq; titulo oneribus nominatim ſuper arce & civitate Waſſerburgenſi, tum Dynaſtijs Krayburgi & Neumakt, nec non ſuper Comitatu Menrigenſi inſcribit, eadem jure hypothecæ omni meliori modo, ſtylo, formâ, & ſecuritate eidem Srm̃æ Neoſponſæ obligat cum omnibus reditibus, vectigalibus, cæteriſq; univerſis attinentiis & pertinentiis, unicâ exceptâ jurisdictione altâ ſeu ſuperiore & Provinciali. Quodſi præfata bona ſum̃is prænominatis, ac proventui ex illis annuo quinquaginta millium imperialium futuræ Srnm̃æ Sponſæ pendendo, non ſufſecerint; extunc alia omnia bona ſua & reditus in univerſum omnes, eorum adminiſtratores & ſubditos in his comprehenſos ita obligat, & vult eſſe obligatos; ut non tantùm ipſi obediant, ſed omne ipſius com̃odũ, prout erga ipſummet Seren: Electorem promovere teneantur. Quo verò efficaciùs ſufficientia & proventus bonorum ſciri valeat; Seren: Elector permittit Commiſſario Regio ex beneplacito Regis mittendo eorundem luſtrationem, ac reviſionem; poſt quam, ſi fuerit demonſtrata inſufficientia, vel alia totaliter bona, vel alia his addita æquè per Commiſſariũ luſtrata, realiterq; probata efficere quinquaginta millia talerorum imperialium annui reditûs eodem jure hypothecæ obligabit, & ſignabit ſeorſivo ſuo diplomate in forma plena juris.

3tio. Circa eorundem quoque bonorum aſſecurationem Seren. Elector donum Nuptiale pro affectu ſuo ſponſæ ſuæ pollicetur, cujus exprimendam quantitatem S. R. Mtas proprij arbitrii ac generoſitatis Sereniſſimi Electoris eſſe voluit, ac eidem confidit.

4to. Si ex Divinæ voluntatis diſpoſitione Sereniſſima Sponſa prævixerit

A.C. 1694 xerit Seren. suum Conjugem, deveneritque ad luctuosum statum Vidualem, quem divina bonitas longum avertat; eo casu, sive liberi adsint, sive non; extradetur Viduæ suma in dotem assignata & numerata quingentorum millium talerorum imperialium in specie, unà cum vestibus gem̃is, pecuniis, argento, mundo muliebri cæterisque mobilibus tam secum adductis quàm stante Matrimonio acquisitis ac comparatis; nihilominùs quo statui illius Viduali competenter provisum sit, Seren. Vidua præter usumfructum annuum, videlicet præter sum̃am 25 millium talerorum imperialium, in specie à sum̃a contradotis provenientem, sibi ad vitæ suæ tempora, tam intra, quàm extra Bavariam degenti servientem; aliam sum̃am nempe quinque millium imperialium talerorum in specie, quamdiu in statu Viduali permanserit, sive sit futura, sive non proles; sum̃as utrasque junctas ad vitalitium, sive contradotis nomine 25000, Vidualem 5000 efficientes 30000 talerorum imperialium in specie ex bonis sibi hypothecatis & inscriptis, sive hypothecandis & inscribendis (ut supra insinuatum est) per suos Administratores prævio omnium & singulorum in ibidem Officialium, Serm̃æ Principi Viduæ fidelitatis juramento præstando, realiter percipiet & levabit, In quo hæredes & Successores suos Seren. Elector obligat ac vult esse obligatos, semper & taliter; ut casu quo bona præfata proventum annuum supradictum extradere non sufficiant, ipsi sint adstricti, teneanturque continuò deficientes sum̃as complere & providere. Pro eodem quoque statu Viduali Residentia assignatur in civitate Wasseburgensi, ubi hæredes & Successores Seren. Electoris illum locum pro sufficienti & commoda sua Aulæq; suæ ac domesticorum habitatione construi, adornari, atq; omnia necessaria de argento, vasis, tapetibus & omnis generis mobilibus provideri curabit, eademque mobilia omnia proprietariè ad Viduam ejusque Successores spectare debebunt. Jam verò stante suo, utinam quàm longissimo statu Matrimoniali! Serenissimus Elector Srm̃æ Principi Sponsæ de omni honesto, & tantâ Principe digna tam personæ suæ, quàm domesticorum servitorum, totiusq; Aulæ suæ sustentationi, aliarumq; extra hanc necessitatem occurrentium sufficienti & decora provisione, omni meliori modo, & favore prospiciet & providebit.

5to. Si verò voluntate suprema priùs Serenissimã Conjugẽ, quam Srmum Maritum de hac vita (quod similiter divina bonitas longum avertat) decedere contigerit; eo casu liberi, qui de benedictione divina sperantur, totius Srmæ Matris suæ substantiæ in potestate Parentis ad vitam relictæ hæredes erunt. Ubi verò nulla superstes fuerit proles; sæpè fata dos 500000 talerorum imperialium in usufructu & potestate Srmi Electoris, quousq; vixerit, permanebit; fatis verò & longè succedentibus eadem dos, extincta contradote ad successores Srmæ Principis Sponsæ integrè & realiter, cum omnibus gemmis, & clenodijs, mobilibus de domo sua acceptis, cæteraq; avita, sive quæsita per Srmam Sponsam mobili & immobili substantia redire debebit; ita ut semper & omni sterilitatis casu observetur jus commune: dos unde exit illuc redire debet.

Succedente verò (quod DEus Omnipotens avertat) præmaturo alterutrius fato ante consummationem hujus Matrimonij præsens contractus nullam partem obligatam facit, omniq; nexu pars alterutra exsolvitur.

Taliter itaq; præsentem contractum Matrimonialem conclusum & conscriptum tam Serenissimus & Potentissimus Rex Poloniæ JOANNES

NES III cum suis Successoribus & hæredibus; quàm Seren. Elector Bavariæ Maximilianus Emanuel similiter cum suis Successoribus & hæredibus obligant se, ac promittunt omni meliori modo, fide, ac stipulatione in omnibus punctis, clausulis, conditionibus, articulis, nexibus & ligamentis tam in toto, quàm in parte firmiter ac inviolabiliter manu tenturos, & conservaturos; ac insuper Seren. Elector obligat se daturum approbatorium ejusdem contractûs diploma, tum & supranominatam approbationem factæ abrenuntiationis Srmæ Sponsæ suæ, consignaturumq; utraq; hæc scripta in manus ad id à S. R. Mte Deputati. In cujus rei fidem testimonium ac robur duo in omnibus & per omnia concordantia confecta sunt instrumenta, manibus Plenipotentiariorum intrò contentorum subscripta, & sigillo eorundem comunita, cuilibet partium contrahentium extradita. Actum in civitate & arce Regia hæreditaria Zolkieviensi in Russia 19 Mensis Maji anno Dñi 1694. Præter hunc contractum quædam adhuc constituta fuêre puncta inter Plenipotentiarios. *Primum* ut quingenta millia imperialium (quorum 400 Rex dabat, Regina verò reliqua centum millia, Materna non attingendo bona ad sustinendam hanc Colligationem de proprio adjiciebat) altero post consumationem die numerarentur. *Secundum* ut Rex suis sumptibus adusque fines Hispanicos Sponsam deduci curaret, quod quia Rex renuit, Regina itidem in se recepit. *Tertium.* Ut præter tres personas, duas scilicet Honorarias virgines, tertiumque Secretarium, nemo persisteret cum sponsa; sed omnibus à limitibus redire liceret. *Quartum.* Tempus Nuptiarum Varsaviæ 15 Augusti, statutionis verò in limitibus Hispaniæ, 15 Octobris determinatum. A.C. 1694

Sequenti die, id est 29 Maji Majestates Legatum Regio exceperunt convivio muneribusq; honorârunt: data framea & cingulus gemmis distincta, grande Turcicũ sipariũ auro intertextum, paria aliquot tapetiũ pretij & operis exquisiti, pellium armelinarum aliquot quadragenæ; quibus Regina pretiosum adjecit horologium: Nepoti verò ejus ex Sorore equus cum splendido apparatu, & framea lapillis distincta annulusq; ac alia obtigêre. Sic consummato contractu pridie discessûs sui Legatus expedivit Secretarium per Cursoriam Bruxellas, commissis & literis à Rege datis, dictoq; contractu: ipse verò in crastino moturus generosissimè singulos muneratus est, aliquot millibus imperialium uti existimatum fuit, in dona expensis. Tandem 23 Maji iisdem sumptibus & equis, quibus venerat, deducente eum Germano meo Suffraganeo Premisliensi Cracoviam rediît; ubi hypocondria dictum Baronem occupante propè in irritum res tanto labore coalitæ cecidêre. Causa mali metus, ne examinatores contractûs contrarium quidpiam sui Principis comodo reperirent: præsertim in puncto de bonis Maternis & de libera dispositione ad jus commune remissa. Adeò malum increverat, ut vehementi apprehensioni succumbens libros ad se aliquoties mandaverit deferri, confessiones adusq; ludibrium aliorum iteraverit, quod etiã ab excessu Cracoviâ ab illo actitatum fuisse cognovi: imò ceu agoni proximus foret, Extremæ Unctionis Sacramentum sibi administrari petiêrit, testamentumq; confecerit. Demùm, ut in sicco tantum negotium naufragium faceret langvens pro Bruxellis Monachium contendit, literasq; ad Electorem ac omnem aliam notitiam, quam de ulterioribus uberrimam dederam, per ægritudinem suppressit. Me interim de Diœcesi cogitantem compellavêre Majestates; ut siquidem per me stetisset cum tanto propriorum sumptuum dispendio felix magni operis initiũ;

mea

A.C.1694 mea imposterum non negarem studia, per quæ illud optatum consequeretur finem: darem id precibus utriusq; Principis votisq; totius aulæ, & sponsam, cui mea hactenus probâssem obsequia, ad Sponsum deducerem, non defuturum operæ pretium, nec sumptus viæ quos uti per Legatum Galliæ declarâssent; sic iteratò declarare, habituros insuper domûs meæ rationem; uti jam in favorem Germani mei Castellanatus Woinicensis à fatis Iordani subscriptus esset. Surdo tum hæc canebantur: certus eram omnimodè obniti etiam imposterum, & tum quidem eam provinciam non tantùm deprecatus sum; sed etiam præfractâ intra reverentiam tamen negatione rejeci, & ab aula discessi. Non tamen desperavêre Majestates, aut à me fatigando destitêre; ut ut excusationes obtenderem: ne quidem in Diœcesi libero ab importunis ejusmodi literis esse licuit; dum tandem votis illarum responderē. At interim multus labi dies (duo namq; menses effluxerunt) nec audiri quidquam Bruxellis, probâsséтne Elector contractum & qualiter? hinc rumor diversus (ut proni in deterius mortales sunt) ex fundamento silentij tam longi per Poloniam volitare, Princeps etiam uterq; futurorum ambiguus esse, propeq; ab intentione meditati Varsaviam itineris remittere; dum tandem ad continuas meas literas quibus negotium urgebam Bruxellis responsum: Baronem Maier mente dejectum, sibi ultroneam aliquoties intentâsse necem, seq; de fenestra præcipitem egisse, literas aut informationem nullam ab Electore, quas sive ipse, sive Rex dedisset, haberi. Miserat nihilominùs Baronem de Selles Dux Bavariæ cum literis civilissimè scriptis tam ad Regem & Reginam petendo imaginem Sponsæ; quàm ad me eundem cōmendando, ulteriusq; obsequium meū implorando. Nec mora: edocui Aulam exnunc copiisque originalium transmissis evici; ut tandem Majestates ex Russia Varsaviam iter decernerent felici eventu: nam exinde falsi cecidêre rumores. Perrexi in occursum cum Ablegato Majestatibus, mox festinati itineris pœnitentiâ subiturâ. Nam Bialam delato sesqui hebdomadâ subsistendum fuit partim ob deteriorem Principis Radiviliæ Sororis Regiæ valitudinem, quâ etiam ut supra memoravi 29. Septembris obiît, partim quòd ignorarem, quà iter Rex flexurus esset. Tandem certior factus Regem Varsaviam properare, eodem & mihi proficiscendum ratus, tertiâ ab excessu die 4tâ scilicet Augusti, ibidem constiti, Baronemque præsentavi. Aliquot diebus pòst adfuit etiam Comes Tering in locum Comitis Felicis Preseine Succamerarii Bavariæ morbo impediti à consilio Monachiensi surrogatus, novam turbationis & laboris mihi materiam præbiturus. Nam etsi credentialibus instructus erat; desiderabatur tamen nomen Electoris in subscriptione, item annulus, munera & ratificatio contractûs: procurationem duntaxat connubialis voti pro persona Regii Principis Jacobi advexerat. Supra verba est, quem me laborem subire necesse fuerit; ut alienæ Ministrorum negligentiæ culpam velarem, erroremq; corrigerem. Enim verò nihil operæ meæ desiderari passus sum, quò sartus tectusq; abolito perperam facto, partium maneret honor. Visum mihi expedire Cursorem, qui Electorem de defectibus doceret, & media emendationis propinaret: inventa quin etiam media annulum & munera supplerent, tum rationes quæ omissam Legationem excusarent.

At compositis omnibus cœlum sequenti die, acsi constantiam experiri vellet, interventu suo ultimò tantisper humana turbavit vota. Vehementior tempestas Varsaviæ incubuit, & ad tertiam usque protra-

ctâ

ctâ pluviâ pompam impeditura timebatur; jamq; spem omnem tam Equestris quàm Pedestris assistentiæ ademerat: verùm hactenùs desævisse contentum dissipatis nubibus iterum serenum explicuit, humanæque curiositati favit. Concursum proinde velut comuni motu ad palatium Casimirianum, præivêre tribus civitatis sub suis quæque signis, Peditesque; tum aliquot vexilla Germanici & Armeni equitatûs, aliorumque secutæ; deinde rhedæ Senatorum, denique copiosa in generosis equis Nobilium assistentia: Princeps verò Regius Jacobus in paludamento splendidisque vestibus, medius inter Principes fratres eques ibat. Ab ejus ad palatium adventu prodière mox Mtes cum filia Principe, & per majorem arcis portam, Gallicamq; plateam rubro instratã panno ad Ecclesiam progressæ ab Episcopo Posnaniensi cum Clero præ foribus præstolante exceptæ fuêre, tum ad majus altare deductæ, ubi Cardinalis Primas Plocensi, Premisliensi, Varmiensi, & Culmensi Episcopis in Infula conspicuis stipatus, lectis procurationis literis contractui adstitit. Itum deinde eodem ordine porticibus in arcem. Fulgor vestium Regiæ Principis, quem plurima accenderat gema, humanum advertit oculum, cyclasq; Regalis, quam quinæ Senatorii Ordinis Dnæ sustentabant, scilicet Palatinæ; Sendomiriensis Warsicka; Woliniæ Jablonowska Reginæ ex Sorore Neptis; Czernichowiensis Felkersamia; Castellana Woynicensis Zaluscia, & Mareschalca Curiæ Litvanæ Sapiehana itidem Reginæ ex Sorore Neptis. Successit actui solennis mensa, xenia nuptialia binis diebus præsentata, tertio artificiali igne in Vistula triumphatum, 4to spectanda opera objecta. Datæ postmodum honori Legatorũ Sponsi collationes, & convivia; quibus factum: ut quamvis quantocius felix de celebrato contractu Nuntium suo Principi Baro de Selles deferre optaret, non tamen excesserit ante 28 Augusti; cui pro xenio cessêre framea gemis interpolata, cingulus simili ornatu dives; ab Electrice annul9, à me vestes Polonicæ holosericæ, pileusque zebellinis pellibus subductus; & gemina manica similibus pellibus pretiosa pro ejus sororibus. Devexit secum imaginem Regiæ Principis adamantibus comprehensam, annulumque nuptialem, graviter id ferente per invidiam Comite Tering: qui id muneris optaverat, deq; eo cum Principe Jacobo egerat, sed frustra. Longum rursum abinde silentium tenuit, diversarum per diversos suspicionum & affectuum parens: 8 iterum aut 10 hebdomadæ omni absque litera inter expectationem, num tandem votis nostris tenere portum contingeret? effluxerunt; nisiq; Dñus Dupre suis identidem literis mecum egisset; variè tot labores nostri accepti fuissent: & ne sic quidem (ut vulgus semper in pejus abit) sinistris interpretibus silentium caruit: dum tamen innotuit Baronem de Selles feliciter Bruxellas appulisse, Cursoremque propediem, mox etiam Ablegatum expediendum; qui emendaret errorem, annulum & munera deferret, & ratificationem contractûs. Præstolabamur ea omnia (uti fieri consvevit per vehementia desideria) impatientissimè: interea Parisiis mundus muliebris & cætera paraphernæ expeditionis advecta curioso aliquot diebus exhibita fuêre oculo, secuta postmodùm notitia Baronem de Selles cum ratificatione contractûs & annulo; Baronem autem Simeoni cum alijs muneribus Bruxellis excessisse: venit etiam sub hæc mandatum Comiti Gering; ut sine dilatione ad Principem suum rediret, quòd de illo Aula Electoralis non admodùm contenta esset. A.C.1694

Quare 12 Octobris abiit frameâ & cingulo adamantibus distincto honoratus. 22 Octobris advexit ratificationem contractûs Baro de Sel-

A.C. 1694 les, imaginem etiam Electoris cum monili adamantibus corusco & annulum admodum pretiosum attulit. Baro verò Simeoni pensi habitis literis, quibus eum detinere Thorunii tentatum fuerat, secundâ Novembris Varsaviæ comparuit, nec quidquam operæ omisit ab adventu suo, quod ad urgendam profectionem Electricis conferre poterat: honorem etiam Regiæ Principis jam suæ Dñæ sibi cordi esse paucis probavit; expostulavit enim imprimis cum Regina quod Electrix non semper sederet; sed quandoque staret in præsentia virginum gynecæi: eidem insinuavit, non ex dignitate Electricis esse, quòd lavanti Reginæ manutergium ipsa præberet, quibus correctis 3tium adjecit de pecuniis, ac si eæ Parisiis innodatæ hærerent, quod quidem tum negatum, sed brevi post verum nimium fuisse expertus sum, appropinquavit tandem tempus, quo migrandum de domo paterna laribusque Poloniæ Neonuptæ erat; quare pridie profectionis Rex & Regina vocatæ ad se filiæ non pauca de vita Conjugali dedêre præcepta, Rexque imprimis in mea præsentia pluribus cautelis instructam paternâ munivit benedictione: Regina etiam de singulis imperfectionibus, quas in juventute illius notaverat, admonuit, tum uterque ad me conversus obtestatus est, deducerem illam, & pro utroque illi tantisper præessem, affectumque qui ab utroq; Parente expectari posset, paternè exhiberem maternèq;, mandârunt sub hæc Sponsæ Majestates; mihi ut in omnibus pareret, levitatumque suarum oblita dignum Regiâ personâ animum assumeret. Lachrymas inter hæc monita excepta & data fuêre, nec à me quidem siccis oculis audita. Secundùm hæc Regina in conclavi suo mihi fidem dedit, mea commoda cordi illi futura: & recordata affectûs mei quo unicè Radivilianæ domui addictus fueram, enixè petiit; ut siquidem Princeps Radivilia supremum clausisset diem, jam imposterum studia in domum Regiam transferrem: id cùm promisissem reddidit instructionem manu Regis subscriptam, multa præterea pollicita mihi, si modò Electorem Bavariæ in partes Gallicas pertraxissem. Verùm ultra promissa, & verba res non processit: quamvis comissis impenso conatu non defuissem. Decretus tandem migrationi dies 13 Novembris illuxit: eo ab accepta in templo S. Joannis benedictione, post multas comprecationes in filiam à Parentibus, in Principem ab aliis congestas, Volam pro nocte discessim9, quò Regina materni amoris pignus valedictorium munus cum expressione teneritudinis transmisit. Pransuri indubiè ibi sequenti die eramus; nisi Baro Simeoni intercessisset, qui veritus, ne forsan Legat9 Galliæ prandio interesset; contestatus nos publicè est: ut aliò refectionem differrem9, alioquin casu, quo ille accumberet mensæ, protestaturum se per rationẽ; quòd Electrix jam quodam̃odo matremfamilias agens nullatenùs Ministrum ejus, qui Marito per bella hostis esset, invitare aut deberet aut posset. Ingratum id Majestatibus accidit. Alterâ nocte Blonium divertim9, quò etiam Castellana Vilnensis ordinata ad conducendam Electricem venit. Quia verò quasdam secum attulerat informationes, quæ mihi ad gustum esse non poterant, expedivi unum meorum ad Regem qui seriò expostularet, & deniq; etiam declararet, me præoptare reditũ, quàm his stantibus Electricem deducere: id ipsum Regiis Principibus à me insinuatum. 3tiam noctem Lovicij egimus, cui dum jam vicini essemus, præmissus ad Cardinalem Dñus Jelec cum complemento, qui intimaret Regiam Principem in proximo esse. Nec moratus Cardinalis obviam non sine pompa Sponsæ perrexit. Præibat vexillum Polonicum ex Vasallis, pagorum Præfectis, civibusq; insignioribus ultra centum 50 colle-

collectum, sequebantur vexilla aliquot Peditum ex tribubus Civitatis *A.C. 1694*
composita, tandem assistentia Equestris ex vicina Nobilitate & domesticis, numerum ferè quinquagenarium ultra centesimum facientibus, apparatu vestium & equorum insignes omnes, æreis sonantibus tympanis in campum se effudêre: clauserunt agmen rhedæ sex numero, quas Luceoriensis Nominatus, aliiq; Prælati inscenderant, honorem Neo nuptæ suo occursu habituri. Ubi autem vicinior Cardinalis nobis esse cœpit, videns me excendisse rhedâ, ipse quoq; sua descendit & ad Electricem progressus, prævio Crucifero & Mareschalco, Rocheto insuper amictus & Cardinalitio bireto opertus caput, Principem Regiam complemento Gallico in præsentia Ablegatorum Bavariæ, non sine commemoratione Neosponsorum est veneratus. Mox Electricem ad suam invitavit rhedam; nec renuit illa: cum duabus Matronis Ductricibus suis eam inscendit, lecticâ Regiâ proximè sequenti. Cardinalis ipse postremum sibi desumpsit locum. Ad sesqui horæ spatium pompa ingressûs per solam Civitatem inter reboantium tormentorum plausus tenuit; dum tandem Lovicìensem arcem sub ipsum crepusculum ingressi sumus. Deduxit ad conclavia Electricem ipsemet Cardinalis: bina ea erant binis item oblongis mensis, quæ instratæ & pyramidibus insolente altitudine ex saccharo confectis visendæ erant, præparata; 3tium conclave quieti Electricis destinatum, pictis acu tapetibus & peristromatis ad magnificentiam investitum undiq;, lectoq; jam in antecessum iustructum. Hic aliquantum temporis priusquam cœnæ tempus appeteret, literas ad Sponsum dedit: quòd Baro Simeoni, ne Dñi sui contravenisse voluntati videretur, ardenter urgeret expeditionem sui, cui etiam meas commisi literas ad Electoris Ministrum statûs enixè ab eo postulans; ut de securitate numerandæ summæ dotalis provisum vellet; mox ut Regia advenisset Princeps: adjeci insuper, non deventum iri ad numerationem prædictæ sumæ; nisi per prius purificata conditio fuisset. Idipsum oretenus Baroni jam in procinctu existenti intimavi; cui horologium quoddam ex consilio Castellanæ Vilnensis Electrix obtulit. Successit literis scriptis collatio; ad quam accessuræ Electrici aqua à Prazmowsciis ministrata, à Cardinale manutergium. Consedit deinde Electrix; ad cujus dextram sortitæ locum Vilnensis & Woynicensis Castellanæ: has secuti Ablegati Bavariæ; à sinistris verò primo ego consedi loco; tum Comes de Bethune & Castellanus Woynicensis: ipse verò Cardinalis duos inter medius Incisores ex opposito Electricis occupavit locum: ponè quorum alterum Nominatus Luceoriensis & Prælati, ponè secundum Castellana & Castellanus Lencicìensis cum Filio & Prazmowsciis consederunt. Nemo de Electricis comitatu eidẽ mensæ adhibitus fuit: non tamen quidquam desideratum ab illis ad alteram mensam, quod quidem ad lautissimam tractationem pertineret. Magnificè utrobiq; instructa epulis vinoq; mensa & Cardinalis & hospitantis Sponsæ dignitati respondit. Libata vina sanitati & honori tam Regiæ, quàm Electoralis domûs inter iteratos tormentorum plausus. A finita circa nonam cœna, cùm in conclave pro quiete Electrix secessisset, sat scitè Castellanides Lencicìensis citharam pulsavit, tum omnibus noctem precantibus felicem, etiam Baro Simeoni sequenti luce ad Ducem suum acceleraturus iter Principi suæ valedixit. Expetiìt Cardinalis uti diem saltem unum sibi indultum vellet; verùm renuit Electrix: quo tamen aliquid daret precibus Primatis; in jentaculum consensit: quo factum est; ut postridie pro quinque milliaribus Kutnum usq;, nonnisi tria Belnum conficeremus. Excessi-

A.C. 1694 mus in craſtino Lovicio audito imprimis ſacro, in quo Evangelium & patina ſoli duntaxat Electrici ad oſculum exhibita fuére tum jentaculo ſumpto, in quo poné Electricē Cardinalis conſedit; exploſa iridem fuêre tormenta ſub tempꝰ hujꝰ matutinæ refectiunculæ: ſecundū quā ad quadrantē circiter milliaris Cardinalis nos eſt comitatus. Ubi pro quarta noctis in diverſorio conſtitimus; literæ à Rege nos hucusq; inſecutæ mihi redditæ ſunt, in quibus multum in me effudit affectum. Illinc Kutnum delatis triſte occurrit ſpectaculum; quod non ſine compaſſione vidimus: fæmina Sucharzewſcia nomine Nobilis genere, opibus præpollens, ſi poſſeſſiones in manibus ejus eſſent, tum autem Aulæ illius & amplorum bonorum hæres, non Dna, de ſuo tanquam de alieno vivebat, dominante in ejus bonis Theſauraria Regni Zamoyſcia; quod graviſſimum erat omni ſpirituali carebat ſolatio: ne ſub Paſchæ quidem ſolennia intereſſe ſacrificio Miſſæ ferebatur, non item aliàs adire templa; quòd vereretur, ſi ſemel exîſſet arce, ne occluſis foribus ulterior reditus prohiberetur. 24 Novembris obvios habuimus Palatinum Lencicienſem Generalem majoris Poloniæ & Caſtellanum Miedzyrzycenſem Gurowski Poſnaniā invitantes, cum quibus habitâ conferentiâ concluſimus; ut pro nocte ad Canonicales ædes Electrix diverteret, publicumq; ingreſſum in craſtinū differret. Deſcendit igitur Electrix ad Cathedralem Eccleſiam; ubi in porticu à Capitularibus in cappis ſolenniter excepta, orationeq;, quam de gremio illorum Sierakowski habuit, tum etiam ab Academia Panegyrico culta honorataq; fuit. Utrisq; ex tempore mihi reſpondendum fuit. Veſpere eodem adfuêre literæ ab Electore Brandeburgico; quibus impenſè invitabat Electricem Berlinum; ſiquidem nec Gedanum, nec Stetinum iter flexura eſſet. Reſcripſit Electrix civiliſſimè deprecando, ſimulq; excuſando; quòd urgeretur literis Sponſi, ut quantociùs, quantum per valetudinem liceret, accelerâret. In craſtino poſt complementum primùm à Civitate, deinde à Generali nomine Nobilitatis peractum, ſolenniter ingreſſi ſumus per arcus triumphales, qui utriusq; Majeſtatis imaginibus totiusq; domûs ſat felici penicillo pictis, tum etiam inſcriptionibus, quæ ſecundum probarent ingenium, ornati erant, delatiq; ad Eccleſiam S. Magdalenæ, quòd is dies S. Catharinæ ſacer eſſet, ab ejus templi Clero ſalutati concioni & devotioni interfuimus: deniq; arcem invecti lautiſſimè habiti. Electrix ipſa ſub umbella conſedit. Nec veſper quidem honore vacavit; quem artificiales ignes illuſtrârunt. demum ſequenti die poſt orationes Gymnaſij Societ: JESU, prandiumq; ſumptum, circa veſperam inter tormentorum plauſus iteratò itineri nos commiſimus. Vix confinia noſtra attigeramus; cum Dominus Faukowski Conſiliarius Electoris Brandeburgici nobis obvius literis redditis, quibus Dux impenſè rogabat, ut Berlinum diverteremus, ſolenniſſimè in Civitatem Electoralis jurisdictionis deduxit, atque ibidem tractavit: reſponſum ad literas nihil eſt, quòd Caſtellanum Woynicenſem cum excuſatione expedire mens eſſet, quamvis aliquid aliud tum cogitarem innixus Regis mandato, quod mihi in ſecreto dederat; ut ſi Elector urgeret, divertere Berlinum minimè detrectâremus. Hic ſupremas literas à Majeſtatibus recepimus, & imprimis valedictionem, quam manu propriâ imagini Beatiſſimæ Virginis Polonicè inſcripſerat; cujus tenor eſt talis:

Valedictio quam Seren: JOANNES III. Rex Poloniæ ſuæ unicæ Filiæ Cunegundæ Thereſſæ dabat, dum Sereniſſimo Bavariæ Electori nuptui collocata, in viam ad ſuum Maritum ſe expediret

diret Varsaviâ 13. Novembris, Anno 1694 ex Polonico Idiomate *A.C.* 1694
in Latinum versum translata

Ergo felici mea nata gressu
De domo jam exi Patris, & Tuorum
De sinu Fratrum, Patriaq; charos
Linque Penates.
Sit Tibi fidus socius Polorum
Et soli Rector, Comes illa faustum
Præbeat ductum, Superûm beatos
Quæ regit axes.
Saucium JESU latus innocentis
Te cavernoso capiat recessu,
Te Redemptoris foveant cavata
Vulnera CHRISTI.
Mater & Virgo Tibi cum Patrono
Adsit annali, tueantur ambo:
Te Marianâ solidet Paternum
Ægide scutum.
Perge securùm, præeant fideles
Angeli gressum, simul insequantur
Faustitas & pax, faciantq; tuto
Currere calle.
Integrum Divos Lechiæ Patronos
Quos colit Regnum, quibus est reclinis
Nostra, se & totam domus obsequenti
Vertice subdit.
Hi DEUM pro Te pariter precentur;
Donet ex illis Tibi, quas sacratum
Gratias Flamen solet è benigna
Spargere dextrâ.
Prole sis felix, habeas amatos
Filios, nostros videas Nepotes:
Hoc vovet mœrens Genitor precanti
Corde JOANNES.

Quia verò Elector Brandeburgicus identidem, quà per literas, quà per Commissarios suos urgebat, ut Berlilum diverteremus: expressum autem interim contrarium priori, quod mihi datum fuerat, mandatum à Rege intervenerat; ut omninò dictam Electoris Residentiam præterveheremur ob rationem; quòd res Legati Gallici Poligniaci sine literis passûs in Poloniam illàc euntis confiscatæ, & argentum omne ejusdem cuidam Generalium donata fuissent, (unde Regina tamdiu infesta Aulæ Berlinensi incubuit; donec occasione conjuncturarum, quã ipsa expectaverat, necessitatus Elector, ut redimeret vexationem, 10000 imperialium dicto Legato exolveret) consilium inivimus cum Electrice, quid faciendum foret? Jam enim ibi constituti eramus; unde præterire Berlinũ, nonnisi ad leucæ spatiũ liceret. Altera autem nulla suppetebat via; nisi Francofurto Saxoniam petere libuisset quindecim milliari-

A.C. 1694 liarium iter adjecturis, ut tandem Magdeburgum deveniretur. At id ipsum tum implicabat, neque enim quidquam sive de discessu, sive de transitu nostro per ipsius terras ad Electorem Saxoniæ scriptum fuerat: quare 8 ad minimum dies hærendum nobis in eodem loco inter expectationem fuisset; dum responsum ab Aula illa veniret. Conclusimus igitur inter nos, Spandavum proficisci, sique Elector & Electrix nobis occurrerent, illorum humanitatem non abnuere. Disputatum deinde à Castellana Vilnensi de loco. Prætendebat illa omninò in eadem vehi rheda, & habere locum; in qua Elector Brandeburgicus & Electrix adventuri sperabantur, nostramque probabiliter ad eandem invitaturi; verùm obstitit Dñus Chwalkowski & impossibilitatem absolutam ostendit; quòd nunquam practicatum hactenùs fuisset, ut quis cum Electore in publico ingressu in eadem sederet rheda. Inventum tamen etiam præterea medium; ne id fieret: nimirum ut Elector & Electrix Brandeburgici occursuri Filiam Principem secum adducerent, quæ primo à nostra Electrice occupato loco, quartum teneret, & sic ambitiosæ disputationi præcideret filum. Passivè & permissivè circa vanas has honoris prætensiones me habui, quamvis non ignorarem, mihi id imputandum. Hic primùm didici à Dño Chwalkowski historiam de Hanoverensi Electorali Principe filia & casu Königsmarkii sub iter in obsequium Electoris Brandeburgici susceptum perempti; cujus fatum uti dictus Elector sibi intimatum graviter tulit, ita vindictam imposterùm paravit. Porrò pergentibus Francofurtum, obviàm se tulerunt 30 Nobiles Equites, qui ibidem exercitijs Equestribus per tyrocinium militari laudi assuescebant. Mox ubi portæ appropinquavimus, tormentis undique in plausum solutis Electrix salutata fuit: deinde quàm primùm in Electorali palatio, quod pro erudiendis potissimum Principibus Electoris filiis exædificatum est, conclavibusq; ad magnificentiam & decorem instructum, constitit; Academia universa honorem Principi nostræ habuit, & per unum suorum longum salve dixit, cui Laconicè respondi.

Clariùs multò sua constaret veritas dictis, si non tam ex meo responso, quàm ex ipso Srmæ Electricis corde, quod plus candoris habet, quàm purpuræ, legeretis; quàm gratè habeat celeberrimæ Academiæ vestræ officia. Quocunque igitur terrarum se verterit, circumferet semper tantæ humanitatis memoriam; ne eã vel im̃emorem præstiti honoris, vel ingratam aliquando cogitetis. Nec civitas officio defuit quæ itidem longâ oratione suum testata affectum hoc à me responsum tulit.

Quantam habeat Srm̃a Electrix celeberrimæ huic urbi gratitudinem; quòd tam eximios viros spectare & omne officiorum genus ab iisdem recipere liceat; non tam facilè potest concludi: utinam tamen non hospitii tantùm brevi admodum jure, sed tempore quoque liberaliùs frui daretur; sciret certè pulcherrimam hanc germanæ humanitatis pompam æstimare. Interim cum id non liceat, testabitur ubivis terrarum illam se fore, quamcunq; esse volueritis, hoc est, non ingratam universis.

Expedivìt hinc Electrix Germanum meum, qui excusaret impossibiltatem Berlinum divertendi, ob rationem, quòd iteratis per Cosacum missis literis inhiberent Majestates; verùm frustra eæ excusationes fuêre: nam tertio à Berlino milliari rursum Succamerarius Electoris Denhoff & Electricis Mareschalus studiose expediti ardenter institêre; nec satis: cùm sequenti luce Spandavum versùs intenderemus iter,

Berli-

Berlinum præterire volentes, in occursum tribus quadrantibus milliaris Elector & Electrix venêre in assistentia aliquot centenornm selectæ militiæ, & egregiè vestitorum, nec non rhedarum ultra 50 comitatu. Vix mea rheda appropinquaverat; cum Principes & filia exscensione factâ ad Electricis nostræ rhedam progressi sunt, complemento ab Electore facto, sat decorè nostra respondit Princeps: itum deinde in mutuos sat arctos amplexus ab utraque Electrice, mox invitata nostra ut hospitalem inscendere dignaretur rhedam: nec renuere poterat; ut ut mandata Regia vetuerant. Ducta ergo longo ordine pompa, præcessêre omnes Electorales Gwardiæ, secutæ rhedæ, tum honorarii equi 24, eodem cultu & apparatu insignes, deinde Nobiles Equites, nostræ rhedæ postremum tenuêre locum, ne ad speciem duntaxat per ceremoniam agere videremur: demum insonuêre 24 tubæ, salutavêre tormenta, & per totam civitatem, quacunque vehebamur peditatus stipaverunt. Delati verò in arcem Elector & Electrix ad speciosum simulque magnificum Principem nostram deduxerunt palatium; unde post aliquantam conferentiam regressis ad sua conclavia vicissim à nostra Electrice mediâ circiter horâ elapsâ habitus visitationis honor; ubi apud Electricem multam gynecæi Nobiliumq; equitum offendimus assistentiam, mediamque inibi horam morati ad aliud conclave deducti sumus, in quo jam cœnam mensis illatam comperimus. Accubuimus mensæ nullis ceremoniis prævijs; quia tam ego, quàm Castellana Vilnensis characterem Legationis dissimulavimus, quòd probè nôssemus, à multo jam tempore ab Electore Brandeburgico magnos non acceptari Legatos, intuitu dispendiorum, quæ necessariò sequerentur, si pro charactere illos tractare vellet. Dato epulis tempore horâ iteratò in conclavi Electricis distractioni animi impensâ demum quies successit. In crastino ab audito sacro repetii palatium & audientiam apud Electorem habui, in qua multum Majestatibus nostris affectum est contestatus. At Electrix nostra in longum protractâ quiete serò surrexit; quo factum est: ut tardius pranderetur. Publicè mensæ accubitum fuit; nos verò ad Camerarium concessimus; quò pergentibus mihi & Castellanæ Polonico disordini quidpiam simile contigit, satellitibus bipenniferis, qui ad prohibendum promiscuè ingredi volentes cœnaculo appositi erant, propemodùm nos trudentibus. Secundùm prandium saltu & choreis Gallicis, Polonicis, & Anglicis Electricem recreare visum, quibus diutiùs protractis successit cœna, cui non interfui, tum ignes artificiales per elegantiam & artem oculum spectatorem meriti. Excessimus 8 Decembris circa undecimam; gemino enim die ibi substiteramus, quod utut importunis precibus utriusque Principis obniteremur, nullatenùs se flecti permitterent. Datus Electrici in xenium fasciculus instar florum affabrè compositus, aliquòt decadibus adamantum in speciem guttarum arte politorum coruscus ab Electore, qui etiam unà cum Electrice sua, eodem ordine & pompâ, inter reboantia tormenta, tubasque sonantes, ad medium milliare nostram deduxit. Venimus deinde Spandaviam, illic prandio sumpto Brandeburgum delati ad Canonicorum ædes (Episcopatus enim ibi quondã fuerat) pro nocte divertimus; ubi Electrix reciprocè munifica Commissarios Brandeburgicos argenti frustis honoravit. Constitimus posthæc 12 Decembris Parthenopoli, sive Magdeburgi superatis uno supra triginta pontibus, ubi obviàm facta Princeps nuper Pocillatoris Radivilii Consors, Electricem est devenerata. Datum hic aliquantum temporis curiositati nostræ, delibataque oculis tam sacra quàm profana A.C.1694

A.C. 1694 fana antiquitas; quam etiamnum in suis manibus hærentem hæresis conservat. Invisimus imprimis Ecclesiam Cathedralem etiamnum arte & elegantiâ spectabilem. Habet illa aram majorem, maximam non immeritò dicendam, utpote cui magnificentia, amplitudo, & porphireticus lapis pretium facit, cui non dissimile baptisterium itidem eodem elaboratum saxo. Inter raritates in quodam sacello ferrea illa exhibetur pelvis, in qua noxias frustra abluisse manus, nunquam innocente Christo damnato palmarem eluturum culpam ex Evangelio Pilatum constat: monstrantur ibidem scalæ, quas acerbæ mortis authores, aut Ioseph de cruce depositurus Dñum olim conscendêre. Hic locus ille visitur, in quo cœlesti decreto primùm, tum executoriali gladio Udo hujus urbis Archiepiscopus tristè & metuendum occubuit. Ottonis etiam primi magni dicti ejusque Consortis Regia planè spectantur sepulchralia monumenta. Demum in hac urbe variis eruditum artibus gesticulationesque edoctum, quas nobis præsentibus gravis exhibuit bestia, spectavimus elephantem. Hinc pro nocte Goningam petiimus olim ad jurisdictionem Episcopi Halberstadiensis, nunc Brandeburgici pertinentem; in qua duo nobis visu digna occurrerunt: palatium primò, quòd Julius Dux Brunsvicensis ab hinc sesqui sæculo hunc Episcopatum regens, miro artificio exstruxit, nam hactenùs nullas temporum injurias sensit, æquè recens ac novum, ac si hodiernâ die primùm surrexisset. Incrustatio, figuræ de gypso, picturæ in illo naturæ æmulæ, cui ægrè ars præsentis ævi concertaverit: præcellit omnibus Sacellum; Suberat hic locus quondam Halberstadiensi Episcopo, nunc Brandeburgicum sortitus Dñum, ut plura alia per Germaniam, à sæculari tenetur, cælestis Domini Vicesgerenti debitus. Hic ingens dolium est in Hypogæo inferiori, quod octingentorum cadorum nostratium capax, utiq; exercitui suffecerit. 15 Decembris Dominum Dulac cum literis Electoris obvium habuimus, moxq; eundem cum responso ad Sponsum remisimus. Alter etiam Dominus Rheden ab Hanoverensi Electore occurrit invitando; ut diverteremus in ditionem illius: verùm humanitati illius civilissimis literis redditæ gratiæ, excusataq; visitatio. Transivimus deinde ditionem Principis Wolffenbitel. Constitimus pro nocte die 17 Hildesheimij nonnisi quatuor milliaribus exantlatis, etsi ex nocturno hospitio maturè satis excessissemus. Iniquior via causa erat, per quam octo integris horis nobis in curru sedendum fuit. Præmiserat jam ante illius loci Episcopus Mareschalcum suum, qui pro futura nocte Electricem ad suum palatiũ invitaret: & verò nec aliter licebat, illàc enim iter nobis accidebat, nec ullo modo Civitas & status ejus, in quo absolutus est Dnus, Celsitudinisq; titulo gaudet, præteriri poterat: alibi verò sortiri hospitium ipso ad suum palatium invitante videbatur inconveniens; sub specie nihilominùs excusationis spem conceperamus, alibi, quàm apud illum subsistendi: cùm & ea altero ab urbe milliari præcisa est. Expediverat enim iteratò unum ex Capitularibus suis, primum scilicet suum Ministrum cum eodem complemento offerens insuper, casu quo per iniquitatem viarum urbem attingere non possemus, palatium suum milliari à dicta Civitate in opportuno hospitiis pago situm: verùm Electrici visum ad ipsam contendere Urbem, ad quam priusquam appropinquaremus, in occursum venit Episcopus facibus & laternis, quod jam obscura nox esset, viam ostensurus. Duxerat secum aliquot ultra 10 rhedas, sexigas omnes, Canonicos & insigniores notæ Nobiles adolescentes; stipabant

Pelvis Pilati

Udonis gladius

Equi-

Equites ſatis inſtructi centum aliiq; complures. Appropinquante deinde Electrice exſcendit ex rheda, expectavitq; dum propinquiorem ſalutare poſſet. Invitavit poſt ad ſuam rhedam; nec renuit Electrix humanitati Præſulis reſpondere: Ingreſſa igitur Civitatem inter reboantium tormentorum ſonitus, cujus magnitudinem vel inde lector colligat; quòd intra horam dimidium illius duntaxat pertranſiérimus. A.C. 1694

In medio enim illius Cathedralis Eccleſia cum palatio Præſulis locum occupat. Ibi excenſione factâ lepida res evenit per ægrè evitatum caſum Epiſcopi. Jam ſenio gravis erat, utpote ſeptuagenario major, & ut totum illum deſcribam, multùm piè defuncto Archiepiſcopo Wydzga conſimilis, niſi quòd ſtaturâ procerior ex domo Brateskuchen, Jodocus Etmundus nomine, olimq; Primus Miniſter clariſſimi illius jam dudum Epiſcopi Monaſterienſis fuerat, ſat igneæ etiam in tanta ætate faciei. Is igitur dum per aſcenſum Electricem deduceret, in lubricis gradibus fallente pede, præceps propè in caſum abiit, etſi utcunq; ne in ruinam raperetur ſe Electrix ſuſtentaret. Reſtant adhuc plura de Epiſcopatu & Epiſcopo obſervanda; quæ antequam ad tractationem & diſceſſum veniam, præmittere viſum. Numerat hic Princeps imperii in reditibus centum millia imperialium, non numeratis ſtipendiis pro aſſiſtentia ſive Guardia, aliiſque expenſis. Civitas ipſa obedientiam, quà Præſulis ſui quà Eccleſiæ excuſſit, eſtque Acatholica. Viget, etiamſi tot hic Catholici ſint, vetus Calendarium propter vicinos in circumferentia, qui itidem propè omnes Acatholici ſunt. Domus Luneburgica magnā partem iſtius Epiſcopatûs per uſurpationem poſſidet; quare dictus Epiſcopus ut Religioni conſuleret, Electorem Colonienſem in Coadjutorem approbante Româ, à qua nobis præſentibus confirmationis venêre literæ, adoptavit, quod deinde tam præfatæ urbi, quàm Principi Luneburgico diſplicuiſſe indubium: verebantur enim jam tum utriq;,ne & civitas iterū Dominū recognoſcere & Luneburgicus reſtituere ablata vel inviti cogerentur potentiâ Electoris de invitis id evincente. Jam nunc ad cœnam veniamus, quæ non ſine pompa peracta fuit; in medio menſæ conſedit Electrix, ponè hinc inde Caſtellanæ Vilnenſis & Woinicenſis, ſed jam non ut Princeps ipſa in auguſtiore hemicyclo; ſed humilioribus ſubſellijs, ad cornu menſæ in magnifico ipſe reſedit ſedili, alterum ex oppoſito ſimile mihi ſubſellium poſitum fuit. Tractavit ſolenniſſimè inciſore exactè æquè mihi ac Electrici partiente cibos, libata etiam pocula honori & ſanitati primò Majeſtatum noſtrarum, deinde Electoralis domûs. Eodem veſpere proximè ab adventu noſtro hic Bruxellis expeditus per Curſoriam conſtitit Comes de Taufkirchen literas affectu plenas & munera Electrici ferens. Comes hic plurimum me ſibi humanitate & morum gratiâ devinxit. In craſtino matutino tempore Eccleſiam Cathedralem inviſimus, in qua Beatiſſimæ Virginis Mariæ imago miraculis claret, quæ in inferiori Sacello ſive hypogæo templi Aram habet, ſacroque interfuimus. Celebrabatur eo die in dicta Diœceſi feſtum Imaculatæ Conceptæ Virginis ex ratione ſtyli veteris, ut ſupra innui. Altare porrò majus hujus templi tribus gradibus inſtructum eſt, in quibus Cathedrales Canonici ſedent ſecundùm ordinem Clericalium graduum: alij enim ex illis Sacerdotes ſunt, alii duntaxat Diaconi, alij tantùm Subdiaconi. Ante exceſſum prandium ſumpſim⁹ apud dictum Epiſcopū: verùm ipſe illi non interfuit; quia heſterno veſpere à frigidiore aura contracto catharro dentiū dolore laborabat, nihilominùs nihil de obſequio & humanitate deſideratū fuit boni ſenis, dignæ tanta hoſpite menſæ etiam

A.C.1694 etiam cantᵘˢ adhibitus, decantata à Discipulis PP. Soc: JESU oda in laudem Electricis composita, precatus insuper ille, indulgeremus adhuc diem unum ejus affectui; quod quia obtinere non potuit, suæ ex Sorore Neptis Maritum pro Comissario assignavit; qui deinde postquam nos totum Capitulum ad justum itineris spatium deduxisset, Papemburgum est comitatus, inqꝫ arce parva quidem sed admodum comoda nomine & jussu sui Dñi egregiè excepit, præbito etiam pabulo, ut superiore nocte factum fuerat, pro equis. Remunerata Electrix, priusquam hominem dimitteret grandiore affabrè facto disco, similemqꝫ etiam majori domûs est impertita. Quia verò per diversas ditiones aut saltem proximè illis nobis imminebat iter, visum mihi est Dnum Lubinski ad Principes expedire, quanquam jam id Berlino feceram, qui nostrum iter intimaret, quorum singuli civilissimè ad meas rescripserunt, uti copiæ sequentes testantur:

Quas à Rdma Dignitate Vra ad aulæ nostræ ordinariam sedem G. D. Lubinski detulit literas, eas absentes hic in arce Provinciali accepimus; quòd de Sernmæ Electricis Bavariæ Consangvineæ nostræ honoratissimæ dilectionis, per has oras transitu significare nobis voluerit. Sicut verò altè memoratæ dilectioni ejus de itinere è Regno Patrio hucusqꝫ feliciter peracto animitùs gratulamur; ita pro singulari Nostro erga Regiam Mtem & ipsius Sernmæ Electricis dilectionem cultu & affectu nihil nobis gratius foret, quàm eam in ditionibus nostris decenti humanitate excipere, atqꝫ eidem cum Illustri comitatu, tum præcipuè Rndmæ Dignitati V. lauta honoris exhibere officia. Quando autem dilectionem ejus ad limites nostros non deventuram hactenus nobis constanter nuntiatum est: dolemus sanè imparatos esse Officiales nostros, ipsi per Ducatum nostrum dignis modis ministrare, nec desperantes tamen, acceptum & gratum fore, quidquid per temporis brevitatem præstari poterit. Interim Camerarium nostrum Wernerum de Luneburg in occursum & situationem ad eam ablegavimus, gaudium de felici adventu, vota nostra, & propensæ voluntatis officia prolixè testatum, qui eodem interprete benevolentiam nostram Rñdmæ dignitati Vestræ deferimus. Dabantur in arce nostra Harburgi 3. Decemb. 1694.

COPIA LITERARUM AB EPISCOPO MONASTERIENSI

SErenissimam Electricem Bavariæ per ditiones meas transituram esse ex literis Celsitudinis Vestræ à prænobili Dno de Grothus Castellani Samogitiæ Filio & Srmæ Electricis Aulico mihi exhibitis lubentissimè intellexi, summo mihi honori ducturus; si hanc occasionē nactus fuero non modò Serenitati suæ promptissimum obsequiorum meorum studium & singularem, quâ S. R. Majestatem Poloniæ, simul ac Sermum Electorem Bavariæ veneror, devotionem, re & opere comprobandi; verùm etiam cum Celsitudine Vestra pergratam veteris notitiæ memoriam recolendi, Celsitudinem Vestram enixè rogans; ut Srmæ Electrici illa omnia, quæ eidem Consiliarius meus intimus & supremus Mareschallus jam tum fusiùs explicuerit, & præsens Dnus de Grothus ulterius explicare in se suscepit, nomine meo confirmare, meqꝫ mandatorum suorum honore sæpiùs complecti velit, quorum percupidus maneo, Monasterij Westphaliæ 24 Decembris

COPIA

A.C. 1694

COPIA LITERARUM DUCIS BRUNSVICENSIS

QUas Excellentia Vestra 7timâ hujus labentis Berlini exaratas per M. & G. D. Nobilem Lubinski ad nos mittere voluit, rectè nobis ab eo sunt exhibitæ. Quemadmodum igitur & Regiæ suæ Majestatis Poloniæ, & ejusdem Regiæ Principi Srmæ Electrici Bavariæ interveniendi nulla occasio non exoptatissima nobis unquam obvenire potest: ita, si quid dictæ Serenitati suæ aut ipsius comitatui terras nostras transeunti officiorum exhiberi licebit, ita nobis nostrisq; omnibus ex mandato nostro libentissimè præstitum iri Excellentia Vestra sibi persuadebit, prædictamq; R. Majestatem de hoc erga se suosq; studio haud gravatim certiorem faciet, nosq; perseveramus Excellentiæ Vestræ Amicissimi, Augustus Antonius Ulricus Dux Brunsvicensis & Luneburgensis. Dabantur Gwelpherburgi 11 Decembris

Minda.

Pervenimus deinde Mindam Episcopatu quondam claram, nunc Brandeburgico subjectam, qui se pro Episcopo illius Civitatis indigitat. Consuetis ceremoniis ibi excepti ad Catholicum templum divertimus, quod octingentis ab hinc annis extructum 18 Canonicos numerat, 11 scilicet Catholicos, 7 Acatholicos; qui contenti proventibus, cæterà exercitium Religionis Catholicæ non impediunt. Insigniores hic numerantur Reliquiæ complures, præcipuæ sunt, manus S. Annæ, vincula S. Petri, pars SS. Laurentii M. & Nicolai E. S. Sophiæ &c. vidimus ibidem corporale sangvine Christi tinctum per incuriam Sacerdotis effuso, cujus cruentæ notæ hactenùs perseverant. Altaria ipsa speciosa admodùm, & pretiosa, utpote de candido marmore erecta. Imminebat jam festum Natalis Dni, quod celebraturi Bilsfeldum, ubi Reformatorum Cœnobium, nos contulimus: mirùm porrò tam hic quàm Mindæ Polonicos obolos acceptari, 18q; solidos in sextonem tantùm numerari. Hic nos deprehendit Mareschalcus Monasteriensis Episcopi, nosq; Principis sui nomine invitavit, uti literis supra intimavi: apud quem duos dies morati, Retbergũ Civitatem discessimus, quæ hactenus ejusdem nominis Comitem habuit, nunc extinctâ masculâ lineâ nonnisi septennis Virgo hæres remansit. Civitas ea Catholica est; totusq; status; præsidium in ea Cæsaris; quia comitatus hic ad imperium spectat, hæreticum non patitur, tres intra paucos annos hæredes amisit. Suscepta solenniter à toto statu Electrix fuit, Provisumq; de omnibus tam quò ad culinam, quàm pabulum pro equis. Imminet Civitati arx elegans admodùm ex qua transeunti Electrici multus per tormentorum explosionem habitus honor; inde Lipstadium movimus, cujus pars ad Comitem ejusdẽ nominis, pars ad Electorẽ Brandeburgicum spectat, itidemq; ut alibi cum ijsdem solennitatibus excepti fuimus. Episcopus Paderbornensis huc aliquot expediverat Equites contestando affectum & dolorem; quòd sibi ea non obtigisset felicitas, ut per suas ditiones pertransiret Electrix. Sub hæc misimus Baronem de Selles, ut tractaret de charactere Castellanæ Vilnensis; de quo in literis ad Baronem Simeoni scriptis, quibus etiam excusat Elector, quòd non occurrerit, sensum suum expressit.

Reliquiæ Mindæ.

Corporale sangvine Christi tinctum.

Halterinum post hæc ducente Mareschalco Episcopi Monasteriensis, comitantibus 200 Ejusdem Præsulis guardiæ Equitibus, quos tam extrinsecus habitus vestium, quàm Equi insignes commendabant, illincq; usq; Szerembekum (fortalitium id est Electoris Brandeburgici) prosecutis. 30 Dec. occurrit Nobis Dnus Deprez cum Sacerdote Ernesto quem in Capellanum Electricis suscepi. Eodem die constitimus Wesaliæ, verùm

A. C. 1695 rum contra ſpem noſtram Electorem ibi non deprehendimus, quod Rhenus infirmiore glacie partim, partim vix ad medium alvei concretus tranſitum Principi negâſſet. Venit tamen Baro Simeoni, qui omninò negavit Caſtellanam Vilnenſem id obtenturam, quod affectâſſet, uti ſupra in literis Elector voluntatem ſuam expreſſerat.

Præfectus verò arcis Veſalienſis pro teſſera ad Electricem venit; & datum Nomen Maximiliani. Volueram in craſtino ſuperare Rhenum cum Barone Simeoni; verùm duæ me detinuerunt reflexiones: *1ma*, ne ſi tranſmiſiſſem in tam difficili tranſitu; Elector per æmulationem & affectum id ipſum tentaret, non ſine periculo alicujus triſtioris eventûs *2da*, quòd timerem caſum aliquem, ne ſi trajeciſſem non daretur regreſſus, adeòq; diutius curæ meæ Electrici commiſſæ ſubſiſtendum ex altera ripa fluminis eſſet. Abſtinui itaq; ejusmodi trajectione. Interim de dote requiſitus quid reſponderem, non habui, quòd alteri comiſſa res eſſet.

CVI.
ANDREAS C. ZALUSKI EPISCOPUS PLOCENSIS AMICO CONFIDENTI.

SEpono triſtia Patriæ fata, Comitiorumq; naufragium; cujus tabulas ne quidem colligere datum, privatis diſſidiis pro charybdi etiam ſpem meliorum ſorbentibus: donec legationem meam expediam, quæ præpoſteris Reginæ ſtudiis, ipſiusq; Electricis, quà corporis, quà animi paſſionibus totum hominem nequicquam jactavit. Veſaliæ, ut ſupra dixi, conſtiteramus; Elector ex altera parte fluminis erat: acceſſus patebat utrinq; nullus, niſi fors per certum diſcrimen vitæ, primo die anni, (quem Electrix totusq; Comitatus in Eccleſia Prædicatorum ſub devotionis actum ſecundum ſibi à ſuperis precati fuerant, auſpicatúsne ille impoſterum futurus eſſet) tentare iter placuiſſet. Rhenus quippè diviſit amantes, & fluxum elementum ſolutâ glacie pro intergerino pariete obſequio præcluſit viam. At enim quis modus adſit amori? Baronem primùm Simeoni fluvium tentare Elector jubet, ipſe mox ſecuturus, ſi feliciter ab illo ſuperata pericula & in adverſo littore vidiſſet conſtitiſſe. Ceſſit res ad votum; quare & ipſe acuente affectu audaciam, trajicere in animum induxit: ſimulavit nihilominus reditum; ut curioſum populi oculum averteret: qui viſo Baronem, non Ducem in adverſam trajectu evaſiſſe ripam, digreſſus, fruſtra poſtmodum intereſſe ſpectaculo ſuperantis Rhenum Electoris voluit; quòd egreſſu ex Urbe clauſis de mandato Principis fluminis vicinis portis prohiberetur. Opportunè planeq; in tempore circa quartam cum dicto Barone ad fluviũ me contuleram; cùm inter media diſſipatæ glaciei fruſta, velut de induſtria cedentia Elector in Lembo proſperè appulit, & extemplò rhedam cum Marchione de Bedmar, Comite de Broway, & me quarto inſcendit, reliquis, quos deinde nominabo in altera rheda comitantibus, rectaq; ad diverſorium Electricis contendit. Eò quàm primùm ventum fuit, exſpectavit tantiſper; dum de adventu Sponſi ſignificarem & de reciprocæ ſalutationis tempore exquirerem; de quo ubi in inſtanti retuli, relictis omnibus, ſolo nonniſi Marchione de Bedmar aſſumpto, per conclave Caſtellanæ Vilnenſis poſteriore januâ, quòd in antecamera plurimorum confluxus eſſet curioſitatis ſtudio, illacq; non pateret aditus, ingreſſus eſt, hic quoque in anteceſſum arte uſus, ut Sponſam falleret. Nam Marchionem ſibi præire juſſit; qui complemento à ſe, ſive nomine

ne suo exhibito, Electrici ad monopodium existenti, stantem ad fores Principem intento præsentavit digito. Secuta quidem aliqua animorũ utrinq; ex mutuo aspectu, uti vultus index erat, cõmotio; sed mox composita, exsolutumq; complementum, à quo civilissimè Elector nostrates salutavit Dominas. Prorsus cum magna utrinq; satisfactione primũ hoc salve fuit, post quod mediâ circiter horâ elapsa patuit aditus tã Electoris quàm Electricis Comitibus; suos Electrici præsentavit ipse Elector. Ego vicissim nostros Electori. Quia verò complures aderant; visum est sub prætextu calidioris auræ ad conclave Castellanæ Vilnensis secedere: ubi mutuæ conversationi tantisper indultum, eminus, ordine suo Dominabus nostris Residentibus, à qua conferentia circa nonam digressus petiit; ut sibi liceret secundùm collationem, quæ non longa fuit, redire. Quo indulto pauloq; pòst eo die incœnatus quòd incognitus esse vellet, solus & unicus rediit, cùmq; duas horas circiter dedisset colloquio, visum nobis est citra ulteriora complementa modestiæ Principem assvefacere; quòd utcunq; successit: nam cum sũmo respectu procedendo dexterrimè humillimi instar Nobilis plenè Electricis sibi devinxit affectum. Ab ejus discessu dimidiæ horæ spatium adhuc apud Electricem substiti, & contentissimum ejus animum de Electore esse intellexi; uti id ipsum jam ante in prima salutatione didiceram: in qua submissiore voce mihi quà gratias egit, quà insinuavit: si sibi propriis manibus effingere Sponsum concessum fuisset, non aliâ formâ effecturam fuisse. Hactenùs quidem feliciter: at mox rumpet ea solatia insequens dies & post risum lachrymas, post gaudia luctum, mihi etiam ingentem laborem dabit; primusq; ille gustus in disgustum; imò absynthium vertet, nec aliis imposterum etiam diebus à vicissitudine ejusmodi iũmunibus futuris, quæ vel constantem virum, si non conficerent, plurimùm certè labefactarent. Illuxit crastinus dies alter scilicet Januarij; illo Elector egregiè se pro connubio cum sũma ædificatione per pietatem comparavit, præviâq; generali confessione sacræ mensæ accubuit, præclaro sanè exemplo iis; qui posteritati suæ consultum volunt: ut ab abscondito sub speciebus panis DEO gratiam & benedictionem mendicent. Hinc lætior in Electore vultus emicuit: longè interim alia facies Electricis in conclavi erat, quæ in lachrymis propè naufraga nimiùm manifesta exerebat indicia, per intempestivum luctum, arcanum aliquod animo subesse vulnus. Fortuna simulque medela fuit; quòd sub matutinæ visitationis officium talem deprehendissem, imò quòd & ipsa à me requisita occultum morbum detexit. Frustra enim ibi in curam desudat Medicus, ubi ulcus latet, nec affectio panditur. Cæca vulnera eludunt artem. Aperuit illa malum, vehementem scilicet aversionem ab Electore, quam tam robustam esse asseruit; ut de ratificatione contractûs Matrimonialis jam per Procuratorem Principem Iacobum initi tanquam impossibili desperaret. Iocari primitùs præmissis tam evidentibus diei præcedentis innixus credidi: at, ubi rem seriò agi comperi, eoq; deniq; procedere; ut etiam Electori, qui felicem diem precaturus intraverat, manifestus mutati animi vultus innotesceret, qua de causa etiam in querelas publicè erupit: tum enimuerò mihi alijsq; omnibus luctandum fuit: quò tandem terribilem illam passionem expugnarem. Et cessit illa quidem, sed admodùm difficili victoriâ, horas aliquot hic agon tenuit, nec nisi cõminatione reditûs in Poloniam finitus est, præposterò itaque jam mitigato affectu, cùm de cæremonialibus circa benedictionem agerem, petiit Elector ne Gallico idiomate sed latino uterer: nam Hispani etiam in hoc scrupulisabant, A.C. 1695

Ddddd item,

A.C. 1695 item, ut post benedictionem diceretur Psalmus: *Beati omnes, qui timent Dominum*, cum adjectâ ex Missali oratione idque clarâ voce, quod & factum, tum junctæ manus utriusque stolâ stringerentur. His ita constitutis, visum est in conclavi ad evitandum concursum populi ea omnia peragere. Jam illud holoserico investitum erat, in medio ejus adornatus thalamus ingens stabat, jam ante à Confessario Principis (Theatinus is erat multæ probitatis & eximiarum virtutum Sacerdos, parcus loquelæ, quam nonnisi Italico idiomate edebat) benedictus, ad decorem actus omnia exquisitè instructa, quæ singula aulæ illius rapuerunt oculum, nec Principi ipsi displicuisse existimavero. Hic altare extemporaneum excitare placuit. Paratis igitur tam necessariis, quàm convenientibus, ipsâ etiam Electrice jam candidis vestibus eo prorsùs, ut Varsaviæ, modo, nisi quòd paucioribus gemis, unionibus & clenodiis coruscaret, cycladeque desuper regiâ indutâ, adfuit circa mediam septimam Elector eâdem quâ heri januâ ingressus mecumque dimidiâ circiter horâ collocutus petiit benedictionem. Habebam equidem requisitam pro eo actu facultatem assistendi à gemino Archiepiscopo tam Coloniensi, quàm Mechliniensi, casu, quo in alterutrius horum Diœcesi copulare contingeret; pro omni nihilominus securitate etiam Priorem Dominicanorum, qui hic Parochialia exercet, advocari curavi. Sic tandem deventum ad expetitas ab Electore cæremonias, ipsumque actum; quem flectentibus super pulvino Principibus, reseratisque interim foribus, ac primum Nobilioribus, tum etiam primoribus civitatis ingressis, ipse Pontificaliter indutus in hæc verba complevi.

Serenissime approbátne Serenitas Vestra Matrimonium in nomen suum contractũ per Serenissimum Principem Regium Poloniæ cum Serenissima Principe Theressia, quam præsentem videt & placétne illam pro uxore habere? ℟. placet.

Serenissima approbátne, quidquid promisit Serenitas Vestra in Persona Serenissimi Principis Regij Fratris sui? & placétne Serenitati Vestræ Serenissimũ Principem Maximilianum Emmanuelem, quem hic præsentem videt pro Sponso habere? ℟. placet.

Ergo Matrimonium per Principem Regium Jacobum uti Procuratorem contractum, & nunc personaliter ore & libero consensu utriusq; contrahentis confirmatum Ego Authoritate S. R. Ecclesiæ approbo, ratifico & benedico, idq; in Nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti Amen.

Post benedictionem manum meam osculo dignatus est, privilegio in antecessum nulli alteri concesso, & cum magno respectu identidem appropinquavit Sponsæ; ut tantò magis sibi affectum devinciret. Deinde ad suum conclave pro cœna recessit frequentioribus Nuntijs urgens tam Castellanam Vilnensem, quàm omnes ut quantocius acceleraremus cœnam: at contrà Electrix nitebatur, variosq; prætextus in longum differendi inveniebat: patebatq; omnimodè gravis renitentia, imò & metus, qui instar febris illam tentabat. Digressi mox à cœna universi sumus à sponsa, cui benedictionem sub digressum hunc etiam dedi. Petierat Elector hesternâ die, ut in alteram ripam trajiceremus; quòd Hispani molestè ferrent nos in aliena Provincia jam alteram noctem morari: annueram conditionatè, si per valetudinem Electricis licuisset, nec Rhenus vetaret, in me moram non futuram. Interim jam ex altera parte fluminis Buringum tota aula rhedæq; non paucæ nobis servituræ (nostros enim currus exspectare necesse fuit ex hujus litoris parte, dum Rhenus aut glacie adstrictus onera ferre posset, aut penitùs solveretur)

appro-

appropinquaverant; cùm ea intentio propemodùm in irritum cecidit, quòd & huic Aulæ sui non deessent sorices, imò plurimi Ministri, qui sinceritatis inanes de industria novis Electorem avertebant moliminibus. Quare ex instinctu meo Dominus Duprez vir sinceri rectiq; amans, quales ad aulam pauci, literas ad Dominum Dulac itidem candore honestiq; studijs sibi similem, dedit, in qua inconvenientia & reflexiones meas de ulteriori disgustu inter sponsos proposuit, asseverando, adinventos prætextus iniquiores esse; præsertim quòd meum honorem, quo nihil carius offerrem, eoq; stipularer, me non ante Bruxellis in Patriã rediturum, quàm secundùm contractũ omnia in effectũ deducta fuissent. Adjecit in fine dictus Duprez; si circa tertiam Elector ad litus se conferret, Electricem etiam sub prætextu curiositatis videndi Rhenum eodem venturam: Videbatur enim mihi uti deinde successit, spectato vel à longè Rheno desiderium trajiciendi animo subiturũ. Relegit eam chartam coram testibus Dulac Electoriq; reflexiones porrexit & in tantum accendit Principem; ut consulto nullo rhedam inscenderit & ad litus perrexerit. Circa 3tiam post meridiem in præparato lembo Neonupti trajecerunt nobiscum, & pro nocte Geldam profecti sunt; ubi procul dubio dies aliquot substitissent; nisi penuria victûs (tantus enim populus adventum Electricis expectans omnia consumpserat) vetuisset. Ab exscensione facta Electricem salutavit Marchionissa de Lede suprema gynecæi, Succamerarius, Mareschalcus & alij. Movimus deinde horâq; circiter in noctem in arce constitimus elegante admodum ad Patruelem Fratriæ meæ spectante, qui satis suum probavit affectum tam Principibus, quàm nobis. Interim sumpsit in Neonuptis indies mutuus amor incrementum Electore potissimùm peritissimè affectum sibi devinciente. Aula quamvis magna illius pars Bruxellis remanserat, valdè numerosa, aulici ipsi homines ad humanitatẽ compositi aderant, nostri verò currus & rhedæ omnes Vesaliæ remanserunt, in quarum locum suas Elector substituit cum summa nostra cōmoditate. Provincia Geldriæ post orationem Electrici in xenium declaravit 40 millia florenorum, quacunq; nos vertimus, ubiq; applausus audivimus, processit Clerus tam sæcularis quàm Regularis (aliquot enim hic conventus sunt) obviàm nobis ultra Civitatis mœnia in superpelliceis, cruce præviâ; cives ipsi etsi clara dies esset, cum facibus in signum lætitiæ publicæ pro more gentis hujus. Non interfuit his ingressibus nostris Castellana Vilnensis; quia jam (quod Majestatibus nostris plurimum displicuit) Vesaliæ Parisios itura Electrici valedixerat accepto ab Electore insigni munere, in quo 15 adamantes numerabantur, 10. millibus imperialium honorarium id æstimatum, nec in alios illiberalis fuit, quotquot illinc in Poloniam rediêrunt. 9. Januarij, (omitto alias noctes hospitiorumq; loca, in quibus substitimus) Antverpiam delati sumus, quam etsi cum pompa solenni Elector ingredi renuerat, evitare tamen ingentem congressum populi per fora & plateas non potuit; tantus ille ubiq; fuit, ut ægrè transitus patuerit: occurrit Principibus Dux de Waudemont & Princeps Holsteinensis: ego verò diverti pro hospitio ad Episcopum illius loci virum humanissimum, aliisq; dotibus præstantissimum; qui me & lautissimè habuit & cōmodissimo diversorio excepit. Postridie adventûs Minister statûs Maier horis matutinis me invisendo de dote requisivit; cui ut satisfacerem; diversæ inveniendæ rationes fuerunt, quibus à me hoc negotium amolirer: promisi nihilominus, quamvis certus non essem propediem illius exsolutionem adfuturam. Post duo- A.C. 1695

 deci-

A. C. 1695 decimam discessuri ad templum Elector & Electrix inscenderunt rhedā; ego cum Succamerario & Mareschalco sum comitatus. Circa eam verò profectionem Electoris illud notandum est: quòd quoties Elector aliquo discedit sexigis; tum illum præcedit bigis vectus Succamerarius: si verò duntaxat bigis Electorem vehi contingat, etiamsi Electrix simul vehatur: tum sequitur gynecæum, Succamerarius verò agmen claudit. Illud quoq; sciendum Electricem nullos habere Officiales præter Aulæ Mareschalcum, pro quo tum præerat Comes de Tering: Hoc proinde ordine tum etiam itum est ad Ecclesiam, ad quam ubi pervenimus; offendimus scānum, ipsum ante vestibulum holoserico instratum pulvinisq; subjectis præparatum. Præstolabatur jam Episcopus Pontificaliter indutus; qui deinde porrectis ad osculum reliquijs Electori & Electrici genu flexis, cum universo Clero Principes præcessit. Aderat magna frequentia; ut ægrè per turbas templo succedere, Præsulemq; sequi potuerint. Porrò mira pulchritudine & gratiâ planèq; ultra dicta excellit Ecclesia; Jcones in Aris, si usquam alibi artem naturæ æmulam commendant, celeberrimi illius Belgarum Apellis Rubeni monumenta, digna, quibus tempus edax rerum injurium esse nolit. Legit Sacrum ipse Episcopus, quo finito intonuit *Te DEUM laudamus*; tum orationem pro Electore subjunxit, & ita eodem ordine, quo veneramus: verùm jam non tam arduo egressu, quòd satellitium hinc inde expedivisset viam. A reditu ad palatium mox accubitum mensæ; ego verò ad meum præsulem liberalissimè tractandus secessi. Interfuère mensæ aliquot Capitulares viri præstantes, & quà humanitate, quà mentis acumine eximij. Decanus in ea urbe Cathedralis parochialia exercet, ex quibus illius potissimùm proventus constat. Episcopatus verò 40 millia florenorum Belgicæ monetæ numerat, estq; nominationis Regiæ; beneficia autem reliqua ad distributionem alternatam Pontificis cum Episcopo spectant. A meridie Electrix descendit visura Bursam civitatis; ad quam circa meridiem Institores suos conventus celebrant, quævisq; inibi natio suum locum, distinctamq; columnam observat. Vidimus ibi in aliquot cœnaculis grandioribusque penetralibus apertam farinam (ut vocant) in qua diversa tapetia, lecti, imagines, conopæa aliaq; curiositatis prostabant irritamenta, plurima item armaria diversis minutiis plena, ut oculis paterent, vitro fenestrata, quaquaversum prominebant: ubi ea ludentis fortunæ officina suo tempore, quod brevi secuturum dicebatur, aperta fuerit; chartulæ unius nundinatio nonnisi medii imperialis pretio constabit. Itum deinde ad scholam pictorum per grandiorem pergulam in qua diversi artifices præsertim arcularij cistulas & reconditoria ex ebore affabrè elaborabant: ad primum ubi hypocaustum devenimus, offendimus in medio illius foveam, quà per gradus in hypogæum ingens nobis descensus patuit. Reperimus ibi facilè centum adolescentes artis pictoriæ studiosos, in scamnis gradatim in altum surgentibus residentes. Quisq; illorum chartâ & pennâ plumbeâ instructus erat, & de prototypo sibi dato formabat lineas; spectavimus inibi in eminenti ad vivum hominem nudum totum præter partes, quas pudor velare jubet, ursinâ pelle tectas uno stantem pede macilento altero protenso, ad pedes illius prominebant pueri aliquot, diverso omnes habitu, quà Turcico, quà Persico &c. diversa ostentantes insignia & figuras. In secunda schola quæ eâdem methodo parata erat, itidem reperimus complures ejusmodi discipulos; verùm ij uti juniores, sic adhuc imperitiores velut in prima classe tentabant artem. Sedebat eminentiori loco adolescentula quà oris venustate, quà habitu

Palla-

Palladem referens, scutumque exhibens; quod singuli illi minores in chartam transsumere conabantur. Perreximus deinde per grande podium imaginibus miræ per artem pulchritudinis, ornatissimum, quas inter gemina statua Electoris de gypso tam scitè effigiata spectabatur, ut ars naturam fallere voluisse videretur: in eodem xysto theatrum velut pro comœdia exstabat, in quo vocales aliquot Musici diversa instrumenta ad humanum cantum peritissimè moderati sunt. Exivit deinde puerulus & in honorem Sponsorum versus recitavit, quos etiam distribuit. Demum lustrato adhuc uno xysto imaginum pleno, reditum ad palatium est, moxq; illinc, etsi jam nox esset, recreationis gratiâ aliquot ultra decem carpentis discessum. Elector suam Electricem vexit, suam item quisq;, suborta interim turbatio, quòd annulus nuptialis digito excidisset Electoris an Electricis: unde graviter ab Electrice id apprehensum, & ut proni homines ad malè ominandum sunt, in sinistrum de conjugio omen detortum: mihi verò suadere visum est, similis alter quantociùs curaretur, ejusque præsentatione ac si inventus fuisset prior, si quis in Principe motus inde extitisset, sedaretur. Sequenti die audito apud. PP. Societ. IESU, quorum templum admirandâ pulchritudine verba superat, Mechliniam, ubi legio Anglica subsistit, profecti sumus, moxq; illinc prandio sumpto Bruxellas discessimus; quo jam utcunq; adultâ nocte pervenimus: unde quia jam serò erat, decreveram eo die abstinere palatio; verùm Electrix sine me esse non sustinuit; nulla quidem causa suberat, præter ostentationem thalami, quem curioso oculo non displiciturum arbitrabatur. Non facile dixerim, quàm pretiosis aulæis conclave investitum fuerit? quàm item non tantùm ad elegantiam sed luxum etiam thalamus excultus: coruscabant quaqua versum parietina ex argento candelabra, raritates aliæ cõplures, sive artis sive naturæ, deniq; õnia exquisitè & Regiè comparata humanumq; apta illicere oculum erant: spectatis his omnibus jam cœnantibus intervenit Elector, & quæcunq; in illo fuissent conclavi Elctrici donavit. Sub hæc plenipotentiarius Hollandiæ Diquelt mihi innotescere cœpit, proposuitq;, agerem cum Rege nostro, ut mediationem inter Principes Christianos in se reciperet. Porrò alio hoc modo pro Electore umbella in templis statuitur, quàm apud Nos. Nam non ad partem sed in ipsa navi planeque medio Ecclesiæ non tam umbella quàm tentorium erigitur. Non prætereundum hic duxi casum ingeniosæ iniquitatis & non tantùm ad excusationes excusandas in peccatis, sed etiam meritas pœnas in insontem retorquendas prorsus industriæ. Agitabatur hic causa inter Maritum & Uxorem quàm triennio ab hinc duxerat. Insimulabat vir fæminam adulterij, nec fundamentum deerat, ut dicam: mulier contra virum veneficij & intentatæ sibi mortis, sed ratio aberat: nisi furtivi amoris complex actionem insuper de furto pro fulcimento causæ adjecisset. Res tota etsi indigna calamo; quis enim scelera vel annotata velit? nihilominùs quia perplexitate suâ & adinventionibus velut in tempore natis aliquam per eventus admirationem primâ fronte peperit, habeat hic locum; quæ se sic habet.

A.C. 1695

Duxerat quispiam in uxorem fœminam ætate adolescentem, formâ, vultûsq; gratiâ amorem meritam; nisi jurato amori clancularios affectus præhabuisset. Culpa in viro aliqua fuit; quòd etsi honesto loco natus esset, famam tamen in ganeis & tabernis assiduus compotando detereret. In œconomia nullus, multus in poculis erat. Nec contentabatur dies totos in cauponis pecuniasq; abligurîsse, magnam insuper noctis partem pessimæ consvetudini indulgebat. Raro ante umbilicum noctis

Adulterii delusum.

A.C. 1695 ctis domum repetiit. Quare pertæsa mulier maritum aliò suos de toto convertit affectus nec nisi ad speciem viro suum probabat obsequium. Militarium Officialium quempiam identidem admittere, eiq; sui copiam facere; quin toto propè triennio per impunita adulteria torum fœdare: dum tandem ex latebris illis turpissimum scelus quamvis non plenè in notitiam qualem talem, aut saltem suspicionem; quæ plùs quàm semiplenam fidem faceret, erupit. Inveteratam viri quoad reditum ad lares suos circa mediam noctem consuetudinem pro securo libidinum suarum explendarum tempore arripuerat, lætaq; (si quæ lætitia improbis esse potest) malum operata fuerat; evenit tamen agente id indubiè cœlo; ut propudio huic modum statueret, tandemq; turpitudines terminaret; ut maritus præter consvetudinem suam & morem maturiùs (nona enim duntaxat sonuerat) temulentus utcunq; domum repedaret. Sed clausa jam janua erat: pulsare igitur fores, mirariq; simul, quî tam maturè Conjux cubitum concessisset: nec querelis parcere, ubi reseratæ fores fuerunt, expostulareq; graviter: Quid ageret fatua, si scelera spectes vetitosq; amores; at ingeniosa ut tegeret mulier? humanis quidē illusura oculis, sed non Divinis. Jam sub primū strepitū Amasius ante tori consors, nunc ceu canis sub fœdissimi lecti latebras ipsâ jubente sese abdiderat, inter angores animi, conscientiæ metus, exspectationemq; pœnarum reliquum tristis à lætitia noctis agere certus; nisi amasia succurreret dolo technisq; in artem advocatis, solitis utique sexui huic ad fallendum instrumentis. Quæ enim aliæ post lacrymas fœminarum artes aut consilia sunt? Tum verò etiam simulavit capitis dolorem, qui illam ad lectum ocyùs compulisset. Quievit utcunq; accensus Mariti animus, etiam corporali quiete mox sopiendus; si uxor sineret, quæ anxia, quem modum suæ suiq; complicis saluti consultura arriperet, nonnisi singultibus & acsi morbus vires sumeret intercisis vocibus gemituq; acerbos dolores prodebat: stomachum ægriusculè valere, puncturas nimias quantas latera lancinare & tantùm non violente suffocare asserebat: orare deniq; maritum consultum suæ saluti vellet, apothecam adiret, opportunumq; malo referret remedium. Credidit vera esse maritus, quæ philomela ista canebat: accersivit famulam, mandavitq; quantociùs ad medicinariam officinam acceleraret, expositoque morbo postularet pharmacum. At contra illa: daret id suo in uxorem affectui; ipse non detrectaret iter, non eam famulam esse, quæ sufficienter exponere posset morbum morbique fontem: periculum in mora sciret. Surgit igitur maritus deprehensurus utiq; extemplò fraudem; nisi nox & temulentia rationem ademisset. Nam pro suis vestibus Rivalis sui inferiora indumenta sumpsit. Perrexit amore urgente pedem, quem zelotypia mox & furor longè perniciùs in reditu præcipitabit. Devenerat ad Apothecam, jamq; non his morbis profuturam medicinam obtinuerat: cùm pretium soluturus manum capsæ admovit. Suum se existimavit marsupium, in quo paucos asses compotatio reliquos fecerat, extracturum, at contra accidit: pulchrum affabre factum horologium exemit. Obstupuit tantas, quas hactenus ignorâsset in suam manticam irrepsisse divitias; nec minus Apothecæ Præfectus: qui utpotè probè noverat hominem ut nullius frugi, sic nullarum opum esse. Ad mendacia igitur se vertere necessè habuit, ludo eam felicitatem attribuit, per quem se tantum compendium vicisse asseruit. Verùm solvendum nihilominùs erat; protendit proinde manum in alterum lateri femoralium assutum reconditorium; ut si quid ibi minutioris monetæ deprehenderet,

ret, de eo pro medicina numeraret. At ibi quoq; virum fefellère ino- A. C. 1695
pinatæ divitiæ: Sacculum cum aureis reperit. Tum enimverò turbari miſer totusq; confundi, nec multum moratus exſoluto pretio properare domum, certus occupare lucri tanti Parentem, ſimulq; cum Conjuge, quam jam ex talibus indiciis adulteram nôſſet aut exſcindere, aut in craſtino publico judicio damnandum offerre. Fruſtra has ſpes concepiſſe hominem docuit deinceps eventus. Jam inſanus procus evaſerat per artes novas juſtitiam cauſæ impoſterùm everſurus. Nequicquam totam turbavit domum, nec ab ancilla, quam in quæſtionẽ vocaverat, numq; aliquis domi ſuæ fuiſſet interrogaverat? amplius quid expreſſit, præterquam ſeminudum aliquem ſe ejus laribus ſubduxiſſe. Mulier ipſa pœnas metuens inter tumultum etiam profugit, & ad dolos converſa Conſangvineos petiît, iisq; ſævitiem mariti expoſuit, tentata venena, quibus toleretur, imò per temulentiam ejus hic & nunc ægrè mortem evaſiſſe. Quare in craſtino ad judicium citatus, reus ex innocente futurus. Nec ſatis, altera miſero (ut nulla calamitas ſola venit) intentata à milite actio eſt; qui dictum virum furti accuſavit, horologium crumenaq; cum aureis pro argumento adducta, in teſtem Apothecarius accerſitus. Sic nempe ludit ſcelus, arsq; iniquitatis virtutem ſuperat & obruit; nec ullus per orbem felicior quandoq; eſt, quàm qui minimè fortunam meretur. Adhuc ea ſub ludice lis eſt, in quam partem potiſſimùm favor aut æquitas declinatura ſit, incertum? Conſtans nihilominus opinio iniquitati ſuccubituram innocentiam, præmiumq; laturam improbitatem, quia per fucum in ſpeciem juſtitiæ colorata abiît.

At jam redeamus ad noſtra: ſub hæc literas ex Patria accepi prægnantes & grandes, ſed dolore fœtas, quas uti & alias cum tempore occurſuras ne expeditioni meæ impedimento ſint, in ſingularem chartam rejicio; uti jam ſupra innui me facturum; nec minor Bruxellis dolor, ubi toties quoties mecum de ſatisfactione contractui numerationeq; dotis actum; quæ cur non ſimul mecum ad terminum delata ſit, ſecundùm tenorem contractûs & vota mea, imò laborem plurimum ante diſceſſum meum Varſaviâ, hæc primaria cauſa fuit. Dum multa inter Majeſtates inter Plenipotentiarium Electoris altercatio de quantitate ſumæ dotalis eſſet, nec Rex ullatenus ultra quadringenta millia talerorum procedere vellet; Regina ne tam ſecunda elocationis filiæ in vanum abiret occaſio; in ſe receperat & centum millia imperialium ad priora adjecturam pollicita fuerat: præterea ad expenſas itineris ſeſe obligaverat; cùm intervenit Abbas Poligniacus, cui ceu homini de cœlo lapſo, major propè quàm cœlo dabatur fides. Is quò Galliæ ſuccurreret, quæ biennali aut triennali agrorum ſterilitate ad extremam redacta indigentiam, fruſtrà aliundè, quòd bello cum Hiſpanis, Anglis, & Hollandis ferverent omnia, famis exſpectabat ſolatia; Reginæ perſvaſit: ut conductis pluribus ultra 10 navibus Sveticis, quibus liber paſſus patebat ob neutralitatem, oneratiſq; frumento præſertim tritico afflictum de certo exitio vindicaret Regnum. Nec ſe difficilem præbuit Regina; tum quòd in Patriam ſuam prona eſſet; tum quòd facillimè perſvadeatur humanæ cupiditati affulgens lucrum. Mox tam Gedani, quàm per alia lòca dotalem ſum̃am in annonam profudit, præhabitoq; contractu nomine Regis Galliæ per altè memoratum Legatum concluſo in Sveticis navibus illam in Franciam expedivit, non uſquequaque felici eventu: nam una à Batavis intercepta occaſio deinde fuit, ut Rex mihi Bruxellis exiſtenti demandaret: quatenùs cum Plenipotentiario Hollan-

A.C. 1695 Hollandiæ Diqueltio expostularem, navemq; cum frumento repeterem. Aliæ quidem naves feliciter suum tenuerunt cursum, & tandem in Galliam appulerunt: verùm non tam prona exsolutio fuit, quàm pronum fuerat pro parata pecunia frumento onerare classem. In nervum belli absumpta pecunia erat; unde ludebatur opera indies Dni du Pont, qui ad eas recipiendas ab Electore destinatus illuc iverat. Itum sæpiùs ad Mercatores; sed semper infecto negotio reditum, me interim alienam luente culpam, Reginæque cupiditate in meum vertente opprobrium. Nam sæpiùs mecum expostulatum, sæpius innocentis sugillata fides; eò denique deventum, ut dum reliqua comitatûs Electricis pars reditum in Poloniam pararet, egoque insinuâssem, ut pro decore & competenti Honoraria discessuris data fuissent, mihi audiendum fuerit: jam hucusque ab Electore ultra ducenta millia imperialium prodigè expensa, nec tamen vel obolum de dote ab illo visum. Excedit calamum mortificatio mea, quam ea mihi causavit occasio, postmodum etiam in Patria jam præsenti non leve cum Regina dissidium causatura: ut verè dicere possim, recepi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ. Assiduis quidem literis Parisijs Deputatus du Pont exsolutionis negatæ causam in Thesaurarium Regis Galliæ Ponchaterin dictum devoluebat; ex quo liquidè constabat; ibi quoq; in tam divite Regno desiderari pecunias: mihi tamen id non proderat, Officialibus militaribus, quibus id peculium in stipendia assignatum fuerat, incessanter me solicitantibus, utut literis probarem, frustra in me derivari culpam. Insuper Elector jam jam expedire suorum unum decreverat, qui expostularet de suspensa hactenus dote: & indubiè fecisset, nisi precibus, ut tantisper supersederet, turbas in Regia domo veritus Principi persuasissem. Rationem, cur tam potenter dotem urserit Elector? satis supra innui exsolutionem militum fuisse, nec aliam hic & nunc existimo: circa Bruxellas enim 18 millia exercitûs stativa habebant, quibus pro Ducibus præerant Comites Atlon & Noel. Misit sub hæc affini suo Electori scilicet munera Delphinus Galliæ, cistulam aprino corio opertam, affabrè elaboratam; in qua de puro auro complura vascula pro speciebus Caffe; ciukulatæ & herbæ The, candelabra itidem aurea, tum duo horologiola eximiæ artis, ex quibus unum Electrici donavit Elector, inclusa erant. Nec aliunde Electrix desideravit honoraria: certatum undiq; muneribus, ipsæ quin civitates sui Gubernatoris Consorti dona ferebant. Visum mihi interea est; ut quia intuitu Electoris privatim ingressi tanquam Legatus publici ingressûs pompâ abstinueram, characteris mei speciem Bruxellis exhiberem. Minori milliari ab ea urbe situm est Cœnobium Monialium Ord. S. Benedicti; cui pro Antistita præerat Germana Fratriæ meæ Palatinæ Czernichowiensis: illuc visitationis gratiâ citra affectationem discedere placuit. 23 igitur Januarii cum solenni assistentia eò perrexi, iter per totam civitatem accidebat: alia enim via deerat, rhedas sexigas meis proprijs equis vectas quinq; in comitatu habui, quarum una quæ non pridem Parisijs advenerat, cæteris formâ & specie præstantior: singulæ illarum Nobilioribus plenæ erant, sumptibus non peperceram; ut & aurigæ ipsi splendidis non carerent vestibus, quas argenteis fimbriare ligulis & interpolare ad nitorem visum fuerat. Præcedebant octo meorum honorariorum Ephœborum in equis generosis cooperti serico, item famulorum aliquot omnes pharetrati & arcu instructi, Tubicines quatuor, Hungaricè vestiti, vernæ 6, duodecim autem gallico induti amictu, item quatuor asseclæ itidem splendidi vestibus; in hac assistentia mirante populo urbem

urbem pertransij, adque cœnobium delatus sacrum celebravi; secundùm *A.C. 1695*
quod solenni me meosq; Antistita excepit prandio. Aliquot mensis accubitum est, vinum generosum appositum, & multum, epulæ exquisitæ, prorsùs nihil desideratum, quod ad magnificentiam tractantis & ad dignitatem tam excipientis quàm excepti pertineret. Reditum deindè Bruxellas eodem ordine & facie, aliâ tamen portâ ingressus placuit; ut nulla pars civitatis esset, quæ exteri Legati spectaculo fraudaretur. Rediêrat interim Cursoria, ex qua tum ab aliis 14 Januarij datæ literæ, tristes de Patria, Regisq; adversa valetudine, quas secundùm condictum alteri reservo chartæ; tum à Regina, quanquam aliàs jam eas acceperam, redditæ mihi sunt, quas subjicio.

COPIA LITERARUM SACRÆ REGINALIS Mtis AD SUMMUM PONTIFICEM VARSAVIA

POst oscula Sanctissimorum pedum, meiq; Domusq; meæ humillimam recommendationem. Innotuit jam Sanctitati Vræ, quomodo ex parvis initijs (quibus aliter occurri potuit, nisi violentiora consilia majorem forsan injuriâ vindictam sibi proposuissent) perturbata nimium sit, & vix non suis mota cardinibus Respub: Ingemiscit optimus quisq; & boni publici amantior super afflictissimam (ut nunquã) sortẽ nostrã, nullus dolorẽ hunc delicatius sentit præ Srmo Rege Marito meo desideratissimo, Meque, cũ ad nos bona juxta ac mala imprimis pertinere videantur Quid ultimis Generalibus Comitijs gestũ sit, non major dolor, quàm pudor est memorare, idcirco prævidendo, ne quid simile in proximè indicendis ex publici boni, ex sacri belli rationibus fiat, Rex meus operæ pretium duxit, ante omnia convocare partes inter se differentes Varsaviam, & Senatum tam Ecclesiasticum, quàm sæcularem, qui per mediationem (felicem aliàs in similibus) impellente in tranquillitatem publicam voto, in spem rei prosperè transigendæ à me acceptam, vocata in consortium laboris secunda â thronis purpura Illrmo Cardinali Primate Regni, tanti momenti negotium componeret, atque ita futura Comitia Generalia facilitaret. Conatu ergo maximo, quamvis fructu minimo, per duas & ampliùs septimanas sudatum est: Prima autem nobis omnibus; & potissima fuit immunitatis Ecclesiasticæ cura, ut si eam non liceret sartam tectamque in integro conservare, prout esse debet; saltem ita manu tenere, ne vestigiùm aliquot extaret violatæ; ventus quando directus non est, captatur obliquus; admittendaquè mala minora, ut propellantur majora. Adinveniebantur possibilia satisfactionis pro præterito & securitatis in posterum media proponebantur; ut si Exercituum Dux ex Privilegio Ministerij, necessitate sacri belli, ex ratione statûs, & honoris sui hic & nunc ex toto Bona Spiritualia milite non posset evacuare; hoc amore pro interim Patriæ Rndus in Christo Pater Episcopus benevolè vellet titulo subsidij charitativi offerre, quod aliàs per rationẽ statûs evincere, vindicareque non poterat; Appromittebat corã Rege meo, me, Senatuq; Palatinus Vilnensis non se unquam aggravaturũ

bona

A.C.1695 *Bona Ecclesiastica, statimq; majorem militiæ partem ex Bonis mensæ Episcopalis, & Capituli educebat. In reliquo postquam concordia coalesceret, spondebat ingenuè omnem facilitatem in favorem* Bonorū *Spiritualium, dum non coactivè, & extorsivè cum illo ageretur. Ad hæc pollicebatur notabilem per triennium, aut quadriennium hybernalis contributionis diminutionem, quem Episcopi in Polonia pendunt quot annis. Condicta insuper satisfactio Episcopo quadraginta exnunc, septuaginta altero, post finita feliciter Comitia die florenorum millia, quibus contentus videbatur. Ex alterâ parte læsio honoris Domus Sapiehanæ, & per Excommunicationem vix unquam usitato modo fulminatam, objectionemq; criminis læsæ Mttis & perduellionis cum summa in posteritatem nominis tanti ignominia ita accommodare studuimus, ut primam cum toto effectu ad Sanctitatem vestram vocatam in Paterno ejus sinu relinqueremus, de secundaria verò quietatio solennis â parte actorea more* Patriæ *daretur. Restabat mutua partium reconciliatio salvo utriusq; honore, & post hæc publica tranquillitas, & lætior Reipub: facilius sibi consulturæ facies, stipendia militi providenda, belliq; sacri prosequendi rationes ineundæ. In summa; nihil prorsus intermissum, tentata omnia, ut pacatam videre liceret Rempub:, sed infeliciter æquè magno Reipub : periculo, ac damno jacta alea, & portu fracta navis in suo est; Tantus in asserenda concordia, sopiendis in perniciem Patriæ ituris odijs in cassum abijt labor, opusq; nobile sors iniquior penè in manibus destruxit. Quis sit in causa, DEUS ipse novit, nec expedit exaggerare; satis est quòd sæcularis potestas exemplo modestiæ, & omnis facilitatis præluxerit, nihilquè negaverit, quidquid salvo honore, rationibus statûs, & prærogativa Ministerij concedi potuit. Quin etiam Palatinus Vilnensis (cùm id, quod ex omnium consensu transigi debet, necesse sit in unū convenire omnes) efficacem in proximis Comitijs operam suam pollicebatur, ut ad normam Cleri Poloni, titulo subsidij charitativi, consistentias, aut stativa apud se militaria Lithuaniæ Clerus posset redimere, quod infallibiliter conclusum fuisset, cum id per se suosquè evicturum solenniter in facie Regis mei, & Procerum Regni appromißurum declaravit.* Dum *igitur spes non dubia felicis eventus affulgeret, & pene res tota in manibus esset; interim tamen dilationibus laborari adverteret Palatinus, imò præcautus esset; negotium non fore determinandum, in alteram Vistulæ partem transfretauit. Secutæ sunt eum postliminio flagrantißimæ meæ literæ, rediret adhuc, quandoquidem ultra mutuum amplexum cum Episcopo, nihil amplius desiderari uidebatur. Detulit libenter & reuerenter desiderio Bonorum, & redire se paratum promisit. Sed aduentare interim* Episcopum *Samogitiæ nuntiatum est, propter quem præfatæ concordiæ differri prætendebatur conclusio. Aduertens ergo toties se elusum, cùm negotium Episcopi Samogitiæ non fuerit in propositione & libello con-*

cor-

cordiæ Vilnensis (quamvis id præter bonum ex integra causâ certo A.C 1695
certius posita in Ecclesia Vilnensi concordia pari zelo meo, Collegijque Episcopalis cura compositum fuisset) reditum suum Varsaviam civilissimè excusavit, iterq; in Lithvaniam prosequitur, relicto bonis omnibus imperfecti operis dolore, & spe remotâ reassumendi ulterioris tractatus; cum quidvis citius dissolvi possit, quàm rursus refici. Has non simplices curas, reiq; gestæ seriem procul omni affectu non minore fidelitate, quàm animi angore Sanctitati Vræ defero. Cui ùt principia causæ motiva, modi agendi, nec ipsis, qui fecêre, laudari, & quid demum sit hæc oppreßio, non quid vocetur, vellem ex fundamento compendiaria, eaq; vera nec affectatâ cognitione innotescant, pateantq;. Indolebit non dubito Beatitudo Vra ex Paterno eoq; in Regnũ hoc particulari, & inveterato affectu miserrimæ ejusdem sorti, cùm verendum sit, ne propter unam (cujus defensores ne inconstantes videantur, nimiò pertinaces sunt) omnes Ecclesiæ patiantur. Vix jam (cum plus futurum semper sit, quod obstet, quàm quod succedat) integrum aut poßibile Comitia Regni celebrare, quæ si celebrarentur in tanta contra Ecclesiasticos animorum Civilium exacerbatione, vel grande præjudicium Ecclesiæ Polonæ adferre, vel nullatenus bene concludi possent; verendumq; ne D. Episcopus, cùm plura sint quæ terrent, quàm quæ premunt Sacra, sed paulò tardius convincatur ratione. Est via, quæ videtur homini bona, & novissima illius ducunt ad perditionem; Miles enim absq; stipendijs, & eorum spe relictus, non tantùm sacrum bellum non prosequetur, sed etiam, quod DEUS optimus avertat, excutiet debitam Regi Ducibusq; obedientiam, & ritu licentiosorum Bona Spiritualia occupabit, gemetq; similiter ab armis Ecclesia in Polonia universa, prout gemuit ad præsentiam Sttis Vræ sub confœderato milite, & tamen ad similia fulmina, quamvis non deerat in Ecclesia DEI zelus, deventum non est. Post simplex idq; fidele veritati testimonium perhibitum iterum pedes Sttis Vræ similiter & reverenter exosculor &c.

INFORMATIO AB ECCLESIIS IN DIOECESI VILNENSI desolatis porrecta Reipub: Regni & M. D. L. in Comitiis Varsaviæ.

PUNCTUM I.

Summam jurium & libertatum continet.

BONA Ecclesiastica Diœcesis Vilnensis ex natura sua hæreditas Christi, præterquam quòd juribus Divinis & Ecclesiasticis, nec non SS. Patrum Decretis in generalibus Concilijs egregiè munita sunt; specialibus insuper à Magnis Ducibus Litvaniæ, Regibus Poloniæ & tota Repub: indultis sibi gloriantur immunitatibus. Nam bene ante unionem M. Dtûs L. cum Corona Regni Poloniæ, VLADISLAUS JAGELLO Rex Poloniæ absolutus & hæreditarius prænominati Ducatûs existens Dñus, quàm primum Spiritûs S. gratiâ illustratus, suscepto Baptismo veræ & salutiferæ Catholicæ Romanæ Fidei absolvit Professionem; ex nunc 1387 anno Episcopatum Vilnensem & Cathedralem Ecclesiam

A. C. 1695 clesiam Vilnæ, nec non complures alias Parochias per diversa fundavit loca; quas amplissimis latifundiis muneratus, omni juri & proprietati sibi super iis competenti de toto renuntiavit, nulloq; prorsus tam sibi, quàm Successoribus suis ad ea accessu relicto in ævum Ecclesiæ DEi dedit, donavit & inscripsit, uti testantur Originalia Privilegia, anno supra dicto in præsentia complurium Principum, DD. Senatorum, Dignitariorumq; Ecclesiastico statui à præfato VLADISLAO Rege Poloniæ & Magno Duce Litv: data, qui posteriore privilegio suo eodem anno concesso elucidans & confirmans priora propria diplomata, omnia bona Ecclesiæ à se inscripta à quibusvis contributionibus & oneribus exemit, & immunia reddidit his verbis: *Quandoquidem in ditionibus nostris Litvaniæ & Russiæ fundatis Ecclesiis, ad gloriam Omnipotentis DEI, specialiter Cathedrali Vilnæ, ibidemq; & in aliis locis Parochialibus & Conventualibus, in spem æternæ mercedis, latifundia, bona, possessiones, census, decimas & alios proventus inscripsimus; uti ad plenum in Privilegiis nostris expressum est; quamvis prædictas Ecclesias cum illarum fundis per ea nostra privilegia ab omni onere exemerimus, prorsusq; libera & immunia per appositam clausulam in hæc verba reddiderimus: Nullum jus & competentiam Nobis & Successoribus nostris relinquendo: nihilominus volentes; ut Episcopus pro tempore existens cum Capitulo suo, Sacerdotibus, Parochis, Cleroq; Regulari feliciùs DEo Dnō servire, in ejusq; Vinea sine ullo impedimento & obice incremento S. Fidei studere, & laborare possit; specialibus his nostris de novo literis, quàm expressissimè omnia & singula latifundia, possessiones, pagos, subditos aliaq; bona ad gloriam DEI Ecclesiis tam Cathedrali Vilnensi, quàm etiam aliis, Parochialibus & Religiosorum inscripta pro hic & nunc & imposterum in perpetuum excipimus, liberamus, libera & exempta esse volumus, ab omni nostra & successorum nostrorum Magnorum Ducum Litv: subjectione, servitute, laboribus, angariis, custodiis, vecturis, expeditionibus bellicis, stativis Serebszczyzna dictis, vallorum & pontium exstructionibus; judiciis, Officialium nostrorum decretis & mandatis nominatis Dzieczte, avena, siliginis, & fœni tributo, appellato Dziaklo, & ab omnibus aliis oppressionibus, oneribusq; quocunq; nomine vocatis. Ita Episcopus & alii Sacerdotes soli in suis pagis & possessionibus plenam perfectam & omnimodam habeant potestatem, ac jurisdictiontm, nullusq; Officialium nostrorum & nulla potestas sæcularis, uti diximus, audeat aut præsumat intervenire, seque intermiscere.*

Idem Monarcha & Frater ejus Alexander Vitoldus Dux Litvaniæ primitùs unionem cum M. D. L. cum Regno Poloniæ sancientes, dum incolis Litvaniæ intuitu susceptionis S. Fidei, & tam facilioris perseverantiæ in illa; quàm etiam felicioris progressûs de virtute in virtutem, jugū servitutis (sunt ipsissima verba privilegij) quo ad illud usq; tēpus obligati & obstricti erant, de cervicibus illorum deponentes & absolventes, libertates, immunitates, exemptiones & privilegia darent atq; concederent: simul etiam jura Ecclesiæ his verbis roborârunt: *Easdem omnes Ecclesias prædictarum terrarum Litvaniæ, tam Cathedrales quàm Collegiatas, Parochiales, vel Regularium Vilnæ & alibi exstructas, vel exstruendas, vel fundatas vel imposterum fundandas, quo ad omnes & singulas illarum libertates, Privilegia, exemptiones, & consvetudines conservamus, vigore præsentium Literarum juxta morem Regni Poloniæ:* Cui CASIMIRUS Rex Poloniæ confirmans Parentis sui VLADISLAI sanctas Constitutiones, Privilegium indulsit in hæc verba:

In Nomine Domini Amen.

Nos CASIMIRUS DEI gratia Rex Poloniæ, M. D. Lit, ad perennem memoriam

moriam præsentibus literis significamus &c: si subditis Regni nostri gratiam nostram, & provisionem Regiam, quo ad incrementa commodorum, jurium & libertatum, nec non quo ad conservationem libertatis ampliamus, multò amplius justiusq; id censemus faciendum & concedendum Ecclesiis, ex quibus gloria & honor altissimo Dno JESU Christo, rerum omnium Conditori; nobis autem salus animarum provenit, nec non personis & membris Ecclesiasticis. Quam ob causam gloriosæ memoriæ Seren: Princeps VLADISLAUS Rex Poloniæ & Parens noster dilectissimus, humanæ malitiæ occurrens initijs, & libertati Ecclesiasticæ, omnibusq; ejus membris atq; Personis tam Spiritualibus quàm Sæcularibus, nec non quieti, quo illa nulli impedimento obnoxia foret, tempore Regni sui consulens, certum suum & apertum statutum condidit & sanxit in hæc verba:

In Nomine DEI Amen.

VLADISLAUS DEI gratiâ Rex Poloniæ Terrarum Cracoviensis, Sendomiriensis, Sieradiensis, Kujaviensis, Lenczyciensis, & Litvanæ Dux, Supremus Pomeraniæ, Russiæ Dñus & hæres, ad perpetuam rei memoriam. Quamvis subditorum nostrorum sæcularium emolumentis, Regiæ benignitatis instinctu libenter consulere & prospicere, nec non jura cum libertatibus illorum contra abominandam iniquorum hominum malitiam, Dominationis nostræ auxilio defendere & conservare consveverimus: nihilominùs tantò magis Regis pacifici in omnes dominantis exemplo (per quem Reges regnant & Principes imperant) Ecclesiam ipsius sanctam, personasq; Ecclesiasticas & sæculares ipsi subditas, defendere ejusque jura & imunitates in statutis Sanctorum Patrũ promulgatas servare decet, & convenit, & ab omni violentia vel invasione eisdem præcavere, contraq; eas propugnare pro justo duximus. Sciat igitur præsens & secutura ætas; quòd etsi sacris Canonibus & humano jure satis benè & comodè provisum sit; si quispiam Officialis vel Capitaneus Dñus vel Nobilis, eques. Vasallus cujuscunq; statûs dignitatis, officij & vocationis fuerit, decimas quas sibi Dñus DEUS in signum supremi dominij, pro sustentandis servis suis dari demandavit, uti & domus, tributa, arces, pagos, fortalitia, possessiones, & quæcunq; alia bona tam mobilia, quàm imobilia ad Ecclesias, personasque earum, intuitu operum misericordiæ pertinentia, uti & pauperes homines in prædictis bonis habitantes, ausus fuerit invadere, infestare, spoliare, vel injustè retinere, ex illis aliquid rapere, sive contributiones aliquas illis imponere, sive contra fas onerare, sive ex illis titulo pignoris quidpiam extorquere, aut quocunq; prætextu & intento opprimere, expilare, rapere, invadere, servare, aggravare imperaverit, aut in id consenserit, aut talem raptorem, invasorem, extortorem, ac injustum servatorem, cum re rapta, expilata, injustè acquisita, invasa, & servata, servare, in protectionem suscipere, & defendere præsumpserit, aut in prædictis bonis manifestum damnum & notabilem injuriam fecerit, nec omnes & singulas ejusmodi res per rapinam & invasionem, oppressionem, & extorsionem, acquisitas reddiderit, nec pro injuriis & damnis factis, publica offensa, & malitia sua, justam compensationem & realem satisfactionem exhibuerit: is talis cum complicibus suis decretis & Ecclesiasticis excommunicationibus subjacebit. Verùm quia in quibusdam personis sæcularibus Regni nostri tanta tam altè radices egit malitia; ut amentes homines nec excomunicationem quidem contra tales per Ecclesiasticos Canones & ab homine latam vereantur, adeoq; toto anno obstinato animo per contemptum clavium Sanctæ Matris Nostræ Ecclesiæ cum grandi

A.C. 1695 animarum suarum periculo prædictas constitutiones flocci pendendo, cum scandalo Fidelium Christi, hæc vincula tolerare audeant; ob quos excessus Divinæ justitiæ mucro etiam in insontes desævit, augenturque schismata & complura alia diversa animarum consurgunt pericula: nos igitur Vladislaus ingenti desiderio & Majorum nostrorum exemplo ducti, tanquam defensores & conservatores jurium, imunitatum & privilegiorum Ecclesiasticorum, uti & personarum illis subditarum, desiderantes incrementa Ecclesiasticæ libertatis, ex vi obligationis nostræ, volentes statuta ejusmodi executioni mandari (in vanum enim darentur leges & conderentur; si executione & effectu destituerentur) flagrantesque scire, an quos timor DEI & gladius spiritualis à malitia non abstrahit, temporale saltem decretum & pœna non frenabit; præsenti nostro decreto de consilio & unanimi Prælatorum, & Officialium nostrorum, desiderio, scientia, consensu volumus, decernimus, & firmiter ac efficaciter in perpetuum servaturos nos pollicemur. Quare defacto jam sancimus & ordinamus, privilegio præsenti; quòd ubi quispiam Regni nostri incola cujuscunque status, & conditionis fuerit, propter rapinam & retentionem decimarum aliarumq; rerum Ecclesiasticarum invasionem & appropriationem, vel alios quoscunque excessus, uti etiam inobedientiam circa jura & mandata Ecclesiæ, justo decreto excomunicatus fuerit; & in ea ultra annum obstinatè perseveraverit nec ad Brachium Sanctæ Matris Ecclesiæ redire, proq; ejusmodi excessu debitam emendationem exhibere curaverit: ubi annus elapsus fuerit, omnia bona excomunicati mobilia & imobilia, quæ pro eo tempore possidebit, à Capitaneis locorum, quibus ea bona subjacebunt, occupanda erunt, & tamdiu sub illorum potestate tenenda: donec vel ab excomunicato, vel à Capitaneo prædicto ex ejusmodi bonis damna omnia secundùm æstimationem injuriatis & damnificatis plenè & perfectè exsolvantur, quibus exsolutis prænominata bona excomunicatis, ab eo vinculo ante Ecclesiasticâ absolutione expeditis, à præfatis Capitaneis reddentur.

Imperamus igitur omnibus & singulis Capitaneis Regni nostri, & illorum vices gerentibus; ut intuitu refrenandæ ejusmodi excomunicatorum pertinaciæ, obdurationis, & inobedientiæ, prætactum nostrum salutare decretum executioni mandent in ævum & in perpetuum, quotiescunque super hoc à Prælatis & aliis personis tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus admoniti fuerint & requisiti. Quod si autem prædicti Capitanei & Officiales nostri vel eorum locum tenentes, pro tempore, in ejusmodi rebus aut segniores fuerint, aut neglexerint, tum eos omnes ob talem negligentiam ab officio Ecclesiastico eorum locorum excomunicari concedimus, vigore præsentium literarum nostrarum, cui sigillũ nostrum appendi jussimus. Actum Cracoviæ Sabbato primo ante Purificationem anno Dñi 1433 in præsentia Reverendissimorum in Christo Dominorum Zbigniewi Cracoviensis, Joannis Culmensis Episcoporum, & Illustrium ac Nobilium Nicolai de Michałowa Castellani, Petri de Rupe Pieskowa Palatini Cracoviensium, Joannis Glowacz de Olesnica Mareschalci Regni nostri, & aliorum complurium de Equestri Ordine nobis dilectorum. Datum per manus Reverendi Stanislai de Oporowa Canonistæ, Decani Cracoviensis, Sedis Apostolicæ Protonotarij, Procancellarii Regni nostri nobis sincerè dilecti. Gestum id ex relatione Joannis de Koniecpola.

Nos igitur volentes imitari ad amussim toto mentis nostræ conatu Parentem, & antecessorem nostrum dilectissimum, has literas & laudabile statutum

tum, quo ad omnes ejus clausulas, de consensu & voluntate Prælatorum, Dominorum, & Senatorum Regni nostri, laudamus, renovamus, confirmamus, & præsentibus roboramus, imperamusq; omnibus hic & nunc existentibus, & imposterum futuris Regni nostri Capitaneis, Officialibus, & eorum locum tenentibus: ut prædictas Parentis nostri literas, statutumq; servent, ac etiam quo ad minimum punctum remq; in illo contentam in perpetuum inviolatè manu teneant; nec non alios in suis Capitaneatibus, possessionibus, quocunq; modo subditos, cujuscunq; Officij; Dignitatis & Conditionis fuerint, adigant & impellant juxta indultam sibi potestatem, modumq; exercendæ illius, per literas prænominati Parentis nostri: quotiescunq; à Prælatis & alijs personis Spiritualibus ac Secularibus, super hoc requisiti & invocati fuerunt. Quòd si autem ipsi Capitanei, Officiales, illorumq; locum pro tempore tenentes, in prædictarum rerum executione segnes, negligentes, vel quomodocunq; difficiles fuerint; tum omnes & singulos illorum in individuo ob talem negligentiam, & contemptum mandati nostri, excommunicationibus per Officium Locorum, ejusq; Vicarios, & Officiales ferendis, subijcimus, punimus, perpetuoq; subjacere debere decernimus, & obligamus, volentes: ut tamdiu contra illos procedatur, donec voluntas in illis appareat accedendi ad explendas literas nostras, vigore earundem; quibus sigillum nostrum applicari mandavimus. Actum in Generalibus Comitijs Piotrkowiæ die Sancti Adalberti habitis, ima feriâ quartâ post Sancti Georgij festum, 26 Aprilis, anno Dni 1458 in præsentia Reverendissimi & Reverendorū in Xto Patrum & Dominorum Ioannis Sanctæ Gnesnensis Ecclesiæ Archiepiscopi Primatis &c. A.C. 1695

Idem cum pleniore elucidatione habet privilegium Regis Alexandri in hæc verba: nec amplius dubitetur de interdictis & excomunicationibus juxta statutum Gnesnensis Provinciæ, ob ereptionem bonorum & insurrectionem in personas Ecclesiasticas latis. Nos Alexander Rex pro informatione Subditorum nostrorum Ecclesiasticorum & sæcularium, jus Ecclesiasticum ignorantium, decisionem de corpore juris sumptam, & in libris Doctorum Ecclesiæ statutoque Provinciali Gnesnensi descriptam, ac per Reverendum Nicolaum Kotfic Archidiaconum Posnaniensem, Canonicum Gnesnensem, juris Canonici Doctorem, collectam, privilegiis Regni in unum collectis inscribi, inserique jussimus, hoc ordine: statutum Diœcesis Gnesnensis sub titulo de raptu ita mandat & sancit: ut qui decimas, possessiones, census, & bona mobilia Ecclesiis & personis spiritualibus, earumque subditis, eripiunt, invadunt, appropriant, injustè onerant, extorquent, vel quocunque modo gravamina illis inferunt, vel in bonis damna notabilia aut publicam injuriam faciunt; nisi intra triduum damna compensent: ex nunc ipso facto excomunicationi subjaceant. Interpretationem hujus statuti de juribus Ecclesiasticis, quia latior est ibidem addita, hic non ponimus: quilibet illam in statutis Regni legere poterit; unicum duntaxat textum præsentibus circumstantiis servientem, adjicimus, cujus hic est tenor: in multitudine enim sive exercitu non tam facilè adverti potest persona, quæ per rapinam peccat; huic quoque providit statutum; ne bona Ecclesiastica irent in direptionem, voluit; ut in eum pœnæ exercerentur, qui potestatem habet ducendi & consistentias assignandi exercitui.

Successerunt deinceps confirmationes à Serenissimis Regibus Poloniæ & Magnis Ducibus Litvaniæ factæ, initio sumpto à Vladislao Jagiellone usque ad præsentem feliciter regnantem JOANNEM III Dominum nostrum Clementissimum, qui non priùs thtonum regni sui insederunt, quàm super conservatione integritatis jurium, privilegiorum, liber-

A. C. 1695 libertatum à Majoribus & Anteceſſoribus ſuis conceſſorum juràſſent, uti pacta conventa Comitiorum Electionis & Coronationis in volumine legum ad plenum teſtantur. Sub hæc acceſſerunt conſtitutiones totius Reipub. Comitiales, uti anni 1601 titulo *de militaribus M. D. L. ſtativis* folio 763, conſtitutio; cujus textus hic eſt: *Occurrentes huic, ne Nobilitas & ſubditi ejus, item Eccleſiaſtici à militibus aggraventur, ſancimus & conſtituimus, ne in bonis nobilium & Eccleſiaſticorum à Ducibus noſtris Regni & M. D. L concedantur ſtativa militibus: in ſolis bonis noſtris & poſſeſſionibus duntaxat locentur, exceptis nihilominùs œconomiis noſtris quas ab eiusmodi ſtationibus eximimus, nec poterunt ſive Decuriones ſive Commilitones illorum, aut vulgares famuli, divertere ad domos nobilium & Eccleſiaſticorum, ibiq; extorquere ſtationes.* Huc pertinet conſtitutio anni 1609 titulo: *Ordo circa conſervationem militis* fol. 891. 1620 tit. *de milite* & tit. *iter vel tractus militis* fol. 5. & 7. 1627 tit. *de milite* & tit. *diſciplina militaris M.D.L.* fol. 6. 1623 tit. *de milite M. D. L.* 1653, *titulo circumſcriptio diſciplinæ militaris* fol. 6. 1654 tit. diſciplina militaris fol. 30 1655 tit. Expeditio peditatûs fol. 3 & tit. diſciplina militaris M. D. L. fol. 7. 1658 tit. diſciplina militaris, fol. 18 & aliæ complures, earumque quibuslibet ferè comitiis reaſſumptiones, uſque ad conſtitutionem anni 1678 tit. hiberna M. D. L. fol. 3, juxta quam conſtitutionem Eccleſiaſtici M. D. L. exemplo Eccleſiaſticorum Regni, conſentiente ſumo Pontifice, ex mero amore in Patriam, titulo charitativi ſubſidii annua hiberna in præſentis ſacri belli ſupplementum ſecundùm computum à Deputatis Reip. factum, ex bonis ſuis à prænominatis magnis Ducibus Litvaniæ in fundationem aſſignatis, fundationibus nihilominùs Nobilium exceptis conceſſeruut, cum cautione ibidem deſcripta in hæc verba: quæ hiberna Dux cum Deputatis inſimul exercitui attribuet, nec debebit Deputatos militares quocunque titulo pro cogendis hibernis tam ex bonis noſtris, quàm Eccleſiaſticis mittere, illa aggravare, aut aſſignationes intuitu eorundem cogendorum dare.

Præter hæc jam memorata privilegia & Conſtitutiones Comitioru͂ plura adhuc reperiuntur Patriæ jura & ſtatuta; quorum in longum adductione nolens tædium parere, pro coronide hujus puncti mentionem duntaxat facio Bullæ ALEXANDRI Pontificis; qui ad inſtantiam ALEXANDRI Regis Poloniæ, Epiſcopis Vilnenſibus uſum ſæcularis gladij indulſit, per reſpectum opprimendi hæreſes & defendendi jura ac immunitates Eccleſiæ.

PUNCTUM II.

Deſcriptionem præſentis oppreſſionis & excommunicationis latæ continens.

QUamvis Bona Eccleſiaſticis Vilnenſis Cleri tam manifeſta & fundamentali jurium, prærogativarum, & immunitatum ſibi conceſſarum defenſione antiquitùs munita, juxta prænominatam conſtitutione͂ anni 1678 hiberna ſpontaneè in ſubſidium, ſacri belli moderni indulta, præter alias contributiones ad theſaurum Reipubl: collatas, in manus Illm̃i Ducis M. D. L. plenè & in puncto, idq; compluries etiam cum extorta auctione exſolverint; uti ex quietationibus manu propriâ ſubſcriptis liquet: nihilominus prædictus Dux etiam hac præviâ ſatisfactione non contentus, contra expreſſa jura & omne fas duplici aggravare onere ab ævo hactenus non practicato, ſub tempus officij ſui præſumpſit, & ex Eccleſiaſticis bonis in hiberna coègit, initio quidem ex quibusdã

Paro-

Parochialibus, tum etiam Ven: Capituli, demùm Episcopalibus; jam per omnia eorundem Ecclesiasticorum bona formatâ ad mentem suam & libitum constitutione, exercitui stativa designavit, primâq; vice centum octoginta florenos in equum, alterâ centum quinquaginta, tertiâ centũ viginti injustè & indebitè extradi imperavit. Quo factum est; ut prætacta bona non tantùm ad incitas & irreparabilem redigerentur ruinam; sed etiam insuper ipsa Sacraria Dñi & Ecclesiæ thesauris suis, auro, argento, apparatu & omnibus ornamentis suis in subsidium pauperũ subditorum, exsolutionemq; onerum nudarentur: qui quidem subditi impares tantæ oppressioni necessè habuerunt relictis mapalibus suis diffugere, aliiq; ad possessiones ipsius Ducis ejusq; amicorum, alij in Curlandiam, Sveciam, Moschoviam, Ucrainam & quo quisq; potuit, se conferre, Ecclesiasticis exinde pro amplissimis latifundiis non nisi desertâ Arabiâ remanente. Videnti hæc Rdmo Episcopo Vilnensi, munerìq; & debito Pastoralis Officij sui sedulè invigilanti (postquam de tam manifesta injuria & ipse personaliter, & per varias personas authoritate imprimis pollentes, compluries amicè sat longo tempore Ducem convenisset, nec tamen ullam satisfactionem exorare potuisset, quinimò indies crescere & augeri numerum injuriarum comperisset; in tantum: ut cessante proventu, in Ecclesia Cathedrali per sacella sub nomine Matris DEi & S. Casimiri Patroni Regni, compluraq; alia Sacraria Dñi conconsveta sacrificiorum cessaret devotio; quæ etiamnum perseverat) quamvis juxta dispositionem juris Ecclesiastici & privilegiorum in primo puncto expressorum excommunicationem Papalem, vigore Bullæ Cœnæ Dñi, ipso facto contractam, ex nunc sine omni dilatione publicare licuisset; nihilominùs nolens festinare, maluit tentare mitiora remedia expugnandæ pervicaciæ: collatâ re cum Ven: Capitulo monitorium spirituale in Junio, anni præteriti 1693 per literas secretas Duci intimavit, exprimens in iisdem jura Patriæ & Ecclesiæ, assignans item tres terminos intra decursum octodecim hebdomadarum; in quibus occurrendo promulgationi prædictæ excommunicationis, in quam jam re ipsa inciderat, tam pro præteritis damnis satisfaceret; quàm etiam imposterùm simili cum Ecclesiasticis Bonis procedendi modo supersederet & desisteret. Non successit hoc quantumvis satis benignum medium; quia loco satisfactionis pro tot injuriis primariò Dux res suas colorando literis Romam datis, Præsulem & Pastorem suum denigravit; mox postea non tantùm de industria redux ex expeditione bellica iteratò in omnibus bonis locavit militem; qui ferro & ferreis armatus mandatis, residuis in fugam actis subditis, reliquam illorum diripuit substantiam: sed etiam quod majus est, specialia supra voluntatem Reipub: hiberna, absolutâ potestate, pro libitu suo, tam ex subjacentibus huic oneri, quã non subjacentibus bonis majore supra computum numero imperavit & extorsit, quibus cùm non sufficerent Coloni; ipsas Sacerdotum mansiones, prædia, domos, & aulas invasit, quidquid inibi vel de Ecclesiastica vel domestica supellectili reperit, violentè diripuit. Elapsis tribus terminis intra decursum 18 hebdomadarum assignatis, jam imminente excommunicationis promulgatione, geminum Româ Breve ad Ducem delatum est: in quorum utroq; Summus Pontifex expresso disgustu suo ob ejusmodi diffidia Mediatorem pro pacificatione illorum Nuntium Apostolicum esse voluit, adjectis in altero ardentissimis stimulis in hæc verba: *Quandoquidem verò non dubitamus eundem Episcopum. vi Officij sui, ex quo illi incumbit jura commissæ sibi Ecclesiæ tueri & defendere, ad eas res de-* A.C. 1695

A.C. 1695 *lapsum esse, de quibus Nos certiores reddidisti: devotioni & pietati prorsus confidimus, te non neglecturum, quò medijs pacificationis ejusmodi diffidentiæ sopiantur.* Et verè Episcopus quò ad ea parens voluntati S. Sedis Apostolicæ, simulq; sperans ardua hæc in futuris Comitiis sine ullo in contrariũ difficultatum & moliminum interventu: feliciter & efficaciter terminanda, à proposito suo supersedit: & quamvis ea Comitia successu & fine caruerint; nihilominus plurium hebdomadarum spatium cum summa animi propensione & facilitate præstolando speratam concordiam Varsaviæ consumpsit: donec tandem manifestè compertô, frustra præsumi & expectari pacificationem, imò habito ultimato omnis spei præcisivo responso (quo intimabatur, nullatenus fieri posse; ut Dux aut militem de bonis Ecclesiasticis deducat, aut damna refundat) infecto negotio discessum est, non sine notabili ob immodicas expensas Præsuleæ substantiæ detrimento. Redit in Diœcesim suam Episcopus supremo medio, Ecclesiastico scilicet gladio Ecclesiam defensurus: quem priusquam stringeret; pro amore Christiano pectori congenito; & affectu Pastorali de industria indulgens tempus reflexioni, Jubileum à Pontifice orbi communicatum, Paschæq; solennia Vilnæ, inter imperatas ad eam intentionem supplicationes, sub oculis ipsiusmet Ducis, cujus bono eæ fiebãt, celebravit; & quàm efficacissima amicabilis compositionis media tã ipse personaliter, quàm per familiares suos repræsentavit. Verùm tanta facilitas & submissio in vanum fuit, caruit respectu Præsuleus labor, negata satisfactionis apparentia, imò vel umbra: quin minæ ulterioris oppressionis & ruinæ sunt intentatæ. Nec tamen etiam his irritatus Episcopus acrius consulit: adhuc experiri placuit, nũ omnino desperata plaga foret? quartam supererogatoriè monitionem præmisit, manifestè protestatus: nisi intra triduum satisfactio successisset; promulgationem excomunicationis se executurum. Quo termino appetente quia prætactus Dux in vicem satisfactionis appellationem, quæ in ejusmodi casu non currit, substituit, & in usurpanda per bona Ecclesiæ consistentia perseveravit: propriâ utiq; confessione se ipsũ damnavit, & violentè executionem Papalis excomunicationis, juxta decreta Sedis Apostolicæ ursit & extorsit. Nec enim unquam id desideriũ Præsulis fuit, ut Dux in illam incideret; ideo duntaxat præcesserant monita, ut caveret: verùm quia incidere in illam, non cavere maluit; ejus promulgationem sibi imputet, ex sensu D. Augustini: non censetur ferire, qui dicit cave.

PUNCTUM III. *Refutat Objecta.*

Objectio 1ma Innocenter Dux tantam ab Episcopo Vilnensi injuriam patitur. Inhærendo enim non tantùm potestati sibi â Repub. concessæ; sed etiam insistẽdo practicatæ ab Antecessoribus suis consvetudini & præscriptioni militem in bonis Ecclesiasticis debitò locavit.

Responsum Ordinaria ea potentiorum ab ævo querela est; ut se injuriatos asserant, dum injurias inferunt. Quoties innocuæ Oviculæ â Lupis patiuntur calumniam, ac si turbent fontem; dum de rivo bibunt? si id injuria est, quidquid Duci & ejus adhærentibus non videtur, fateor, grandem injuriam patitur: sed in id non consentio; ut verè injuria existimetur: cum natura illius sit, ut contra jura proximi quidpiam agatur aut fiat. Necessum ergo est; ut Dux per prius jure demonstret, â se debitè & justè onerata fuisse Bona Ecclesiastica: Tum sanè queratur contra Episcopum nullo modo querelas probaturus: Siquidem commemorata in primo puncto jura, privilegia & constitutiones Comitiorum expressè

presse & inviolatè ab omni onere, nominatim consistentiis possessiones Ecclesiasticas, liberantes potestatem, quam Dux prætendit, positivè abjudicant & damnant. De consvetudine verò & antiquitate, seu potiùs præscriptione interveniente allata vana sunt in tantum: ut universo orbi pro exemplo rerum inpræscriptibilium proponi possint, ex omnium Juristarum sensu; qui si quærerentur, indubiè prætensum à Duce jus consvetudinis & antiquitatis super bona Ecclesiæ injustissimū, nullumq; esse assererent? omnes enim defectus in eo reperiuntur. Primò jus cōsvetudinis & antiquitatis initium suum non sumpsit ex jure Divino & naturali, uti alia; sed ab hominibus conditum est, eo respectu: ut incertitudo bonorum, possessionum, & fortunæ humanæ tollatur; néve post longam & pacificam possessionem turbentur possessores. Quæ ratio in jure Ducis locum non habet; quia Clerus Vilnensis, à trecentis & ampliùs annis ad se pertinentia quietè possidens dominium suum confirmavit. Secundò ad præscriptionem pertinet bona fides, justus titulus, & diuturna possessio: Uno horum desiderato, etiamsi mille annis rem aliquā quis obtinuisset; non tamen illius proprietarius aut usurpator esse potest: hoc enim differt antiquitas à furto, rapina, & alia violentia. In jure autē Ducis ubi bona fides? ubi justus titulus? ubi cōtinnua possessio? obstantibus tot juribus & constitutionibus, tam antiquioribus, quàm recentioribus. Insuper annua publicatio excommunicationis feriâ quintâ magnâ non concedit aggravantibus bona Ecclesiastica ullam antiquitatem, præscriptionem & possessionem. Allegabis à ducibus impunè antè in ijs bonis stativa assignata fuisse militi? Respond. aliā rem esse jus & æquitatem, aliam factum vel excessum. Dato excessum & factum sufficere ad constituendum jus, consvetudinem & antiquitatem; sequeretur homicidia, perjuria, adulteria, & alia criminalia, quæ indies perpetrantur eodem jure antiquitatis defendi posse, adeoque quemvis impunè peccaturum. Nobis autem non incumbit Antecessorum nostrorum intendere factis; sed juri, quidque faciendum sit, quid cavendum? vis enim nec errorem, nec excessum novit: facta autem Majorum utriq; non rarò subjacent. Nec verò etiam verū est à præteritis Ducibus bona Ecclesiastica tantùm fuisse aggravata: si enim aliquando in illa per temporum calamitatem, Repub. cum Mosco, Cosacis, Svecis & Rakocio gerente bellum, vel etiam sede vacante violentam extenderunt manum: ex nunc contra ejusmodi ausus actum est solennibus manifestis & publicis in Comitio reclamationibus, quarum authentica documenta præ manibus habemus. Tum Clerus Litvaniæ cum Regni clero in omni jure cōmunicat, eique aqualis est. Is ubi hiberna de bonis suis secundùm assignationem extradidit; omnis imposterùm molestiæ expers vivit: Clerus verò Litvaniæ tam infelix est; ut quamvis maturè idque aliquoties ante expectationem cum notabili auctario, thesauris etiam Ecclesiæ oppignoratis hiberna Duci (uti quietationes testantur) exsolvat: nihilominùs imunitate à pertransitionibus, diversoriis, contentationibus, discretionibus, consistentiis cum speciali assignatione, & innumeris exactionibus nondum gaudeat. Demùm ab abusu præteritorum Ducum ad usum non valet argumentum: sic enim etiam futurus Dux locationem militis in bonis Nobilium defendere poterit, allegando exemplum moderni Ducis; qui sub incidentiam Comitiorum Grodnensium ferè per omnes Palatinatus & districtus stativa in bonis terrestribus assignavit. Existimo autem minimè illum huic consequentiæ assensurum, verentem utpote; ne in ipso statua- *A.C.* 1695

A. C. 1695 statuatur exemplum, ubi in alterius manus clava devenerit: igitur nec Ecclesiastica bona oneret, quæ non tantùm æque ac Nobilium constitutionibus Comitiorum munita sunt: sed quinimò etiam occasio fuerunt velutique portam reserârunt libertati aliorum, uti ex privilegio unionis in primo puncto patet.

Objectio 2da. Episcopus non contentando se dato Duci mandato, excomunicationem sine citatione & decreto, præcipitanter contra appellationem oppositam in forma insolita, per totam Diœcesim publicari mandavit? Responsum. Verùm est neminem duplici pœnâ puniri debere; sed & illud certum, secundùm mensuram delicti debere esse pœnarum modum. Duplicia jura tam Ecclesiastica, quàm sæcularia à Duce fuêre violata: Duplici igitur stylo & modo procedendum fuit. Quia sicut Ecclesia pro convulsione sæcularium jurium reprehendere nequit, ita nec vicissim Respub. pro violatione Ecclesiasticorum. Unde Episcopus non cedet expedito mandato; sed coram judicio universæ Reipub. experiri & agere volet: dumodò adversa pars comittere eidem arbitrationem causæ non detrectet aut suptersugiat, vel non consentiendo absolutè in sui judicium, vel excipiendo mandatum juridicè editum, nominando illud jam projectum, jam subreptitium & confictum, uti hactenus publicè & privatim fecit: cujus illos, Deo dante, pudeat necessè est, quando tam legitimitas hujus mandati, quàm realitas expressæ in illo propositionis evidenter constabit. Quod attinet ad manifestam jurium Ecclesiæ violationem & inde extortam à Duce rigoris illorum sine citatione & decreto executionem, sciat ita fieri oportuisse, secundùm dispositionem juris Ecclesiastici: quod re ipsa excommunicationem non ab homine, sed à jure latam (qualis præsens est) non tantùm sine citatione & decreto, sed etiam sine prævio monitorio, eò, quòd jus ipsum vetando quemvis moneat, publicari imperat, præsertim in manifestis rebus, quas inficiari est impossibile: uti etiam in civili jure consimiles dantur constitutiones, præcipuè in attinentibus ad thesaurum, quæ ipso facto secùs facientes, citra ullam citationem & decretum infames declarant. Nec appellatio in ejusmodi causis executionem impedire potest; quæ solius defensioni innocentiæ duntaxat favet, nec in exitium Ecclesiæ Dei concessa est: præsertim cùm Episcopus non ut judex sed merè ut executor juxta decreta bullæ cœnæ Dñi, Consilii Tridentini & alia ipso facto excomunicatum ad effectum duntaxat vitationis, formâ in Pontificali expressè præscripta publicarit, & per diœcesim publicari fecerit. Nec id præcipitanter ab illo actum: quia præter priores expostulationes nonnisi post tredecim mensium continuas monitiones, decimo quarto demùm mense obligationi Pastorali satisfecit.

Objectio 3tia. Potuisset utiq; Illmus Episcopus gravissimæ Reipub. condescendendo necessitati, suã Eidem donare injuriam; quandoquidem felicioribus temporibus, florentibus rebus in superabundanti à subditis suis pro persona sua exegit hiberna?

Resp. Nihil certius ac id; quòd multa debeamus Patriæ: verùm conjunctim non divisim, & hoc eo tempore; dum inevitabilis urget necessitas: verùm, quæ gratia DEI est, sub moderno feliciter regnante, nullius ejusmodi exigentiæ nobis conscii in solis Comitij necessitatibus Reipub. prospicimus, à quibus sancitas contributiones si sibi non vendicarent; certò exercitûs debitâ mercede non fraudaretur. Sumamus in Exemplum suprema Comitia, in quibus pro octo Trimestribus decretæ fuêre contributiones, & vix pro duobus & medio solutæ sunt. Respondebitis

debitis forsan id factum esse per surreptionem fumorum, juxta nova *A.C.* 1695
abjurata? ita est, quia super fumis bonorum vestrorum, quæ tertiam propemodùm Litvaniæ partem occupant, jurare & in regestra censuum inscribere, per contemptum æqualitatis noluistis: Si ex æquo nobiscum jugum trahere placuisset, infallibiliter exiguum quid vel nihil meritorum exercitui superesset. Liquidationes & debita, quorum computum pro libitu vestro digessistis, non ex ordinarijs sed extraordinarijs contributionibus solvenda erant; aliter nihilominùs contra unanimem omnium Palatinatuum & districtuum declarationem, secundùm privatum beneplacitum actum; de quo Deo dante in Comitijs; ubi ex reali interpretatione constabit, nullam necessitatem dedisse occasionem aggravandis bonis Ecclesiæ, totum id promanâsse ex notabilibus redemptionibus regalium. Objecta verò impostura; ac si pro persona sua Episcopus à subditis vel assem unum ad hiberna pertinentem sibi vendicâsset, tantùm à verò distat; ut indigna replicatione non egeat: nec enim delicata Præsulis conscientia ejusmodi sufferret reatum. Tum etiamsi vellet prætendere quidpiam tale, ipsi proculdubiò subditi antiqui moris retinentes, recurrerent ad Capitulum, cui secundùm jura sua incumberet expostulare cum Illustrissimo Episcopo. Demùm ut breviter respondeam: Præsul, si vel de uno asse supra debitum accepto convictus fuerit, eum se millenis soluturum. Verùm dato non concesso id factum fuisse: num nihilominùs Duci competebat bona Ecclesiæ aggravare? cur Episcopus dissimulat, à Duce in bonis propriis ejus, præter consvetas obligationes, fumalia, capitalia, cerevisiaria, & alia tributa sub titulo Reipub. imperari, & quot annis exigi? connivet insuper ab eodem hiberna ad minimum sum̃am septies centenorum millium facientia, quæ juxta jura cum Deputatis in Exercitum distribuere deberet, sibi propemodum tota vendicari, nullam ferè Nobiliori equitatui, Colonellis, Decurionibus, vice-Colonellis & alijs Officialibus consolationem impertiendo, aut si quam dederit assignationem; ea certè in viginti locis requirendam aliquot centenorum florenorum summulam continet, ut ita alterum tantum in viam miles absumere cogatur, sæpeque nullo suo lucro, magno insuper detrimento redeat.

Objectio 4ta. Non decebat Episcopum ob gemina vexilla in illius Bonis consistentia tam violenta arripere media, præsertim cum tres Tartarici authoramenti ob eam causam capite sint plexi?

Responsum. Crediderim hanc objectionem à cæcis & surdis confictam esse: nam videntibus & audientibus omninò fatendũ est, plura quàm 20 vexilla in solis bonis Episcopalibus locata fuisse; plura etiam per possessiones Ven: Capituli, & Parochorum stativa habuisse. Quo ad Tartaros censeo eos temerè & inconsideratè magis quàm justè capite plexos esse; quia dum Episcopus eos ad judicium Ducale propter usurpationem indebitam locationis in Bonis Ecclesiasticis citâsset; Dux ostendentibus illis assignationem sibi datam decrevit debitè illos locatos fuisse: à quo decreto Episcopus ulteriori neglectâ controversiâ juxta jus ad tribunal appellavit, ubi non tantùm eam causam noluerunt suscipere & arbitrari; sed etiam nec extradita quidem semel suscepta fuit protestatio. Sub hæc nemine instigante prænominatos Tartaros frustranei prætextûs gratiâ, ac si administraretur justitia, plecti capite imperatum fuit.

Objectio 5ta. Non sine speciali scandalo id agitur, quod Episcopus sub prætextu vindicationis Ecclesiasticarum immunitatum aliena promoveat lucra?

Resp.

A.C.1695 *Responsum* Simili prorsus objectione cum Christo actum est: scis dicebant Apostoli, quòd Pharisæi scandalizati sint in sermone tuo? ad quæ respondit Christus, finite illos cæci sunt & Duces cæcorum. Super quæ scribens S. Gregorius eleganter ait: Inter verba vituperantiũ semper ad mentem recurrendum est, & si in ea non reperitur malũ, quod de nobis narratur, in magnam debemus lætitiam prosilire. Quæ enim debet esse tristitia? si omnes accusent, & sola conscientia nos liberos esse demonstret? habemus Paulum dicentem: Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ. Job quoq; dicit: Ecce in cœlo testis meus. Si ergo est nobis testis in cœlo, testes in corde, dimittamus stultos foris loqui, quod volunt. Adde: ibi duntaxat prætextus & colores adhibentur, ubi fundamentum veritatis infirmum est; hic verò manifesta bonorum Ecclesiasticorum, contra jus & fas desolatio realem exigit satisfactionem, sine qua vana sunt murmura jacta per invidiam & nefas. Sunt & aliæ complures his consimiles objectiones, quæ ex natura sua nullius valoris & ponderis; ne per adductionem & commemorationem aliquam sibi vendicent apparentiam, de industria omittuntur.

BREVIA PONTIFICIA

Charissimo in Christo Filio Nostro JOANNI Poloniæ Regi Illustri.

INNOCENTIUS PAPA XII.

CHarissime in Christo Fili noster salutem &c. Excedit omnem disertam quamvis explicationem molestia, quam in nobis excitarunt exorta inter Episcopum Vilnensem, & magnum Generalem Litvaniæ dissidia, quæ hactenus non fuerunt sopita. Lenimus tamen non parum amaritudinem animi nostram perpendentes operam, quâ eadam componere sedulo curat Majestas Tua; Adeò præclaram enim de zelo, quo Ecclesiæ Jura Regia authoritate hactenus sustinuisti, gerimus opinionem, ut firmam in spem veniamus, in hoc negotio, Tui similem Te futurum, nihilq; prætermissurum, quod expectationem nostram omni ex parte impleat uberes interim Tibi, hujusmodi de causa, laudes tribuimus, ac Mti Tuæ cuncta faustaq; à DEo precantes, Apostolicã benedictionem amantissimè impertimur. Datum Romæ 23 Aprilis.

INNOCENTIUS PAPA XII. Eidem.

CHarissime in Christo Fili Noster Salutem. Ubi primum innotuerunt nobis discrepantiæ, quæ inter Episcopum Vilnensem & Magnum Litvaniæ Generalem exortæ fuerant, ob violatam ab ipsomet Generali in Diœcesi ejusdem Episcopi immunitatẽ Ecclesiasticam, pro charitate, quâ inclytum, ac de Christiana Repub: optimè meritum Poloniæ Regnum singulariter prosequimur, ad avertendos turbines, qui exinde derivari poterant, prædictas controversias amicabiliter componere in animum induximus. Dilecto itaq; Filio Nostro Michaëli Radzieiowski, nec non Ven: Fratri Andreæ Archi-Episcopo Seleuciensi Nostro apud Mtem Tuam Nuncio accuratè injunximus, ut omni solicitudine ac studio in hujusmodi opus perficiendum

dum incumberent, suspensis ad quatuor menses Censuris à memorato Episcopo adversùs prædictum Generalem evulgatis, avocatâ etiam ad nos causâ absq; ulla Censurarum suspensionis limitatione, postquam ad hanc S. Sedem appellavit. Quia verò expectationi usq; adhuc Nostræ idem Generalis non respondit, ne Pastoralis Officij Nostri partes prætermittamus, instantibus præsertim Episcopo & Clero Vilnensi; cognitionem prædictæ causæ Congregationis immunitatis juridicè examinandam commisimus, Nostroq; Nuncio mandavimus, ut præscribat eidem Generali tempus exponendi eidem Congregationi rationes, quas sibi competere existimabit. Minimè autem dubitantes quin Mtas Tua Regia authoritate emanaturis Decretis præstò sit futura, Tibi Charissime in Christo Fili Noster prospera cuncta impensè precamur, atq; Apostolicam benedictionem amantissimè impertimur. Datum Romæ 22 Octob. A.C. 1695

Dilecto Filio Nostro Michaëli tit: S. Mariæ de Pace S. R. E. Presbytero Cardinali Radzieiowski.

INNOCENTIUS PP. XII.

Dilecte Fili Noster Salutem &c. Quò magis soliciti esse debemus, de Ecclesiasticæ immunitatis indemnitate, eò magis dolemus videntes exoptatum nondum eventum sortita fuisse studia, quæ ad componenda dissidia inter Episcopum Vilnensem & Magnū Generalem Litvaniæ exorta hactenus impensa sunt; Quamobrem pro dignitate qua insigniris, ac pro existimatione, quam apud prædictum Generalem obtines, animadvertes, quæ officia inire debeas, quoad usq; negotium de quo agitur, omninoda cum Ecclesiasticæ immunitatis reparatione absolvatur, Nobisq; adimas necessitatem adhibendi ea remedia, quæ à Pastorali providentia nostra rei gravitas reposceret. Hac spe freti Tibi Dilecte Fili Noster Apostolicam benedictionem impertimur. Dat. Romæ 23 April.

INNOCENTIUS PP. XII. Eidem.

Dilecte Fili Noster Salutem. Quantoperè hucusq; nobis cordi fuerit, ut controversiæ inter Episcopum Vilnensem & Magnū Lit: Generalem intercedentes, ob læsam majorem in modum ab ipsomet Generali in Diœcesi ejusdem Episcopi immunitatem Ecclesiasticam, blandè componerentur, satis, superq; notum exploratumq; tibi est, cujus inprimis dexteritati ac prudentiæ tanti momenti negotium demandavimus. Cùm autem exoptatum hactenus exitum sortita non sit solicitudo nostra, hujusmodi causam Congregationi Immunitatis juridicè examinandam commisimus, nostroq; isthic Nuntio in mandatis dedimus, ut præscribat prædicto Generali tempus deducendi ad eandem Congregationem rationes, quæ sibi conducere censebit. A pietate itaq; zeloq; tuo petimus, ut pro loco quem meritò obtines suscipiendam ab eadem Congregatione deliberationem constanter

A.C. 1695 *stanter tueri velis. Ubi id agas, quemadmodum dubio procul confidimus, propensam jam erga te voluntatem nostram magis etiam magisq; tibi devincies, Dilecte Fili Noster; Cui interim Apostolicā benedictionem peramanter impertimur. Dat: Romæ 22 Octob.*

COPIA LITERARŨ CARDINALIS ARCHIEPISCOPI GNESN: AD NUNTIUM APOSTOLICUM. 29 Junij de Radziejovice.

SCribitur mihi Varsaviâ, à consideratione & fide dignis Personis, Dõnem Vestram Illrmam in præsentia Mtis & aliorum Magnatum prorupisse in verba parum decentia, & planè respectui mihi debito contraria dicendo, me esse contra Ecclesiam. Super quo plùs quàm persuasus sum; cognoscens utpote naturale suum similibus levitatibus subjectum. Neq; ullatenus mirum id mihi videtur, cùm & alijs vicibus id sim expertus. Si de differentijs agitur, quæ super Immunitatem Ecclesiasticam acta sunt, dicere possum, ultimum me fuisse, qui quæ in hac materia fierent, nesciverim, nihilominus statim ac mihi indicata fuêre, quantum potui, me impendi, & scribendo ad D. M. Mareschalcum, & veniendo in Persona Villanovam, ad tractandum super isto negotio, eiq; temperamenta quærendo, quæ unà & juribus Ecclesiæ, & publicis convenientijs satisfacere possent. Nec etiam D. Mareschalcus suis partibus hoc in passu defuit, consentiens prorogationi executionis sententiæ per tres successivè terminos, inter quos competentia media ad salvandam immunitatem proposita fuerunt. Punctum rei est, (ut optimè innotuit) quòd prætextu immunitatis, ipsius salus Reipub: quæreretur, cujus execrabile & enorme delictum, & ab omnibus pro tali habitum, nùllo modo impunè transire debuit: aliàs enim periculo quies & tranquillitas publica exponerentur. Unde, non ego argui (qui provectioris ætatis, prudentiæ, & dignitatis, quam in hoc Regno sustineo, incapax sum tales errores committere, qui Jura Reipub: nostræ confundere & subvertere valeam) sed potiùs in se ipsum culpa cadere debet, qui uti in hoc, sic in alijs omnibus negotijs, se semper paucâ cum moderatione & circumspectione regulaverit. Ignoscat mihi V. Illma D. profectò tali illa me tractare modo non deberet, qui non merui, nec convenientia exposcit, cum insuper, nulli ego actionum mearum reddere rationē tenear. Sciat ergo, si hâc in parte, mihi debitas non dederit satisfactiones, reperiam ego modos, per quos mihi exactè reddantur recurrendo & ad S. Sedem Apostolicam, & si opus fuerit, Reipub: authoritatem. Interim M. Dõnis V. exosculor manus &c.

INFORMATIO

DE BONIS ECCLESIASTICIS DIOECESIS VILNENSIS NON desolatis neq; ruinatis, contra informationem falsam Constantini Brzostowski, Episcopi Vilnensis typis vulgatam, de Desolatione facta prædictorum Bonorum per locationem Exercitûs M. D. L.

Erant

Erant Septuaginta Sacerdotes præter Uxores eorum & liberos, qui dixerunt: Ecce nos foras egredimur. Tu verò Rex appone cibum vinumq; infusum statue, clausamq; januam annulo obsigna tuo.

Contemnebant(Danielem) propterea quòd clandestinum sub mensa introitum fecerant, per quem semper ingrediebantur, atq; ea, quæ in mensa erant, auferebant. Sacerdotes noctu quemadmodum consueverant, ingressi sunt cum suis Uxoribus & liberis comederunt omnia & biberunt. Danielis 13. cap.

Enucleatio Nullitatis Excommunicationis ratione prætensæ devastationis prætensorum Bonorum Diœcesis Viln: publicatæ.

SPargitur in vulgus quasi Ecclesiæ & bona spiritualia Diœcesis Vilnensis per Illustrissimum Dominum Casimirum Joannem Sapieha, Comitem in Bychow, Dąbrowna & Załław, Palatinum Vilnensem, Supremum Exercituum M. D. Litv. Ducem, funditùs sint devastata, quod fit non alia de causa, nisi, ut nulliter ac injustissimè in Illustrissimum fulminata excommunicatio, tali prætextu palliari, & ipse Illustrissimus omnibus odiosus reddi possit. Expedit itaque universo patefacere orbi, ac omnium subjicere judicio, prædictam excommunicationem ex ira, rancore, & per solam vindictam, animo injuriandi, cum derogatione jurium Mtis, Reipublicæ ac Cardinalium esse publicatam, talesque querelas ratione devastationis prædictorum bonorum injustè spargi, quod liquidè patebit, si sequentia diligentius perpendantur.

1. Occasio & origo præconceptæ malitiæ, ex qua ad sententiam excommunicationis deventum est.

2. Deducetur Hypothesis prima: quòd bona spiritualia Diœcesis Vilnensis ex fundatione Serenissimorum Regum subsint oneribus militaribus.

3. Deducetur Hypothesis secunda: quòd Illustrissimus Dux non propria, nec privata, sed totius Reipublicæ legum, juriumque ejus authoritate, in bonis, oneribus militaribus subjacentibus, locationem & stationem militibus designet.

4. Deducetur Hypothesis tertia, quod Illustrissimus Dux damna & injurias per militem illatas, sive in consistentiis hybernis, sive etiam transeunter, debeat injuriatis per justitiam resarcire.

5. His præmissis demonstrabitur consequenter nullitas latæ excommunicationis.

6. Tandem refutabuntur breviter objectiones in informatione præsenti anno 1695. Comitiorum tempore propositæ.

Et hinc constabit omnibus, quod Illustrissimo Palatino Vilnensi supremo M. D. Litv. Exercituum Duci sit atra injuria illata, & injustè superius dicta objiciantur.

PUNCTUM PRIMUM.

Occasio & origo præconceptæ malitiæ, ex qua ad sententiam excommunicationis deventum est.

Quandoquidem juxta Regulam juris legitimè judicium ferri non potest, nisi in limine causæ jus dicendi negotium de quo res vertitur, exponatur, ideo expedit occasionem ex qua Illustrissimus Episcopus Vilnensis, contra illustrissimum Palatinum Vilnensem, supremum M. D.

A.C. 1695 Litv. Exercituum Ducem, concepit tantum odium & insveto modo honorem ejusdem invasit, explicare, & quidem brevissimè juxta illud:

Multa & magna breviter sunt dicenda.

Retroactis temporibus, superstitibus tot Illustrissimis Prædecessoribus hodierni Illustrissimi Palatini Vilnensis, Supremi M. D. Litv. Exercituum Ducibus, præsertim tempore imediati Antecessoris, non ita pridem vitâ functi Illustrissimi Pac Ducis Exercituum Supremi, subjacebant oneribus militaribus, scilicet consistentiis hybernis, & alijs plerisq; bona spiritualia præcipuè Regiæ fundationis, in quibus miles locari solebat, & hybernæ contributiones exigebantur, post fata piè defuncti Illustrissimi Domini Michaëlis Pac, Palatini Vilnensis M. D. Litv. Exercituum Ducis, præsens Illustrissimus Dominus Palatinus Vilnensis, Supremus M. D. Litv. Exercituum Dux, pro speciali suo affectu & amicitia, quam coluit cum Illustrissimo & Reverendissimo Dño Constantino Brzostowski Episcopo Vilnensi, non locaverat militem M. D. Litv. pro hybernis stativis in bonis spiritualibus, duraveratque hæc consvetudo ad annum usque propè elapsum 1693. Eodem anno 1693. quia certas ob causas contigerat in Martio quædam vexilla in Subsylvania locata, quoad locum mutare, Illustrissimus Palatinus Vilnensis Supremus M. D Litv. Exercituum Dux, cui Respublica per dispositionem legum, circa locationem Exercitûs, omnem contulit potestatem, fungendo officio suo, & nonnullorum signorum militarium mutando consistentias, unum vexillum Scytharum in Exercitu M. D. Litv. stipendia merentium direxit, in bona Illustrissimi Dñi Episcopi Vilnensis vulgò Bakszty dicta, in districtu Osmianensi, assignando prædictis militibus solum jus tecti, omnibus præcisis exactionibus. Sed quia nominati Scythæ ordinationem & voluntatem Illustrissimi Ducis excesserunt, ac præter jus tecti, aliquas exactiones & damna fecerunt, Illustrissimus ac Reverendissimus Episcopus Vilnensis per suos Plenipotentiarios in Majo anno eodem indixit actionem ijsdem militibus, citando eos ad Tribunal Illustrissimi Ducis M. D. Litv. accusando eos de injusta usurpatione locationis in bonis Ecclesiasticis, Illustrissimus Dux M. D. L. re trutinata & benè cognita, quod dicti milites per ordinationem suam ibi degant (ad quem secundùm jura communia spectat gubernium & assignatio stationum in bonis quæ militaribus oneribus subjacent) hoc in judiciis militaribus est fassus, cum hoc addito, ut pars adversa injuriis & damnis, si quæ miles intulit, juridicè coram eodem judicio agere possit. Verùm tacente adversa parte, Illustrissimus Dux, M. D. L. ipse ultro volens coercere licentiam militarem & debitam administrare justitiam, indixit inquisitionem, ex qua, quia patuit milites excessisse, victumq; ab incolis injustè exegisse Illustrissimus Dux eosdem Scythas capite plectere, & illata damna quinque millium florenorum refusione pensare jussit, cujus decreti executio patuit omnibus in duobus Scythis pro hoc excessu decollatis. Illustrissimus ac Reverendissimus Episcopus hâc satisfactione non contentus, statuit ipsam Illust. Ducis impetere personam & ejus officiũ, quare minatur excomunicationem, demum Varsaviæ conqueritur corã Serenissimo Rege sinistrè incusando Illust. Ducem M. D. L. reum Majestatis, Reipub. & Ecclesiæ, in scriptis quoq; porrigit eidem Mti, impetendo honorem totius Domus, Ecclesiæ ac Serenissimis Regibus benè meritæ.

Prosequitur ulterius præconceptam malitiam. Exercitus adhuc in castris deinde Redux ad Patriam, nam vix anno 1694 ad initium hyemis

mis in designatis stationibus fuerat locatus, cum Illustrissimus ac Reverendissimus Episcopus Vilnensis maturè factis exactionibus censuum & hibernarum, anno scil. 1693. in Septembri occludit Ecclesias, denuntiat in exedris devastata esse bona Ecclesiastica, non esse sumptus sufficientes pro absolvendis divinis, ac toti M. Ducatui Litvaniæ Illustrissimum Ducem Supremum M. D. L. odio exponit. *A. C. 1695*

Dum autem Comitiola ante universalia Comitia anno 1693 iminerent, scripsit ad suos Decanòs imperando, ut quoquo modo possent, rumperent Comitiola, si non ad mentem Legati fuerint electi, scripsit quoque ad nobilitatem in omnibus Palatinatibus ac districtibus congregatam ad Comitiola, concitando eam adversus Illust. Ducem, præter hæc dedit citationem Illust. ac Supremo M. D. L. exercituum Duci contra jus, refertam verbis criminalibus, mordacibus & maledicis, cum objectis contra fas & æquum & ultra exigentiam status spiritualis.

Et quia hoc non successit, deduxit secum plures de Litvana Nobilitate proprio sumptu ad Comitia Varsaviensia hoc fine, ut Legati M. D. L. omni possibili modo posset sistere activitatem vocis in Comitijs, imò inde illos eliminare est conatus.

Status sæcularis M. D. L. pro Comitiis legitimè per literas universales Serenissimi Regis Domini N. Clementissimi anno 1693 Varsaviam convocatus, idem detulit Illust. ac Reverendissimo Nuntio, manifestavit se contra Illustrissimum Episcopum ac judicium expetiit.

Interim Illustrissimus & Reverendissimus Nuntius ex voluntate Sumi Pontificis tentat amicabilem compositionem, ubi Illustissimus Episcopus hæc tria exigebat puncta.

1mo, Ut ex nunc miles ex bonis Episcopalibus & omnibus spiritualibus deduceretur.

2dò, Ut Illustrmus Palatinus Vilnensis ex nunc de proprio damna à militibus illata persolveret.

3tiò. Ut cautionem in scripto daret, de non locando in posterum milite in prædictis bonis, à se & successoribus suis.

Ad hæc Illustrissimus Palatinus, Exercitus Dux respondit per Scriptum.

Ad 1mum. Jus locationis militum proprium esse Reipublicæ, ad illius itaq; decisionem se remittere, se hucusq; usum esse Republica.

Ad 2dum. De damnis illatis administrare Justitiam se promptum exhibuit, solutionem verò à se frustra extorqueri, pro alienis delictis.

Ad 3tium. Reipublicæ Dominæ sui juris in bona Ecclesiastica se præjudicare tali scripto non posse.

Illmus Dux adversam partem relegat ad Rempub: de illatis verò damnis secundùm allegata & probata, Excessores suo subjicit judicio. Pro diffamatione verò & sui honoris notabili diminutione per sententiam Excomunicationis illata, debitam exigit satisfactionem.

Verùm Illmus Episcopus Vilnensis hæc media neglexit, imò per suam sinistram informationem speratæ paci posuit obicem.

Dum autem militares copiæ in autumno Anno 1693 ex castris redirent, ac ex illis nonnulla vexilla pro consistentia ad bona Spiritualia Diœcesis Vilnensis designata ijsdem bonis appropinquarent, Illmus Dux M. D. L. per Illmum ac Rndmum Benedictum Luchorski, Episcopum Mallensem expetiit, ac requisivit, volens habere justam informationem ab Illrmo Episcopo Vilnensi, ut illi innotesceret, quænam Bona essent fundationis terrestris, quæ verò Regiæ? insimul voluit edoceri de numero

A. C. 1695 mero subditorum, ne quis in locatione militum cōmitteretur excessus. Renuit hæc Illust: Episcopus Vilnensis.

Similer Anno 1694 ad initium veris, dum Litvanus Exercitus ex stativis moveret in castra, Illust: Dux M. D. L. requisivit ab Illust: ac R. Episcopo Vilnensi, ut Administratores Spiritualium Bonorum comparerent, ac damna à militibus illata, si quæ essent, referrent, omnem appromittens Justitiam & Satisfactionem. Verùm & hæc postposita sunt.

Omnibus itaq; modis invadendo Honorem Ducis Illmi, redux Varsaviâ Vilnam, absoluto Jubilæo & Paschalibus Festis, ordinat literas Monitoriales 14 Aprilis Anno 1694 quibus exigit, ut intra triduum Illust: Dux jubeat militem cedere ex Bonis Ecclesiasticis, hancq; insuper imponit obligationem, ut pariter intra triduum omnes injuriæ compensentur, ac damna resarciantur, nullâ habitâ ratione, quòd intra tam breve tempus, nec literæ describi, nec longè dissitis militibus innotescere possint, damna quoq; si quæ fuerant, intra prædictos tres dies compensari non poterant: hæc autem est comminatus sub pœna Excommunicationis denominando in his literis monitorialibus Illust: M. D. L. Ducem Ductorem, Exercitum autem Litvanum turbam, contra stylū Cancellariæ, animo injuriandi.

Acceptis his monitorialibus literis, Illust: Dux M. D. L. ne videretur aliquod præjudicium facere statui Spirituali, nolensq; præconceptā sistere malitiam, recurrit ad remedia Juris Spiritualis, interponit Appellationem ad Sedem Apostolicam, ejusdemq; Appellationis Instrumentum mittit per manus trium Magistrorum peditum (vulgò Porucznikow) die 1. Aprilis ad Illrm̄um & Rndm̄um Episcopum: nam nemo ex Spiritualibus est ausus hoc Appellationis Instrumentum deferre ad Illust: Episcopum, quod solum factum in puncto comminatæ Excommunicationis non derogando quidquam juribus Seren: Regis aut Reip: fundamentalibus, nec præjudicando Ducali Officio. Insuper submiserat ad hoc invitatos nonnullos illustrissimos de Ordine Senatorio viros ad Illust: ac Rdmū Episcopum, eum rectificare volens. Verùm hæc omnia in cassum, imò 18 Aprilis in Cathedrali templo coram collecto, per missas præsertim chartas populo, ipse inprimis in Persona ad Altare inaudito exemplo publicavit, deinde ex Cathedra injuriosissimè eandem sententiam Excommunicationis in Illust: Ducem publicari curavit, nullo habito hujus respectu, quod legitima ad Sedem Apostolicam intercesserit Appellatio, utpote ad supremum æquè Spiritualis ac Sæcularis statûs Caput, cujus respectu duci debuit Illust: Episcopus & ob ejus reverentiam decuit supersedere hâc in parte à denuntiatione Excōmunicationis.

Verùm nec his contentus impetiit adhuc Honorem Ducis Illrmus Episcopus Vilnensis, curavit per varias Ecclesias eandem Excommunicationem publicari. Illrmus M D L Dux ob notabilem distantiam Romæ, conformando se Iuri Canonico, fecit recursum ad Eminentissimum Cardinalem Archiepiscopum Gnesnensem ut pote ad Metropolitanum interpositaq; appellatione obtinuit sublevationem & citationem pro confirmatione appellationis ab Eminentissimo Cardinali, cum Inhibitione ulterioris publicationis.

Illrmus Episcopus Vilnensis postposuit æquè authoritatem summi Pontificis, ad quem ante publicationem appellatio interposita fuerat, ac Eminentissimi Cardinalis Archiepiscopi sui superioris, beneficium juris, non modò publicationem continuare imperans; verùm etiam per suum instrumentum authenticum declarans, sui metropolitani beneficiū nullum

lum esse, quod etiam per Ecclesiasticas Exedras publicare mandavit, nec *A. C.* 1695
dum terminus immineret sistendi se, coram Eminentissimo Cardinali per suos Causidicos comparuit.

Et quia Eminentissimus Cardinalis noluit Illrmum Episcopum Vilnensem præcipitanter condemnare, memor dicti Senecæ: Propè est ut libenter damnet, qui citò. Dedit citationem Illrmo Episcopo ad videndum declarari sententiam Excommunicationis nullam esse, atq; terminum comparendi triginta dies præfixit, exigendo rationes latæ Excommunicationis, item cur citatus non comparuerit. Verùm & sic terminus scilicet pro 19 Iulii expiravit, non comparente Illrmo Episcopo Vilnensi. Sic igitur contra absentem pronunciatum est, cassatur sententia latæ Excommunicationis, denunciatur esse nulla & invalida, adjudicatur locatio militis Reipub, condemnatur in litis expensis in Cancellaria liquidandis, & declaratur incurrisse in pœnam Interdicti ad ingressu Ecclesiæ, uti latius describitur in authentico decreto.

Illmus tamen Episcopus Vilnensis neq; ista curavit, ursitq; omninò ut Regulares suis in Ecclesijs prædictam Excommunicationem publicarent, & licet jam publicare desierit, Ecclesias tamen Vilnæ Regularium Interdicto subjecit. Tali itaq; modo impetendo Honorem Illrmi Ducis, conatur eundem omnibus modis evertere.

Hæc deductio breviter quidem sed genuinè & planis verbis est facta, juxta comune Proverbium: Qui vadit planè, vadit sanè.

Hypothesis Ima

Quod bòna Spiritualia Diœcesis Vilnensis ex fundatione Serenissimorum Regum subsint militaribus oneribus. *Punctum 1.*

Deducta jam occasione præconceptæ malitiæ & odij subsequenter deducendum restat, quòd bona Spiritualia Diœcesis Vilnensis fundationis Serenissimorum Regum subsint oneribus militaribus.

Quamvis id omnibus sit notum, illis præsertim, qui jam longo usu militiam colunt, quòd in dictis bonis Spiritualibus miles habuerit suas stationes, hybernalesq; & alias contributiones, tamen ne aliquod subsit hâc in parte dubium, expedit idem deducere ex jure Patrio comuni. Plusquàm manifestum est, bona Spiritualia esse duplicia, quædam fundationis nobilium de nobis Terrestribus, quædam ex fundatione Serenissimorum Regum, constat hæc divisio ex constitutione 1655. Fol. 7. tit. Disciplina militaris M D.L. ex constitutione 1667. Fol. 45. tit. Disciplina militaris M.D.L. & constitut. 1667. fol. 45. tit. approbatio, & constitut. 1678. fol. 3. tit. Hyberna M.D.L. item ex statutis M.D.L. cap. 1. art. 20, & cap. 3. art. 33.

Bona Spiritualia Terrestria non subjacent oneribus militaribus, gaudentq; eadem imunitate, quâ bona terrestria nobilium, Patet id ex allegata Constitutione 1655. fol. 7. tit. Disciplina M.D.L. quod fit ideo, quia ex bonis Spiritualibus terrestribus miles debeat provideri sub tempus belli, quando à Repub generalis indicitur expeditio, pariter uti ex bonis terrestribus nobilium, quod patet ex statuti M.D.L. cap. 2. art. 1. 9.

Bona verò Spiritualia Regiæ fundationis subsunt oneribus militaribus. Namq; sicut bona Spiritualia terrestria, pariter ac bona terrestria nobilium in necessitatibus Reipub. duplex subsidium præstant, nempe militem & certam pensionem, ita bona quoq; Spiritualia Regiæ fundationis ad instar bonorum merè Regiorum, in compensationem Expeditionis militaris (à qua eximitur) consistentijs stativis, hybernis, alijsq; militaribus oneribus subjacent: Ad persolvendum verò debitum censum, pari-

A.C. 1695 pariter ac bona Spiritualia terrestria & nobilium, item bona merè Regalia obligantur. Constat id ex Statuti M.D.L. cap. 3. art. 33. § 1.2.& 3. ubi expressè dicitur, quòd bona Spiritualia tam fundationis terrestris, quàm etiam Regiæ, pariter cum bonis terrestribus nobilium & Regalibus merè juri comuni subjaceant. Nam verbis expressis ibidem dicitur, quòd Serenissimi Reges Spirituali statui se ipsos hâc in parte in evidentissimũ Exemplum proposuerint, eadem coæqualitas bonorum Spiritualium Regiæ fundationis, cum bonis merè Regalibus, liquidius patet ex Constitutionibus, assignanter

Ex Constitutione 1609. fol. 888 tit. ordo circa conservandum militem. Ubi expressè Respublica statuit, ut Duces pro tempore existentes Quartianis militibus ex bonis Regalibus etiam Spiritualibus, quoad victum necessaria provideant, eandemq; provisionem per incolas horum bonorum ad prædictum militem devehi curent, bona ultrò terrestria ab omnibus oneribus expressè eximit. Quæ Constitutio, quòd etiam sit lata pro M.D.L. ex contextu ejusdem Constitutionis constat.

Item ex Constitutione 1620 fol. 6. tit. Tractus Copiarum; evidens Exemplum, quòd Bona Spiritualia Regiæ fundationis oneribus Reipub militaribus subsint, & comparentur cum Bonis merè Regalibus. ubi describitur, quomodo miles transeunter in prædictis bonis se gerere debeat. Bona verò Terrestria specialiter ab his eximuntur, militibusq; districtè prohibetur, ne ullas inibi quocunq; titulo ac prætextu faciant exactiones.

Idem sonat Constitutio 1624 fol. 1. & 2 tit. supplementum militis Quartiani complectitur, additurq; insuper ne miles propria authoritate citra assignationem Ducis in Bonis tam Regalibus, quam etiam Spiritualibus consistère audeat. Unde patet, Bona Spiritualia subesse huic oneri, Illustrissimum quoq; Ducem posse & debere in illis militem locare.

Elicitur idem ex constitutione 1633 fol. 17, & 18. titul. Disciplina militaris M. D. L. qua idem ferè continetur, quòd constitutione 1620, ubi cavetur, si quo casu contigerit alicui militum cohorti ob notabilem distantiam bonorum regalium, in bonis terrestribus necessariò pernoctare, ut omnia sibi ad victum necessaria pretio comparent, ac in eodem loco cohors altera consistere aut pernoctare non debebit. Ex qua constitutione evidentissimè patet, solùm bona terrestria esse imũnia ab oneribus militaribus.

Supradictæ constitutiones reassumuntur per constitutionem 1635 fol. 12 titul. Disciplina militaris, per constitut. 1650 fol. 4 tit. Disciplina militaris. Hæ autem omnes constitutiones non excipiunt ab oneribus militaribus bona spiritualia Regiæ fundationis, sed solùm præcisè bona spiritualia terrestria.

Constitutio 1652. fol. 10. tit. Ordo circa conservandum militem, non eximit bona spiritualia Regiæ fundationis, sed solùm bona terrestria ab omnibus oneribus militaribus sub pœnis, ad bona verò militaribus stationibus subjacentia, dicit Ducis ordinationes se extendere.

Quod autem spiritualia bona Regiæ fundationis prædictis oneribus subsint, constat ex supra allegatis juribus.

Clarius adhuc enucleat coæquationem bonorum spiritualium cum non spiritualibus constitutio 1655: fol. 7 titul. Disciplina militaris M.D.L. quæ expressè bona terrestria nobilium & bona spiritualia fundationis terrestris, quæ servitium bellicum concernunt ab exactionibus, stationibus, & alijs oneribus libera esse declarat, juxta antiqua jura. Bonorum autem

autem ſpiritualium Regiæ fundationis nullam facit mentionem. Sequitur itaq; juxta regulam juris, in edictis prohibitoriis permiſſum eſſe quod expreſſè non prohibetur. Has autem conſtitutiones ſupra allegatas 1609 1652. 1655. & reliquas, reaſſumit conſtitutio 1658. fol. 18. tit. Diſciplina militaris Regni Poloniæ & M. D. Litv. A. C. 1695

Circa hibernas Reſp. decidens qualiter & quibus in locis debeant aſſignari, reaſſumit per conſtitutionem 1659 fol. 11 tit. hiberna conſtitut. 1652 aliaſque omnes de diſciplina militari conſtitutiones, quas ſpeciatim intuitu bonorum terreſtrium reaſſumit, illaque ſolùm ab oneribus militaribus eximit. De bonis autē ſpiritualib⁹ Regiæ fundationis, ex quo naturam terreſtrium bonorum non habent, ſed ſolùm naturam bonorum regalium nulla mentio.

Præterea conſtat eadem coæquatio bonorum ſpiritualium regaliū cum merè regalibus ex conſtitutione 1667 fol. 45. tit. Approbatio fundatæ Parochiæ in pago dicto Jaſienie. Per hanc namq; conſtitutionem, propter firmiorem prædictæ Eccleſiæ fundationem Reſpublica cum permitteret comutatioem regalium bonorum dicti pagi Jaſienie, in alia bona hæreditaria, onera militaria, & Reipublicæ in bona hæreditaria, onera verò privatorum in bona regalia tranſtulit. Ex qua conſtitutione elicitur, quod ſit diverſa natura bonorum ſpiritualium terreſtrium, à natura bonorum ſpiritualium regalium, cum eorum natura non poſſit imutari, & ab oneribus militaribus eximi, niſi per conſtitutionem, accedente conſenſu totius Reipub. quod inſuper patet etiam ex conſtitutione 1652. fol. 12 titul. Liberatio à ſtationibus. Et 1676. fol. 36 titul. Clarus mons Częſtochovienſis, ubi Reſpub. bona hujus conventûs, Regiæ fundationis, hanc ob cauſam ex ſpeciali reſpectu, quod Religioſi inibi propugnaculum magnis impenſis, abſque Reipub. ſumptu erectum, præſidiariis militibus munitum, etiamnum conſervent (quod bellicum ſervitium ſapit) ab oneribus militaribus eximit.

Patet etiam ex recentioribus conſtitutionibus Specialiter ex conſtitutione 1676 folio 17 & 18 titulo Hybernarum. Ubi Reſpublica expreſſè decernit, & ex bonis Stationibus, ſubjacentibus æquè Regalibus & Spiritualibus pro Exercitu hyberna perſolvatur, cum hâc cautela, ne incolæ Regalium bonorum in poſſeſſione Seren: Regis & Spiritualium exiſtentes eximantur. Si igitur ſubjacent hybernis, conſequenter etiam Stationibus ſubjacebunt, ut ex adductis ſupra Conſtitutionibus facilè liquet. Easdem Conſtitutiones Magnus quoq; Ducatus Litvaniæ reaſſumpſit per Conſtitutionem 1676 fol. 3 tit. Hyberna M. D. L. Idem exigit Conſtitutio 1677 fol. 4. tit: Hyberna. Ex qua patet aſſignationes quoq; poſſe & debere à Ducibus dirigi in bona Spiritualia.

Quas Conſtitutiones reaſſumit in toto Conſtitutio 1678. fol. 4. tit. Hyberna M. D. L. in iisdem Comitiis 1678 facta conſtitutio fol. 3. tit. Hyberna M. D. L. ubi expreſſè Reſpub. decernit, ut hyberna perſolvatur ex bonis Regalibus & Spiritualibus, neminem ex Poſſeſſoribus ab illa æqualitate excipiendo, ſolumq; eximit bona Regalia Oeconomica & Spiritualia fundationis Nobilium. Hanc verò hybernæ perſolutionem Poſſeſſoribus ſeu adminiſtratoribus Regalium Spiritualiumq; bonorum imponit. Ex hac Conſtitutione patet Bona Spiritualia Regiæ fundationis æquari bonis merè Regalibus quoad onera Reip. Protunc autem erat alta pax, exercitusq; integer M. D. L. in Ducatu Samogitiæ ad Patriæ fines locatus, non ſe movit inde ab Anno 1675 ad An. usq; 1683 ex bonis verò Regalibus & Spiritual. ſolū pecuniaria hyberna perſolvebatur.

Ex

A.C.1695 Ex his igitur omnibus per longum recensitis expressis Constitutionibus palàm constat Bona Diœcesis Vilnensis Regiæ fundationis æquiparari per omnia bonis merè Regalibus, & pariter ijs subjacere oneribus militaribus ac Reipub. Hinc Respub. approbando Spirituales fundationes, usurpatam in Constitutionibus addit clausulam, salvis oneribus Reipub.

Insuper quamvis Exemplis (juxta Juris Consultos non sit judicandum nec pugnandum, sed legibus, attamen per eosdem licet ab exemplis legitimum sumere argumentum ad probandam juris existentiam & observantiam. Quare in ordine ad demonstrandum, quòd ex vi & virtute juris communis superius citati, in Bonis Spiritualibus Regiæ fundationis Diœcesis Vilnensis miles locari possit & debeat, & quod prædicta bona oneribus Reip. & Militarib⁹ subjaceant, expedit etiam in confirmationem nonnulla exempla hic afferre, ac præsertim exempla Prædecessorum hodierni Ducis supremi Exercituum M. D. L. missis itaque antiquioribus, solùm revocemus piæ memoriæ Principes Radivilios, Kiszkas, Chodkievicios, Sapiehas, Gosievios, Pac, hi omnes per suas assignationes, Litvanum militem in Bonis Spiritualibus Regiæ fundationis Diœcesis Vilnensis locare erant soliti, extantque etiamnum authenticæ eorum literæ hoc fine militi datæ.

Posset insuper hæc existentia citati Juris exemplis Christianarum finitimarum Monarchiarum comprobari, ex ipso quoq; Jure Canonico, verùm brevitatis ergo ad præsens omittitur. Hoc etiam argumenti teneat locum, quòd pro præsenti expeditione Anno 1683 omnes Reip. Statûs unanimiter consenserint Spiritualis scilicet & Sæcularis arcana Comitiorum pertractat, & vigore communis laudi, hoc onus & calamitatem portat hucusq; Sæcularis Status. Dum igitur protunc ex ratione conservationis totius Christianitatis, unanimis fit Consensus, Statusque Sæcularis æquanimiter hanc belli calamitatem suffert, ex allatis superius Constitutionibus constat Bona Spiritualia Regiæ fundationis æquiparari bonis merè regalibus, quæ subsunt oneribus militaribus. Unde patet quid non possint Episcopi Vilnensis Bona regiæ fundationis eximi ab ijsdem oneribus Militaribus, juxta Regulam: *Æquitas in paribus causis paria Jura desiderat.*

Hypothesis Secunda.

Punctum 3. *Quod Dux non propria aut privata, sed Reipublicæ, Legum, Jurium, & ejus authoritate in bonis oneribus militaribus subjacentibus militem locet.*

Cum jam liquidè pateat, Bona Spiritualia Diœcesis Vilnensis fundationis Regum oneribus militaribus sub tempus belli subjacere, expedit, ulterius deducere ac enucleare, quòd Dux militem locando in Bonis oneribus militaribus subjectis, faciat id authoritate Reip: & ejusdem legum, iisdemq; permittentibus imò jubentibus, id exequatur, non per se, nec privata aliqua authoritate. Namq; Respubl: instituendo ordinationem suorum officiorum pacis tempore propter conservandam Regni securitatem, sub tempus autem belli ad Patriæ defensionem ac tutelã inter cætera officium quoq; Ducale supremi Exercituum Ducis M. D. L. habere voluit: cui Officio non modò stipendiarium Reipubl: militem, sed etiam sub tempus Generalis Expeditionis, Equestrem Ordinem suorum Civium & omnes M. D. L. Nobiles, in absentia Regis subjecit, summamq; potestatem, jus vitæ & necis ei tribuit. Describitur latius potestas supremi Exercituum M. D. L. Ducis in Statuti M. D. L. cap: 2. A. 1. 6. 10

6. 10. 11. 12. 16. 18. 21. 26. Idem habet Constitutio 1609 & sequentes eandem Ducalem Potestatem describunt: ideoq; Statuti M. D. L. cap. 2. A. 1. §. ult. habetur, quòd Rex appromiserit Ducale Officium M. D. L. non nisi viris dignis, probatis, Nobilitate claris, antiquitate familiæ præstantibus ac de Republ: benè meritis se collaturum. Quam dignitatem & potestatem Ducalis Officij, volens in suo esse integram conservare Resp: per Constitutionem 1677 fol. 9. tit: Potestas Supremorum Ducum M. D. L. idem Officium penes Jura vetera in Statuto M. D. L. expressa reliquit. A. C. 1695

Quare non absq; solido fundamento in articulis militaribus à Seren: Regibus pro tunc feliciter imperantibus sancitis, scilicet f. r. SIGISMUNDO III. VLADISLAO IV. & aliis. Anno verò 1673 administrante Ducale Officium M. D. L. p. m. Illust: Michaële Pac, Palatino Vilnensi, supremo Exercituum M. D. L. Duce, typo mandatis, primaria post Seren: Regem, sub tempus belli, ab ipso Seren: Rege, ac integra Republ: potestas supremo Exercituum Duci confertur, ubi etiam intimatur, quòd supremus Exercituum Dux, in absentia Seren: Regis, Regia protunc gaudeat authoritate & potestate. Unde consequenter infertur, quòd data sibi potestate, vi sui Officij possit uti quoad locationem militis, in bonis his oneribus subjectis, etiam quoad provisionem victûs. Quod patet in modo ex Statuti M. D. L. cap: 2. Art. 26 & 27 ubi districtè prohibetur, ne ibi peregrini homines, similiter finitimi, ac nostri milites, impertinentibus viis, ad designatum locum tendentes suam figant stationem, ubi per assignationem Seren: Regis, vel supremi Exercituum Ducis locati non fuerunt. Verùm etiam ex allatis superioribus Constitutionibus præsertim ex Constitutione 1576 fol. 237 §. Illmi Duces, Constitutione 1591 fol. 613 tit: Disciplina Militaris §. Hic verò Milites. Constitutione 1601 fol. 735 de Quartiano Milite. Constit: 1609. & cæteris omnibus concordantibus cum Constitutionibus & communi jure reassumptis per Constitutionem 1677 fol. 9 tit: Potestas in toto ut supra dictum est. Quænam verò bona pro hyemali consistentia militi Litvano sit à Ducibus designanda, quamvis hujus in Statuto M. D. L. nulla fiat mentio, quia tamen Exercitus M. D. Lit. non est quoad locum suarum Stationum ita determinatus, ut est determinatus Exercitus Regni Poloniæ, ideoq; expedit ei designare locum in bonis oneribus militaribus subjectis. Quæ autem bona subsint militaribus oneribus, constat ex allegatis supra Puncto 2do Constitutionibus & Juribus Reipub. Statutum verò M. D. L. Jus pragmaticum cap: 3. Art. 1. 9. 13. exigit ut Officiales M. D. L. semper & ubiq; ex vi sui Officij debitam exerceant potestatem. Cum igitur hæc authoritas circa locationem militis in bonis militaribus oneribus subjectis, clarè pateat, sequitur Illrmum Ducem non privata sed publica Reip: & legum publicarum authoritate hæc fecisse, nec designatas ab eodem consistentias hyemales in bonis subjectis militaribus oneribus, pro violentia & invasione posse reputari, secundùm Regulam Juris: Executio Juris non importat injuriam.

Quod dux damna & injurias per militem illatis, sive in Consistentijs hibernus, sive etiam transeunter debeat injuriatis per justitiam resarcire. Punctum 4

Jam igitur ex anterioribus constat Illustrissimum Ducem authoritate Reipub. utpote ejus Ministra & authoritate legum militi stationes, consistentias, exactionesque debitas designare, ac de lege ad hoc esse obligatum. Restat adhuc dicendum, quodsi contigerit militem vel transeunter vel in certis bonis debitè locatum, in aliquo excedere, bona spiritua-

A. C. 1695 ritualia, regalia, terreſtria, & alia injuſtis exactionibus aggravare, licentiosè damna & injurias inferre, quomodo in tali caſu ſit procedendum.

Verùm Reſpublica etiam in hoc provida: namque ne Ducale officium eſſet damnoſum, ordinavit in ſtatuti M. D. L. cap. 2. ut damna & injuriæ à militibus illatæ per decretum Ducis, parti injuriatæ compenſarentur, quod expreſſis verbis habetur in art. 19. & 27. Idem habet conſtitutio 1609 fol. 888. tit. Ordo circa conſervandum militem, affirmatq; quod Duces & illius temporis, & illorum ſucceſſores habeant plenam poteſtatem pro munere ſuo in Reos illatæ injuriæ milites omnem juſtitiam adminiſtrandi, quam poteſtatem (caſſando in contrarium olim factas conſtitutiones) firmat & ſimul cavet, ut quodcunque decretum in reos milites Duces tulerint, illud non aliter ac decreta Comitiorum in perſonis & bonis, per Capitaneos plenæ executioni mandentur, nec ullus unquam deciſionem Ducum in dubium & diſquiſitionem vocare audeat.

Quodſi tamen læſæ parti per decretum Ducis non fuerit ſatisfactũ, licebit interponere appellationem ad Tribunal & ſic decretum Tribunalis Dux exequi debebit.

Idem volunt ſequentes conſtitutiones de poteſtate Ducum latæ, quas conſtitutiones imò & ſtatutum M. D. L. conſtitutio 1677 fol. 9. tit. Poteſtas Illuſtriſſimorum Ducum, reaſſumpſit. Unde conſtat quod Illuſt. Dux non teneatur reddere rationem damnorum ab exceſſivo milite illatorum, multò magis quòd non debeat excomunicari.

Obligantur ſolùm Duces, ut dum fuerit requiſitum, ſine dilatione injuriatæ parti debitam præſtent juſtitiam. Si verò pars læſa ob non plenam ſatisfactionem vel alio ex capite Decretum Ducis non acceptaverit, licebit ei interponere appellationem ad Tribunal, non tamen excommunicare: nam aliàs alieno delicto aggravaretur contra omne fas, & contra expreſſum jus M.D,L. cap. 1. art. 18 cum nec eos qui propria alacritate moti, ſumptu proprio collectum militem in obſequium Sereniſſimi Regis ac totius Reipub. habent, ulla lex obliget ad dandas rationes pro exceſſibus ſuorum militum, ſolùm id obligationis Præfectis ac ipſis militibus imponit iuxta conſtitutionem 1635. fol. 10. tit. Diſciplina militaris: Multò minus debent ſubeſſe huic obligationi Illrmi Duces, qui uti miniſtri ſtatûs & officiales Reipub. exequantur diſpoſitionem illius, & ſecundùm præſcriptum legum ſolùm plenè juſtitiam exequi obligantur.

Taliter expreſſè dernit Reſpub. etiam per Conſtitutionem 1659 fol. 9. tit. de non danda aſſignatione. Siqui aſſignationem à Duce pro ſtatione hyberna in Bona terreſtria obtineret, non Illrmus Dux ſed is, qui aſſignationem ejuſmodi obtineret, culpari debet. Similiter de illatis injurijs & damnis per militem, Illrmus Dux tenetur exceſſivum militẽ ad Tribunal ſuum citare, & injuriatis plenam præſtare juſtitiam: Quam Conſtitutionem etiam acceptavit M.D. Lithvaniæ, Idem ſonat Conſtitutio 1677. fol. 5 tit Conſiſtentia Exercitûs.

Ex ſupra allatis Conſtitutionibns patet, quàm delicatè honorem authoritatemq; Ducalem Reſpub. & omnes ſtatus tractarint. Ideoq; Reſpub. anterioribus temporibus conſervando authoritatem hujus officij & occurrendo damnis & criminationibus, communiter onus evictionis in ſe ipſam devolvebat, quoties Ducib⁹ ex neceſſitate belli uſu & arte militari eſſet procedendum, quod poſſet non nullis in privato diſplicere, uti patet ex Conſtitutione 1588 fol. 474. tit. aſſecuratio Ducum Conſtitut. 1590 fol. 569 tit. aſſecuratio Ducum Conſtit. 1659 fol. 22 tit. aſſecuratio Illrmo-

Illrmorum Ducum. Tantus enim publicæ utilitatis favor, ut ea quæ publicè utilia sunt, non includantur in his quæ lege prohibentur. *A.C.* 1695

Aliud igitur est dicere, quod Illmus Dux locet militẽ in Bonis Spiritualibus, hoc enim facit authoritate legis & Reipub, nec pro injuria aut violentia id debet reputari: aliud verò quòd miles in transitu & consistentijs damna & injurias inferat, ac bona insolenter devastet, pro his enim Illust. Dux juxta allegata & probata, tenetur exequi justitiam, judicare, punire, etiam capite pro ratione excessus plectere; non verò ipse in persona horum rationem reddere. Officium enim suum, nemimi debet esse damnosum.

Nullitas excommunicationis in Illustrissimum Palatinum Vilnensem, Supremum M. D. L. Ducem, latæ. *Punctum* 5

Enucleata occasione & origine publicatæ cum summa injuria auctoritatis Ducalis in Illustrissimum Palatinum Vilnensem, Supremum M.D.L. Ducem excomunicationis, factaque declaratione, quòd bona Spiritualia fundationis Regiæ subsint oneribus militaribus, quodque supremus Exercituum M. D. L. Dux non privata, sed Reipub. ac legum authoritate locationes militi designet, quòd pro illatis sive in transitu, sive etiam in consistentijs per militem damnis, solùm ad præstandam justitiam Illust. Dux obligetur injuriatis & delinquenti militi pro merito pœnam assignare. Sequitur ut deducatur nullitas latæ, excomunicationis, quæ æquè clarè patet in formalibus processûs ac in materialibus. In formalibus nulla. Quia

1mo. Omnia jura testantur, quòd sententia ob defectum jurisdictionis nulla, siquidem non potest dici judicatum esse ab eo, qui non habet jurisdictionem; Episc. Viln. nullam habet jurisdictionem in Officiũm Palatini Viln. Supremi Exercituum M. D. L. Ducis, uti Ministri status Reipub. Officium enim Ducis à Serenissimo Rege Dño N. Clement. ac Rep. à statu sæculari, non verò spirituali dependet, Episc. quoq; Viln. in materijs statum concernentibus, solitariè sumptus, citra communem consensum omnium, ad consultationes ejusmodi spectantium pro privato censetur. Sequitur itaque ob defectum jurisdictionis, excomunicationem & ejus declarationem esse nullam, Paria enim sunt, sententiam non esse latam, vel à judicè incompetenti latam. Jura & juris authoritates ob brevitatem non adducuntur. Declaratur tamen quòd dicta superius tam jure Canonico quàm etiam civili, facilè, si opus fuerit possint comprobari, sine lege enim loqui, erubescendum.

Bullæ prætextus jurisdictionem in præsenti causa Episc. Vilnensi tribuere nequit. Hæc enim, uti ex synodalibus constit. patet, pro informatione confessariorum, ut ijs innotescant casus reservati ipsi sumo Pontifici, constit. synodalibus est inserta, nec se extendit ad officium & personam Ducis M.D.L. in foro externo, ut superius ex hypothesibus patuit. De internis verò nec Ecclesia sibi Judicium arrogat. Ideoque prædicta etiam Bulla cum grano salis adhiberi debet.

Suffragatur etiam jus Canonicum per identitatem rationis asserens excommunicationem latam ab Episcopo contra officium Ministri vel alicujus Officialis Sumi Pontificis, præsertim in tali causa, quæ ad illius officium à Superiore comissum spectat, nullam declarat, quamvis ejusmodi Officialis & Episcopus officium spirituale etiam à spirituali potestate pendeat, non tamen pendet ab Episcopo sed solùm à summo Pontifice. Videatur praxis Episcopalis Piasecij p. 2. tit. de excommunicaonibus. Præcipuè autem in præsenti casu militat pro parte Ducis M. D.

Litvaniæ

A.C. 1695 Litv. utpote Ministri status ac Officialis Reip. cujus officium pendet à Serenissimo Rege ac Rep. à jurisdictione sæculari, nec ulli alteri quoad suum officium est subjectus, nisi à quo pendet.

2do. Nullitas deducitur publicatæ excomunicationis ex dispositione Canonici, imò omnis juris: ex mente enim eorundem jurium, nemo in propria causa judex, auctor ac testis insimul esse potest. Jus verò Canonicum expressè habet, quòd Episcopus pro injuria sibi illata neminem excommunicare possit. Possent & exempla & præjudicata Supremorũ Monarcharum ac Seren. Regum ejusdem Reip. allegari, qui propriæ injuriæ judices ac vindices esse recusarunt, verùm ob brevitatem hic non specificantur.

3tiò. Nullitas Excommunicationis publicatæ deducitur, quòd sine citatione sit declarata, cum tamen citatio sit basis ac fundamentum cujusvis judicij nullo modo, nec per ullam vel subtilissimam interpretationem omitti debet, authoritate Juris Divini Naturalis, Canonici ac Civilis suffragante, neq; monitoria supplent citationem, cùm monitorium non sit citatio, hoc enim importat præcessisse sententiam declaratoriam, quæ absq; citatione lata, nulla. Causæ criminis læsæ Mtis, sat magni momenti, Jus circa hoc expressum potest dici: Lata Sententia nihilominus requirit, ut citatio præcedat, & quod summum, ex Senatus Consilio: non de damnis vel injurijs aliquid quempiam non verò ipsum Ducem illatis. In Spiritualibus verò Bonis etiam in casu incursæ Excommunicationis latæ sententiæ, quæ pro præsenti locum non habet, requirit nihilominus citationem ad videndum declarari incurrisse pœnam Excommunicationis latæ Sententiæ, aliàs talis Excom: nulla.

4tò. Nullitas publicatæ Excommunicationis patet, quod omissis probationibus ex certis conjecturis privata scientia, per subtilem interpretationem, quæ in jure fugienda, sit denuntiata & publicata dicta Excommunicatio, obstantibus omnibus Juribus, expressè contra Statuti M. D. L. cap: 4 Art. 54 §. 3. ubi non citati eximuntur à judicio, quod jus uti Pragmaticum æquè Spiritualis ac sæcularis Status servare obligatur. Juxta Statuta Reip. ipsiusq; Statuti M. D. L. cap. 1. Art. 1.

5tò Nullitas declaratæ Excommunicationis deducitur, quia Illust: Episcopus Vilnensis, per suum Monitorium, 14 Aprilis, an: 1694 datum, exigebat omninò, ut intra triduum Illust: Dux M. D. L. ex Bonis Ecclesiasticis militem revocaret, atq; intra idem triduum illata per militem damna compensaret, sub pœna Excommunicationis: adeoq; ad impossibilia obligat, cum revocatoriæ literæ ad militem intra triduum describi & pervenire non possent, cum illa bona Spiritualia Diœcesis Vilnen: in quibus miles degebat, essent longè dissita: neq; alia ex parte expediebat militem tunc loco movere, cum ad initium veris, terræ resolutio immineret: neq; damna intra tantas temporis angustias poterant compensari. Jus autem attestatur, quod ad impossibilia nemo obligetur. Ipsa Decreta post citationem cum præfixione termini obtenta, nullitatis arguuntur. Insuper in eodem monitorio injuriosè & mendaciter contra stylum Curiæ, Illustr: Ducem, Ductorem vocitat, Exercitum verò turbam hominum. Statutum autem M. D. L. c. 4. A. 192. 26 hujusmodi Citationes arguit nullitatis invaliditatisq;, multò magis argui debet monitorium nullo Decreto præcedente editum. Seren: Rex, D. N. C. habet authoritatem & potestatem extradendi literas revocatorias, & ordinandi eas ad Illust: Ducem, semper tamen Cancellaria Regia honorifico stylo eas describit, non solùm tempus legitimum præfigendo, sed etiam si neces-

necessitas exigeret signa militaria quoad locationem immutare, mediũ & modum, qualiter & quo translocari miles deberet, facilè porrigeret nulla interposita comminatione vel pœna. *A.C.* 1695

6to Nullitas Excommunicationis patet, quòd stante appellatione ad Sanctissimum sit publicata. Illust: enim Dux M. D. L. & mox ab hac declaratione monitorium juxta Canonica Jura appellavit, dieq; 17 Apr: Episcopo per manus trium Præfectorum peditum insinuavit appellationem, nemo siquidem ex Spiritualibus id ausus præstare. Episcopus verò stante appellatione postridiè, sc: 18 Aprilis 1694 injuriosè Excomm: publicavit. Jus autem omne stante appell: vetat quidquam attentari, imò expressè Jus Canonicum Excomunicationem post interpositam Appell: publicatam, asserit & declarat esse nullam, uti habetur in corpore Juris Canonici Decretal. Greg. lib. 2 tit: 28 de Appell. c. 55 ibi Dilectis Filiis &c. expressè disponit, à Declaratoria sententia Excom: incursæ datur Appellatio, talesque nulliter excomunicati à Divinis arceri non debent.

7mo. Demonstratur ac declaratur nullitas declaratæ & publicatæ Excom: præcipuè ex decreto Eminen: Cardinalis Archiepiscopi Gnesn: uti Primatis & Metropolitani an: 1694 19 Julij lato. In quo sciens Cardinalis quòd decisio circa locationem militis in bonis Spiritualibus spectet ad Remp. Excommun: esse nullam & invalidam declaravit; Neque divulgata objectio & dubium, quasi Cardinali Archiepiscopo Gnesnensi nulla competeret jurisdictio, quidquam evincit, Episcopi enim comprovinciales secundùm Jura subsunt quoad Judicialia per Appell: jurisdictioni Archiepiscoporum. Quod verò Diœcesis Viln: subsit Archiepiscopatui Gnesnensi, patet ex Synodalibus Constit: item quoad Appellationes interponi possunt à Comprovincialibus ad Archiepiscopos, liquet id ex Jure Canonico, liquet ex actis Archiepiscopatûs Gnesnensis, cum inibi plures Causæ ex Diœcesi Vilnensi per Appellationem devolutæ fuerint agitatæ.

Patet igitur ex præmissis dictam Excom: in ipsis formalibus esse nullam ac invalidam. Forma verò dat esse rei.

In materialibus autem brevitatis ergò longior deductio omittitur, cum jam pateat ex supra allegatis juribus, quòd Jura Canonica & Bullæ Cœnæ Dñi non se extendant ad Officium Ducis M. D. L. qui pro suo debito munere, militem in Bonis oneribus militaribus subjectis locavit. Pro damnis verò allatis justitiam solùm exequi, & juxta militares articulos judicare obligatur. Leges verò fundamentales sine periculo non mutantur, his enim mutatis, fundamenta Reip. mutantur.

Refutantur breviter Objecta proposita in impressa Informatione Anno 1695. sub tempus Comitiorum publicata. **Punctum 6.**

Adducta in 1. puncto impressæ informationis Privilegia Bonis Spiritualibus Diœcesis Viln: impertita ad unionem M. D. Lit. cum Regno Poloniæ docent, quod ejusmodi bona sint fundationis Regum, nec non M. D. L., non verò terrestris fundationis Nobilium: fundationis enim terrestis illa solùm bona dicuntur, quæ in bona Ecclesiæ ex fundatione Nobilium Hæredum horum bonorum cesserunt, quæ verò ex fundatione Regum vel Ducum M. D. L. Ecclesiis sunt adscripta, illa sunt Regiæ fundationis, habentq; naturam bonorum Regalium, & æquiparantur omnibus, ut supra deductum, bonis Regalibus. Unio, quam M. D. Lit. cum Regno Poloniæ reperit, jam protunc hæc bona fuisse Regiæ fundationis, nec potest adduci post factam Unionem vel unica Regni

A. C. 1695 Constitutio, quæ afferat naturam dictorum bonorum esse immutatam per aliquam Constit: Reip: non aliter ac bonorum Regalium, nec non M. Ducum L. quæ in eo statu Unio reperit, non mutarunt, nec mutant naturam bonorum Regalium, nisi per Constit: in Comitiis ex consensu omnium Ordinum mutentur in bona hæreditaria terrestria, cujus exempla in Constit: videre est. Qualis verò naturæ bona Unio reperit, eandem perpetuis temporibus inviolabiliter retinere debent, ut patet ex Constit; 1569 f. 176 §. providemus. Insuper ex privilegiis patet eadem bona esse Regiæ fundationis, cum naturam Regalium bonorum habent: liberantur enim per eadem privilegia à servitio militari, quod subire tenentur solùm bona terrestria æquè Nobilium, ac Spiritualia fundationis terrestris, juxta Statutum M. D. L. non verò Regalia. Inde quoq; patet prædicta bona esse Regiæ fundationis, quia jus patronatûs conferendi Episcopatum, Canonicatum, & in bonis Regiæ fundationis Præposituras, Abbatias, Parochias, Seren: Poloniæ Regibus de jure Reipublicæ debetur.

Quòd verò in ijsdem privilegiis exprimatur, hæc bona perpetuis temporibus Divino cultui & Ecclesiæ esse data ac donata, non contradicitur in casu præsenti huic perpetuitati, cum omnium fundationum sit similis tenor, hinc tamen non potest deduci, dicta bona esse terrestris fundationis, cum non fiat fundatio de bonis alicujus nobilis, sed de bonis Seren. Regum.

Quamvis opponatur, quòd instituendo hanc fundationem Seren. Reges, & sua bona conscribendo Ecclesiæ Diœcesis Viln. subditos eorũ bonorum ab oneribus domesticis, id est, à censu judiciario Administratoribus horum bonorum, imò etiam Regio ærario debito persolvendo liberaverint, hinc tamen non evincitur bona hæc non subesse statuto M. D. L. constit. juri communi Reip. illiusq; authoritati, cum omnium fundationum sit idem tenor, cum tenore aliarum donationum, venditionum, &c. Neque sequitur inde prædicta bona Diœcesis Viln. non esse Regiæ fundationis, aut non habere naturam bonorum regalium, cum constit. 1678 tit. hiberna M. D. L. fol. 3. distinctionem & coæquationem enucleet ejusmodi bonorum. Atq; juxta hanc distinctionem contributio hibernæ ex iisdem bonis communiter persolvebatur. In confessis vero nihil restat, nisi executio.

Quod concernit privilegia Seren. Regum Vladislai & Alexandri Anno 1433. & 1458. ratione pœnarum in iis expressarum ablegata hæc non censentur esse jus commune, cui omnes universim subesse debeant, sed potius jus privatum. Quare iuxta jus cõmune eiusmodi privilegia in præiudicium & aggravationem tertii edita, subsistere nullatenus possunt, nisi sint inserta in corpus iuris pragmatici id est statutum M. D. L. & per legem publicam, pro lege publica sint declarata, quod ad præsens non probatur.

Insuper non se extendunt dicta privilegia ad M. D. L. qui Ducatus speciali sui statuti iure gaudet, cum quo inviolato per unionem Regno Poloniæ se adiunxit, Jusq; idem M. D. L. & eis provinciis, scilicet Russiæ, Samogitiæ, aliarumq; provinciarum M. D. L. Incolis consentaneum in integro, plenè, constit. Unionis anno 1569 adiudicavit. Idem exigit etiam constit. 1578. fol. 332. titul. M. D. L. Reges quoque Seren. juramento obstrinxerunt, non aliter se iudicaturos status varios M. D. L tam spirituales, quàm sæculares, nisi iuxta præscriptas leges statuti M. D. L. in prædicto autem statuto M. D. L. nulla fit mentio eiusmodi privile-

vilegiorum, prohibetque statutum M. D. L. ne ullus propria authoritate & ex privata scientia judicare aut sententiam ferre audeat, nisi pro priori se accomodet statuto articulisque in eo præscriptis, vetatq; refugium ad jura alia: quod fortè liceret, nisi id in statuto M. D. L. non esset expressum. Deinde dicta privilegia cum grano salis sunt intelligenda: illa enim vel maximè iis obesse possent, qui excessivè bona spiritualia vel ipsi per se, vel per suos Ablegatos violenter invadunt, illa sibi per vim usurpant & appropriant. Non impetunt tamen Rempub. ejusque Officiales ac statûs Ministros juxta dispositionem jurium suorum, ex bonis spiritualibus, id exigentium, quod ex eorum natura Reipub. debetur, dum miles in spiritualibus bonis Regiæ fundationis locatur, hibernales contributiones exiguntur, aliaque debita onera repetuntur. Præstaretur namque summa ingratitudo erga Patronos & benefactores suos, si sub tempus belli debitum denegaretur subsidium pro natura bonorum suorum, & si inditæ exemptiones prætenderentur: multò magis, si per sinistram interpretationem Ministri Reipub. excommunicentur, adeoq; per obliquum ipsa Respub. cum partibus suis integrantibus, cujus dispositionem Ministri statûs exequuntur, & authoritate legum ac jurium non verò privatâ locationes militi designant, Pro excessibus verò, violentiis, cæterisque iniuriis sive in transitu, sive etiam in consistentiis per militem illatis, iidem Reip. Ministri iudicare secundùm allegata & probata, pœnisq; pro merito debitis afficere obligantur. Cùm vel ipsum ius Canonicum terreni Regis constit. solvere vetet, imò illi subesse jubeat. Facilè enim sequeretur, quod decreta terrestria, Castrensia, tribunalia, imò etiam altioris fori ipsiusq; Regis Serenissimi non liceret in his bonis fortiter exequi: sequeretur item, quòd ærarium Reip. indictas certas pensiones & contributiones per fortem executionem à dictis bonis exigere non posset; nam si jus ferretur in invitum, facile per interpretationem propria authoritate posset quis iudicare sibi fieri ac inferri violentiam, consequenter auderet in iudices ferre sententiam excommunicationis, hisq; modis retardaret iuris executionem & perturbaret Rempub. in suo iure. Tacentur reliquæ sequelæ, quæ ex eiusmodi interpretatione inferri possent.

Insuper constat superioribus locis adducta Privilegia etiam in Regno Poloniæ non esse in executione, eò quòd intervenerint jam post látas dispositiones & constit. alias Reipub. præsertim post Constit. 1562 fol. 29 tit. de admittendis &c. Idem Constit. 1565 fol. 99 tit. de Spiritualibus. Ubi expressè citationes ob ejusmodi executiones, protunc & in posterũ cassantur & annihilantur. Accesserunt aliæ etiam Dispositiones Reipub. quæ requirunt injurias à statu sæculari prætensas, judicio sæculari conformando se juri comuni, subjici, & ex ejusdem decisionibus vindicari. Præsertim cùm in M.D.L. non juxta hoc privilegium vel Synodales Constit. sed merè insistendo juribus statuti M.D.L. Sern: Rex se jurejurando obstringat, omnes status æquè Spirituales ac sæculares judicaturum per caput imũ art. 1. item cap. 4 art. 54 § 3 ejusdem statuti: Potissimũ per cap. 2. art. 27 quòd expressè & documentaliter ad præsentem etiam casum informationem suggeret, videlicet ut ob iniurias & excessus æquè in transitu ac in consistentiis per militem illatos, Duces iuxta militares articulos judicent & puniant, quod ipsum Respublica etiam per constit: disposuit ut supra est deductum in puncto 4to, non verò ipsi in personâ ejusmodi iniuriarum rationem reddant, nec pœnæ excommunicationis subiaceant.

 Nec

A.C. 1695 Nec absq; fundamento Resp. pacta Hadziacensia firmando, & ordinando Regimen Ducis Exercituum Russiæ, eiq; potestatem impertiendo, assignationes pro militaribus stativis ad bona regalia & spiritualia extradendi supradicta pacta iureiurando corroborantes Serenissimus Rex piæ memoriæ Joannes Casimirus, Celsissimus Princeps Leszczynski Archiepiscopus Gnesnensis, Illust. ac Reverendissimus Zavisza Episc. Viln. cautum voluerunt, ne unquam dicta pacta ullis manifestationibus, protestationibus & excommunicationibus invalidentur. Prout ex dictis pactis in volumine legum anno 1659 fol. 14. §. non nullos exercitus Poloniæ &c. & fol. 93. tit. Jusjurandum Celsissimi Principis Archiepiscopi Gnesnensis &c. & tit. jusiurandum Episc. Viln. ingrossatis luculenter constat. Eccur igitur Duces Regni Poloniæ & M. D. L. non per pacta sed virtute jurium Reipub. Cardinalium à Serenissimo Rege Dño N. Clementissimo inauctorati & ordinati, deterioris esse conditionis, ac eorum Ducalis potestas, tot publicis constit. firmata & stabilita, per excommunicationem, cum derogatione iurium & Mtis & Reipub. infringi debet.

Quod verò concernit quasi in contrarium allatas constitutiones, ad has generaliter respondetur, videlicet intelligenda esse juxta mentem & interpretationẽ Reipub, quæ distinctionem in ijsdem constit: inter bona Spiritualia terrestria, & inter bona spiritualia Regiæ fundationis hanc assignat quòd bona terrestris fundationis, bonis terrestribus nobilium, bona verò spiritualia fundationis Regiæ Bonis Regalibus liquidi juris coæquentur, ut ex allegatis supra constitut: & ex statuto M. D. Lit. deductum est.

Nec etiam per interpretationem subtilem, si non violentam trahi & applicari antiquiora Privilegia ad casum præsentem possent? quandoquidem per contraria jura, constit:, usum & praxim longissimi temporis effectus illorum cessavit, leges enim & ordinationes usu non receptæ non obligant, & firmantur leges, cum moribus utentium comprobantur.

Quia verò specialiter constit: 1678. tit. hyberna M. D. L. insistit, informatio solvitur, quòd ad hanc constit: 1679. de hyberna M.D.L: hæc ad præsens magis suffragatur Illmo Duci M.D.L. & potestati ejus Ducali, siquidem ex hâc constit. constat, quòd Bona Spiritualia Regiæ fundationis coæquentur Bonis merè Regalibus, nec ullo modo excipi possint ab hâc æqualitate. Constat item Bona Spiritualia Regiæ fundationis subesse oneri stativorum, siquidem hyberna ex bonis subjectis ejusmodi contributionibus persolvi debent, Cùm ergò dicta bona subsint oneribus militaribus, iniquè pars adversa criminatur Illrmũ Ducem M.D.L. eò quòd in hujusmodi bonis imprimis primo vere unum vexillum Scytharum in Exercitu M.D.L. stipendia merentium anno 1693. deinde ad initium hyemis anno 1694 quædam signa militaria M.D.L. ex castris anno 1693 redeuntia locaverit, ijsdem consistentias designaverit, conformando se juri comuni, & supra allegatis constit. nec non consvetutinibus à prædecessoribus suis Ducibus Supremis M.D.L. practicatis, actus verò consvetudinarij sunt actus practici, etenim hæc constit 1677. sub tempus pacis lata, quæ feliciter regnante Sernm. Rege Dno. Nro. Clement. Ao. 1676 ad Zurawnam inita ad An. usq; 1683 quo inter Principes Christianos facta est colligatio adversus comunem totius Christianitatis hostem, annos septẽ duravit, Quo tempore Copiæ M.D.L. per rationem statûs Reipub non solutæ in Ducatu Samogitiæ, in confinijs Curlandiæ ac Prussiæ locatæ per hocce septennium continuò manentes ex bonis Spiritualibus Regiæ fundationis æquè ac ex bonis merè Regalibus pecuniarias contributiones percipie-

cipie-

cipiebant more Exercitus Regni Poloniæ, qui cùm habeat certa quoad A.C. 1695
consistentiam destinata loca, etiam in præsens pecuniarias contributiones ex bonis subjectis militaribus stativis repetit; ubi verò Bellum præsens cum comuni Christianitatis hoste ab An. 1693 cœptum est, & Exercitus M.D.L. protunc in certis stativis constitutus loco movit, ægrè constit. 1678 pacis tempore lata impleri milesq; redux ex castris hocce modo locari potuit. Imò cùm non haberet à Rep. certum pro consistentijs hibernalibus definitum locum, quo Exercitus Regni Poloniæ gaudet, necesse fuit, ut juxta ordinationes Reip. & consvetudinem Illust. Prædecessorum Ducum M. D. L. miles in bonis subjectis militaribus stativis partim locaretur, partim eidem ex iisdem bonis hyemales contributiones percipiendæ assignarentur exigente belli necessitate, quæ diversas novit habere rationes à rationibus pacis tempore. Minimè enim excessit Illrmus Dux M. D. L. procedens juxta jus commune, cum authoritate juris communis sibi à Repub. collati nixus, potestate locandi militem in bonis stativis subjectis usus est. Neq; alia Serenissimi Poloniarum Regis Dñi N. Clement. mens fuit, quàm reduci ex castris Duci M. D. L. anno 1693 die 24 Septembris requirenti quonam pacto miles locandus esset, per literas declaravit, scilicet quòd hic & nunc, cum more Poloni Exercitus miles locari nequeat, uteretur proinde ea ratione in locando milite, quam legum observatio & munus sibi commissum requirit. Quod verò jure fit, justè fit, nec ullam meretur pœnam, Quòdsi verò miles in aliquo deliquerit, delicti hujus rationem Dux reddere non tenetur, quandoquidem juxta prædictum jus Duci M. D. L. incumbit, injuriatis debitam justitiam præstare.

Quod concernit punctum secundum in quo putat sibi adversa pars favere constitit. 1678. hujus supra sufficiens solutio data est, repetere eandem otiosum. Hoc non nisi addendum esse duximus, quod Antecessores Episc. Viln. ante & stante hâc constit. onus militaris consistentiæ non renuebant. Ipse quoque præsens Episc. Viln. dum Dux M. D. L. militem locaret in bonis Episcopalibus, deinde per favorem iisdem parceret, in bonis spiritualibus Venerabilis Capituli Viln. militem pro hyeme locari non vetabat, quinimò expressè, ut in bonis Venerabilis Capituli Viln. locaretur, modò Episcopalia ab hoc onere liberaret, eidem Duci permittebat. Insuper cùm Episc. Viln. vexillum peditū, dictum Hungaricum in exercitu M. D. L. suo sub nomine foveret, eosdem in bonis suis Episc. pro hyeme locari à Duce M. D, L. postulabat, nec ob id Antecessores, nec ipse Episc. Viln. excommunicationis censuram minitabatur, vel defacto eandem in Ducem M. D. L. fulminabat, nam constabat illis vigore allegatorum jurium, locationibus aliisq; oneribus militaribus prædicta bona subjecta esse.

Adjectum autem in eodem puncto Informationis, quasi Dux M. D. L. auxisset hybernales contributiones, sinistrum figmentum sonat, & dum suo tempore Dux M. D. L. in Comitiis gesti sui officij rationem reddet, constabit tunc hanc objectionem fictam fuisse.

Additur insuper in eodem puncto informationis in aggravationem Ducis M. D. L. quod argentum, aurum, sacra vasa, paramenta cæteraq; Ecclesiastica ornamenta vendi debuerint, ad supplendum Colonorum defectum in persolvendis tam gravibus hybernalibus contributionibus. Comittitur cujusq; trutinæ, num hæc objectio subsistere possit, quandoquidem ex bonis Diœcesis Viln. non modò militaribus oneribus subjectis, sed etiam ex bonis Spiritualibus terrestris fundationis, quæ dictis

A. C. 1695 oneribus non subsunt, authoritate Episcopi Viln. per Administratores eorundem bonorum & quidem maturè annui Census quotannis repetebantur, ipsiq; Episcopo reddebantur.

Insinuatur adhuc in eodem puncto, quod Coloni eorundem bonorum sint dilapsi, pars in Russiam, pars verò in Curlandiam aliaq; loca: consulant hòc in puncto proprias conscientias administratores dictorum bonorum Episcopi Viln. ex quorum consilio fæno & stramine partim in aulas comportatis, partim pecunia distractis, residuum igne combustis, sunt dilapsi, non modò ut militi, quem sperabant venturum hoc pacto consistentia inibi præcluderetur, verùm ut hoc prætextu prætensa desolatio bonorum eidem imputaretur, & per latus militare Dux M. D. L. cujus honor impetitur, quasi per illum bona spiritualia devastata essent, aggravaretur.

Quos Colonos cum miles in dicta bona pro consistentia venisset, sciens ubinam locorum degerent, iterum congregavit ac collegit, ipsi quoq; Coloni ab administratoribus suis vanis terriculamentis exterriti, cum nihil horum esse viderent, ultro redierunt. Verùm dandum est semper tempus, veritatem dies aperit.

Deinde objicitur, quod ob imminutos imò totaliter sublatos annuos census seu reditus Ecclesia ac sacellū D.Casimiri occludi debuerit, uti in eadem informatione innuitur; Quæ objectio vel inde subruitur, quòd non solùm anticipativè annui census sint percepti, sed etiam à fiduciis summis, quæ nullis militaribus contributionibus aliisq; oneribus militaribus subsunt, proventus persoluti sufficiebant ad persolvenda Divina.

Quod verò objicitur Duci M. D. Lit. quasi absolutè pro libitu suo æquè ex bonis subjectis militaribus oneribus ac liberis ab iisdem, & quidem cum notabili excessu debitæ pensionis in libris militarium locationum vulgò Taryffa circumscriptæ hybernales contributiones pro milite extorsisset, hæc obiectio nullius momenti ostendetur, quando supremus M. D. L. Exercituum Dux, debito tempore in facie totius Reip. huius faciet relationem, tunc cum aliter compertum fuerit, hæc quoq; objectio falsitatis arguetur: si enim sufficit accusare, quis innocens.

Præterea in eodem puncto additur quòd ruralium Parochorum habitacula, aulæ, prædia per invasionem sint violata; verùm hæc calumnia respectu Personæ ipsius Ducis M. D. L. videtur imponi, cum id Episcopo Viln. per sinistram delationem innotuerit. Quanquam dato non concesso, si contigisset aliquem ex militibus esse adeo excessivum, ut hæc præsumere ausus fuisset, tamen iuxta superius allegatum Jus, non ipse M. D. L. Dux, sed is, qui huius excessus accusaretur, rationem reddere, & pro gravitate delicti puniri deberet.

Item in puncto eodem in aggravationem Ducis M.D L. allegatur, quòd Dux, dum Ss D. N. per Breve suum Nuntio committeret commendaretq; quietationem vergentis peius inter Episcopum ac Palatinum Viln. supremum M. D. L. Exercituum Ducem inimicitiæ præstiterit se difficilem, per quod grandis Duci M. D. L. infertur iniuria: qui intuitu prætensæ, ex occasione locationis militum in bonis Spir. Diœcesis Viln. violationis Im̄unitatum Eccl: declaravit hanc ad dispositionem non suam (ut est Minister Status) sed universæ Reip. esse, & quoad hoc punctū complanationem recusavit, plenum interim Jus, quoad hoc recurrendum parti adversæ ad Remp. relinquendo. Ratione verò prætensorum quasi per militem in iisdem bonis patratorum damnorum, quamvis nec fieri poterant, siquidem vix eo tempore ob tardum ex castris reditum

tum miles in suis consistentiis locari potuit, Dux promptum se præbuit juxta Jus, efficacem parti quasi læsæ præstare iustitiam. Sed quia Episcopus exigebat, ut ex nunc locatus miles in bonis Spirit: militaribus oneribus subiectis aliò transferretur, licet ejusmodi ordinationibus Dux M. D. Lit. uti Minister Status, Mtis ac Reip. non subsit, tamen per observantiam Sedis Apostolicæ, quæ Nuntio solùm sphæram amicabilis compositionis commiserat, dedit excusationem adæquatam, quòd tempore hyemali, loco movere militem non posset. Illust: tamen Episcopus Viln. persistebat circa propositionem suam, nihil de illa remittens. Et quamvis Cardinalis Archiep: Gnesn: uti Primas suam quoq; authoritem interposuerit, hæc tamen nihil prorsus apud Episc. Vilnen: effecit. A. C. 1695

In excusationem verò publicatæ Excomunicationis, quæ in hoc puncto informationis afferuntur, uti quartum monitorium, horum sufficiens solutio habetur superius in puncto quinto, ubi nullitas Excomunicationis deducitur. Quia verò ibidem ipsa pars adversa ultrò fatetur, quòd appellatio ab hoc monitorio intercesserit ab Duce M.D.L. Episcopus verò Vilnensis non obstante illa, sententiam Excomunicationis in Ducem publicaverit, hoc ipsum evincit, prædictam Excomunicatiouẽ esse nullam, siquidem post appellationem interpositam, quæ in similibus de omni & singulariter jure Canonico est admissibils, Excomunicatio lata est nulla.

Quòd concernit tertium informationis punctum, nullus inficiabitur Ducem M.D.L magnam pati injuriam ab Episcopo Vilnensi; si enim eadem judicij bilance ponderentur damna, ut prætendit adversa pars in bonis Spiritualibus per militem facta, quæ, si adsit sufficiens probatio sunt compensabilia, ob quæ Concilium Trident. sess. 24. de Reform. cap. 3 si executio realis vel personalis fieri poterit, à censuris abstinendum decernit. Ex altera parte ejusdem honor bilancis Ducis M.D.L. qui per insolitam Excomunicationis censuram impetitus est, quisq; justus arbiter fatebitur, injuriam honori Ducis M.D.L. illatam longè præponderare (cum honor & vita passu ambulent eodem) quam prætensas quasdam injurias in bonis Episcopalibus à milite illatas; ita ut justè conqueratur, gravem se pati injuriam ab Episcopo, ubi enim rerum testimonia adsunt, non opus est verbis, & vel maximè, cum ex præmissis pateat, bona Spiritualia Diœcesis Vilnensis fundationis Regiæ subesse militaribus oneribus. Ducem verò in ejusmodi bonis authoritate legum ac Reipub militem locare posse ac debere, qui verò iure suo utitur, nemini iniuriam facit.

Ad id quòd in tertio puncto informationis exprimitur, videlicet jurisperitos, si requirerentur de iuris usu & antiquitate Ducis M.D.L. in bona Spiritualia eos, iniquum esse ius fateri debere per totum negatur. liberum est jus comune titulo de usu & præscriptione accuratè diligenterq; relegere, ex eo liquidò constabit, aliam esse præscriptionem rerum corporalium, aliam incorporalium, constabit itidem Ducem in bona Spiritualia militaribus oneribus subjecta nullam habere per se prætensionem, sed solam Remp: Ducem verò uti ministrum statûs authoritate ejusdem locare militem. Constabit deinde etiam in casu præsenti, si liquidum jus non adesset, præscriptionem currere; in quo puncto liberum est cuivis, præsertim cujus interest consulere jurisperitos, legum ac morum, æquè Spirituales ac Sæculares, qui norunt dirimere ambigua fata causarum, suæq; defensionis viribus, in rebus sæpè publicis ac privatis erigere, fatigata reparare, quiq; arte juris instructi, & edocti legem quãcunq; ex bono & æquo interpretari possunt: non verò eos, qui primis duntaxat labris jura gustârunt. Idem

A.C. 1695 Idem patet etiam ex dispositione Juris Reip. Constitut: 1633 fol. 26 tit: de præscriptionibus, & Constit: 1635 f. 12 tit: de antiquitate bonorum & Constit. 1638 f. 14 tit: Declaratio præscriptionis, videlicet quod præscriptio in similibus currat & vel maximè cum tota Rep. & in persona illius Dux M. D. L. uti Minister Status fundet se in jure comuni supra citato. Consvetudines porrò & exempla antecessorū suorum tantùm in ordine ad probandam existentiam Juris hujus allata sunt. Non expedit igitur Remp. per latus Ducis M. D. Litv. impetere, & alicujus injustitiæ seu criminis per subtilem interpretationem arguere. Sacrilegij enim instar est leges Reip. violare & negligere.

In eodem puncto Informationis allegatur Statum Spirit: Litvaniæ cum Statu Spirituali Regni habere participationem æqualitatemq; legū qui persolutis contribut. hyemalibus in suis bonis designatis nullam patitur aggravationem. Verùm errat in hoc informatio, cum alia sit ratio contributionis hyemalis ex bonis Spiritual. Regni, & alia ratio bonorum Spirit: Diœcesis Viln. Etenim Regni Poloniæ Exercitus certa sibi pro hyemali consistentia designata habet loca, proinde ex bonis Spirit: oneribus militaribus subjectis, & quidem cum auctione, æquè ac ex bonis merè Regalibus, non nisi hyemalis contributio persolvitur, non secus atq; in M. D. L. cum pacis tempore ab an: 1678 usq; ad 1683. Miles in Ducatu Samogitiæ locatus per septennium in eodem loco consisteret. Verùm nunc in M. D. Litv. cœpto bello an: 1683 & in hodiernā usq; diem durante, cumq; Exercitus M. D. Litv. eo modo quo in Regno designatis pro hyemali locatione careat locis id practicari nequit, sed juxta jus commune & antiquissimam consuetudinem in bonis oneribus militar. subjectis à Duce M. D. Litv. pro exigentia rei & temporis locari debet.

Mandatum ad instantiam Episcopi non extraditum sed fictum, & sine sigillo M. D. Lit. in puncto eodem memoratum, pluribus refutare supervacaneum est. Quisquis enim illud relegerit (ut reliquos taceam defectus) non alium spero de eodem illius sensum, nisi illum, quem statutum M. D. L. c. 4 Art. 26 haberi vult. Et vel maximè cum in duplici foro unam eandemq; causam contra expressum Jus cum Duce M.D.L. adversa pars voluerit agitari.

Accedit quòd absq; citatione, probatione, & quod rei caput est, post interpositam appellationem excommunicationis censura sub prætextu quasi notorii facti, quod nullo modo excusari possit non tantùm præcipitanter & inconsultò nulla habita ratione illius dicti: propè est ut libenter damnet, qui cito, sed etiam insolito more & nulliter publicata sit, non minus contra jus statuti M. D. L. ex privata scientia judiciariam sententiam ferre vetans, quàm etiam Canonicum, quod à comminata excommunicatione, & declaratoria incursæ excommunicationis sententia appellationem admissibilem agnoscit præsertim cum ex supra allegatis contrarium notoriè pateat, videlicet locationem militis in bonis spiritualibus oneribus subjectis, violationem im̄unitatis Ecclesiasticorum bonorum & injuriam reputari, nequaquam posse, neque ob id Dux M. D. L. uti Minister status dispositionem legum Reip. exequens, aggravari debet.

Quod verò informationis eodem puncto tertio sinistrè allegatur, videlicet hibernales contributiones Ducem M. D. L. in proprios usus ex toto convertere, id Dux falsam sibiq; repugnantem objectionem & figmentum reputat. Patebit namque suo tempore in facie totius Reipub

con-

contrarium, cum Dux gesti sui Officii rationem reddet. *A.C. 1695*

In eodem tertio puncto objicitur à Duce M. D. L. duos milites Tartaros iniquè esse neci subjectos; si ita est, quod negatur, ergo cùm vexillum Tartarorum militantium in exercitu M. D. L. ad jus injustè citatum est, ob indebitam locationem contra jus commune peccatum est, erroneumq; fuisse consilium evincitur. Neq; enim miles sibi assignat locationem, sed Dux M. D. L. juxta jus allegatum. Si verò (ut allegat adversa pars) iniquè sunt plexi capite, ergò apparet nullam eos intulisse injuriam bonis Episcopi Vilnensis. Quâ igitur de causa prædictum vexillum in jus Ducis M. D. L. vocatum est? dum nullam intulerit injuriam? proinde vita donandi erant quam expetebant, & Christianis sacris se initiandos pollicebantur. Verùm his posuit obicem ira & præconcepta malitia, quæ optima quæq; in sinistrum trahere sensum novit conformiter ad illud: cæcutimus plerique in propriis vitijs discernendis, erga aliena acutissimi. Cæteræ objectiones quæ hic non refutantur, facilè ex præmissis accuratè lectis & benè intellectis solvi possunt.

Reliquæ non minus mordaces quàm subtiles silentio solvuntur, cū juxta illud magni in Ecclesia DEI cuiusdam Theologi; non sit magnus animus qui repetit mordentem. Et licet legalis ac rationabilis subtilitas à praxi non abhorreat, attamen nimium subtilisare est aliquando errare. Et inde Doctores iuris in præcautionem regulam iuris scripsêre: infirmitas intellectus quærere coniecturas, cùm habemus verba.

Ad extremum nemo de mente legis aut constitit. iudicare potest, quam ipse Author & Conditor. Respublica est Domina iuris sui, si voluerit aliter in futurum statuere, & privilegiorum allegatorum executionem reassumere, liberum ei est: Sufficit enim ad præsens allegasse iura legesque Reip. & probasse earundem existentiam, praxim & usum longissimi temporis, præsertim quòd bona spiritualia Regiæ fundationis Diœcesis Viln. suberant & subsint hucusq; oneribus militaribus & Reipub. Ubi enim lex exstat, unicum superest ut ab omnibus pareatur.

Et jam ex præmissis, quisq; æquus ac justus iudex citra ullam passionem perpendere & concludere potest, utrum decuerit excōmunicationis censurâ Ducem M. D. L. aggravare dirisq; devovere: potest hoc etiam colligere, quàm atrox & plusquam palmaris iniuria honori Ducis M. D. L. hac ratione sit illata, & consequenter utrum non competat Duci M. D. L. querulari de hac iniuria. Primo verò expedit Reip. conservari honorem familiarum.

SUMMARIUM.

Constantinus Casimirus Brzostowski, DEI & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus Vilnensis.

AD Ddm RR. DD. &c. quibusuis Diœcesis nostræ Presbyteris &c. salutem &c. neminem latere debet, qualibus Ecclesia DEI Privilegijs, Immunitatibus gaudeat &c. circa Antistites, & Ministros &c. bona, census, fructus, ac quosuis reditus sibi debitos, libertate summorum Pontificum Innocentij III. Bonifacij, Benedicti XI. & Clementis V. aliorumque concessis, & per Sacrosanctas Synodos generales Lateranen. videlicet III. & IV. & novissimum Concilium Tridentinum approbatis, ita ut omnium laborum, onerum, & expensionum præstandarum sit immunis, & oneri bellicæ servitutis nullo modo subijci possit. Sed nec defuerunt pijssimi Poloniæ Reges, qui ejusmodi Ecclesiæ, & bonorum ejusdem, *Immunitatem desuper concessam non* *Num. 1. Prima monitio facta 22 Junij 1693.*

tantum-

A.C.1695 *tantummodo libenter amplexi sunt, verùm etiam singularibus eam sanctionibꝰ adornarunt, & roborarunt.* Hi fuerunt Ludovicus Jagello, & Casimirus III. in suis Privilegiis, & libertate nobilium &c. testantur id ipsum nostræ Chronicæ, quæ singulariter in hoc Boleslaum extollunt, eiq; debitas pendunt gratias quòd in suis ordinationibus bellicis, & domesticis, hominibus Ecclesiasticis omnium laborum, & expensarum Regno, & Reipublicæ præstandarum immunitatem, Jure sempiterno concesserit. Perhibent hoc Privilegia in Archivio spiritualium asservata, Boleslai Pudici, Venceslai, Bohemi, Casimiri Magni, Zemoviti Mazoviæ Ducis quæ in se habent; Clerus universus ab omni expeditione bellica intra vel extra terram per se, vel per alium suscipienda similiter omnibus solutionibus in perpetuum est immunis. Confirmant hoc omnia Jura vetera, quæ ante omnia semper Immunitates, & prærogativas Ecclesiasticas memorant, approbant tamen Constitutiones SIGISMUNDI &c: deinde totius Reipub: nimirum consensu trium ordinum latæ, scilicet annorum 1591 fol. 8 & 1593 fol. 6, 1601 fol. 37. 1609 fol. 4 & 5. 1620 fol. 2. & 13. 1626 fol. 6 1628 fol. 8. 1653 fol. 6. 1654 fol. 20. 1655. 8. & 30 1658 fol. 18 & 29. aliæq; plurimæ earundem reassumptiones *bona Ecclesiastica generaliter omnia in M. Dtu Lit: sita ab omni onere militari cujuscunq; tituli, & prætextus &c. exemerunt, & liberarunt;* Hinc est quòd supra memorati Summi Pontifices, & Conciliæ Ecclesiastica Immunitatis violatores Bonorum Ecclesiæ fructuum, Censuum &c. anathematis fulmine feriendos esse decreverint, sic in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. *cap.* 46. ne Laici imponant onera &c. Item in Concilio Lateranen. IV. *sess.* 9. *&c.* hoc ipsum renovavit Summus Pontifex Bonifacius &c. Benedictus XI. Clemens V. & specialiter Paulus V. in Bulla Cœnæ Domini *canon.* 17. *&c.* postremo S. Tridentini Synodus decrevit, & confirmavit *sess.* 24. *cap.* 2. *&c.* Veruntamen jam eo deventum est; proh dolor! in Diœcesi nostra *per indebitas militum in Bonis Ecclesiasticis locationes, & consistentias, ac per eadem transitus, quemadmodum publico notorium est, ut fructus à militibus sint consumpti, subditi expoliati, & dispersi, Bona Ecclesiarum funditus desolata, census non redduntur, unde officia divina vacant, suffragia pia cessant, Ecclesiæ sine solita devotione squallent, ministrorū numerus est diminutus.* Quorum omnium malorum causam adscribere non est, nisi Illustriss. D. Casimiro Sapieha Palatino Vilnen. supremo Exercituum M. D. L. Ductori, qui contra citata Jura, & omnem æquitatem, licet notabilem summam pro necessitate præsentis sacri belli dictam *Hyberna*, seu Generyka ex prænominatis bonis Ecclesiasticis, ac spiritualibus liberè titulo charitativi subsidij quolibet anno solvi declaratam cum auctione nulliter per se imposita receperit, nihilominus per expressas ordinationes, vel per implicitas aut conniventias, & dissimulationes tot damnorum Ecclesiæ causam dedit quinimo residuum Patrimonij Christi non tantùm continua militum tempore operationis bellicæ statione, *verùm ad eosdem in literis suis intimatorijs per singulos Palatinatus, & districtus M. D. Lit. recenter transmissis, ultimæ exposuit ruinæ,* Hinc ne ad nos illud extendatur quod eodem modo in Concilio Lateranen. IV. anathemati subiacere præceptum est, quòd nos plus timentes potestatem humanam, quàm Divinam, ejusmodi Ecclesiæ & Bonorum ejusdem desolationem dissimilemus. Vobis suprascriptis Executoribus in virtute sanctæ obedientiæ & sub excommunicationis pœna mandamus, quatenus personaliter accedentes si commode poteritis

ritis &c. auctoritate Sanctæ Sedis Apostolicæ moneatis, prout & nos eadem auctoritate, utpote mandatorum, ac censurarum ab eadem Sancta Sede fulminatarum ad executionem deduci obstricti, tanquam ejusdem Sanctæ Sedis Delegati eundem monemus, obsecramus & requirimus, quatenus ab executione, vel qualicunque intimatione, & notitia præsentium intra octodecim hebdomadas anni præsentis, quas ipsi pro tribus peremptorijs terminis, & pro canonica & ultima monitione, primas quidem sex pro primo, secundas sex pro secundo, tertias sex hebdomadas pro tertio, ultimoque peremptorio Canonico termino præfigimus, & assignamus, cessare velit ab ulterioribus Ecclesiæ Bonorum per milites occupatione, & fructuum desolatione, sed etiam damnorum nulliter suprascripto modo per milites illatorum adæquatam faciat restitutionem aliàs non ægre laturus, quod nos rigorem prohibitionis Ecclesiasticæ, & Censurarum à Canone latarum fulmen eundem incurrisse declarabimus, & publicabimus. In quorum fidem &c. Datũ in Szidlovicze &c. 22. Iunii Anno Domini 1693. Constantinus Episcopus. *A.C.* 1695

Anno Domini 1693. mense Iunio die 27. præsentes litteras monitionis Canonicè deducendo ad notitiam Illustriss. D. Casimiri Sapieha Supremi exercituum M. D. L. Ducis fideliter executus sum. Ioannes Bohdanovicz Diœcesis Vilnensis m. propria &c.

Constantinus Casimirus Brzostowski, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Vilnensis. Admodum Reverendis Dominis Decanis, Parochis &c. cæterisq; quibusvis Diœcesis nostræ Vilnensis Presbyteris &c. salutem &c. Noveritis qualiter Illustriss. D. Casimirus Sapieha &c. primò, secundò, & tertiò canonicè à nobis monitus, salutaria ejusmodi spernens monita, continuando præconceptam, nescitur unde contra Ecclesiam DEi malevolentiam, immemor timoris Divini, & pœnarum tam in jure Canonico communi provinciali, *quàm in patrijs legibus contra occupatores,* Aggravatores, & Impeditores bonorum spiritualium descriptarum, & sancitarum bona Diœcesis nostræ Ecclesiastica generaliter omnia rapi, invadi, prædari, detineri, spoliari, occupari, exactionari, & penitus multifariis gravaminibus, *potissimum violenta hibernarum ultra dispositionem Reipubl. & solitum cursum extorsione, & illicita insimul locatione militum devastari,* idque nulliter proprio, & temerario motu fecit, mandavit, & ordinavit. Unde dolendis vicibus ad eam pervenimus egestatem, quod in vilipendium Pastoralis dignitatis, non habemus, ubi caput reclinemus, & vitam sustentemus, ministri vero Ecclesiæ Dei contra decentiam status spiritualis Beneficijs suis, & proventibus violenter spoliati mendicitate premuntur, & sub graviori ingemiscunt servitute, quàm olim fuit Pharaonis &c. Quamvis igitur ob talem notoriam Ecclesiæ DEi persecutionem, pœnas Canonicas ipso Jure & facto declarandas, & publicandas jam pridem promeruit, tamen ex Pastorali nostra Clementia, ad emendationem, satisfactionem, & pœnitentiam ipsum inuitantes, & paterno affectu corripientes, iteratò, seriò, & ultimariò monendum esse duximus. Proinde Vobis suprascriptis Executoribus in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pœna mandamus, quatenus personaliter accedentes, si commodè poteritis &c. præassertum Illmum Dnum Supremum M. D. Lit. exercitûs Ductorem, Auctoritate Sanctæ Sedis Delegati eundem monemus, obsecramus, hortamur, & requirimus quatenus &c. intra spatium

A. C. 1695 spatium trium dierum ab executione præsentium literarum; rapta, invasa, spoliata, occupata, restituat, & de injurijs, damnisq; datis, condignam emendam, & satisfactionem impendat, aliàs sin secus fecerit coacti ipsius perniciosissima contumacia secundùm obloquentiam suprascriptorum Privilegiorum &c. de immunitate Ecclesiastica, præfatum Illmum Palatinum Vilnensem (*quoniam præscripto Juris Canonici C. Romana §. fin. de sentent. excomm. in 6. Navar. cons. 22. & cons. 24. senten. excomm. in antiq. Universus exercitus veluti turba hominum, seu communitas excommunicari nequit*) tanquam principalem Personam dicti Exercitus M. D. L. *primario per abusum potestatis contra expressa Jura Patriæ in locandis*, & educendis militibus ingentia damna, irreparabilemque Ecclesiæ Dei ruinam causantem, libertatem, & immunitatem ejus publicè violantem, utpote jam jam ipsô jure, & facto excommunicatum, & anathematizatum, ac complices fautoresque ipsius opem, consilium, & auxilium ad ejusmodi oppressionem dantes, excommunicatos, & anathematizatos attenta notorietate facti, quòd nulla tergiversatione cælari potest, ex eo quòd delinquentibus nullam legitimam defensionem, & excusationem competere posse, evidenter constat; Ex tunc invocato Christi nomine auctoritate Sanctæ Sedis Apostolicæ delegata, & nostra ordinaria solemniter declarabimus, publicabimus, & denuntiabimus vobisque, & universo Clero tam Sæculari, quàm Regulari publicare, denuntiare, mediantibus nihilominus ad id executorialibus literis nostris demandabimus. In quorum fidem &c. Datum Vilnæ die 14. Aprilis 1694. -- Constantinus Episcopus &c.

Anno Domini 1694. die 14. Aprilis. Ego infrascriptus personaliter literas monitorij Canonici reddendo ad manus Illustris. Domini Casimiri Sapieha Palatini Vilnensis Supremi M. D. Lit. exercitus Ductoris cum seria earundem executionis intimatione fideliter executus fui de quo fidem facio.

Stanislaus Zawistowski Canonicus Venden: &c.

Constantinus Casimirus Brzostowski, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Vilnen: universis &c. Scholasticis, Cantoribus, Prælatis, & Canonicis &c. exemptis, & non exemptis &c. ac quibusvis Ecclesiarum Ministris Diœcesis nostræ Vilnen: &c. salutem in Domino. Et nostris imò verius Apostolicis ad quorum executionem procedimus firmiter debere obedire mandatis. Noveritis qualiter Nos veni Pastoris D.N. J. Christi cujus in hac Ecclesia Vilnensi &c. Vices gerimus, vestigia sequi ex animo cupientes, pro salute animarum &c. Ac proinde gravi cum dolore respicientes in Bonis Ecclesiasticis intra hanc Diœcesim cum omnimoda libertate à piissimis fundatoribus Christi proprietati, & possessioni oblatas, usuique Clericorum temporaneo concessis pro necessitate vero præsentis sacri belli præter communes Reipublicæ contributiones, specialiter liberè titulo charitavi subsidij summam notabilem hybernarum quot annis contribuentibus, indebitas militum locationes stativas, & consistentias, plurimasque actiones contra Jus universale, canonicum, & patrium omni fere tempore ad eadem bona funditus deprædanda, excubias agentes, *Ecclesias ipsas quolibet ornatu abbinc carere, & sine solita devotione squallere supellectilem pretiosam ob conservationem Colonorum, militum* injuria, exactionibusque alijs prope infinitis depauperatorum, qui reliqui ultra jam dispersos conservari possint in solutionem hybernarum, & vitæ subsidium, quotidie distrahi, ministros Eccle-

Ecclesiæ contra decentiam status Clerical. mendicitate premi, *in plateis eleemosynam poscentes ex eo magis à cunctis despici in obsequium DEI vocatos*, ac opere servili mancipari, Moniales in assidua clausura Christo Sponso suo famulari adscriptas ob defectum proventuum inediã, & summa egestate laborare, ipsos denique Ecclesiarum Colonos militarem pressuram, & tributa amplius sustinere non valentes ad alienorũ Provincias labe hæresum infectas, non absq; timore apostasiæ à fide de sua Patria, domibusq; recedere coactos esse. Inde venit, quòd querulantium lamentationes, suspiriaq; quotidiana iram Dei super Reges, Regna, & exercitus ob hujusmodi excessus atque violentias provocant &c. neminem ex animabus concreditis curæ nostræ Pastorali perire exoptantes, permoti sumus, curavimusq; quantum ab alto in Domino potuimus Illmum D. Casimirum Sapieha Palatinum Vilnensem uti, & tãquam supremum M. D. L. Exercitus Ductorem amicabilibus modis requirere paternis affectibus exhortari, & per nostras monitionum speciales literas etiam sub censuris Ecclesiasticis comminatis, primo, secũdo, tertio, & quarto ipsi intimatas moneri, quatenus *conformando se juribus Canonicis, & Reipublicæ, deinde privilegijs Serenissimorum Regum Poloniæ, immunitatem bonorum Ecclesiasticorum specialiter Diœcesis nostræ tuentium* à Christi Dominio, qui fuit à tributis immunis, juxta literam Matthæi 17. &c. à bonis Clericorum, & Ecclesiarum, qui, & quæ ex consequentia quod sunt sub immediato, & proximo DEi Dominio immunes, ac immunia à tributis omnibus, eosdem, & eadem manere quoque debere ratio naturalis infert, & à stativis, oppressionibus in ijsdem bonis Ecclesiasticis sub quocunque colore, prætextu, aut ingenio faciendis abstineret, & illicitè contra expressa jura eundem exercitum sic locatum, quatenus ab ijsdem Ecclesiasticis, & Clericorum bonis amoveret, invasa, rapta, spoliata, occupata bona generaliter omni possessioni Ecclesiasticæ restitueret, & de injurijs, damnisq; illatis condignam emendam, & satisfactionem impenderet, ipsum Illmum Dnum Exercitus Ductorem *uti principalem auctorem, & causatorem præfatorum gravaminum* debitè requisivimus, sed quia nostrum Pastorale studium ad veræ pacis, & charitatis perfectionem ordinatum, nullum in Illustriss. Dno Ductore exercitus profectum habuit, exhortationes irreverenter susceptæ, monitiones canonicæ, & jurisdictio ordinaria spreta, quinimò magis in dies per violentam hybernarũ ultra dispositionem Reipublicæ, solitum cursum, extorsionem, aliasq; innumerabiles aggravationes Ecclesiæ Presbyteri, Clerici, Virgines Deo Sacratæ, Pauperes sub servitute ingemiscunt &c. Hinc insistendo æquitati naturali illudq; Apostoli 2. ad Corinthios 10. Monitum recolentes in promptu ulcisci omnem inobedientiam, & eos quos vestræ preces, suasiones, exhortationes, monitiones non avocant à peccatis, si incorrigibiles apparuerint, ne in perpetuum pereant separare nos debere scandalũ, quod posteritas ex hujusmodi ausibus impunitis libenter arripuisset, avertere desiderantes, crescente Illmi D. Ductoris in non parendo monitionibus nostris conformiter omni juri datis, perniciosa contumacia &c. attenta notorietate oppressionis Ecclesiæ Dei, quæ nulla tergiversatione ex parte Illmi Dni Supremi M. D. Lit. Exercitus Ductoris celari potest, nec delinquenti in eo aliquam legitimam defensionem, aut excusationem competere posse evidenter constat, ad eundem Illmum Dnum Exercitus Ducem, cæterosq; ipsius in eo Consiliarios auxilium, vel favo-

A.C. 1695

Hhhhhh rem

A.C.1695 rem dantes anathematizandos, & anathematizandum, sive solemniter excommunicandum procedendum esse duximus prout, Christi nomine invocato auctoritate Dei, & judicio Spiritûs Sancti in hac Ecclesia nostra Vilnensi Dominicâ primâ post Pascha in Albis anno præsenti, servatâ formâ in Pontificali Romano jussu Clementis VIII. Pontificis Maximi restituto, & in Capite deben. 13. quæstione 3. tradita anathematizavimus, & excommunicavimus, verius fuisse, & esse anathematizatum, excommunicatum, seu anathematizatos, & excommunicatos ex Decretis Conciliorum Lateranensium sub Alexandro III. *cap. 19. relat. in corpore juris in cap. non minus Cod. adversus de immunitate Ecclesiæ Clementina unica 5. volentes eodem titulo cap. quanquam de censibus, Concil. Tridentinum sess. 22. de reformat. cap. 22. constit. Synod. Ecclesiæ Gnesnen. lib. 3. §. insuper, & sequentibus eodem tit. & Bulla Cœnæ Dni §. 5. & 17.* Declaravimus, & declaramus per præsentes intimantes vobis omnibus, & singulis easdem præsentes nostras, & eosdem requirentes, atque mandantes sub pœnis, & Censuris Ecclesiasticis, atque etiam contra Regulares à jurisdictione nostra alias exemptos, & eorundem quemlibet juxta præscriptum in eodem Concilio Lateranen., quod refertur in *c. cum & plantare §. excommunicatus de Privilegijs cap. Episcoporum eodem tit. in 6. Canon. his qui §. 3. vero de Sentent. excommun. in 6. Tridentinum §. 25. de Regular. cap. 12.* irremissibiliter extendendis in casum contraventionis requisitioni, & mandatis nostris pro edemus. Quatenus visis præsentibus &c. Illmum Dnum Casimirum Sapieha Palatinum Vilnen. Supremum M.D.Lit. Exercitus Ductorem, ipsiusq; omnes, & singulos Cōsiliarios, fautores, opem, & auxilium ad exactiones, & oppressiones quascunq; in Ecclesijs, & earundem bonis quibuscunque dantes, sic prout permittitur per Nos in executionem S. Conciliorum infra citatorum, & Bullæ Cœnæ Dni anathematizatum, seu excommunicatum, & anathematizatos, seu excommunicatos, declaratum, & declaratos vestris in Ecclesiis juxta formam infra appositam singulis diebus Dominicis & festis coram populo ad Divina audienda congregato, campanis pulsatis, candelis cereis accensis & extinctis, ac demum in terram projectis in signum inobedientiæ, & maledictionis æternæ publicè denuntietis, publicariq;, ac denuntiari curetis &c. Inhibentes præterea omnia Divina Officia, & Sacramenta Ecclesiastica ipsum & ipsos participari, ingressum Ecclesiæ illi, & illis penitus interdictum, & Capellanis cujuscunq; status, & conditionis tam sæcularibus, quàm Regularibus ex nunc, & ex tunc amotis; Insuper personaliter accedentes si commodè poteritis, alias per affixionem præsentium valvis Ecclesiarum V. omnes, & utriusq; sexus fideles Christi, & nominatim prænominati Illust: D. Ductoris Exercitus, & ipsius Consiliariorum solemniter excommunicati, & excommunicatorum Amicos, Affines, Consangvineos, & familiares, ipsum, & ipsos salubriter inducen. moneatis, & requiratis, ut infra dies 15 nostram hujusmodi monitionem proximè, & immediatè sequentes, quos ipsi, & ipsis pro omnibus dilationibus terminoq; peremptorio, ac trina, canonicaq; monitione præfigimus, & assignamus, quatenus à communicatione, participationeq; prænominati Illust: Exercitûs Ductoris, & ipsius, ac ipsorum fautorum modo præmisso excommunicati, & excommunicatorum sese abstineant, ipsum, & ipsos à se alienent, neque ei, & iisdem in aliquo humano officio solatium cupienti, & cupientibus præstent, seu illorum quilibet præstet, sed ut

se

se absolvi præstita omnimoda satisfactione pro iisdem Ecclesiis, & ipsorum Colonis injuriatis procurent ad gremiumq; S. Matris Eccl: redeat, & redeant, ipsum, & ipso compellentes realiter, & cum affectu, alioquin sin secus fecerit, & fecerint, aut huic nostræ requisitioni, monitioni contumaciter parere neglexerit, & neglexerint; Ex tunc ipsum & ipsos, & eorundem quemlibet, prout ex nunc, lapso supradicto dierum spatio, Christi nomine invocato his in scriptis excommunicamus, quem, & quos etiam vos suprascripti executores sicut præmittitur per Nos excommunicatum, & excommunicatos vestris in Eccl: singulis diebus Dominicis, & Festis coram populo ad Divina audienda congregato publicetis, publicariq; ac denuntiari curetis donec à Nobis aliud habueritis in mandatis. In quorum fidem præsentes m. p. subscriptas sigillo nostro communiri jussimus. Datum Vilnæ 16. Aprilis. An: 1694. *A. C. 1695*

Constantinus Episcop. &c.

Sacra Congregatio Imunitatis habita die 16. Nov: 1694. censuit, si Sanctissimo placuerit, causam Palatini Vilnensis, inhærendo appellationi ad ejus instantiam jam admissæ, avocandam esse totaliter tam à curia Episcopi quàm à Metropolitana Gnesnensi, & suspendendum etiam omnes actus, Decreta, & sententias, quæ emanarunt tam à Curia Episcopali contra Palatinum, quàm à Metropolitana contra Episcopum in favorem Palatini: Interdicta autem, & censuras, quibus Regulares ab Episcopo suppositi fuerunt in suo pleno robore remanere debere, non solùm ob contumaciam erga eundem Episcopum ostensam, sed etiam erga mandata Sanctissimi per Tribunal Nunciaturæ prædicta Regularibus notificata; Ideoq; iniungendum Dno nuntio, vel Generalibus, aut Procuratoribus Generalibus Ordinum, ut authoritate Apostolica omninò removeant ab eorum officiis Superiores Vilnenses contumaces, declarando eos inhabiles ad alia inposterum consequenda, & privent etiam in perpetuum voce activa, & passiva, quatenus in termino dierum trium postquam illis fuerint hæc per Nunciaturam, vel per Provinciales intimata, integrè, & plenè non paruerint: Si autem paruerint, Episcopus exequatur ad illorum favorem mentem Sanctissimi ipsi significatam per litteras Eminentissimi Spadæ datas sub die septima Augusti proximè præteriti.

Et facta die sequenti 17. ejusdem mensis relatione per me Secretarium, Sanctitas sua votum Sacræ Congregationis approbavit, causam avocavit, & prædicta omnia executioni demandanda esse jussit.

ANDREAS SANCTACRUCIUS &c. cum facultate de Latere Nuntius Apostolicus &c.

Adm RR. Vener. Honorandisq; Viris, Præpositis, Parochis &c. noveritis expositum nobis fuisse pro parte Ven: Procuratoris Fiscalis Diœcesis ordinariæ Viln: & ejusdem Sedis Illustmi & Rndmi D. Brzostowski Episcopi nomine. Quomodo ad instantiam Illmi Dni Casimiri Sapieha Palatini Viln: Exercituum M. D. L. Supremi Ductoris ex causa, occasione gravaminum quorumcunq; Ecclesiæ illius bonis, & Ecclesiasticorū sæcularium, & Regularium ipsiusq; & ipsorum, verius Ecclesiæ subditis, colonis Cmethonibus ac incolis per milites operâ Illmi D. Ductoris contra expressa Canonica, & Patria Jura violenter ad stativa ordinatos, & in iisdem bonis dispositos, locatos, & ad hæc usque tempora detentos variis exquisitis modis illatorum post Canonicas plùs quàm trinas monitiones ad eadem bona suæ libertati dimittendum, & damna compen-

 san-

A.C. 1695 ſandum in perſonam prænominati Illuſt: D. Ductoris extrajudicialiter uti, & tanquam in notorio facto, & permanenti, ac prout de jure obſervatas, & præmiſſas per Eccleſias ad tenorem Bullæ Cœnæ Dñi, aliorũq; Conciliorum Generalium Provincialium pro excommunicato publicati, & denuntiati. Emin: Cardinalis Radzieiowski Archiep: Gneſnen: ad ſuum Tribunal Metropolitanum &c. ſub prætextu frivolæ, & inadmiſſibilis appellationis à publicatione prædictarum cenſurarum per Bullam Cœnæ Dñi, aliaq; Concilia generalia, tum, & conſtitut: Provinciales cõtra quoscunq;, ac cujuſcunq; Præeminentiæ, Dignitatis, Ordinis, conditionis, aut ſtatus bona Eccleſiaſtica gravantes, iisdemq; onera, & collectas imponentes latarum, ſoliq; S. Sedi Apoſtolicæ ad abſolutionem, & cognitionem reſervatarum; per Illmũ verò ac R. D. Epiſcopum Vilnen: tanquam horum executorem ab his prænominatũ Illuſt: D. Ductorem facta &c. proceſſum earundẽ cenſurarũ pro nullo declarando ſeu irritando &c: eidem Illuſt. ac Rñdmo Epiſcopo ne ſub interdicti aliisq; cenſuris, & pœnis coram ſe, ſuoq; officio Illuſt. Ductorem ratione locationis militiæ in bonis Eccleſiaſticis impeteret adverſus ipſum, proceſſus quoſcumque formaret, & rigorem cenſurarum extenderet, nulliter inhibuerit remediaque prorſus erronea, & de jure non ſubſiſtentia pro parte ejuſdem Illuſtriſſimi Domini Ductoris extradiderit, intuitu quorum juriſdictionem ſuam fundaverit, appellationem admiſerit, procedendoque ad ulteriora, & attentatorum revocationem ipſam, & procuratorem Fiſcalem citatorias novas valvis Collegiatæ Eccleſiæ Lovic. affigendo, ad idem ſuum Tribunal vocari mandaverit, de cujus proceſſus, citationum inhibitionis & aliorum actuum ab officio, & in judicio ſuæ Eminentiæ tanquam notoriè incompetenti emanatum, relaxatum, & obſervatum, nulliter coram actis ſacræ Nunciaturæ Apoſtolicæ ipſius Illuſt. ac Rndmi D. Epiſc. procuratoris exponen. nomine dictum eſt, & decretis quibuſvis, totoq; proceſſu hujuſmodi, ſi & in quantum opus fuerit, appellatum, & provocatum, & proteſtationi, appellationi ſive provocationi inſiſtendo nobis ſupplicatum fuit, *quatenus de remedijs opportunis eidem Illuſt. ac Rndmo D. Epiſcopo Viln. ac procuratori Fiſcali dictæ Sedis ordinariæ authoritate Apoſtolica providere dignaremur.* Nos igitur &c. petita juris remedia videlicet citationis compulſus, & inhibitionis relaxanda, & extradenda eſſe duximus prout eadem relaxamus, & extradimus per præſen. mandantes vobis &c. quatenus &c. perſonaliter accedentes Illuſt. D. Caſimirum Sapieha Palatinum Vilnen. exercituum M. D. L. Ductorem ſupremum, ſeu ipſius mandatarios, & aulæ prædictæ Procuratores, ſi commodè poteritis, aliàs &c. auctoritate noſtra imò verius Apoſtolica &c. ut coram nobis Tribunaliq; noſtro Apoſtolico &c. die 15 ab executione præſentium &c. compareat, & reſpectivè compareant ad videndum & audiendum appellationem à proceſſu, & decretis in cauſa pro expreſſo favore Illuſt. D. Ductoris formato, geſto, & reſpectivè latis ad nos Tribunalque noſtrum Apoſtolicum interpoſitam, ſive, & recurſum factum admitti, de ejuſdem proceſſus, & decretorum validitate, ſive invaliditate etiam per viam nullitatis cognoſci eundem, & eadem, nulla fuiſſe ac eſſe declarari &c. compellentes inſimul requirentes &c. auctoritate noſtra imò verius Apoſtolica Dominum Notarium actorum judicii, quem etiam nos compellimus &c. ut infra ſex dies &c. ſupra nominato Illuſt. ac Rndmo D. Epiſcopo Vilnen. & Procuratori Fiſcali ejuſdem Diœceſis, ſeu ipſius, & ipſorum legitimo requiſitori proceſſum, & omnia acta in cauſa, ſive decreta lata, & reſpectivè obſervatum det, tradat,

Remedia Nuncij Apoſtolici, contra nulliter prætenſam jurisdictionem Metropolitani

tradat, & consignet in forma probanti salvo suo competenti salario, sub pœna centum Imperialium, & in subsidium excomunicationis, alioquin sin secus fecerit &c. Inhibentes præterea &c. Illust. D. Palatino Viln. supremo exercituum M. D. L. Ductori, cui, ac quibus opus fuerit &c. ne ipse, & ipsi, quovis colore, prætextu aut ingenio Illust. ac Rndmũ D. Episcopũ Vilnen. & dictæ sedis ordinariæ Procuratorem Fiscalem, ac quoscunq; alios occasione processus publicationis censurarum latæ sententiæ per eundem Illust. D. Episcopum, & de ejus mandato denuntiatarum quomodocunq; sive judicialiter sive extrajudicialiter turbent, molestent, vexent, turbariq;, molestari, ac vexari, & in executionem decreta Eminen. Archiepiscopi Gnesnen. qualicunq; favore Illust. & Excellentissimi Dñi Ductoris in prætensam contumaciam Illust. ac Rndmi D. Episcopi, & procuratoris Diœcesis Vilnen. lata deducere, & deduci procurare audeat, & præsumat seu audeant, & præsumant, ac quidquam in convulsionem, & contemptum jurisdictionis nostræ, & Apostolicæ, præjudiciumq; appellationis attentet seu innovet &c. Datum Varsaviæ die 11. Junij 1694. A.C. 1693

(LS) *Franciscus Bentinus Auditor Generalis &c.*

VILNENSIS CENSURARUM.

Eminentissime & Reverendissime Domine.

INgentem summam, sub titulo Charitativi Subsidij, pro militaribus copiis, occasione præsentis belli Turcici manutenendis, annuatim, liberè, & voluntariè persolvit totus Clerus Diœcesis Vilnensis, etiam ultra vires, & Canonicam mensuram, sed illa minimè contentus Illrmus D. Sapieha Militiarum Litvaniæ Magnus Ductor, & Palatinus Vilnensis de facto alia tolerabilia gravamina cum notoria violentia adauxit, hybernas Stationes, propria auctoritate, adversùs Canonum, & Conciliorum sanctiones, ac etiam adversùs Regni Statuta, de quibus infrà, militibus assignando super Ecclesiis Parochialibus, Capitularibus, Episcopalibus, ac ferè super reliquis omnibus aliis Bonis Ecclesiasticis, cum extraordinaria summarum præscriptione, & exorbitanti taxa secundùm placitum suum, adeò ut non solùm præfata bona ad ultimam ruinam, & irreparabilem desolationem pervenerint, sed ipsa Sanctuaria thesauris suis, Auro, Argento, & S. Indumentis, omniq; decore, ob id denudata, ad deplorabilem squallorem devenerint, atq; miserabiles subditos per finitimas Provincias, desertis agris vagantes tantas calamitates plorare coegerit. *Sacra Congregatio Immunitatis.*

Quapropter Rñdmus Episc. Vilnensis, præter tot temporalium damna, Sacrificiorum Divinorumq; cessationem, ob redituum exterminationem, in sua Diœcesi aspiciens, satisfaciendo suæ pastorali solicitudini, suaviter ipse per se, ac alias medias personas, diu, & à longo tempore tractavit, ut super præteritis reparationem aliquam, ac pro futuris opportunum remedium à præfato Illrmo D. M. Ductore consequeretur, sed omni spe frustratus, cùm semper majora gravamina, & novæ extorsiones, in dies augerentur, indè sub die 22 Junij 1693 tanquam delegatus Sedis Apostolicæ contra ipsum Illmum D. Sapieha Literas Monitoriales expedivit legitimè exequutas die 27. ejusdem mensis, quibus eum monebat, & obsecrabatur, quatenus intrà 18 hebdomadas pro tribus peremptoriis terminis, & trina Canonica monitione assignatas, cessare faceret suas militares copias ab ulteriori fructuum, rerum, & bonorũ Eccle-

A.C. 1695 clesiasticorum gravamine, ac desolatione, comminando aliàs contra ipsum Censurarum declarationem *Summario num*: 1.

Quando Canonicæ monitioni, mitior Illmus D. Ductor se ostendere debebat, magis exarsit, minusq; dubitavit lædere Ecclesiasticam Immunitatẽ, urgentiores molestias multiplicando, taxas, & tributa augendo, ac liberam, atq; ampliorem dando militibus facultatem, detinendi, occupandi, & exactionandi bona, & redditus Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum Vilnensium.

In hoc Vilnensis Ecclesiæ squallore, Sacerdotum gemitu, & Christi Patrimonij ruina, idem R. Episcopus pastorali, & paterno affectu iteratas contra eundem Illm̃um D. M. Ductorem literas monitoriales expedivit sub die 14 April. 1694 eadem die legitimè exequutas, illum hortando, quatenùs infrà triduum, pro omni Canonico, & peremptorio termino invasa, capta, spoliata, & occupata, restitueret Ecclesiis, & de injuriis, damnisq; condignã emendã, & satisfactionẽ impenderet, cũ notificatione, quòd aliàs declarationẽ Incursus Censurarum juxta Canonicas Sanctiones contra ipsum, suosq; fautores, & complices publicare cogeretur, attenta maximè notorietate oppressionis, & Facti permanentis, quod nulla tergiversatione, & defensione excusari poterat *Summario num*: 2.

Sed cum neq; hæc nova monitio, quidquã profuerit crescente semper contumacia, & Ecclesiasticæ Immunitatis læsione, ac vilipendio ad illi occurrendum extremis Ecclesiasticis remediis, dum tot alia magis svavia in nihilo juvare potuerunt, R. Episcopus, sub die 19 prædicti mensis Aprilis declaravit incurrisse in excommunicationem Sum̃o Pontifici reservatam, tam ipsum Illmum D. Sapieha, quàm consulentes, mãdantes, & opem, ac auxilium præstantes, & insuper assignavit terminũ 15 dierum, Amicis, Consangvineis, & Affinibus ad reducendum ipsum ad resipiscentiam, aliàs, nisi & ipsi intra triduum abstinuerint ab ejus communicatione, in excommunicationem incursuros, nunc pro tunc eos pariter declaravit, & per totam Diœcesim, sententiam ab omnibus Ecclesiasticis etiam Regularibus publicari mandavit *Summario num*: 3.

Cum autem ferè omnes regulares sive ad complacendum Illust. D. Ductori, sive illius operâ parere recusaverint, coactus fuit Rndmus Episc. etiam contra eosdem servatis servandis censuras publicare, quas hæc sacra congregatio approbavit, & regulares prædictos ad parendum cõpellendos esse declaravit *Summario num. 4. litt. B.*

Prætendens Illmus D. Ductor post sibi intimatas ultimas litteras Monitoriales à comminata declaratione appellasse, & ob ass. suspiciones non posse adire Tribunal Illrmi Nuntii Apostolici recursum habuit ad Eminentissimum Metropolitanum Gnesnensem, à quo non minùs nulliter, quàm injustè non solùm extorsit inhibitionem prætextu ass. appellationis sub die 20. *Aprilis* 1694. & sic post publicatas, ut supra contrà ipsum censuras, ne Rndmus Ordinarius ad ulteriora procederet sub die 4. Maji intimatam, sed quod magis est censurarum suspensionem seu sublevationem per tres menses, & successivè sententiam revocatoriam censurarum, & quod pejus est condemnationem Rndmi Ordinarii in interdictum Ecclesiasticum, & expensas sub colore attentatorum, & non servatæ inhibitionis ejusdem Eminentissimi Metropolitani, ut ex eadem sententia in manibus R. P. D. Secretarij.

Ab hujusmodi iniustis procedimentis Procurator Fiscalis Curiæ Episcopalis Vilnensis, interposuit appellationem ad Illmum Nuncium Poloniæ, à quo concessæ fuerunt litteræ compulsoriales pro transportandis

dis actis à curia Eminentissimi Metropolitani, sed fuerunt ista denegata *Summario num 5.* *A.C.*1695

In his terminis delata Causa ad Sanctam Sedem Apostolicam, & hanc sacram congregationem post plures instantias ex parte Rndmi Episcopi avocata fuit sub die 16. *Novembris* 1694. causa tam à curia Rndmi Episcopi, quàm à Metropolitana Gnesnensi suspendendo omnes actus, decreta, & sententias in utraque emanatas *Summario num. 4. litt.* A. Et successivè plures fuerunt factæ diligentiæ per Illmum Nuncium Poloniæ pro sedandis congruo aliquo, & opportuno medio omnibus differentiis cum minori, quo fieri posset Ecclesiæ Viln. & Ecclesiasticæ immunitatis præjudicio, ut EE. PP. notum est, sed cum frustraneæ remanserint tot amicabiles insinuationes, & inutiles omnes tractatus, supplicamus vigore avocationis hujus causæ per hanc sacram congregationem, ut supra factæ sub dicta die 16 *Novembris proximè præteriti*, declarari tandem validè, & justè fuisse declaratum excomunicatum Illmum D. M. Ductorem, unà cùm condemnatione ad restitutionem omnium indebitè occupatorum, atque reintegrationem omnium damnorum illatorum Ecclesiæ Vilnensi, & ex inclyta justitia indubitanter obtinere speramus.

Siquidem de invasione, occupatione, usurpatione, & devastatione super fructibus, & bonis Ecclesiasticis totius Episcopatus Viln. pertinaciter, & per longum tempus lacrimabiliter peracta non adest hæsitatio aliqua, cum sit res notoria, & satis probata ex datis in sumario aliisq; in manibus Illust. Domini Secretarii; & per consequens nec videtur dubitandum Superiorem seu Officialem, qualis est Illust. D. M. Ductor, de cujus mandato, ordine & causa hujusmodi exactiones & usurpationes in Ecclesiis, & in Ecclesiasticis bonis, peractæ fuere, sententiam excommunicationis ipso jure incurrisse, tam ex dispositione sacrorum Canonum *in cap. Clericis de immunitat. Eccles. cap. noverit de sentent. excommunicat cap. quanquam de censibus in sexto Clement. quoniam de immunitat. Quam ex tenore Bullæ Cœnæ Domini* §. 18 ibique *Duard. quæst. num. 1. & seqq. Gonzal. in cap. non minùs num. 6. & in cap. adversùs num. 2. de immunitat. Eccles.* ubi plura concilia colligit *Sanchez consil. moral. tom. 1. lib. 2 cap. 4. consil. 49 in princ. Guttierez de Gabell. quæst. 92. num. 22. Navarr. in manual. cap. 27. num. 128 Suarez de censur. Disputat. 21. de excomunicat. Papæ reservat. in Bull. Cœn. Domin. num 99. & seqq. Popeus de libertat. Ecclesiast. cap. 5 sub num.* 1 *& cap. 25 num.* 1.

Nihil penitùs excusantibus publici belli necessitatibus, quia ob istas iam Ecclesiastici hujus Diœcesis piè, & exactè annuatim contribuebant, & proindè non debebant defacto, & violenter adaugeri eidem Diœcesi, militum stationes atque aliæ intolerabiles extorsiones, de quibus supra, cum tamen præscindendo quoque ab adeò notissima violentia Domini Magni Ductoris, & figurando necessitatem cogendi Ecclesias, & Ecclesiasticos ad contribuendum, ob Laicorum deficientes facultates, adhuc inevitabilis fuisset incursus in excommunicationem, quia innodatur illicò potestas Laica ita exigens, & extorquens propria auctoritate, & Brachio contra Ecclesias, & Ecclesiasticos invito Episcopo, & inconsultò sumo Pontifice, ut sancitum habetur *in cap. non minùs 4 & cap. ad versus 7. de immunit. Eccles. Gonzalez in dicto cap. non minùs num. 15. Ubames consil. Canon. 518. num. 3. tom. 2. Pereir. de man. Reg par. 2 cap. 38. num. 1 & 2 Fragos. de Regim. Reip. Christian. tom. 1 lib. 2 disputat. 4. §. membr. 1. num. 332. Duard. ad Bull. Cœn. Domin. dicto Canon. 18. quæst. 3.*

sub

A. C. 1695 *sub num. 2. Rugel. in summ. Iur. Canonic. lib. 3 tit. 49. §. 2. sub num. 28.*

Quod magis damnabile ostenditur in subjecto casu, in quo nullæ supervenerunt improvisæ, inopinatæ urgentiæ, nulla cum temporis angustia pericula, ob quæ tempus non superesset consulendi Sum̃um Pontificem, sed omnia exequi fecit, reiteratè, & pluribus vicibus ex proprio impetu, proprio arbitrio, & absoluta voluntate ipsemet D. M. Ductor; Quandoquidem etiam vrgentijs hujusmodi improvisis supervenientibus non possunt gravari Ecclesiæ, Ecclesiasticorumque bona à potestate Laica, nisi interveniente saltem Episcoporum consensu, cum reservatione consensus Papæ, ut tradunt *Abb. Panormitan. in dicto cap. adversus num. 19. Vuames dicto consil 518. sub num. 4. Duard. in dicto Canon. 18. quæst. 3. sub num. 2 versic. quod verum est.* Vel si Episcopi renuunt, nisi cum obligatione Sæcularis potestatis resarciendi Ecclesijs omnia, quæ abstulerunt, ad tradita apud *Fragos. de Regimin. Reip. Christian. dicto §. 4. membr. 1 num. 335.* Quarum Canonicarum cautelarum nulla servata fuit in casu nostro, imò omnes spretæ, & elusæ remanserunt.

Magisque impetuosus, & aversus animus Illmi. D.M. Ductoris, detectus fuit eo quia Ecclesiæ, & Ecclesiastici Vilnensis Diœcesis exempti, & im̃unes à quibuslibet contributionibus, & oneribus sunt in casu Belli, ex Sanctionibus plurium pijssimorum Poloniæ Regum, nempè *Vladislai, Iageli, Casimiri tertij, Boleslai, Venceslai* aliorumque, *Summario num. 6.* atq; etiam Serenissimi, ac gloriosissimi moderni *Regis Joannis III.* nunc fæliciter Regnantis sub data 15 Decembris 1678. quæ omnia Privilegia, & sanctiones insinuata, & relata fuere in ipsis litteris monitorialibus Illmo D. M. Ductori præsentatis, *Summario dicto num. 1. 2. &* Et enim ex hoc capite, si etiam tot Canones, & Concilia juri quoq; Divino innixa, pro immunitate non clamarent, urgerent pro adeo detestabili violatione reparanda ipsæ præfatæ Regum Sanctiones, & Laicalia privilegia, quæ ubi semel concessa fuere Ecclesijs, & Ecclesiasticis & sic non subditis, non potuere amplius citra læsionem immunitatis revocari, seu non attendi ab Officiali, vel Superiore Laico, & quocunq; alio Successore, *Uvagnereck in dicto cap. adversus verb. Constit. & sententia erga finem de immunit. Eccles. Popeus de libertatib. Eccles. cap. 3 num. 5. & cap. 6. §. 2. núm. 2. Uvames consil. canon. 518. sub num. 6. versic quæ in proposito tom. 2.* ubi in terminis concessionis immunitatis factæ à Regia Catholica Majestate.

Absque eo, quòd figurari valeat contraria consvetudo, & observantia centenaria, & ultra, quia per ea, quæ adduci possent circa illius insubsistentiam, & deficientiam Requisitorum, dirimitur ex recenti prænarrata concessione Im̃unitatis facta ab invictissimo vivente Rege, alijsq; suis Antecessoribus; & quòd fortius est, & sublatis quoque hisce concessionibus, semper stant, semper loquuntur pro Immunitate Canones, Concilia, & Sum̃orum Pontificum Constitutiones, adversus quæ Iure nõ admittitur in proposito quævis consvetudo, & contraria observantia, etiamsi centenaria, quinimò im̃emorabilis cum semper dicatur irrita in radice *Uvames dicto consil. 518. sub dicto num. 6.* ubi quia esset contra jus divinum, & humanum, *Cened. in collectan. canon. par. 1 collectan. 57. versic. Quod adeo verum est, Engel. in summ. Iur. Canonic. lib. 3 tit. 49. sub num. 29 versic. Quares quinto, Rota decis. 159. numer. 4 & seqq. par. 7. recent.* ubi quod ista est opinio nedum Doctorum Italorum, sed etiam Ultramontannrum.

Tantoq; fortius Excommonicatio sustineri debet, & infligi in Illustr. D. M.

D. M. Ductorem, quia ejus pertinacia, & contumacia, quinimò spretus *A. C. 1695*
manifestus S. Canonum, & Ecclesiasticæ Immunitatis, fuit apud eum inexcusabilis, dum exactionibus, invasionibus, & depopulationibus in Ecclesiasticos, atq; in bonis Ecclesiarum patratis, esset ipso Jure excomunicatus ut supra diximus, & adhuc R. Episcopus, mitius agendo, curavit amicabiliter illum monere, ut se abstineret, & remedium porrigeret, quod satis fuisset etiam in casu, quo monitio fuisset de jure necessaria, quia monitio in causa publici Boni, fieri potest ab Ordinario ex officio, etiam sine scripto, cum sufficiat ita fieri, ut ad Reum ejus notitia pervenire possit ex optimè notatis per *Wagnerck in cap. spero 48 sub notab. 4. de sent: Excommunicat.* Et ultra has privatas, & extrajudiciales Insinuationes in cassum factas, devenit ad reiteratas monitoriales literas, cum terminorum assignatione, *ut in dicto Summario num. 1 & 2.* Quando Prælati etiam Canonica monitione non præmissa possunt excommunicare, ubi ipsum jus ut in casu, talem sententiam fulminat, nam judex nihil dicitur tunc facere, sed solùm declarare, aut promulgare sententiam à Canone latam, juxta expressum *textum in c. reprehensibilis 26 de appellat.* ibiq; communiter Canonistæ; *c. 1. de Pœn. in 6.* & relatis cæteris antiquioribus *Pignatell. consultat. Canon: 170 n. 8* ubi sive agatur contra Principem, sive contra Magistratum *tom. 1. & consultat: 128 n. 6.* ubi quod est communis sententia Canonistarum, Theol: & S. Congregationis *tom: 4 Card: de Luc. de Jurud. discurs. 29 per tot. & disc. 47 n. 3. & in Annotat. ad S. Concilium disc: 43 n. 3 Panimoll. decis. 96 n.* 20 ubi in specie in casu violatæ Immunitatis.

Neq; excommunicationis incursus discolorari valet ex appellatione interposita, seu recursu habito ab Illmo D. M. Ductore ad Eminent: D. Card. Metropolitanum Gnesn: ut supra, à quo absolutionem, & sententiam revocatoriam Censurarum reportavit; Quoniam ubi agitur de excommunicatione ab Ordinario declarata ex causa violationis Immunitatis & libertatis Ecclesiasticæ, non potest à Metropolitano aliquo, vel alio quocunq; Judice absolutio impendi, nec appellatio, aut inhibitio cũ suspensione in procedendo relaxari, multoque minus super censuris cognosci, & sententiari, nam hæc pertinent ad solam Sedem Apostolicam, & ad hanc S. Congregationem, juxta notissima principia, & testatur quoq; modernus Petrus Antonius ab Alexandro Episcopus S. Marci *Placit. Judicial. par. 1. Placit 56. sub n. 30 v. non demum obstat, & Aluar. Pegas de compet. Jurisd. inter Archiepisc: & Nuncium Apostol: par. 1 c. 53 n. 3 Nicol. in floscul. verb. Metropolitanus n. 2 Barbos. de potest. Episc. par. 3 allegat. 50 n. 8. & seqq. cum vulgat.*

Et hinc nulla potest subesse difficultas pro revocatione sententiæ latæ ab eodem Eñmo Metropolitano Gnesn: sive potius declaratione illius manifestæ nullitatis tam ex defectu notorio Jurisdictionis, quàm Ordinis Judiciarij, atq; ex concursu injustitiæ, ita ut superfluum sit diffundi ad hæc probandum, & respondendum motivis quibus innititur, quæ ex supra deductis, & ex ipsa lectura satis dignoscuntur insubsistentia: Eoq; magis necessaria est illius revocatio, dum condemnat tanquam incursum in Interdictum Ecclesiasticum, & ad damna, & expensas R. Episcopum, qui admplevit suum Pastorale officium, prætextu attentorum ob non servatam ass. Inhibitionem à Curia Metropolitana relaxatam 20 *Aprilis* 1694 post declaratas Censuras contra Illmum M. Ductorē *die 18 ejusdem* ob illarum successivam in Ecclesiis publicationem, quando eadem Inhibitio tanquam manifesto defectu Jurisdictionis laborans,

&

A.C. 1695 & ipso jure nulla, nullo modo merebatur attendi ex supra allegatis.

Minusq; juvare potest appellatio ad S. Sedem extrajudicialiter per Illmum M. Ducem, ut asseritur interposita ante declarationem Censurarum, tum quia eadem usus non fuit prætextu suspicionis Tribunalis Illmi Nuncij Apostolici, ut refertur in ipsamet sententia Eñmi Metropolitani, sed ad eandem Curiam Metropolitanam pro alia Appellatione convolavit, tum quia appellatio quæcunq; non suspendit, neq; impedit declarationem incursus Censurarum à jure latarum præsertim in facto notorio, & quando dignoscitur frivola, & sine justa causa interposita ad denegandam, vel protrahendam reintegrationem læsæ immunttatis *cap. Pastorali § Verum quia, & cap. quia nos ubi gloss. de appellat. Sperell. decis. 48 n. 39 & seqq. par. 1 Panimoll. decis. 96 annot. 2 n. 9 & 10*

Prout nihil vrget quòd ad declarationem incursus Censurarum deventum fuerit ipso Illmo D. M. Duce non citato ad sententiam, nec factis servatis servandis probationibus, quia in facto notorio, & permanenti nullus processus, nulla probatio, aut juris solemnitas est necessaria, prout non est necessaria citatio pro declaratione Censurarum à jure, & Bulla Cœnæ illatarum maximè quando, ut in casu nostro ad illam per Ordinarium deventum non fuit servata tela Iudiciaria, sed extraiudicialiter (ut legitur in ipsamet sententia Eminentissimi Metropolitani) gerendo vices simplicis Denunciatoris, & faciendo se potius partem, quàm Iudicem pro tuenda, reparanda, & reintegranda im̃unitate Ecclesiastica ex adverso graviter læsa *ad text. in cap. dilecto de sentent. excommunic in* 6 cum ibi notatis per Innocentium aliosque scribentes *idem Innocentius in cap. Venerabili de censib. num. 5. Fagnan. in cap. Procurationes eodem tit. num. 28. & seqq. & in cap. non potest de senten & re Iudic.* Et pro legitima declaratione incursus Censurarum superabundavit replicata munitio Paterno affectu, & pastorali providentia per Rndmũ Episc. facta Illust. D. M. Ductori, ut ab ulteriori invasione Bonorum Ecclesiæ, & læsione immunitatis Ecclesiasticæ abstineret sub com̃inatione declarationis incursus Censurarum, *Summario num.* 1. & 2. quæ sicut inexcusabilem contumaciam Illust. D. Ducis demonstrant ita solidiorem reddunt validitatem, & justitiam subsequutæ declarationis Censurarum, *Card. de Luca de Iurisdict. dicto disc. 48 nu. 9 & seqq. & in Miscellan. Eccles. disc. 14 nu. 8 Sperell. dicta decis. 48 nu. 13 & seqq. cum alijs supra allegat. In §. Tantoque fortius &c*

Sed cessat penitus quælibet mendicata excusatio, & coloratus prætextus, nam hodie sumus coram hac Sacra Congregatione, quæ ad se avocavit plenariam hujus causæ censurarum cognitionem, *Summario nu. 4* Ideoq; cum in ea latius constet de indebitis exactionibus, occupationibus, ac desolationibus, fructuum, & Bonorum Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum, propria auctoritate, & vi militari pluries, atque pluries, & permanenter factis, etiam post sæpè reiteratas monitiones; Indè excom̃unicationis declaratio facta à Rrdmo. Ordinario, etiamsi esset per modum discurs⁹ nulla tamen, quia evenit ob delictũ facti permanentis, & non transeuntis, pro quo delinquẽs est notoriè excom̃unicat⁹ excom̃unicatione ipso jure inflicta non est revocanda, sed citra dubium aliquód confirmanda ex ea ratione, quód excom̃unicatio quamvis nulla, non revocatur, quando si non esset lata, adhuc esset ferenda, *Wagnereck in cap. Sacro 48. notabil 4. in fine de sentent Excommunicat. Pignatell. consultat. canon. 128 nu. 9 tom. 4 Panimoll. decis. 49 nu. 10* ubi ita resolvisse etiam Sacram Congregationẽ Episcoporum & Regularium, quamvis probatio facta fuerit ex post. Vana demum est excusatio tot violationum in militibus refusiva, quia stationes

tiones repartitæ, Taxæ iniunctæ, exactiones per vim factæ, atque pertinacia, & permanentia post tot preces à Rndmo Episcopo frustra emissas eidem Illmo D. M. Ductori, atq; notorietas ipsa facti, satis ostendunt ejus jussus, & non amplius in dubio revocabilem ejus imperantem voluntatem ob quam in excomunicationem incurrit, etiamsi utilitas principaliter ad Remp. seu alios spectaret, ut inquit doctissimus *Gonzal. in dicto cap. adversus in fine de Immunit. Eccles.* *A.C. 1695*

Succurrant itaq; EE. PP. adeò deplorabili casui, & scandalosæ violationi Imunitatis Ecclesiasticæ cum desolatione totius Diœcesis Vilnensis patratæ, ne tale factum impunitum remaneat, & indulgentiæ exemplum trahat Laicos Officiales, & militum Ductores in nova attentata, & violationes, etiam super alijs Diœcesibus prout timetur; & benignè patiantur Rndmũ Episcopum exinde in extremis calamitatibus redactũ, atq; à sua Diœcesi exulantem, non sui vindictam petere, ad injuriarũ, & damnorum toti Ordini Clericali inflictorum reparationem exposcere, quibus renunciare non valet, ut latissimè ostendit *Francez. variar resolut: cap. 1 nu. 42 usque ad 46.* Quare &c.

Ant. Maria de Becchettis Advoc.
Ioseph de Cappuccinis.

LITERÆ EPISCOPI SAMOGITIÆ AD CARDINALEM PRIMATEM. 26 Octobris.

Querela de violentia.

ETsi per adversam valetudinem separatus à publicis negotiis, exinde vix non oblivioni traditum me existimare possem; tuæ tamen Eminentiæ gratia & affectus id facit; ut me in recente apud te memoria esse non dubitem. Innotuit atrox facinus ex Comitiolis Ducatûs Samogitiæ, violentæ scilicet injectæ manus personæ Pastoris sui, & opprobria ad saturitatem congesta; unde experimur, sera medicina malorum, quia noluimus sentire gravem oppressionem confratris nostri Viln. Episcopi; nunc tanquam sagittæ de pharetra sigillatim de Collegio Episcoporum eximimur; ut facilius frangamur, ut unà cum immunitatibus Ecclesiæ pereamus. Proinde quemadmodum Eminen. tua sibi vendicat Primatum Collegij nostri ex Primatiali dignitate; ita etiã tuæ curæ & protectioni subest Episcopalem & Senatorium concussum vindicare honorem ex ratione potissimùm: quòd nec amicitiâ nec authoritate in futurum demulcere poteris; si indies atrociores reddentur per concussas leges Patriæ, nec Regem, nec legem metuentes. Quid jã amplius restat, nisi ut caput regnantis petatur, dum defensor Mtis Senatus opprimitur: quid ad sublatam æqualitatem? dum tantùm inter paucos & selectos sub specie boni publici consilia domestica formantur, quibus universitatis libertas & æqualitas subvertitur, postponiturq;; Comitia generalia sub incude & malleo, Comitiola sub frameis peraguntur, nemoq; reperitur nocens, quia faciem veritatis inspicere nolumus: nec ij, quos DEus posuit in via veritatis, eam docent. Ibunt in memoriam tempora, transmittemusq; mala nepotibus nostris; quòd nullam eorum curaverimus abolitionem, boniq; integritatem, nos ipsos contemptui habuerims antiquo more Senatorum procul remoti, nihil ad invicem cõferendo, deq; avertendis malis consulendo. Faxit DEus! ut una mens tantæ molis sit capax, cæterosq; in obsequium sui trahat, eveniantque bona ex optimè consultis tuis, quæ nobis per consummatam tuæ Eminentiæ non vanè pollicemur prudentiam; cujus auxilium Primatiale in hoc recenti casu imploramus: ne des in opprobrium Collegium Episcopo-

A.C. 1695 porum, in quo ut tibi ipse DEus suæq; Ecclesiæ assistat, & cor tuum adversùs persecutores Ecclesiæ reddat informidabile, vota nostra nuncupabimus, purpuram Eminentiæ tuæ deosculando maneo &c.

COPIA LITERARUM EPISCOPI SAMOGITIÆ AD EPISCOPUM PLOCENSEM 16 Octobr.

Querela de violentia

QUamvìs nos sacra fides doceat, nec aliter procedere liceat; nisi ut privatas injurias nostras in vulneribus Christi recondamus; nihilominùs damna gloriæ divinæ & enormes læsiones statûs Ecclesiastici dissimulandas esse nonnisi impietas senserit. Quocirca tristi querimonia teneritudinem fraternæ charitatis tuæ nolo lancinare, nec opprobriis in me ex suggestu Palatini Vilnensis & asseclarum ejus compositis vulnerare; id solummodò defero quod est nocivum bono publico & immunitati Ecclesiasticæ; quòd jam 3tia Comitiola Rosienis cruenta absolvantur: prima Ante-comitialia habuerunt militem tectum, qui postmodum innatans sangvine nobilium comitiis totius Reipub. jacturam & infelicem attulit exitum. In secundis Comitiolis electionis officialium terrestrium sub assistentiæ Palatino Vilnensi nomine, vexilla misero oppido eidem cum magna pauperum ruina, igne & ense crudelia reliquerunt vestigia. Nunc immediatè in Deputatorum Comitiolis ductu Dapiferi M. D. L. major pars exercitûs Litvani, ac si certatura esset cum capitalissimo Patriæ hoste in acie comparuit eâ intentione; ut liberæ vocis activitas sisteretur, sangvisque innocens funderetur. Et quia noluimus cum exercitu Comitiola absolvere; globis & frameis in nos actum est; ac aliquot Nobilium intra septa circuli perempti fuêre. Quo factum est, ut publica securitas toties violata in societatem pertraheret Ecclesiasticas im̃unitates, quando me ipsum necessitate legis Patriæ & Constitutionum Synodalium ad comitiola delatum, inque eis comparentem, sicaria manus assistentium Dapifero & adhærentium eidem post multos insultus in honorem & honestatem Nobilitarem, demùm gutture arreptum strangulare est ausa, & si non melioris pietatis quidam ex ipsâ illa farina me salvâssent, compassiq; Innocenti suo interventu subvenissent; indubiè innocens pro grege victima cecidissem. Quare pando tibi dolorem meum; ut ex consilio tuo erudiri valeam, qualiter mihi procedendum sit, præsertim quòd bona Ecclesiastica desolata sint: tenendáne est præscripta methodus in utroq; casu per constitutiones provinciales? nam verè antecedenter mente divinitùs præsciâ in congressu promulgatæ cum Episcopo Vilnensi complanationis deprecabar odia sine occasione concepta per instantiam Srmæ Reginæ, Eminentissimi Cardinalis Primatis, totiusq; Collegij Episcopalis tum temporis congregati; volendo etiam resignatione Episcopatûs, Diœcesis meæ redimere vexam: verùm in cassum cessêre conatus: arripui deinde precarij & supplicis habitum, supplicemq; scripsi libellum, remorsumque conscientiæ Palatini Viln. pulsavi; verùm ne responso quidem ipsi me dignari libuit. Supplicationes deinde ad DEum intuitu diffidentiarum & affectuum in diversa abreptorum Magnatum Reipub. nostræ indixi in Diœcesi mea, ut concordiam & pacem, quam solus tribuere potest, impertiri dignaretur DEus: verùm & earum processus à valvis Ecclesiarum cum scandalo populi avulsi & dilacerati fuêre. Siquidem igitur dolorem supra dolorem inferendo insignia ejusdem novum semper inferunt luctum, nec causas legere permittunt; eripiunt lacrymas, non consolando, sed minando: ignarus quid amplius in hoc statu Ecclesiæ & af-

flictis-

fli̧ctissimi M. D. L. faciendum sit peto consilium, imploro auxilium, meque ipsum cum obsequiis meis tuæ gratiæ, compassioni & protectioni comendo. *A. C. 1695*

CVII.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISCOPUS PLOCENSIS EPISCOPO SAMOGITIÆ 26 Octobris.

NON ita Diœcesibus discreti sumus, ut ceu insensati Galatæ siccis oculis eventus tragicos, quos militaris M. D. L. licentiæ producit scena, intueamur. Ecclesiæ Dei oppressæ, Episcopis animarum & in personis illorum Dei viventis characteri violato non compati nefas est. Grande sæcularium crimen est; quòd Episcopos tam acerbè vexent, quibus dictum: qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. Non igitur tibi compatior. sed Salvatori meo: tibi autem gratulor, quòd dignus inventus sis pro nomine JESU contumeliam pati. Quid tandem tibi consilii dem? non video. Sacri duntaxat Canones mihi succurrunt, qui non tantùm regulæ Sacerdotum sunt, sed etiam à toto universo Christiano receptæ leges. Primò recurrendum ad Metropolitanum; ut suffragia nostra super hoc per literas requirat, & decernat: secundò ad Mtem, in qua unicum habemus asylum protectionis circa interesse status Regii & participum characteris nostri. Succumbentibus Episcopis actum de Majestate. Excrescente imperiositate, quid in humanis tutum, quid securum? *3tium* & supremum remedium ad DEum confugiendum, in cujus potestate sunt omnium jura, tandem ad Vicarium Dei sum̄um Pontificem, qui & Regem satis adhuc ferventem pro amore justitiæ ampliùs uti in tua sic & in Vilnensi causa accendere potest, & Cardinali addere calcar & hoc notatu dignum &c. *Consilium circa violentiam*

COPIA LITERARUM REGIS Ad PALATINUM VILNENSEM & alios Villanoviæ 21. Octobris.

SI tantum in potestate nostra foret; quantum in votis est & continua solicitudine: pridem extingvi potuissent in M. D. Lit. inceptæ ex occasione consistentiarum in bonis Ecclesiasticis, postmodum etiam auctæ per mortem Principis Radiviliæ Palatinæ Rheni diffidentiæ. Nam optantes id ex intimis visceribus, prout in antecessum studuimus componendis aversis à se mutuò animis ita, & modò hoc unicum agere videmur, nullâ à partibus provocati prece, sed proprio motu pretio quietis; quatenùs consilijs & necessitatibus publicis expediremus viam. Posthabitis enim rationibus valetudinis nostræ, quæ suadebant omninò post assiduos labores translationem ad tempus in auram nativi solis, hic nostram fiximus residentiam; & quàm primùm finitæ fuerunt, imò etiam non exspectato fine omnium Legationum ex Comitiolis, ex nunc ad Senatores tam vicinos, quàm in expeditione bellica existentes scripsimus. Optamus præteritorum Comitiorum obstaculum plenè removere, discordantes scilicet animos; quod si plenè fieri non poterit, ut saltem media aliqua inveniantur; quorum quædam ibi nominavimus desiderantes, ut quisq; quàm optimum modum ex sensu suo porrigat certus, à nobis quisquis ille fuerit, pro sacro acceptandum; dummodò partibus satisfaciat. In *Complanationem suadet*

A. C. 1695 responsis verò dum jam ab omnibus planè recipimus animum huic nostræ impensæ applicationi gratissimum; quia tamen magis vota quàm media pacificationis illa explicant; ægerrimè id desideria nostra afficit, nullatenùs nihilominus de solicitudine nostra remittimus, aut spe & fiducia in gratia DEI; qui uti ad tempus permisit jam per gemina Comitia eam confusionem statûs nostri; ita imposterùm gloriosè eam auferet, infundetq; in corda plus amoris erga pereuntem Patriam, quàm apprehensionis quorundam disgustuum, qui omnes curato publico per se cessare possunt. Considerandum enim est non tantùm id; quòd omnia prorsus desinant media & vires defensionis; sed etiam quòd potentia Turcica ipso Imperatore Turcarū & Hano Duce conversa in terras Transylvaniæ & in itinere recentissimo successu, Lipâ Tituloq; receptis, ut scribunt, confinijs nostris appropinquat sedem belli hic fixurus ita; ut jam ab illa non nisi diei unius itinere aut aliquot horarum distemus, nec hostis multum attendet, quis potissimùm primitùs vincendus, frangendusq; Colligatorum sit? certò eò convertet arma, ubi faciliùs potest extendere metum, & victorias numerare. Quocirca ipsi ultrò tuam dilectionem compellamus, non tantùm offerendo jam ante publicatam hac in caussa solicitudinē nostram; sed etiam pandendo & effundēdo ea omnia, quæcunq; versus in bonū publicum zelus excogitare potest, vicissimq; exigimus & per amorem Patriæ, per conservationem illius à ruina, & per eum ipsum in cujus manibus pax & victoria est, te obligamus; ut tanquam principalis pars in præsenti dissidiorum statu ita prætensiones & dolores tuos modereris; ut facilior aditus ad optatam aperiatur concordiam, & ad ea accedas media; quibus altera pars annuere possit, vel saltem si (avertat Deus) plenus effectus privatis negaretur, saltē ad publica negotia & interesse referetur via. Quàm primùm igitur dilectio tua de hoc sensum & inclinationem suam sincerè pandet, simulq; aptum tempus & diem pro complanatione intimabit, ex tunc invitare, qui mediare nomine & authoritate nostrâ possint, dignabimur, impenséq; nos ipsi applicabimus, quantum in nobis erit; ut redeat in civium præcordia dulcis amor & unio. Expectamus sub hæc quàm citissimum responsum, optamusq; à DEo bonam valetudinem &c.

Similes literæ fuerunt ad Episcopum Vilnensem, Principes Radivilos Cancellarium & Procancellarium, Thesaurariumq; M. D. L.

COPIA LITERARUM REGIS AD HIERONYMUM LUBOMIRSKI Supremum Regni Thesaurarium Vilanov: 1. 7bris.

Cessionem bonorum urget à Mareschalco.

TAm justus dolor Principissæ Mareschalcæ Regni, nostræ ex sorore Neptis, prius nobis ore famæ, quàm querelis, debitoq; ad nos recursu est delatus; quem cum infamiæ abolendæ caussâ aliquot mensium intervallo, privatos inter parietes modestè ferens, amoreq; honesti malens injuriam pati, quàm delatione ulcisci; suis pressis-

pressisset in præcordijs, omnes interim adhibens sine diffamatione, A.C.1695
modos; quibus, licet tam publicum scandalum, privatim corrigi, & aboleri possit; extra suæ domûs limen non efferens tam grandem ignominiam, nec valens amplius dissimulare, doloremq́; quem graviorem pudor faciebat, continere; te ipsum, velut proximo, curiæ Regni Mareschalco junctum sangvine, postulavit; quatenus decus tuæ domûs tuendo, illa venires in limina, in quibus, quidquid liberet, pro licito erat, ibiq́; dolenda, & erubescenda, tuis spectans oculis, deduceres enormitatem inauditi hactenus in Polonia facinoris, aliquodve remedium supprimendo in herba malo adinvenires. Allaborâsti, velut magnus in Repub: vir, & honesti amans, nostiq́; optimè, quidquid è tuo, & Episcopi Cracoviensis, velut Pastoris Partiũ, ob magnitudinem mali, & difficultatem remedij, esse potuit ad facilitandam causam, ex parte Principissæ nihil vel negatum vel intermissum esse; Verùm sicut vigilans Pastor, contempta consors; ita tu zelosè circa domûs conservationem agens elusi estis; quæ notiora sunt, quàm ut exponantur. Quid plura? loco resipiscentiæ de genere in genus disgustuum, insolentiarum, publicæq́; licentiæ ruens; non reconciliationis modo, sed nec melioris mentis spem relinquit; quando non contentus tantâ ignominiâ; proprio ausu, sine Ecclesiæ authoritate, factâ thori separatione, in publico vivens adulterio, in majorem aggravationem, & oppressionem, bona Principissæ invadit, illaq́; more Gverrico populatur. Ubi igitur nec tua interpositio, nec familiaris, nostro nomine, per domesticam confidentem Succamerariam Lublin. quidquam profuit expostulatio; ubi suam Principissa cernit nihil proficere patientiam, ne graviora, tanquam ex facili toleranti, profluant mala; recurrit ad nos, qui nulli oppresso Regiam subtrahere novimus protectionem, lacrymis magìs, quàm verbis inenarrabiles dolores exprimens, nec sibi tantùm, verùm etiam proli, in præsens, & futurum cupiens providere. Quapropter non licuit nobis causam imprimis DEi, deinde patrias leges, similia crimina acriter punientes; & deniq́; tam proximi sangvinis nostri patrocinium deserere, imò conveniret, ad mensuram delicti, sine respectu talia suggerere oppresso sangvini nostro remedia, qualia leges ipsæ porrigunt: Verùm quia visum est nobis, hunc adhuc ultimum tentare gradum, extraneos ad id non adsciscendo homines; te, velut bene rei gnarum abhibere, quatenus ultima hac vice convenias Mareschalcum illiq́; nostro nomine claris terminis, sine involucris deferas, verba nobis non suppetere; quibus exprimamus attonitum dolorem nostrum, super tam turpi, enormi, & detestando facto. Ministeria, quæ ex affectu nostro in eam domum, superato ex ratione tenerioris ætatis, scrupulo, ejus manibus concredidimus, eo fine in hac Patria sunt instituta; ut delicta, & crimina castigarent; at ille ex legis Executore fit Perversor Scripturæ S. & historiarum exempla complura docent, pro uno privato de-

 licto

A.C. 1695 licto, Regna integra grandes justitiæ Divinæ dedisse pœnas: Hic cū publica persona tam inclytæ domûs, officij, & ministerij, tam publici, postposito timore DEi, & honoris amore, nec castè, nec cautè, cū tanto scandalo vivat, quomodo ultio DEi timenda non sit? quomodo (si civilia media non successerint) non descendendum ad executionem legum, fortissimis etiam formidandarum? Acceptam ex tam illustri, nobisq; per proximam Colligationem conjuncta prosapia, tam insignis fortunæ consortem, (ut præteritæ, quas pudor revocare vetat, silentio transeantur calumniæ) cùm tanto contemptu repudiare; Virginem ex Gynecæo per vim rapere, eiq; publicè summo cum scandalo cohabitare; extrema mala, semper in deterius mutare; an non hæc implorat à DEo & lege vindictam? Tribuit DEus tam ingenuam, tantæq; spei sobolem, nec tamen sui, ejusq; honoris respectum habere, hominisne est prædîti ratione? Ministrum status, Mareschalcum, in publico vivere adulterio, ulteriorne, Divinis, Patriisq; condemnantibus legibus patietur dissimulatio? Quapropter non exaggerando verbis dolorem nostrum, qui, tum ob publicam totius Regni, tum ob privatam nostri sangvinis injuriam, cordis ima penetrat, præmissa quæstione: Quousq; tandem? simpliciter declaramus; quòd, siquidem Principissa neptis nostra, absolutè, prævia matura deliberatione, nobis protestata est, cum firma, & immutabili resolutione, à se amplius Mareschalcum tolerari non posse; nec nos ad id eam obligare volumus, imò ob respectum valetudinis, quæ in similibus occasionibus secura non est, licet non sine grandi animi dolore super insolenti, in tantis domibus facto, consentimus. Bona verò propria, ut in disordine dissipentur, aut complicibus delictorum in distributionem cedant, cum summa posteritatis injuria; sicut illa penitus pati, ita nequimus connivere: Unde, ut eis exnunc Mareschalcus cedat, nec ullum ad ea deinceps prætendat interesse, sed ut plenè Principissæ, velut ejus propria, subsint dispositioni, innata tua evinces dexteritate. Porrò, quia ob respectum domûs, tamq; insignium pignorum, quorum honori, & fortunæ consulendum duximus, publica separatio per strepitum juris, non sine nota esset nominis, cum acta & scripta publica perpetuitatem sapiant, ex amicorum consilio scriptū mittimus, quod à partibus subscriptum, eundē habebit valorem, quem publicum judicatum; ad quod post expressum dolorem nostrum, quo intrinsecus tangimur, ut subscriptionem obtineas, impensè requirimus. Quòd si (quod futurum non credimus) tam supina & pertinax fuerit contumacia, ut bonis Principissæ exnunc cedere nolit, ut sibi aliquam ad ea relinquat prætensionem, aut scriptum hoc non subscribat, illudq; strictè non observet; nos quoq; affectu illo, quem erga domum, Parentes, Personamq; ejus habuimus, mutato, litem ordienti, & prosequenti nepti nostræ in foro spirituali, & sæculari assistemus. Quæ omnia pro zelo in domum tuam;

tuam; pro matura & consummata expones prudentia, concludesq; ad mentem rationis, & justitiæ; nos interim laborem hunc, & applicationem inter singularia de nobis recensebimus merita; expectãtes Cathegoricum, summa cum impatientia responsum, ex quo ulteriora, in rem Principissæ, bonorum ejus conservationem ordinemus consilia: nunc bonam tibi à DEo precamur valetudinem. A. C. 1695

Consilium, quod daturus erat ex nexu & obligatione Juramenti Senatorii, in comitiis præteritis Varsaviensibus non consummatis, Illustrissimus Stanislaus Swięcicki Episcopus Chelmensis, Abbas Lubienensis, luci publicæ datum pro informatione ordinum Reipublicæ.

AD tam infelices terminos redactâ Repub. & armis consilioq; per toties rupta lacrymando fato comitia destitutâ; hosti autem libero ad latè grassandum, prædasq; de miserando populo agendas aperto campo, visum mihi est consilium, quod in Comitiis dicturus eram, si ea inchoari contigisset, publicæ luci tradere. Et imprimis de eo acturus eram; quàm pensi vota & consilia Senatorum habeantur ab Equestri Ordine; ac si illa duntaxat forent declamationes. Olim propositâ à throno materiâ Comitiis serviente, præmissis præmittendis (uti leges docent) dabant vota & sententias suas Senatores per respectum: quia Senatus à senibus dictus; tum quia quemcunq; vicaria DEI manus ex ordinatione Divina in hac constituerit statione, ei cœlitus specialis submittitur Angelus, qui illi subministret media, quatenùs competenter officio suo respondere & satisfacere possit. Hinc primi in sententiis dicendis erant Senatores; ut Equestris Ordo, auditis ab intermedio hoc ordine consiliis, & rationibus, faciliùs ad popositarum à Rege materiarum determinationem accederet ac Comitia coronaret. Nec licebat olim in conclavi Nuntiorum ullam ad tractandum assumere materiam; nisi priùs Regiæ propositiones finirentur. Unde secundum res sortiebantur exitum; quòd juxta lumen & rationes à Senatoribus suppeditatas tractarentur: modò omnia è contra fiunt, & proposita materia à Rege & vota Senatorum nihili habentur; sed ubi primùm conventum fuerit ad Nuntiourm conclave, diversa alia arripiuntur, & sic ferè quinq; hebdomãdæ inter altercandum pereunt, vix quinto ante conclusionem die ad Senatum accedunt, nullâ re conclusâ & hoc circa vesperam; dum jam ex conclavi digrediendum est. Sequitur quandoque dominica vel festum; consequenter vix aliquot dies supersunt pro tractanda publica materia, tumque primum incipiunt Comitia, quæ deinceps in longum protrahant, non sine gravissimo privatarum personarum detrimento, cujus tamen rei ne scrupulum quidem habent. Ego verò assero, quod quicunque sine justa ratione, quæ juri innitatur, Comitia protrahit & differt, is peccat & tenetur ad restitutionem damnorum: qui verò rumpit Comitia, non tantùm peccat & tenetur ad restitutionem damnorum, sed etiam tenetur Rempub. deprecari, quòd illam sine præsidio esse fecerit. His præmissis videmus manifestè pœnam Dni super nos; dum consilia Reipub. ob rupta Comitia nunquam ad perfectum maturescunt. Ingens enim verò pœna: dum inter cives discordiæ planè capitales nascuntur, nunquam bene consulta in executionem deducuntur ob privatum interesse, ipsa insuper Comitiola contributionum sæpe numero rumpuntur: prorsus ad oculum nos DEus punit; quia nec Mtas suam habet vene-

 ratio-

A.C. 1695 rationem, neque Senatus reverentiam. Et quamvis ob varia alia peccata hanc pœnam im̃ittat DEus, specialis tamen illa perjurio est. Notum omnibus: non tot sub signis numerans, jurat tamen se tot habere. Si justitiam spectemus; & illa perjuriis plena est; in contributionibus, teloniis, vectigalibus dominantur perjuria. Implet non nemo actuariam unam frumento proprio; sed plures celoces coëmpto Gedanumq; vel aliò expediens obligat præpositum navicularum, ut juret suam esse crescentiam, putatque se juramento alieno non innodari, ne dicam, quandoque aliquot ad cancellariam mitti imperiales & subscribi, (præstitit) etsi non sit juratum. Format deinde regestrum super panno, aromatibus, vino &c. advehendo, nec ullius se reum autumat. Consulat probos & peritos Confessarios; an non defraudatio thesauri publici peccatum sit? Dixi Grodnæ: in perjuria pœnã constituendam, quia in statuto mentio de hoc nulla; eò quòd majores nostri arbitrarentur posteros suos scelus hoc abominaturos: jam autem pœnam hanc esse volueram; ut perjuri infamiâ & confiscatione bonorum punirentur & medietas pœnæ cederet Judicibus, medietas delatori. Tum ut ejusmodi perjuria non in tribunali, vel alio judicio sed à deputatis à Rege tam ex Ecclesiastico quàm sæculari Senatu uno alteróve, senis item ex Equestri Ordine de quavis gente judicarentur, qui Varsaviæ congressu habito per Majum & Junium arbitrari has causas obligarentur.

Perjuria.

Alterum est, quod consulo, ut sanciatur lustratio exercitûs & certa ei constituantur stipendia.

Lustratio & stipendia exercitûs.

Quoad primum punctum, novas leges adinvenire & cudere necessum non est; veteres observemus. Est lex 16 & 21 in qua substituto jurato Notarii additi Com̃issarii, qui justo habito salario conscriberent & lustrarent singulis trimestribus equestres copias; singulis autem mensibus pedestres exteri authoramenti, adq; exercitum perpetui residentes forent. Occurreretur ita magnis inconvenientiis, quia hic equestris exercitus nihil omninò facit aut fecit; quia non fuit, aut non est: nam quamprimùm ad stativa ventum fuerit; ex tunc Magister Equitum ejusq; substitutus, item Vexillifer & alij Com̃ilitones uno quandoq; nonnisi de toto vexillo Com̃ilitone relicto, & aliquot ultra decem famulis suis, domum redeunt: dum verò tempus, quo in arenam prodeundum est, appetit; quantumvis severissima à Ducibus edantur universalia, non tamẽ audiuntur, nec illis paretur: vixq; alter ultimis diebus Augusti aut Septembris in campo comparet, & ubi duobus mensibus in castris fuerit, deinde tamen totius anni stipendia postulat: quòd quàm iniquum sit, quis non videt? necessumq; esset, ut Episcopi Concionatoribus & Confessariis injungerent, quatenùs docerent eos, quantum peccatum sit mercedem postulare anni totius; quodq; nonnisi pro tot mensibus, quot quisq; in castris fuit, jure & justè exigere possit: si verò expeditioni prorsus non interfuit, omnis salarii exors esse debeat, idq; sub peccato mortali: quinimò graviter pœniteat, oportet; quòd per talium absentiam hostis ingentia damna faciat, & tot animas in barbaram abducat servitutem. Hic modus lustrationis plurimùm utilis foret Reipub. nec tot cõmitterentur errores; quales hic & nunc videmus, utq; de toto sincerè scribam; non partirentur Magnates pro obsequiis suis exercitum tam Poloni quàm peregrini authoramenti, pro ut hic & nunc fieri cernimus: stipat illos in publicum venientes turba Com̃ilitonum vel Dragonum: famulantur illi Proceribus, Respub. verò iis stipendia largiri debet. Optarem etiam, ut Senatoribus fas non esset, quemadmodum jura antiqua

tiqua docent, eſſe Legatos militares; nec ſua habere vexilla; quia Duces *A.C.* 1695
videntes quòd non Senator præſit iis copiis, cogerentur accuratiùs diſciplinæ militari attendere & adigere, ne ullus miles à ſuo ſe ſe abſentaret vexillo, ut itidem jura docent. Nunc verò reſpectus illi eſt; per quē diſciplina militaris ſolvitur. Verum quidem Senatores etiam & Epiſcopos ſua eduxiſſe vexilla; verùm ſuis ſumptibus, pro quo illis gratiæ à Rege & Repub. dicebantur. Præterea deſiderarem; ut ſemper unus ex Ducibus ad exercitum reſideret, exiſtimo nec alios ita ob præſentiam Ducis dilapſuros. Præteritis Comitiis Grodnenſibus, quæ rupta fuére, Caſtellanus Cracovienſis in Senatu affirmavit ſub tempus hujus belli à Comitiis Varſavienſibus exercitum 12000 hiberna accepiſſe, nec tamen tractâſſe bellum. Gratias egi Caſtellano prout merebatur, quòd tantū damnum Reipub: aperuiſſet. Ego verò aſſero ex his 12 millibus ægrè unum mille de tantis ſtipendiis quidquam accepiſſe. Quod quomodo fieri potuerit, enucleo. Poſito pro fundamento ex priore ſcripto meo, quod ex hoc bello exiguum Reſpub: percipiat emolumentum; ſoli duntaxat Officiales aliqui ditati ſunt, & ditantur: non impingo id Ducibus; audio enim Caſtellanum Cracovienſem tam divitem eſſe, ut ex redimilibus bonis centum millia in annum ſolvat. Nec de 2do Duce Cracovienſi Palatino loquor: licet hic mihi inſinuare, quod ad ipſum ſcripſi his formalibus: gratulor Reipub. tibi ex gratia Regis clavam obtigiſſe; verùm ſimul nôris, te hac dignitate eas divitias comparaturum, ut de tuis bonis paucos admodum pagos poſteris olim relinquas. Et jam ita factum videmus. Vix obtinuit clavam cum exercitui adeſſe juſſus, quem exilem reperit; quòd omnes ferè ſe domum contuliſſent; quotquot tamen invenit, omnes aluit, trecentos quandoq; Commilitones menſâ excepit; aliis autem pretium pro victu partitus eſt, ne ab illo diſcederent, fortunavit illum DEus; hoſtem tam egregiè repulit, ut ad ſua redire coactus fuerit: pro quo illi debentur gratiæ & præmium à Republ. Non dico igitur de Ducibus, ac ſi illi ditarentur: nec de omnibus Officialibus, ſed de pluribus aliis, quos palàm cernimus. Nam pridem ad Ravam Dñum ſuum Rokicki dictum, certi vexilli ſubſtitutum famuli peremerunt, reperta penes illum 26000, miratus eſt Caſtellanus Cracovienſis, tantas hominis divitias; cùm de ſuo tantum non haberet, nec pridem in ſubſtitutum Magiſtri Equitum evaſiſſet. Redeo jam, his poſitis, ad meā propoſitionem; ut oſtendam: unde tantus excreverit exercitus, qui tanta recepit hiberna, nec tamen ſervivit? v. g. habet quis univerſale pro centum Equitibus: commiſſio hiberna illi ſolvit pro centum, ipſe verò ſub vexillo vix numerat 50, dum in campum venit. Videns Dux eum non parem hibernis habere numerum, de interverſis ſtipendiis expoſtulat, ſive cum Magiſtro Equitum, ſive cum ſubſtituto: excuſat ille accepiſſe omnes ſalarium, ſed non omnes conveniſſe, porrigitq; regeſtrum ſub juramento eorum, qui hujus ſunt cauſa, nominatq; in illo ejusmodi perſonas, quæ in rerum natura nullibi ſunt, illasque exhibet in delatis. Item uti certò ſcio: eſt Commiſſarius quiſpiam ex Officialibus, uti Magiſter Equitum vel ſubſtitutus: mittit illi ejusmodi militem, qui vix unum aut alterum trimeſtre bellum tractat; & nihilominus imperat illi juramentum ſupra 16 trimeſtribus, falſumq; porrigit regeſtrū, jurando; quòd ij omnes fuerint, quòd omnes viderit; cùm tamē ne quidē eo tēpore ſerviērit. Tolletur hic error per luſtrationem ſecundùm jura ſingulis trimeſtrib9 Poloni authoramenti; exteri verò quot menſib9 debebūt adeſſe præſentes citra poſtulationem ſtipendiorum trimeſtrium pro tecto,

quæ

A.C. 1695 quæ jam his temporibus non sunt; siquidem in locum eorum successerunt hiberna. Altera pars fuit; ut certa stipendia provideam⁹ exercitui quæ hoc modo extradi optarem: ut non ipsi militares per Palatinatus & terras illa colligant; sed sit tribunal thesauri, eligantur Deputati ex quovis Palatinatu, qui vectigalia & pecunias ad locũ deferant; ut sic ubi aliquis Comilitonum cujuspiam vexilli advenerit exhibito censu cum subscriptionibus Commissariorum tribunal computet, & deinde Deputato & quæstoribus exolutionem imperet. Si verò militum etiam quispiam in transitu damnifacere alios deprehensus fuerit; ubi juramentum in tribunali thesauri à non levibus personis depositum fuerit super damnis; imperabit tribunal eorum exolutionem, reliquum Deputatus & quæstor domum referet, sicq; tam Ducalia judicia, quàm tribunalia militaria alleviabuntur, plurimis occurretur inconvenientiis, e. g. damno ingenti Reipub: dum tria vel 4000, quæ in opere belli non fuerunt, suspendentur à stipendiis. Alteri etiam occurretur, quod Comissarij fecerunt sublato Thesaurario. Venit pauper miles ad Commissarium; ut illi det assignationem ad quæstorem: pergit jam ad hunc, jam ad illum quæstorem; nemo exolvere assignationem vult, nisi miles per prius partem stipendij cedat. Nundinandum & altercandum militi cum quæstore est; quæstor tergiversatur, & negat sibi esse pecunias: tantò miles ardentiùs petit, quia nec pro victu illi quidquam suppetit; tum demum quæstor velut commiseratione motus alloquitur hominem: dabo id inopiæ tuæ, contraham pecunias, sed cum dando interesse ab illis; modò id suscipere velis, quid agat miles? in omnia consentit cogente necessitate. Determinat illi ad speciem aliquot dies quæstor, etsi apud ipsum in arca lateant pecuniæ; termino veniente indicem illi ostendit dandi interesse ab illis, ipse etiam sibi partem pro honorario sumit; reliquum miles accipit, qui tot expensis quà pro interesse, quà honorario, quà victu & via redit ad vexillum cum non integris pecuniis: ibi Officiales imprimis sua pro cæcis adscititiis recipiunt reliquum exile in reliquos partiuntur. Non esset igitur inconveniens si dicto à me modo exolutio fieret. Alterum est: videmus & patimur continuas novi militis externi authorationes; sed dolendum: ducuntur ab Officialibus ad castra, non ut ab hoste occumbant, sed ut à fame, dum iis de sufficiente victu non provident, quodq; ampliùs, bona derelicta à fatis mortuorum invadunt, nescio quâ conscientiâ? cùm id sub peccato non liceat, & obbigentur proximis & consangvineis ea restituere; in defectu verò illorum pro anima pauperibus. Cessabit hoc inconveniens & eæ authorationes; si lustratio fuerit & stipendia hoc solventur modo. Compertô Dux his vel illis militibus deesse provisionem exnunc ab Officialibus requiret: cur ita eos in campum eduxerint? cùm tamen plenè etiam in ordine ad comeatum illis solutum fuerit: non pro ut modo fit, excusant enim se, mercedẽ illis non obtingere, unde miserrimũ militem fame planè enecant. Tertium est; non semel innui in voto meo omnia genera contributionum repugnare justitiæ & probavi: nunc verò dico, quòd etsi regestra injusta sint, nec secundùm ea quidem exolvantur contributiones. Quò major Dnus est; eò minus aut prorsus nihil contribuit, præsertim si vexillum aut partem legionis habeat: asserit se in sui vexilli stipendium convertere pecunias, nec interim ab illo quæritur: completúmne, an mancum sit? quin reperiuntur ejusmodi, qui etsi obolares & cerevisiarias, imò hibernas & alias quasvis contributiones à subditis suis collegerint non tamen eas thesauro inferunt; quò gravissimè lædunt conscienti-

entiam: dum id, quod publico debetur, privatis usibus addicunt. Sunt aliqui Palatinatus, ex quibus pro Comitiolis divisi in partes turmatim conveniunt; quævis turma suum promovet quæstorem, & scio in uno Palatinatu ad 20 fumalia, 10 quæstores lectos fuisse. Quid verò illi agent? nonne singuli singulis partibus favebunt? cum grandi aliorum detrimento, ut integram repræsentent contributionem. Huic defectui vetus jus mederi deberet: quòd jubet, ut quæstores rationem reddant in tribunali thesauri, & jurent se sine respectu personarum secundùm æquitatem contributiones coëgisse. Optarem ut adderetur ad juramentum, se non ambivisse nec curâsse ut quæstor fieret: uti in primo tribunali Radomiensi factum sub directione Palatini nunc Sendomiriensis, tum autem Mareschalci tribunalis, sub quo omnigenus ordo & justitia floruit: faxit Deus ut quisq; sic Mareschalcum agnt. Ut igitur omnes reddant æqualiter contributiones, exhibeat quæstor retentores in delatis ex quibus obtineat condemnatam; quam si quis non sustulerit satisfactione in altero tribunali, nequeat deinceps eam tollere, nisi per Comitia: certè quisq; maturè ita adactus contributiones exolveret. Iniqua valde istarum contributionum est distributio; quia ex illis plus in largitiones, quàm in militem expenditur. Sunt Cōmissarii ex Palatinatibus: dandum illis honorarium est, singulis, quantum uni vel alteri vexillo sufficeret. Constituuntur deinde judices, aliquando 20, 30, 40, cuiq; dandum honorarium ex his afflictorum contributionibus: ij verò judices in cassum sunt. Antiqua lex est, ut de negatis contributionibus citentur ad castrum, ex castro ad tribunal, nam illi Judices non tantùm de contributionibus accipiunt, sed parùm admodùm pro publico contribuunt. Jam verò quantum iis Legationibus impenditur; quòd rarus eâ defungi velit, nisi illi solvatur, quod nunquam in antecessum fuit. Item Nobili absumit aulam, aut casam rustico ignis: dantur & illi pecuniæ de thesauro, ne rumpat Comitiola: hinc statuenda foret lex; ut ejusmodi tollerentur largitiones, & conscientiis tam dantium, quàm accipientium consuleretur. Jam ceu provectæ ætatis Episcopus moneo peccare tam dantes, quàm accipientes in eo, & teneri ad restitutionem: siquidem intentio Reipub. est hæc; ut cerevisiariæ, propinatoriæ, & aliæ contributiones, non aliò deriventur; nisi in sublevamen pauperum: ne nimiis contributionibus aggraventur. An verò in intentione Reipub. unus Palatinatus aut terra dispensare possit, mihi nullatenus posse videtur: sicut enim Dn̄us dispensatori suo dando pecunias mandat; ut in hanc vel illam necessitatem eas expendat: ipse verò contrarium facit: certè ipsius rationes Dn̄us non susciperet, mandaret sibi exsolvi, idem censendum de contributionibus Reipub. Sed & per exercitum ejusmodi largitiones invaluerunt; quando inops miles in quemvis annum 50 aut 60 florenos cedere cogitur ab equo: dandi illi forent in binos equos 300 vel 400 floreni & vix in equum accipit 70 vel 80: tollendum id esset, ne ad incitas exercitus redigatur. Venio ad hiberna, & hic jam DEum testor! me nulli objicere velle malam administrationem; sed tamen scire vellem: quæ distributio hibernorum sit? duo milliones & aliquot centena millia eorum coguntur; jam verò tantus exercitus non est, pro quanto Respub. hiberna constituit: quia etsi non omnes conferunt hiberna, nihilominùs delata dantur super retentores, & uti jus docet, reddere obligantur cum triplici pensione. Nónne satius ea hibernorum commissio tolleretur, & hoc modo hiberna distribuerentur. Convehantur hiberna ad Notarium, qui tribunali thesauri assistet in castro exempli gra- A.C. 1695

tia

A·C. 1695 tia Radomiensi, sanciatur lex, ut possessores bonorum ipsimet uti jus anni 77 docet, provideant convehantque sub amissione tenutæ; quia & nos Ecclesiastici ita facimus, exponimus pro subditis & postmodum sensim nostra recuperamus; ex castro verò dentur quietationes. Hibernorum ista sit distributio; Ducibus imprimis centum millia: si comilitonum quispiam ad tribunal venerit & regestra, secundùm quæ suevit accipere, ostenderit: Mareschalcus illi assignationem dabit ad Notarium, ut pro tot vel tot equis extradat hiberna. Sed dicet quispiam, in antecessum dari hiberna, respondeo: huic talem medelam dari posse exempli gratiâ; anno uno accepit pro centum equis, ubi altero anno venerit & ostenderit tantùm se habuisse 50, dicet illi Tribunal: superiore anno accepisti pro centum & non habuisti nisi 50: jam igitur & pro hoc anno tibi omnia exoluta sunt. Spondeo sacrosanctè, tertiam partem hibernorum reliquam futuram. Nec Commissio pro hibernis necessaria, [fere ducenta millia possessoribus, in quorũ bonis exercitus subsistit, largitur, nã ubi exercit⁹ subsistit, mult⁹ ibi proventus possessorib⁹ currit: cur igitur illis solvatur? Aliud fuit ad Trembowlã, quia ibi exercit⁹ partit⁹ est fundum, prata & sylvas; unde ipsa æquitas exigebat compensationem. Præterea visum mihi est consulendo conscientiis Ducum hoc etiam scribere; quâ lege vel quo jure sibi eam usurpent potestatem? ut subditi certam pensionem militaribus in stativis existentibus exhibeant; & quia super eo nulla lex est, se ipsi dijudicent, utrum id salvâ conscientiâ facere possint? nam id certum, quòd quidquid ab illis contra jura fit, id sine peccato mortali non fieri, teneriq; ad restitutionem damnorum, nec aliter salvandos; nisi prævià satisfactione. Jus nullum esse de hoc patet ex constitutionibus; quas jam dudum sub Rege CASIMIRO in Comitiis Lencicien: tota Respub: sanxit. In illis cavetur de hoc abusu, Zdislao Archiep: Gnesnensi cum cæteris Episcopis, Rege quoq; cum Nobilitate formalissimis his verbis tam se quàm posteros in legem & vinculum hujusmodi submittentibus, taleq; decretum edentibus: qui colonorum & agrestium annonam, aut alias res vi aut aliquo modo tulerint, aut aufferri jusserint: anathema sint, jecerunt sub hæc candelas Episcopi, Rege cum Ducibus & universo populo clamantibus, amen. Ut verò ea excommunicatio in perpetuum duraret, missi ex utroq; statu ad Summum Pontificem ALEXANDRUM III. Commissarij fuère, qui peterent excommunicationis approbationem: semper deinde excommunicatio ista sive lex observata fuit; donec sub tempus revolutionum in Patria Duces hunc abusum invexerunt, forsan per ignorantiam istius excommunicationis. Jam autem abusus non constituit legem, uti Canonistæ & Juristæ docent; nec potestatem sibi usurpare possunt Duces: quia nulla circa hoc potestas illis esse potest, nisi per vim cum læsione conscientiæ suæ. Optarem tamen; ut ista potestas Ducum à Repub. circumscriberetur: quod quidem aliter fieri posse non video, nisi ut ad tempus duntaxat Ducalis imposterùm concedatur clava. Verum equidem est Rempub: nostram hic & nunc florere egregiis Ducibus, summæq; prudentiæ, (quibus circumscriptio necessaria non sit: attamen salvis modernis possessoribus opto; ut temporanei posthæc sint. Nam grande damnum inde Reipubl: si in infelices Duces impingat, uti conspeximus, quando Duces exercitu perdito ipsi in captivitatem abrepti fuère. Præterea in senium provecti suo officio & occasioni bellicæ non ita per ætatem invigilare possunt, & satisfacere, uti debent. Satius igitur munus id ad tempus duntaxat detur alicui; tum si compererit Respub, rectè &

felici-

feliciter administrari officium; conservet eum in ulteriora tempora, infelicem verò amoveat. Hæc octogenarius vobis deferendo, obtestor; nolitis hoc frustum Patriæ perdere, cujus latitudo nonnisi ad 80 milliaria patet, idq; in sum̃a inquiete: Iam medietas Woliniæ exhausta est, jam magna pars Palatinatûs Russiæ in rapinam cessit hosti. Misereamini afflictæ Nobilitatis, quæ vagari cogitur & mendicare cum uxoribus & prole à concivibus misericordiam: Misereamini pauperum, qui quotannis in servitutem abripiuntur, & lacrymis suis, quòd illis non succurratis, cœlos penetrant. Lacrymæ hæ super vos nõ cadant, tot animab⁹ Christi sanguine redemptis à fide catholica apostatantibus, susceptoq; Mahometismo æternùm intereuntibus. O quàm districtam reddemus rationem de tot perditis animabus! manifestè vindicem DEum sentimus; olim Tartari viso sclopeto seu bombardâ ultra quadrantem milliaris fugiebant; nunc ipsa tormenta & muros invadunt. Non existimetis eos veros Tartaros esse; vel ex captivis sunt, vel ex captivis nati; noluimus succurrere: hinc justè permittente DEo nos ipsi percutiunt. Per misericordiam igitur rogo vos pauper senex; ut sepositis privatis commodis Patriæ consulatis, consideretis scripta mea & cruentas has contributiones ne convertatis in vestrum privatum usum. Noveritis enim fulguris duntaxat instar vestrum apparebit interesse, mox cum familiis extingvetur. Nolite confundere Gentem vestram; videntes enim nostrum disordinem exteri, ajunt: quæ hæc gens, quæ sapientem, felicem, & generosum Principem habet, sed ordinis impatiens est, regiq; non vult? Adminiculo erit ad omnia Majestas; dummodo privata se non immisceant in bonum publicum. Non efferet illa posteritatem suam in Galliam, aut Germaniam; in hac Patria perennabit, unde quàm optimè illi consultum volet. Id ego senex opto Patriæ; DEum verò precor, ne palpebris oculos meos claudat, dum videam vestrum in Patriam amorem, in Principem reverentiam, erga Senatum observantiam, efficax pro bono publico consilium. A.C. 1695

Sententia Principis & Episcopi Varmiensis Joannis Stanislai de Sbąszyn Sbąski, ex vi conscientiæ & Senatoriæ obligationis pro immunitate Ecclesiastica ac Patriæ legibus ex occasione differentium animorum inter Episcopum Vilnensem & Palatinum Ducem Supremum Exercituum M. D. L. in lucem publicum edita.

SIcut in omnibus statutum Reipub. concernentibus rebus, non consvevi, nisi cum summa modestia procedere, & qualemcunq; sensum meum non alio, nisi spiritu rectitudinis collimanteq; in bonum Ecclesiæ & Patriæ regulare temperamento: ita & modò eundem morem servo, & dum à Rege ad recognoscendas inter Episcopum & Palatinum Vilnenses differentias deputatus cardines Ecclesiasticorum & Patriæ jurium labefactari ac ex porrectis non pridem pro ea concordia propositionibus im̃unitatem Ecclesiasticam graviter vacillare video; pro obærata Ecclesiæ DEI & Patriæ fide, pro conscientia & relicta mihi à Majoribus notitia sensum meum & omnia quæcunque recenti & impenso studio habere potui documenta, non minùs modestè quàm sincerè exprimo.

Proposita fuêre in illo consensu puncta:

An Dux habeat potestatem locandi exercitus pro hibernis stativis in Ecclesiasticis bonis aut assignationes dandi pro hibernis?

An

A. C. 1695 An Episcopus Vilnensis ratione locati Exercitûs debuerit convenire Ducem, & non potiùs militem? siquidem pollicitus Dux se judicaturum milites.

An publicatio excomunicationis ad normam in ceremoniariis Episcoporum præscriptam facta, nominatim quòd in illa verbum apostasia impositum sit, concordet cum justitia?

Quod ad primum: videtur mihi supervacaneum ea repetere, quæ nomine Ducis satis fusè adducta sunt cum allegatione jurium potestatem locandi exercitus concedentium; ne repetitione tempus absumam: id solummodò innuo, ex omnibus his, quæcunq; allegatæ sunt pro parte Ducis, constitutionibus nihil aliud posse inferri; nisi quòd in bonis Ecclesiasticis etiam hostico vicinis premente necessitate, ut locari potuissent exercitus, publico assensu Ecclesiastici ordinis & plenâ Republ. sanciebatur.

2do Quòd Dux M.D.L. non vult nec potest majorem sibi usurpare potestatem, quàm Duces Regni; siquidem illorum juribus se defendit.

3tio. Quòd Episcopus Vilnensis imunitatibus iisdem gaudeat; quibus Ecclesiæ Regni siquidem una Ecclesia sunt, eadem jura, eadem Provincia Gnesnensis, & æquè Vilnensis Episcopus ac alii suffraganeus est Primatis.

Quod igitur attinet ad locationem exercitûs in bonis Ecclesiasticis, & circa illam potestatem; fuit ea antè materia odiosa, & Ecclesiasticis bonis tam perniciosa; ut ne dicendum quidem de illa quidquam fuerit. Usurpârunt præteriti Duces potestatem & ad majores injurias & oppressiones Ecclesiæ DEI inferendas diversimodè accensi fuêre; quas si aliquando sensit Ecclesia, tum vel maximè à priore bello Svetico; usq; dum feliciter regnans majorem clavam Regni occupâsset. Inter eas jactationes non remisit manum Clerus, nec cessavit sive sub tempus confœderationum, sive aliarum Reipub. turbarum debitis jurium Ecclesiasticorum & Patriorum remediis, assiduis manifestationibus, protestationibus, & assecurationibus sibi prospicere; quæ omnia in archivo Primatiali sub tempus Principum Venceslai Leszczynij & Nicolai Prazmovii asservabantur; ardentibus præterea Majestati divinæ supplicavit precibus, ut Ecclesiæ & populi sui misereretur, daretq; respirium à tam gravi jugo ab ijs imposito; qui uti Ecclesiasticis bonis, ita & Regalibus imò toti Reipub. suâ potentiâ graves erant, pro quibus ipsis etsi non faventibus itidem preces fudit ordo spiritualis. Et verè prospexit ab alto Dñus, audivit vocem populi sui, & clamor eorum venit ad eum, & vidit afflictionem eorum; quâ opprimebantur & misit qui educeret & liberaret populum suum: indulsit tandem tempus & optatam horam, quâ tempestates omnes cum magna contentatione & satisfactione jurium tam Ecclesiæ quàm Patriæ sedatæ fuêre, dum per infinitam providentiam DEI Ducalis clava resignata in manus invicti Principis feliciter moderni, cui pro eo tempore Duci Ecclesiasticus status sub jugo usurpatæ contra jura potestatis à præteritis Ducibus subq; gravibus oppressionibus gementia tam divina, quàm humana repræsentavit jura: repræsentavit mentem Regum in privilegiis, fundationibus, erectionibusq; templorum &c. expressam: repræsentavit & gemitum pauperum, vindicem DEum implorantium: repræsentavit manifestam ruinam bonorum Ecclesiasticorum & Regalium, infallibilesque consequentias, quæ successu temporis præferebant ruinam etiam Terrestrium bonorum, ardenterque instabat apud Regem, tum adhuc supremum Ducem; ut ceu Eccle-

siæ

siæ DEI & Patriæ non degener filius, utriusq; æqualiter amator, respiceret lacrymas, ignominiam & miserias dilectæ matris suæ Ecclesiæ. Prout verò quàm zelosissimè Ecclesiastici impendentium Ecclesiæ malorum seriem, adeoq; tristes etiam in Patriam consequentias Regi tum Duci ex una parte repræsentabant; ita non minùs graviter è contrario ingenti ex altera parte conatu obsistebant imprimis exempla, & usus priorum Ducum; quorum usurpatio tum temporis pro lege habebatur: obsistebant merita, honor, authoritas personæ, & officii Ducalis, tum in manibus Regiis existentis; quæ si non ascendere, saltem non minui; sed in eodem statu conservari prioribusq; Ducibus deteriorem conditionē non pati, sub tempus gubernii volebant & urgebant. Obsistebat victoriarum cumulus & gloria conservationis Patriæ ab extremis casibus victrici Regis dexterâ ereptæ: Obsistebat insuper magna pars Reipub. quæ Regi omnem suam assistentiam, quò ad id devoverat: obsistebat exercitus totus, qui assistendo tam magno & felici Duci ultima potius experiri & pati, quàm ut potestati Ducali vel ad pilum derogatum cerneret, pro justo & debito judicabat. Obsistebant Cleri odia ab hethorodoxis tam in Patria, quàm in vicinia existentibus, æternâ contra Ecclesiam DEI conspiratione & confœderatione fundata: obsistebant denique rerum novandarum studiosi, diversa excitando, nutriendo, subministrando impedimenta, ut excelsum Regis animum inducere possent: quò nullatenùs Ducalem authoritatem suam in defensionem & confirmationem jurium Ecclesiæ DEI inclinaret. Obveniebat id omne gloriosissimo Principi sub illud potissimùm tempus; quando Respub. consvevit vel maximè inspicere, & jurium suorum detrimenta examinare illisq; imposterùm per pacta conventa cum Regibus suis prospicere: id est sub tempus electionis piæ mem. Regis Michaëlis, quando Ecclesiasticus status & Ordines Reipub. super hoc negotio pro juribus Ecclesiæ & è contra disputabant, & pro utraq; parte nihil omittebatur: ibi enim ad amussim utrinq; producebantur jura, usus, consvetudines, possessio & id genus firmamenta, rationes insuper & cōminationes contra statum Ecclesiasticum. Ea sola in his omnibus, quæ ab utraq; parte producebantur, fuit differentia; quòd quæ ex parte Ecclesiæ adducebantur, essent legibus divinis, & Patriis firmata, justa, im̄obilia & inconvincibilia: econtra quidquid contra Ecclesiam afferebatur erat juri divino & Patrio contrarium, trahebatque post se non tantùm Ecclesiæ detrimentum, sed etiam libertatum & jurium Patriæ Nobilitariumque exitium, quorum fundamenta in Ecclesiasticis posita sunt; præterea hæreseon firmamentum, continuarum diffidentiarum inter Rempub. & Duces totumque exercitum augmentum, & consequenter perpetuæ confusionis statuum Reipub. fomitem; quibus omnibus velut in bilance trutinatis invictissimus Triumphator Rex non se vinci sivit dulce canentium Sirenum carmine, sed seposito in unam lancem amore primæ dilectissimæ Matris suæ Ecclesiæ, & Patriæ: in alteram rationibus adversantium, ivit in amplexum Ecclesiæ Matris suæ, vidensq; eam desolatam ab omnibus, mœrore oppressam, squallidam, & planè consumptam, pro illa stetit, tanquam verus ejus filius, juriumq; Defensor, detersisque tot annorum lacrymis tulit pro ea decretum; agnitoque jura ejus esse juris divini, firma, inviolabilia, im̄obilia, intacta ea reliquit, & ita ostendit se fortiorē, quotquot ab ævo numerari possunt, victoribus Triumphatorem. Illuminavit sub hæc omnes eos, qui contra saniorem Reipub. partem disputaverant & ostendere dignatus est; quòd æqualiter cum Matre sua, quàm filiali-

Kkkkkk

A.C. 1695

A.C. 1695 filialiter & benignissimè dilexit, assumpserit inviolabile scutum veritatis, in quo cuivis ceu speculo speculari concesso, & eos, qui pro DEO, Ecclesia, juribus & libertatibus defensionem paraverant consolatus est, & qui adversabantur, correxit; ut deinceps in aliam mentem venerint, unitimque cum tota Repub. jura & imunitates Ecclesiæ recognoverint. Incomparabile Ducis invicti factum exemplo suo traxit exercitum, qui se circa jura Ecclesiæ nunquam violanda declaravit. Interea in recompensam hujus invicti Ducis nullis comprehensi terminis in publicum Ecclesiæ DEI amoris, ab illa die directus est spiritus in eo, & destinavit eum Dñus exercituum in Principem super populum suum, fecitq; illi nomen grande juxta, imò, supra nomen magnorum, qui sunt in terra, & nectendo victorias victoriis, dedit paulò post ingentem de Goliato toti Christianitati terribili victoriam, in qua ad Chocimum draconi multorum capitum primum & præcipuum amputavit. Volens insuper invictus Dux conatu suo liberam jam ab omni squallore Patriam in tuto locare, lacrymasque pauperum ex jugo militarium transituum ortas abstergere; omnibus autem hostibus terribilem reddere Poloniam: ad complementum hujus amoris, sub id tempus proposuit Reipub. locationem exercitûs pro hyeme; ut non repetendo Poloniam, nec pro consistentiis redeundo, proximè in vicinia Ucrainæ penes hosticum paratus remaneret: quò sic attenderet confiniis, & ad omnes nutus Ducis sui & & Reipub. contra hostem movere, ejusque passim impune grassantis incursibus obviare ac Patriam oppositu sui securam reddere posset. Verùm executionem tanti operis hoc aliquomodò tardabat, quòd pro hiberna sustentatione sola Regalia & Reipub. bona præsertim in devastatis terris non sufficerent; dum igitur egerent supplemento; jam autem Ecclesia ad illud post recognitionem firmitatis jurium á Repub. obligari non posset: Respub. & exercitus ad illam tanquam ad Matrem recursum fecit; ut illa hâc vice Reipub. necessitati non tanquam tributaria, sed tanquam Mater, non ex debito ullo, nec per impositiones aut legem; sed liberè duntaxat, benevolè & amoris Materni non debiti ergo succurrere vellet. Ut contestaretur ergo amorem suum Patriæ; utque in tam gravibus terminis illi succurreret: indulsit Clerus pro illa & sola vice in vim subsidii charitativi 500000 florenorum Polonicalium id sibi omni meliori modo & formâ præcavendo, ne hoc charitatis officium libertates Ecclesiasticas imposterùm labefactaret. Circa quod constituta cum exercitu puncta scripta sunt, manibusque tam Regis tum Ducis supremi, quàm Principis Demetrii Campiducis subscripta traditaque in manus & ad archivum Primatis Nicolai Prazmowscij quorum copiam hic annecto.

Puncta cum Exercitu de hibernis constituta.

Subsidium charitativum exercitui Regis & Regni per Principem Primatem Gnesnen: & Leopolien: Archiepiscopos, Episcoposq; Regni, reliquumq; Clerum in Comitijs Electionis Varsaviæ sub infra scriptis conditionibus concessum anno 1669 die 29 Junij.

Primo Videns Ordo Ecclesiasticus eam Reipub: necessitatem, quæ exercitum quàm proximè ad Ucrainiam cogat, quodq; hibernæ sustentationi sola Regis & Reipubl: bona in tam desolatis terris sufficere nequeant, contestando amorem suum Patriæ, nolensq; in tam gravi termino deesse illi, concedit pro hac sola vice exercitui pro subsidio charitativo 500 millia flor: Polonicalium, id sibi omni meliori modo & formâ

mâ præcavendo; ne officium charitatis libertatibus præjudicet, nec exercitus in sequelam vel debitum trahat. *A. C. 1695*

2do Ad istam sum̃am contribuendam generaliter omnia bona Spiritualium etiam ritûs græci in Regno spectabunt. Si quæ verò Duces ex pietate sua exemerint tum ejusmodi libertationes à quovis Diœcesano in summa principali persoluto exercitus suscipiet.

3tio Summam dictam promittit Clerus re ipsâ se numeraturum Leopoli moneta in Regno currenti, per duas ratas: primam id est 250000 25 Octobris currente anno, alterum tantum 2. Febr: sequentis sub quietationibus Deputatorum vel Commissariorum plenipotentiam ad id habentium.

4to Si quis Ecclesiasticorum vel possessorum dictorum bonorum Ecclesiæ foret refractarius, nec ad contribuendum subsidium concurrere vellet; tum eos locorum Ordinarij exercitui in delatis exhibebunt, adscripto simul, quantum apud quemq; retentorum sit; quæ delata exercitus suscipere & à retentoribus quotam sibi debitam per executionem exigere tenebitur.

5to Quamvis exercitùs cogeretur ex consistentiis suis futuris mittere pro executione vel exactione à retentoribus porrectis in delatis; tamen prædicta bona spiritualia generaliter omnia, præter eorũ qui in delatis exhibiti fuerint, non tantùm à consistentiis, sed etiam transitu, pabulatione, subsistentia, pernoctatone, statione, & aliis exactionibus libera esse debent. Actum Varsaviæ &c. Joannes Sobieski S. D. E. R. Demetrius Princeps Wisniowiecki.

Quia verò hæc declaratio Reipub: & conscripta cum exercitu puncta pro immunitate Ecclesiastica sancita fuêre, acephala Republ: nec integris statibus; quia tractata fuêre & finita sub Electione nècdum integro tertio ordine, id est, capite nondum coronato: hinc etsi complures ejus sensûs essent; ut illa articulo Comitiorum Electionis confirmarentur: attendens nihilominus Clerus statum Reipub: tum esse imperfectum, distulit approbationem ad sequentia Comitia anno 1670; in quibus exhibuit; quæ Respub: ceu jurium & libertatis suæ fundamenta amplectendo, illorumq; integritati & securitati providendo constitutione in ijsdem Comitiis illa firmare voluit, uti re ipsâ, dum Rex tum temporis Dux iteratò dilatavit spatia charitatis in Patriam, voluitq; im̃unem reddere ab omni diffidentia, & à metu omnis suspicionis in personam suã Ducalem securturosq; Duces, à Repub: tam ex Senatu quàm Equestri Ordine ad id deputati fuêre; in quorum præsentia sum̃a hibernalis distribueretur. Respub: hoc devincta Regi, ceu vero Patriæ amatori constitutione de hoc scripta datam eo tempore Ecclesiasticis exolvit fidem, & antiqua jura & privilegia bonorum Ecclesiæ de exemptione ab exactionibus & stativis militaribus per eandem constitutionem assecuravit, in ijsdem Comitiis 1670. Cœpit igitur respirare Patria, universus verò populus ardentes continuò fundebat preces pro invicto Duce, tanquã pro Patre Patriæ; uti re ipsâ penetravit oratio cœlum; dum ab obitu MICHAELIS Regis, nihil minùs cogitantem vocare dignatus est Dñus exercituum ad thronum Poloniæ, unxitq; eum in medio fratrum ejus. Priusquam verò deventum fuisset ad Electionem moderni Principis præcessit secundùm morem convocatio Generalis Vars: in qua confœderatio universalis omnium Ordinum Regni & M. D. Lit. jura Ecclesiæ in primam assumpsit curam, & in capite statim se circa Ecclesiam manere ita obloquitur.

A.C.1695 NOS Conſiliarij Regni & M. D. L. ditionumq; ad illas ſpectantium, Spirituales & Sæculares, Nuntij Terreſtres, & alij ſtatus omnes unius indiviſæ Reipub. &c: ſignificamus quæ verba unius & non diviſæ Reipubl. aureis neceſſum foret exarare literis, non tantùm in papyro; ſed multò magis in cordibus omnium, & ſingulorum viritim ex populis cujusq; gentis Reipub. inſcribere; uti etiam & verum ac ſincerum erga gloriam DEi à majoribus noſtris derivatum conſervantes zelum auro ſcribendi forent, quòd ſic ſuam inceperint confœderationem:

Quandoquidem omnia Regna & ditiones fundantur in vero DEi cultu & religione; hinc eſt quod per confœderationem noſtram nihil orthodoxæ Romanæ Catholicæ & ritûs græci unitorum Eccleſiæ ulli derogare concedimus; quinimò in defenſionem Eccleſiæ & immunitatum ejus exemplo majorum noſtrorum conſtanter nos perſtituros pollicemur.

Interim ſicut in omnibus rebus, quæ ad majorem DEi gloriam, bonumq; Patriæ geruntur, ſueverunt ſe admiſcere viciſſitudines; ita & eo tempore illæ non defuerunt; quæ malaciam Eccleſiæ & Patriæ interturbare niterentur; dum à felici in thronum inauguratione Regis cœpit res Eccleſiaſtica ex quorundam inductione novos pati impetitores, quos inter Domini Diſtributores à Republi. pro hibernis conſtitutione deſignati præcipui fuêre. Ii cum deberent eſſe cuſtodes legum & vindices, contra jura & conſtitutiones propemodum adhuc à recenti ſepia nondum exſiccatos tam Regni, quàm M. D. L. uſurpatâ ſibi poteſtate in ſtatu Eccleſiaſtico auxerunt hiberna, adjectis 50 millibus ad priora quingenta millia. Plurimum hoc commovit ſtatum Eccleſiaſticum, quò factum, ut ad debita juris remedia reſpiceret. Quare præmiſſis prælıminaribus manifeſtationibus, & proteſtationibus ad actionem in ſpirituali vel ſæculari foro inſtituendam in Comitiis felicis coronationis Regiæ an: 1676 conqueſtus Clerus eſt de hoc Eccleſiæ DEi facto præjudicio, imprimis à Ducibus, tum etiam à Diſtributoribus. Commovit ea res non parum Duces Regni, qui tamen non deflexerunt à via normaq; pietatis ac amoris in Eccleſiam DEi; ſed exhibendo media filiorum pacis, probare apertis documentis non deſtiterunt, non ſibi ſed diſtributoribus novum id onus tribuendum eſſe, eosq; de illo culpandos & requirendos, præſertim primum illorum. Quo tamen pacificarent Ordinem Eccleſiaſticum, declarârunt Duces ſe judicium exercituros cum ſummo rigore in ea vexilla; quæ quidpiam participâſſent de ea ſumma, vel extorſiſſent, vel qualecunq; gravamen aut damnum bonis Eccleſiaſticis intuliſſent & ad refuſionem ejusdem in inſtanti coacturos. Verùm Clerus, cui non agebatur de 50 millibus; ſed de præjudicio & præjudicato noluit ad ullum actionem dirigere, nec habendò Ducalem fidem obligatam nominati ſupremi Ducis Demetrij, qui Collega Regis ante fuerat, & ſupra conventa cum exercitu puncta ſubſcripſerat, voluit in privatas ſe intromittere actiones, ſed præfetulit in publica Eccleſiæ cauſa ſe cum privatis actionem habere non poſſe, nec inter injurias Eccleſiæ eorum privatis ſe contentare declarando aut ſatisfactione ea potiſſimùm ratione: quòd à privatis nulla ſecuritas, nec de futuro cautio ſubſequi poſſet. Præteritis igitur diſtributoribus & vexillis, quibus tales datæ fuerant aſſignationes, ſequendo diſpoſitiones juris Eccleſiaſticus ſtatus Principem Demetrium ceu Ducem reſpicere habuit neceſſè, qui potens præpedire & cohibere iſtam impoſitionem id tamen non fecit; quin perſvaderi ſibi ſivit, ut deinde ex Cancellaria illius prodiêrint aſſignationes pro ſumma ſic aucta, quod ſapiebat violationem jurium tam ſpiritualium, quàm

Patriæ

Patriæ gravemque Ecclesiæ & Reipub: læsionem. Et quia Ecclesia sancta quàm fundamentalissimam semper consvevit, utpote in causa DEi exigere de restituendo & non lædendo ampliùs cautionem: inde prætendit eam hac in causa status Ecclesiasticus, idque talem, quæ imprimis Principis Demetrij manu subscripta esset; tum etiam ad eandem, propter conservandam firmitatem juris specialiter à Rege in scripto accederet declaratio & Comitialis constitutio. Res initio ardua Ducibus videbatur; verùm inspectis fundamentis legum, jurium Ecclesiæ, dilectæ Matris, justitia & ingenita pietas in Ducibus prævaluit, hancque quam hic subnecto evicit cautionem:

Nihil justius, ac hoc; ut cuivis circa jura, contractus, conventa, & constituta verbum & fides data servetur. Quia ergo anno 1669 conventum inter Rñdmos Archiepiscopos, Episcopos, totum Clerum Regni ex una, ex altera verò parte inter Duces Regni, subscriptionibusque manu eorum propriâ firmatum, quòd Ecclesiasticus status Regni spontè consensit dare exercitui Regni in vim subsidii charitativi 500000 florenorum, quod postmodum in Comitiis roboravit constitutio: declaramus hoc scripto nostro Ecclesiasticos secundùm contractum supra nominatum & constitutionem 1670 non obligari ex bonis suis Ecclesiasticis contribuere hiberna, nisi sum̃am 500 millium, additamentum verò 50000, contra quod publicè Ecclesiastici coram Rege & Repub. questi sunt, à distributoribus bonis omnibus impositum, uti contra jura, sine scitu & consensu Archiepiscoporum, Episcoporum & Cleri privatâ authoritate, de toto tollimus, & cassamus, declaramusque nec exercitum, nec distributores futuros tam à Repub. quàm ab exercitu Deputatos, de hoc auctario requisituros: quia pro eo specialis constitutio Comitialis requireretur. In quem finem scriptum hoc manu utriusque nostrũ subscriptum Ecclesiasticis dedimus Cracoviæ 10 Aprilis 1676. Demetrius Princeps Wisniowiecki S.D.E.R. Stanislaus Jablonowski Pal. Rus. Campidux Regni.

Subsecuta deinde in eodem puncto à Rege declaratio, & in scripto ex Cancellaria Regni edita in hæc verba.

JOANNES III. D.G. Rex Poloniæ &c. significamus præsentibus literis, omnibus & singulis &c. Felix illud Regnum, in quo gloria divina floret, quæ ditiones & Regna sustentat, & Numinis iram avertit: quæ nos considerantes, videntesque proximam ruinam Ecclesiasticorum bonorum, nimiis exactionibus militaribus exhaustorum, anno 1669 adhuc tunc temporis existentes in Ducali officio feceramus cum statu Ecclesiastico transactionem; ut ille de bonis Ecclesiæ per Regnum existentibus exercitui nomine subsidii charitativi summam 500000 flor. exolveret; quâ exsolutâ imposterum à consistentiis, transitibus, hibernis, & aliis exactionibus prorsùs im̃unia bona eorum manerent. Qui contractus robur accepit à constitutione in Comitiis 1670: nihil verò æquius censemus & agnoscimus, quàm ut ea constitutio servetur, & manu teneatur, Quia verò postmodum præter prædictam sum̃am ab Ecclesiasticis concessam distributores pro hibernis assignati privatim imposuerunt bonis Ecclesiæ 50 millia florenorum, de quo dicti Ecclesiastici publicè in Comitiis conquesti sunt; hinc istud additamentum tanquam contra jura & sine consensu Rñdmorum Archiepiscoporum & Episcoporum, ac totius Cleri ceu iniquum penitus tollimus, mandamusque ne hoc auctarium futuri distributores tam à nobis, quàm exercitu Deputati requirere, vel imponere, vel accipere præsumant. Id cum aliorum tum

A.C. 1695 imprimis Ducum nostrorum notitiæ insinuamus, prorsùs liberantes bona Ecclesiastica à prædicto additamento, tanquam iniquo. Datum Cracoviæ 3tiâ April. 1676 Regni nostri 2do Joannes Rex &c. Hinc quivis argumentetur & concludat; quanto amore in dilectam Matrem Ecclesiam, quantâ erga oppressum Clerum Rex feratur compassione; nam, si adhuc Dux existens egit Ecclesiæ & jurium ejus defensorem, & protectorem; quid jam censendum de illo dum à Rege cœli & terræ ad Regium solium vocatus, ante unctionem sui, infinitæ ejus Majestati se jurejurando obstrinxit, Pontificibus Ecclesiarum DEI condignum & Canonicum honorem se exhibiturum, atq; ea, quæ ab Imperatoribus & Regibus Ecclesiis collata & reddita sunt, inviolabiliter observaturum: quando ab eadem infinita Majestate gladium accipiens loquentem ad se D. per os Sanctorum audivit: accipe gladium, ut molem iniquitatis potenter destruas, & sanctam DEI Ecclesiam ejusq; fideles propugnes & protegas: quando coronam Regiam capite suo suscipiens talem nomine Dei ab Ecclesia & Episcopis in impositione illius accepit informationem: accipe coronam Regni, quæ licet ab indignis, Episcoporum tamen manibus capiti tuo imponitur, in nomine Patris & Filii & Spiritus S. quam sanctitatis gloriam & honorem & opus fortitudinis significare intelligas, & per hanc te ministerii nostri participem esse non ignores, ita; ut sicut nos in interioribus Pastores Rectoresq; animarum intellligimur; ita & tu in exterioribus verus Dei cultor strenuusq; contra omnes adversarios Ecclesiæ Christi defensor assistas. Quæ omnia, si quis trutinaverit, & simul pium & Deum timens cor Regis perpenderit; comperiet utiq; recordantem Principem juramenti Deo vocanti ad thronum facti, ad armandam manum contra infestationes Ecclesiarum & ad participationem ministerij Episcopalis sibi intimatam necessariò accendi inflamariq; zelum ejus, sicut ignem ad tuendam Ecclesiam Dni, jura ejus manu tenenda, & servandum honorem Episcopalem. Hic simul quisq; pietatem & promptitudinem Ducum Regni attendat; qualiter illi exemplo Regis habuêre semper, habentq; cordi jura defensionemq; Ecclesiæ ac augmentum gloriæ Dei; spectent etiam zelum Reipub, quæ in iisdem Comitijs anni 1676 hoc totum scripto ad archiuum de belli subsidio & sustentatione contra hostes Reipub. dato roboravit, & constitutione sub titulo: Hiberna, munivit, iteratisq; vicibus sequentibus Comitiis & nominatim anni 1677 tum anno 1683 reassumpsit, & confirmavit per expressum constitutiones dictorum Comitiorum scriptisq; ad Archiuum assecuravit. Ex his omnibus quisq; pro primo & secundo puncto claras potest formare consequentias, quo jure & quâ firmitate Ecclesiastica bona fulciantur? qualiter Ecclesiastici & Episcopi in publicis Ecclesiæ Dei læsionibus se gerere & quam securitatem in illis requirere debeant.

An excommunicatio justa

Restat adhuc quæstio: An publicatio excomunicationis ad normam in ceremoniali Episcoporum præscriptâ facta, quòd in ea verbum apostasia impositum sit, concordet cum justitia? nolo me intromittere in ullam disquisitionem; quia id ad altius subsellium spectat: Sed tantùm brevibus insinuo: perpendendum est an Episcopus Vilnensis, ut Episcopus, an verò ut Apostolicæ sedis Delegatus causam arbitratus sit? si ut Episcopus; manifestus defectus est, fatendusq; illi foret: si verò ut Delegatus Pontificis; silendum: nam veritatem dicendo, nescio an aliâ formâ uti potuit præter eam, quæ in ceremoniali præscripta est, & quæ non immutato tenore pro gravioribus culpis in eadem excommunicatione expositis fieri debet. Quod verò in ea excommunicatione ponatur verbum apostasia: non impor-

importat illud, ac si excomunicatus vel excomunicandus à fide recesserit, vel etiam hæreseos aut schismatis reus sit; sed quòd alterius ab hæretica & schismatica apostasia differentis argui possit; sicut id à primis Dei Ecclesiæ cunabulis definitum & ex S. Gregorio constat; qui talem apostasiam ab hæretica ita distinguit: sicut duobus modis à Deo receditur; ita duobus modis à Deo homines apostatæ fiunt. Nam unusquisq; à Conditore aut fide recedit, aut opere: sicut ergò, qui ad perversum opus redit, ab omnipotente Deo apostata absq; omni dubietate deputabitur, etiamsi fidem tenere videatur: Quocirca etsi ij, qui Ecclesiæ injurias inferunt pro apostatis denuntiantur, tamen ubi ad absolutionem ventum fuerit, aliâ formâ absolvuntur & distinctâ apostatæ recedentes à Deo fide, qui in hæresim vel schisma prolabuntur uti idem Pontificale docet. Quæ vero culpæ & signa ejusmodi apostasiæ sint, ibidem S. Gregorius ex Ezechiele describit, ea, esse eosq; illorum reos; imprimis qui prævaricati sunt pactum usq; ad diem hanc, si durâ cervice & indomabili corde perseverent; sicq; enumerat: Ecce una culpa superbiæ, quia prævaricati sunt pactum: Ecce altera obstinationis, quia usq; ad diem hanc: Ecce culpa gravis impudentiæ, quia durâ cervice, quoniam mala quæ faciunt jam non erubescunt, & vel post culpas ad pœnitentiam non redeunt; quia indomabili corde sunt. Quæ omnia si in hoc negotio intervenerunt, si Ecclesiæ Dei privilegia & imunitates antiquitùs data ceu pacta inter Deum homines violata vel infracta, & qualiter temerata; si monitiones Pastorales rejectæ; si media pacis non acceptata; si signa pœnitentiæ & satisfactio usq; in diem hanc non subsecuta: Quo ad id incumbit Episcopo probatio, supremo autem subsellio cognitio. Interim hoc certum est, quod etiamsi excommunicatio Episcopi foret injusta & distorto animo facta, non eò ipso esset nulla, sed debet debitis remediis ab Ecclesia præscriptis tolli, uti de hoc meliùs & luculentiùs sacræ leges concludunt. *A.C.* 1695

His ad trutinam acceptis, sive amicabili, sive juridicâ decisione faciliùs solvetur ultima quæstio; quæ pars alteri obligetur ad dandam satisfactionem? quam si partes quoad personas ipsas loquendo respectu sui prætenderent; summè primùm considerandum est, per hanc occasionem gravissimè læsam esse S. sedis Apostolicæ in ejus Ministro authoritatem, pro cujus defensione non tantùm Ecclesiasticus quivis, sed etiam quisq; Christianus verus tenetur non solùm extrema quæque pati, sed etiam ultimam guttam sangvinis & vitam profundere: similem pietatē Regi Dño suo contestari, quivis bonus Reipub. civis obligatur. Quicunque ergo utriusq; huius est reus, ineat secum rationes oportet, an non contemptus juris divini & humani eum occupaverit? an non utrumq; id non datâ priùs debitâ satisfactione per simplicem deprecationem & condonationem abiêrit in amnistiam? an verò in suspenso remanserit: si in amnistiam abiit & ita facili modo est condonatum; dijudicet ipse, etiamsi quid summè offensivum inter partes intercessisset, num una pars alteram suffocare & ad extra ordinariam honoris reparationem cogere possit aut debeat? ne illi dicatur, omne debitum dimisi tibi, nónne ergò oportuit & te misereri conservi tui; sicut ego tui misertus sum. Si adhuc offensæ in suspenso hærent, nec pars rea obtinuit realem condonationem: tum non potest esse aliud secundùm Deum, jura, & conscientiam efficacius remedium, nisi ut reconciliata fratri suo læso humiliter coram Majestate Divina in ejus locum tenentibus Regnante, inflexo capite, contrito corde dicat: dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, ad id dummodò qualemcunq;
prompti-

A.C. 1695 promptitudinem ostenderit nullâ ratione dubitare potest quòd adhuc illo longè agente Pater ipsius misericordiâ motus accurret, & cadens super collum ejus osculabitur eum. Et hoc existimo primum & maximum pro pacificatione partium remedium dimittere reciprocè ex corde privatas læsiones; tum Majestati divinæ & Ecclesiæ ejus, Pontifici sũmo & Regiæ Majestati competentem dare satisfactionem; sine quibus utrisq; nec in hoc, nec in altero sæculo ullus peccatorum veniam consequi potest; siquidem ea est immutabilis & invincibilis in Ecclesia Dei lex, quòd non dimittatur peccatũ, nisi tã in honore, quàm substantia restituatur ablatũ. Nolo pluribus agere, nec, avertat DEus, accendere animos; nolo inquã, sive irrogatã authoritati Apostolicæ, sive Mti Regiæ exaggerare injuriã; nam id non foret opus Christianæ mentis, sed tamen teneor & quà Episcopus & quà Senator gravitatem earum rerum, quæ non tantùm Summo DEi Vicario & feliciter Regnanti, cui omnes obedientiam & reverentiam juravimus, sed etiam Reipub: factam præferunt læsionem, explicare. Notata nunquam Respub: nostra eâ labe fuit, sed nec Reges Poloniæ thronum hactenus occupantes; ut aliquando Nuntiorum Apostolicorum characterem minuere debuissent, sed semper eos in summa habuêre veneratione, tanquam Legatos Vices tenentis DEi, totius Christianitatis universalis Capitis, singularis Protectoris & Conservatoris; cujus Ministri quanta & quàm innumerabilia beneficia in oculis nostris, ut antiquiora prætoream, nascentis & crescentis libertatis tempora, Patriæ præstiterunt; meminisse quisq; velit recentes piæ mem: Regum CASIMIRI, MICHAELIS & feliciter moderni regnantis annos; reducendoq; illos in memoriam, imprimis arbitretur; quis ingruente Svetico bello & cum illo unà Prutenicâ, Moschoviticâ, Hungaricâ ac Cosaticâ potentiâ afflictis tum temporis rebus exulanti ex Patria Principi? quis defessæ Patriæ, libertati & juribus susq; deq; eversis intimiùs compatiebatur? quis consiliis, quis ardentioribus apud Catholicos Principes instantiis tantis malis medebatur? si non ALEXANDER VII. per Cardinalem Vidoni suum eo tempore de latere Nuntium, & indefessum in omnibus laboribus; castris Russiæ, Prussiæq; peregrinationibus, viis, residentiis Majestatum Casimiri & Ludovicæ Comitem? quis impedimenta pacis cum Sveco quæ Princeps Wydzga Varmiensis imprimis Epicopus deinde Gnesnensis Archiepiscopus descripsit, removit? & Patriam antiquum reponendo statum eam hostibus reponendo parem effecit? nisi constans dicti Cardinalis labor & continuæ operationes, quis ex graviore omnibus externis bellis intestina & domestica confusione Patriam eripuit? quis ultimum exitium minantia militum vincula & confœderationum nexus dissolvit? quis fastidienti thronum & cum summo tum liberæ electionis periculo ad abdicationẽ festinanti Principi, ejusq; Consiliariis Apostolico zelo animosiùs restitit? quis in Patria nostra meruit monumentum ære perennius? si non transiens per ignem gravissimorum impetuum, invidiarum & quidquid esse potest acerbitatum in Nuntio suo Ssmus Pontifex modernus: quis armatas ad bellum civile acies jamq; secum congredientes diremit & exarmavit? nisi idem cum summo sui periculo per aquas multas & fluctus populorum diffusæ per universam Poloniam malevolentiæ transiens idem Pontifex; cujus exemplo & solicitudine ac resolutione zelosissimi Pastores Venceslaus Leszczynski Primas & Andreas Trzebicki Cracov: Episcopus, uterq; piæ m. defuncti animati in vertice rhedarum suarum, aut postrema parte currus cum periculo vitæ per flumina & torrentes, tra-

tranantes magis, quàm discedentes medij inter utrasq; acies lacrymabundi authoritate ejusdem Pontificis suffulti, tamdiu steterunt; donec tam Mtem subditis reconciliarent, quàm civium animos mitigarent, pro quo æternum Ssmo Patri se debere trophæum resuscitata Patria confitetur. Quis ab abdicatione Regis CASIMIRI majorem conservationis Patriæ contestationisq; amoris sui curam gessit? si non CLEMENS IX. qui de felici Electione solicitus universæ Christianitati publicas pro felici successu ejus indixit Orationes; quis in eadem Electione pacificationi diversarum inter status turbarum, & quò vindicias daret oneratis juribus Ecclesiæ supra nominato cum Exercitu Tractatui, & punctis vivâ operâ & labore fortunatiùs succurrit? si non Cardinalis Mareschotti ejusdem Ssmi vigilantissimus Nuntius. *A. C. 1695*

Quis in auspicijs ipsis Regni piæ m. Regis MICHAELIS pullulantes inter aulam & magnam partem Reipub: grandesq; in ipso Ecclesiastico statu Personas differentias felicius restinxit? quis scissuram Reip: præsentiùs præpedivit? si non sub tempus Nuntiaturæ suæ Nerli. Quis si non CLEMENS IX. per personam Cardinalis Ranutij congregatas sub Golębio comuni motu acies, & ferventes in bellum Civile animos ad pacis studia moderationemq; induxit? quis accensas contra piæ mem. Prazmowscium Primatem mentes & evocationem ad judicium sub Golębio personæ ejus contra Jura Divina & humana, minantesq; supremã ruinam Archiepiscopatui armatas acies generosiùs absterruit? quis in Comitijs 1670 pacificandæ Reipub: majorem ostendit zelum? si non idẽ Nuntius Cardinalis Ranuci.

Quis sub tempus Electionis feliciter moderni Regnantis nomine ejusdem Summi Pontificis sese ad pacificam & proficuam Patriæ Electionem, ad moderandum concurrentium Externorum ambitum & sedandos in diversa studia scissos civium animos, vivaciore sermone & persvasione, efficaciq; labore applicuit? quis sub illud tempus quo per biennium ab Electione sua Rex magis Patriæ salutem & hostem per Ucrainiam & Podoliam, quàm coronam indagabat, victricibusq; antè lauris quám aureis insignibus sua tempora coronare laborabat, absente & hyemante in hostico Principe, serpentes interea turbidarum mentium ad confundendam Rempub: in ipsis primordijs Regni modernæ Mtis & abducendum Principem à tam gloriosis & heroicis operibus atq; victorijs enascentes partus in herba opprimere non cessavit? si non Cardinalis Bonvisi.

Quis in bene ominata Regis coronatione cum vix Cracoviam advenisset & sub incude differentias statûs Spiritualis reperisset, earum pacificationi primùm in Regno, deinde etiam in M. D. L. anno 1678 uti fusiùs enucleabitur sumâ magnanimitate, labore, & curâ intendit? si non Nuntius Martelli Archiepiscopus Corinthi: quis ad conterendam potentissimam hydram Orientalem & per illam ad im̃ortalem gloriam Principi nostro, in ejusq; persona Polonæ genti ad comparanda de tota Christianitate merita per triumphatum ad Viennam Orientem, iteratamq; ejusdem ad Strigonium & Parcanum cladem latiùs portas aperuit? quis unquam fusiùs paternum amorem & affectum in gentem Polonam effudit? si non INNOCENTIUS XI per Cardinalem Palavicini, qui continuo labore, vigilantiâ & solicitudine ac liberalibus Pontificis pro hoc bello impensis nostræ felicitatis urgebat incrementa; nisi ipsi nobis cursum sub felici & sancto Pontificis hujus gubernio præpedissemus, per cujus curam quos fructus spirituales & temporales Patria nostra rece-

perit

A. C. 1695 perit; sæcula olim & sera loquetur posteritas. Quis Patriam nostram post amissos jam illo tempore in obsequio Christianitatis ternos exercitus fessam, magnis contributionibus gravatam, & in debilitate sua iniquæ sorti & præcisæ augendæ Reipub. spei indolentem, blandiore affatu & solatijs erexit ad meliorem præsumptionem? quis ad merendum ultimis de Christianitate viribus illam accendit? nisi Sedes Apostolica per Cardinalem Cantelmi.

Supersedeo hic & nunc enumerare alia ingentia & innumera commoda, quæ ex zelo, justitia, vigilantia, & prudentia in publicum & privatũ bonum, uti ante, sic modò Nuntiorum Apostolicorum emanant: Non eget hæderâ virtus: Ipsa pro se perorat; ne tamen quis dicat? quòd hunc liberalem fontem injuriosâ præteritione arefacere cogitem, & id silere, quòd jam toti Reipub. ad Comitia congregatæ notũ patulumq; fuit: Breviter mihi insinuandum est, nos brevi tempore tria habuisse Comitia, quæ quàm studiosa & accurata Andreæ Sanctacrucij Archiepiscopi Seleuciensis Nuntij moderni prævenerit vigilantia, & circa bonum Ecclesiæ, Patriæ, hujusq; Episcopi Vilnensis causæ juribus Ecclesiæ & Patrijs gravis nimium, ab ejus primordijs, diligentia & solicitudo; abunde testabuntur omnes Præsules & tam Ecclesiastici Reipub, quàm sæculares Proceres ad consortium curarum & conatuum compositionemq; hujus negotii præviis instantibus literis à dicto Nuntio benè ante Comitia invitati & accensi, quorũ cuivis, quem vel sinistræ interpretationis vel proprii mali amor, aut livor nõ præpedit, fatendũ est, neminẽ sacris Mtum votis & intentionib⁹, supra vires humanas conatib⁹, laborib⁹ assiduis, curisq; circa hanc causã inter Episcopum & Palatinum Vilnenses, intoleranda post se iuris, Ecclesiæ, & Patriæ ipsorumq; Comitiorum præjudicia trahentem, tam antè, quàm in Comitiis componendam, jura Ecclesiæ & Patriæ manutenenda, Comitia sustentanda, zelo meliori, spiritu dulciori, charitate profusiori secundiorem extitisse; acrimoniam partium mitigâsse; ardentes frenâsse impetus; animos ad amorem persvasione temperâsse; quæ omnia si tempestivè & gratè suscepta fuissent, nihil certius & imunitatem Ecclesiæ in integro, & Comitia in suo esse & Rempub. in securo remansura fuisse. Nec id minùs cuivis fatendum est; quòd quàm primum Ecclesia DEI Matrem, fides autem Catholica in Patria nostra Matremfamilias agere cœpit; ex nunc etiam Romani Pontifices veri Patres Patriæ; jurium illius & libertatum cum eadem fide & Ecclesia inchoatarum, & sub ejus auspiciis incrementa sumentium, cumq; lege divina concordantium speciales sint & fuerint protectores, conservatores, ac promotores, consequenter amantissimi hujus Patris Ministris non potest, nisi cum summa ejusdem injuria; debitique amoris & obedientiæ filialis detrimento competens iminui respectus & reverentia. Cogor adhuc pro jurata Principi & Patriæ fide addere distinctionem læsionum Majestatis Principis quarum personæ reæ sunt, si suis offensis Rempub. apertè vel occultè involvunt. Nemo dubitare potest; qui vel primis labris jura divina & Patria attigit, quamq; subditum Principi suo tam in Monarchico, quàm Electivo Regno omnem debere fidem, reverentiam, & secundùm jura Patriæ ac juramentum obedientiam, cumque illa vitæ & substantiæ profusionem. Ita peccat ille; qui occulto modo honori & authoritati Regis injurius est; uti & ille, qui apertè aliquid contra honorem molitur: ea tamen differentia est inter occultas & apertas læsiones, quòd occultæ non semper involvant Rempub. nec ullus eas judicare possit; donec apertæ fiant, sed cuivis incumbit judicare semetipsũ

coram

coram DEO & Sacerdote: apertæ verò involvunt Remp. directè; quia occasio sunt turbationis Reipub. jura ejus quibus se circa authoritatem Regis obligârunt, infringunt; Rempub. in capite, Regibus scilicet suis contemptui habent, illiusque authoritatem & respectum tollunt. Non potest etenim Respub. à talibus Mti infestis etiam in inferiore statu sperare respectum & reverentiam; siquidem juramento & subjectione obligati toti in capite suo Reipub. id non persolvunt debitum. Idcircò cavit id juribus, & se ipsa obligavit, & quemq; ejusmodi, qui collectione militarium hominum & tumultibus cōmunem pacem sub prætextu integritatis Reipub. violaret, sub ferula jurium Patriæ habere voluit. Non fuit tamen ejus intentionis, ut sive Senatori, sive Nuntio non liceret diversum sensum jure divino & Patrio fultum promere, servato nihilominùs debito erga Majestatem respectu & modestiâ; nec vetuit imò obligavit; ut pro jurata fide, si quid nocivi contra Principem, Patriam, & libertatem à privatis practicari sciverit, cum respectu reæ Partis & modestia deferret, initis ante rationibus domi, an non alter modus æquè efficax sine publica infamatione suppetat? & an id quod asserit bonâ conscientiâ debitisq; palàm argumentis probare possit. Nec novū fuit Senatores & Nuntios diversi sensûs à Regibus fuisse; quin amici ab amicis, sangvis à sangvine, fratresq; Germani in rationibus conservandæ Reipub. diversam tenuêre viam; nec id sive apud Principem in respectu, nec apud amicos & sangvinem in amicitia præjudicavit, ideò; quia ea gerebantur cū respectu Principis & Reipub: in suis ordinibus congregatæ, modestiaq; in omnes, nec ullatenùs ad vindicias Respub: provocabatur. Verùm quando authoritati sedentis Principis quomodocunq; præjudicari cœptum; dum se in suis orationibus in facie ejus partes proscindunt; dum Senatus vili penditur; quodq; ampliùs dum actiones & sensus juri Divino & Patrio adversi potentiâ, tumultibus, & vi non justitiâ promoventur; dum facies Reipub: & norma consiliorum immutatur; dum inaudito in Patria exemplo in loco consiliorum contentiones, maledicta, honorum læsiones; cavillationesq; reciprocantur; dum Reipub: modus se salvandi tollitur, dum exercitus benè meritus sine salario, Duces sine milite, Respub: sine tutela, hostibus aperta esse ac ultimum fatum timere cogitur; jam tum Senator fide juratâ Principi & Patriæ obligatus imò quivis civis & Respub: tota queratur, involvatur, libertatiq; & æqualitati consulat tantò magis necesse est; quantò à potentioribus in Patria civibus tales patrantur exorbitantiæ, cui involutioni quisque, si modò DEum, Patriam & pacem amet, in herba occurrere, & oriens ex dilatione ac dilatatione ejusmodi casuum & rumorum incendium, omni conatu extingvere obligatur, stringendo omnimodâ persvasione & instantiis eos, quibus id imputari potest, ad dandam competentem quantociùs & sine dilatione satisfactionem, quò ad pacem Patriæ; omnimodè item cooperando ad flectendam clementissimi Principis mentem, cujus humeri & sinus Paternus etiam errantibus ovibus & filiis semper fuit & est patentissimus. Et quia supra posui cautionem Ducum; uti & transsumptum declarationis Regiæ, cujus utriusq; apud me sunt originalia, & quod eundem effectum etiam in M. D. L. utrumq; sortitum sit, informationem dare debeo. *A.C.* 1695

Ante Comitia anni 1678 Grodnæ imminentia diversæ prodiêre, & literæ, & scripta, formam manifestorum ad cautelam Reipubli. præferentiâ, de periculosa, Regno ac M. D. Litvaniæ perniciosa, indebitæ potestatis usurpatione contra supremum Ducem exercituum Litvaniæ

A.C.1695 vaniæ; quæ diversi tam Senatorij quàm Equestris Ordinis, & ij etiam qui strictiùs erant Duci obligati, ipseq; Dux diversis tam in Regno, quã M. D. L. communicavit. Eorum contenta meminisse nolo: ne videar recoquere cramben, vel præsentia tempora cum præteritis comparare velle; illud solùm insinuo, quòd ex iis omnibus, quæ scriptis illis asserebantur, à gnaris statûs Reipub: concludebatur; quòd tanta, qualis ibi describebatur potestas, videbatur imprimis minari juribus Ecclesiæ tempestates, dignitati & Mti detrimentum, æqualitati verò & in M. D. Lit: Regnoq; & juribus Reipub. pericula, exercitui Litvano ingentes injurias augurabatur. Horum scriptorum fides tum quibusdam in publicum actionibus augebatur, tum hoc; quòd Dux à proprio consangvineo Episcopo Vilnensi desideret ratione aggravationis bonorũ Ecclesiæ, augebatur diffidentiis cũ Principe Radivilio tũ Procancellario & Campiduce Litvaniæ, Palatino Polocensi, qui modo Castellan⁹ Vilnensis, & Campidux, Mareschalco, Præfecto stabuli, & Incisore Litvaniæ, aliisq; genere præclaris viris, qui tum temporis circa Mtem Principis, jura Ecclesiæ & Patriæ penesq; æqualitatem ardenter & zelosè se opposuêre. Augebatur præterea accessu vexillorum Procerum quorundam Litvaniæ ad exercitum Regni; qui imprimis rapuit oculos Patriæ, convertitq; animos per diversos Palatinatus, ad scrutandam porrectarum cautionum veritatem. Quia verò melius inveniri remedium non poterat, quàm Comitia imminentia; ideo per Comitiola antecomitialia in varijs Palatinatibus & terris formati fuêre articuli, ratione remedij harum inconvenientiarum. Quia verò Comitia illa gravissimas post se trahebant consequentias, erantq; in summo rupturæ periculo; adjecerunt animum magna nomina, quò privatim componerent differentias & occurrerent periculo Comitiorum, nominatim Episcopus Cracov: ceu providus Pastor & Senator supplendo vices vacantis sedis Archiepiscopalis. Præibat ille literis suis tam ad Ducem Litvaniæ, quàm ad alios inflammando singulos, ut initis rationibus conscientiæ suæ, amoris in DEum & Patriam, ac proximum, accedere vellent ad media pacis, & ab eo omni quod in contrarium juri Ecclesiæ & Patriæ fuisset, suos & aliorum animos avertere; relinquendo ita Ecclesiam, Patriam, & æqualitatem in tuto, & toto; uti jus Divinum & Patriæ descripsisset. Susceperunt id tanquam à Pastorali manu omnes, quotquot conveniebantur; Dux imprimis declarare oretenus & per literas diversis Magnatibus non destitit; se in iis Comitijs probaturum aliâ existimatione se dignum fuisse: rogavit interim enixè Episcopum, ut iis Comitiis interesse non gravaretur, in quibus utpotè paratus esset futurus ea facere, quæ viderentur facienda in differentiis cum Episcopo Vilnensi. Verùm quia Episcopus Cracoviensis ob afflictam valetudinem iis Comitiis interesse non potuit, videns diversos Proceres boni sensûs boniq; publici & traquillitatis amatores, quos tam Senatoria, quàm Nuntiorum functio ad eadem evocabat Comitia, scripsit ad illos rogando; ut per rationem publici Grodnam accelerare vellent; nec omisit quosdam informare de diversis ex ea occasione. Cùm verò plurimi extincturi hunc ignem ad Comitia convenissent, factum ut alij in initio statim illorum malè ijs ominarentur, alij magnas turbas præter rupturam Comitiorum ex dissidiis inter Ducem & dictos Proceres metuerent: verùm aliter res istas divina manus direxit. Nam quantum ad res Ecclesiasticas, in ijs per efficacem cooperationẽ Nuntij Martelli Episcopi Corinthi, qui durissimâ hyeme Grodnam tum temporis, necdum ita ædificiis auctã profectus, ingenti nisu & conatu quamvis

ægrâ

ægrâ valetudine tam pacandis rebus Ecclesiasticis, quàm redintegrandæ unioni inter Episcopum & Ducem sese totum impendit, collaborantibus aliis Episcopis. Ostendit se Dux facilem, sanctoq; exemplo Regis & Ducum Regni declaravit se provisurum in ijs Comitiis, pariturumque de non lædendis ullâ ratione privilegiis, juribus & immunitatibus Ecclesiasticis. Quantum ad res statum Reipub. concernentes, incomparabilis nunquamque satis laudata Regis providentia ac circa bonum publicum solicitudo occurrit malis; quæ adversæ sortis malignitas Comitiis minabatur, designatis pro conciliandis partibus Deputatis, quos inter & me de Senatu Ecclesiastico esse voluit. Ibi qui tractatus, quæ sessiones cum adversa parte, objectiones, concertationes, probationes, & refutationes, ab utrinq; fuerint, scribere nolo: quia horum feliciùs ipsimet adhuc meminerunt. Illud tamen præterire nequeo; summam inter partes dissidentes, etsi inter gravissimas ab utrinque objectiones servatam fuisse modestiam, & respectum sui, dum semel duntaxat supremo Duci in illo fervore minùs cautè insolens consessui Senatorio elapsum fuisset verbum; in instanti ab omnibus præsentibus voce obrutus fuit, & consurrexêre omnes de loco suo allegando, se ferendæ non esse tantæ in sermone ob respectum lateris Regii & dignitatem Senatorii consessus incautelæ: advertit id ipsum statim Dux, & ex nunc heroicâ generositate correxit errorem, datâ tam designatis pro concordando Proceribus, quàm etiam adversæ parti satisfactione, intimando se non animo lædendi, neq; collimando in quenquam ex consessu, sed per incautelam doloris fervorem & amaritudinem animi locutum. Collatâ igitur re, separatim à partibus, nolentes tam sanctum opus interrumpere Deputati advocârunt adversam partem, mutuoque consensu reassumptâ sessione rogârunt primum de gremio suo Senatorem; ut explicato dolore Deputatorum commendaret Senatorii consessûs respectum. viciniâ Mtis commemoratâ, quæ omnia Dux grato & generoso excepit animo. Tantus tum adhuc respectus fuit lateris Regii, quamvis non tam vicinus esset: sessio enim ea extra anticameram Regiam absolvebatur, continuataque illa fuit paternè manuducente Rege prorsùs feliciter & ingentes ad pacanda Comitia sedandosq; animos attulit fructus. *Primus* fuit felix finis Comitiorum. *2dus* quantitas hibernorum sancita, quæ ante incerta à manu & dispositione Ducis supremi pendebat. *3tius* quantitatis istius & panis hiberni distributio, non jam à solo Duce, sed etiam Deputatis facienda & in rem exercitûs ad normam hibernorum Regni prævio juramento convertenda. *4tus*: Quòd pro coactione hibernorum ad Ecclesiastica bona & Regalia nulli Deputati militares, quocunq; titulo mittendi aut bona aggravanda, consequenter assignationes pro extradendis dandæ imposterum essent. Verùm hæc inter omnia fons & origo mali majore ex parte latuit; quando patuerunt Ælamitæ; qui in obscuro persuasionibus suis & consiliis rectum aliàs cor Ducis & in occultis imaculatum quemq;, & vel maximè Regem sagittabant volentes in effectum deducere; quod Isaias scripsit: Ælam sumpsit pharetram & parietem nudavit clypeus; hoc est: ut per illorum operationes clypeus Regius elongaretur ab hoc pariete, id est, Duce suo. Revelatæ & visæ sunt multiplicatæ scissuræ in pariete, quem quidam liniebant sine paleis & absq; temperamento, luto adulationis & insusurrationis: patuerunt artes eorum, qui consuebant pulvillos sub omni cubito manùs, & faciebant cervicalia sub capite universæ ætatis, ex una parte persuadendo Duci sub specie authoritatis insolita; ex altera eundem odiosum Regi & Reipub. redden- *A.C. 1695*

 do,

A.C. 1695 do, faciebantq; hoc ad capiendas animas, ut cum caperent animas populi, vivificarent animas suas, suumq; interesse fulcirent seminando discordias & metendo bella: patuerunt etiam ij, qui propter pugillum hordei, hoc est ob exile & indignum memoratu interesse privatum, pensiunculas & obventiunculas parati erant interficere animas, quæ non moriuntur, mentientes populo credenti & spargentes falsos rumusculos sub specie defendendæ libertatis. Verùm id totum confudit divina manus, & pietas Regis qui non avertit faciem aut cor aut clypeum suum à pariete sed dedit illi protectionem & oblivione prætereundo injurias suas ex amore conservandi Patriam, insuper Regiâ interpositione porrexit media partibus ad extingvendas diffidentias, & odia ex illis orientia, à quorum quàm felicissima eo tempore compressione, indeq; totius Reipub. cum admiratione & stupore omnium gentium labore & curâ plus quàm Paternâ Regis à præsentissimo turbarum periculo terra nostra dedit fructum suum; perveneramus ab intra aliquantum ad pacem, quæ quàm non ad gustum acciderit ijs, quorum pessimæ patuerant artes, Æ-lamitis, facilè quisq; assequi ex supra memoratis processibus potest; quibus & nunc sagittant Rempub. moventes omnem machinam, ut secundùm scripturam suscitare possint Leviathan, hoc est illum sive draconem, sive cete, sive infernalem Chimæram initio hujus sæculi in spatiis imaginariis mentientium mentium natam, & extinctam, cui nomen aliquid: pro quo verò? nisi ut Rempub. misceant, & in diversa studia scissam impotentem sibi ad consulendum faciant, ut intervenientibus fatis Reipub. fatalibus, quæ per gratiam DEI, preces Ecclesiæ, Patriæ, & in illa oppressorum vitâ suâ non attingent, mercatum exercere & magnas domus persuasionibus, spe & vulpinis consiliis suis sub specie illorum domus promovendæ, libertatis servandæ, firmandæ potestatis, ad indigna adducere & turbare valeant. Et quia hæ sagittæ illorum non sunt sagittæ Jonathæ, ad salutis publicæ metam collimantes; sed sagittæ redeuntes in ipsosmet: quid faciunt? omnem movent lapidem, ut sagittã illam in pharetra Paterni sinûs Mtis Regiâ manu absconditam, ex hac pharetra quomodocunq; extrahere & à tam dulci sinu separare ac Ecclesiæ & Patriæ suspectam reddere valeant: sed jam in hoc tota Patria ora oculosq; convertit, an electa hæc à Principe & tenerrimè dilecta sagitta, omnibusq; quæcunque esse potuerunt in Israël ornamentis ab ipso sicut sponsa decorata, poterit oblivisci ornamenti sui & fasciæ pectoralis suæ? possibiléne erit, ut hanc fasciam pectoralem id est obligationes suas ex corde Regis, Paterno amore erga se flagrantis procedentes, & ea decora quibus ex ingenti Majorum suorum in Deum pietate & meritis in Principem, & Patriam à sæculis gloriatur, equis istis Sejanis publico Patriæ, & privatorum infortunio famosis concredat? attendit etiam hoc magnas de futuris formanda consequentias, an quocunq; modo tam à Materno Ecclesiæ & Patriæ sinu, quàm à Paterno Regis vel ad brevissimũ tempus divelli? an contra omnimodè concurrere volet ad id ut testatâ constantissimâ & nunquã per Majores suos violatâ utriusq; sinui adhæsione de affectu Regis & Patriæ, per citissimã Ecclesiæ, Paterniq; Mtis cordis, Patriæq; conciliationẽ, quæ res moram non patitur, mereri satagit. Quod si citò & indilatè factum fuerit, exhibebit realem gloriæ Dei in veritate, Principi & Patriæ in sincero amore tesseram & exemplum; quod uti cum tædio Patria præstolatur, sic quàm primùm consecutum fuerit, de alcyonijs diebus & malacia sua, & eorum, qui errore abripiuntur reditu ad cor & vias planas certam spem concipere poterit; siquidem non sunt in

Patria

Patria nostra tam obstinata & adamantina corde, quæ reverti & quidē citò nollent, præsertim exemplo, solicitudine, & curâ ad illos reducendos accedente, ad quod inter alios duo præcipui modi sunt efficacissimi devincendi illos: Primus constat rationibus, *alter* orationibus. Quod ad primum attinet: Spiritu magnorum illorum Episcoporū Poloniæ Prophetico & Apostolico spiritu plenorū Sokolowsciorū, Sulikowsciorū Trzebiciorū repræsentetur Reipub. æquè terribilis ac certa & infallibilis romphæa vindictæ Dei super nos pendulæ, uti repræsentavit eo tempore Regis STEPHANI magnus Ecclesiastes Sokolowski probando & demonstrando, nos in omni eo, quod ad excidium Regnorum unquam pertinuisset non tantum adimplevisse, sed etiam superâsse mensurā, quod causis cum nostris in omni concordantibus & exemplo in omnia Regna horrendo excidij Hierosolymitani demonstrat. Repræsentetur & assiduæ commendetur reflexioni status Reipub. & libertatum nostrarum lubricus admodum; uti olim repræsentavit magnus ille Archiepiscopus Leopoliensis Sulikowski, qui Rempub. nostram constitutam, libertateq; velut adamantino muro adeo munitam, cui ne extrema quidem vis quantumvis maxima, non tantum ullum detrimentum afferre, sed ne quidem movere posset, tandē demonstrativè exhibuit eam ceu bullam in aquis ceúque stipulam in igni, simul & semel ab uno domestico dissidio, confusione, & scissione perire posse: Repræsententur & in memoriam reducantur verba Sancti & intemerati Episcopi ac Principis ANDREÆ Trzebicki quæ palàm & plenâ Repub. in Comitijs Varsaviensibus edixit, tali modo & processu Reipub: nisi ab illo recederemus, futurum ut 40 anni non impleantur, cùm Nuntiorum hypocaustum & consequenter cum illo etiam aurea libertas ac æqualitas peritura esset. Quibus uti nihil terribilius, ita nihil certius tam ad considerandum quàm evadendum ejusmodi periculum; alijsq; rationibus præsentius medium est; in quas me non intromittendo ultra pergo ad secundum id est ad orationes. A. C. 1695

Opto imprimis particularem renovationem antiquarum intentionū, quas antecessores nostri nominatim in fine antecedentis & initio præsentis sæculi expresserunt, petendo explicitè Mtem divinam ea omnia, quæ ad internam conservationem Patriæ necessaria sunt, instillando cum lacte & doctrina Catechetica cujusq; conditionis teneris plantulis, id ipsum; quod ad verum secundùm DEum & jura ejus Patriæq; viventem, saluti suæ attendentem, Patriæ & veræ libertatis amantem, pertinet Polonum: quod omne Apostolico Spiritu plenus Petrus Skarga Societ. IESU Sigismundi III S. Ecclesiastes in brevem collegit synopsim, & Palatinus Sieradiensis modernus, ut omnibus tam in hac una indivisa Repub. nostra existentibus, quàm exteris Gentibus manifestum fieret, quid à nobis Deus in Patria nostra, quid Patria, quid illibatus candor antiquo-Polonus exigat, quidq; contra abominetur? præclarè latino Idiomate expressit, sic rationes reddentem Mti divinæ inducendo Skargam:

Ad Consiliarios quoq;, Senatores, Equites, ad domesticos & servos ejus id est Regis, in Comitijs & conventibus fungebar Dne DEus Salvator meus legatione tuâ, admonebam; ut utramq; Matrem suam Ecclesiam DEi & Patriam in eadem fide conjunctam fideliter & ex animo diligerent: ut eas hæresibus non scinderent, neq; discordias in illis disseminarent, quibus utræq; perimuntur: Ut bona consilia suppeditarent, nonnisi publicum bonum respicientes; domos verò & privatos suos respectus libenter propter illud amittendo, si necessitas exigeret: ut Reges & Principes suos debitâ fide & cultu honorarent atq; obedientiam redderent, ac

 pro

A.C. 1695 pro Mtis illorum irreverentia justè indignarentur, & quodlibet murmur de illis evitarent, sincerum inter se ac integerrimum affectum retinerent; ne libertate suâ perirent, Principumq; exterorum servile jugum cervicibus suis inducerent. Zelo & Spiritu Ecclesiastico loquebar ad eos ac pro munere meo clamabam Dne ut contra hæreses, homicidia, adulteria, incestus, usuras, extorsiones, rapinas, invasiones, & alia enormia scelera, meliora statuta expeditioremq; justitiam adinvenirent, cædibus & sangvine ac injurijs Ecclesiarum & pauperum oppressione pollutam terrā suam emundarent, ut ab arrogantia, luxu & sumptibus prodigis in usu pretiosarum vestium, viniq; potationibus & voluptatibus abstinerent, opes verò suas & facultates ad defensionem Reipub: & dilectæ Patriæ, ad sublevandos inopes & decorem domûs Dni converterent: Minabar eis, pro ut mandâsti indignatione & excidio eorum ab hostibus, devastatione quoq; & translatione Regni ad alias Gentes: proponebam illis ante oculos mentis, quemadmodum barbararum Gentium gladius cervicibus eorum impenderet, qui Provincias vicinorum populorum & vitam devorat; ut exemplis severissimæ justitiæ tuæ emendarentur, atq; de majoribus sceleribus suis, quæ eandem justitiam non effugient, consurgerent.

Hic ampliora non addo; sed quemvis civem dilectæ Patriæ nostræ, tanquam is, qui integritatem ejus & salutem animarum Patriotarum meorum cordicitùs amo, ad hunc piissimum remitto Ecclesiastem; ipse verò infra omnes abyssos memet demittens in unitate cordium universorum tam in triumphante, quàm militante Ecclesia existentium corde contrito & humiliato cum eodem pio Concionatore ad Majestatem divinam clamo:

Obsecro Dñe & mecum & cum his qui hic audiunt, non intres in judicium, sed consvetudine & naturâ tuâ utaris nobiscum; non propter nos, sed propter te ipsum, ut per Prophetam dixisti, propter magnam gloriam nominis tui, fac nobiscum pactum sumpiternum, & non desinas nobis benefacere: infunde timorem cordibus nostris; ut nunquam à te recedamus, nobisq; benefaciens habeas lætitiam & gaudium ex nobis: da nobis cor novum & novum spiritum, aufer lapideum cor, & da carneum tribuasq; id; ut ambulemus in mandatis tuis, ut nunquam desinamus esse populus tuus, tuq; DEUS semper noster sis.

NUNCIJ APOSTOLICI Ad R. P. ZEBRZYDOWSKI ORDInis Minorum S. Francisci de Observantia in causa non servatarum censurarum à P. Bykowski.

NUper ad nostram deductum est notitiam, quòd recurrente celebratione Capituli Provincialis Minoris Poloniæ, & Lit. ejusdem Ordinis Pater Antonius Bykowski licet voce activâ, & passivâ privatus, atq; inhabilis ad quævis officia declaratus, ob non paritionem mandatis Illmi Dni Episcopi Vilnen. tum quoq; nostris, & S. Sedis Apostolicæ, circa servandas Censuras, aliàs ratione læsæ Immunitatis Ecclesiasticæ, ab eodem Illmo Dno Episcopo publicatas juxta decretū SanctæCongregationis super Immunitate Ecclesiastica diei XII. Novembris 1694, & sublevationis, sive absolutionis cum reincidentia à censuris, ob prætactam causam incursis insimul cū alijs Regularibus, non petijt, neq; obtinere curavit, & hucusq; illas

non

non sinè gravi benè sentientium scandalo sustinet in postpositionem propriæ vocationis & auctoritatis Apostolicæ cujus est, & præsumpsit præfatum Capitulum intrare, usum vocis usurpare, & quod pejus est procurare se elegi in Provincialem, prout de facto nulliter, & illegitimè eligi, ut asseritur, obtinuit. Nos habita tali notitiâ, & captâ super præmissis sufficienti informatione, pro solicitudine nostri muneris Apostolici, tantum scandalum tollere, & delere, ac necessitati dictarum Provinciarum, quantum in Dnō possumus, providere cupientes præfatā Electionem cum omnibus inde secutis suspendendam esse duximus, prout authoritate quâ fungimur, Apostolicâ, per præsentes suspendimus, quousq; aliud à Sctā Sede Apostolica, vel aliàs, à quibus de jure super his disponatur, & admodùm Rndæ Paternitati Vræ Nobis de prudentia, pietate & activitate optimè commendatæ, præfatarū Provinciarum Minoris Poloniæ, Lit. gubernium committendum esse, prout eâdem authoritate, per præsentes omnem, & quamcunq; ad id necessariam facultatem, & auctoritatem eidem tribuendo, plenè committimus; mandantes propterea omnibus & singulis Religiosis præfatarum Provinciarum Ordinis supradicti S. Francisci de observantia, quatenus Paternitatem V. pro Provinciali ad interim, ut supra à nobis deputato, seu Rectore hujusmodi Provinciarum agnoscant, eiq; uti legitimo Superiori pareant, & obediant, sub pœnis in constitutionibus Ordinis, & dictarum Provinciarum contra Rebelles, & Refractarios contentis, & extensis, & alijs Paternitati V. benè visis; Paternitatem verò V. seriò hortantes, ut in sibi commisso munere taliter se gerat, ut omnia ad utilitatem Provinciarum, decorem Religionis, & ædificationem aliorum dirigendo, optimi Villici nomen, & mercedem consequi mereatur. Volumus autem, quod copijs harum præsentium, postquam publicè in Conventu, in quo ad præsens Paternitas V. commoratur, fuerint lectæ, & publicæ manu Paternitatis V., ejus Secretarij ad id à Paternitate V. deputandi subscriptis, & sigillo ejusdem Conventûs communitis, si commodè haberi poterit, sin minùs etiam absq; eo, plena, & omnimoda adhibeatur fides, ac si nostræ originales literæ forent exhibitæ vel ostensæ; non obstantibus. A. C. 1695

A. Archi Episcopus Seleucien. N. A.
Franciscus Bentinus Auditor Gnralis &c.
Adalbertus Skwarczynski Cancellarius.

Ex libro expeditionum Gratiarum Illmi & Rndmi Dni Dni Andreæ Sanctacrucij Archiepiscopi Seleucien. & Nuntij Apostolici in Regno Poloniæ commorantis extractum, & sigillo ejusdem communitum.

COPIA LITERARUM STANISLAI GODLEWSKI GUBERnatoris Nurensis ad Judicem Sochacoviensem, quibus Transactionem Comitiorū nec inchoatorum nec finitorum describit. 25 Martij.

Quamvis non dubitem tam sonoram, quia sine exemplo infelicem Comitiorum nostrorum transactionem, ad te publicâ famâ delatam esse; sciens familiare id rumorum fatum esse, quòd non ad

A. C. 1695 amussim cum veritate conveniant, vel etiam quandoq; illi consonent, dubiam plerumq; in deceptis reperiant fidem: visum mihi est non minus amore veri, quàm odio falsi; vi meæ tecum correspondentiæ, tibi tanquam non incurioso rerum deferre & ad ungvem describere veram Tragici hujus in Comitiis actûs historiam, idq; incorruptâ fide & citra fucum simplici veritatis stylo, nudam, prout contigit reipsâ exhibere seriē. Jam autem ut feliciùs & quo meliùs intelligatur, rem assequar; eā altiùs ab origine & causis pro informatione producendam duxi: quibus initiis illa cœperit, quamq; infelicibus ovis invisum istud & detestabile monstrum pulcherrima illa in institutis suis Respubl: ediderit. Initium omnium earum in Repub: calamitatum non aliud est; quàm quod mutato statu liberas, quotquot hactenùs perierunt, perdidit Respub: Romanam potissimum. Florebat illa in supremo gloriæ & felicitatis gradu, potens orbis Princeps, & Domina gentium, utrumq; solem fascibus Dominationis complexa, quamdiu in fundamento suo in cardinibus æqualitatis substitit, quamdiu altè civium mentibus insedit & tanquàm arcanum statûs impensè servatum fuit, quòd majores, cùm dignitatem ordinis dividerent, in commune libertatem posuêre: quamdiu prærogativa Civitatis tam in potentioribus, quàm in humilioribus eundem valorem, honorem, & immunitatē habuit, satisq; cuivis fuit, ad æqualitatē civem Romanum esse; quamdiu jura & sanctiones publicæ inviolatâ authoritate nitebantur, & tam majores quàm minores ex æquo illis parebant: quamdiu civilia ingenia, summeq; amantia dilectam Patriam subjecta Magistratibus præerant; quamdiu violentas Patriæ manus inferre & suis illam premere fascibus nemo de Patriotis præsumpsit: quamdiu invisus inexplebilisq; ambitus, (utq; illum Policitus vocat) cupido dominandi cunctis affectibus flagrantior, cum minima potestate conjunctus, jurium & libertatum non conculcavit æqualitatem: dictaturæ primæ fuêre, quæ etsi ad tempus duntaxat sumerentur, quia tamen grandi potestate armabant regentem, inclinarunt in præceps libertatem. Hinc Julius Cæsar consideratô quantum potestatis uni collatum esset, irridendo reprehendit Syllæ factum, quòd se dictaturâ absolvisset, græcas eum literas nescivisse perstringendo. Quid aliud, quàm ea nimia potentia magnorum in illa Repub: Ducum, Julium & Pompejum ad eum gradum ambitûs perduxerunt; ut in æquali Repub, in qua similiter omnes eodē modio æqualitatis mensurabantur, nec posset Cæsar ferre priorē, nec Pompejus parē. Inde inter obsequia fortunæ cesserunt in vilipendium jura, inde Julio grave erat vinciri legibus; contra jus expressum exegit, ut sibi absenti Consulatus decerneretur. Econtra defendit jura sua Respub: omninoq; desiderabat, veniret, & more Majorū peteret; verùm nequicquam conata civilem modum egressam frangere potentiam, per diversas gravissimas convulsiones eò infelicitatis devenit, ut victa armis potestas in Dōnem versa fuerit. Non successit quidem invasori, nec in longum fortunatum fuit scelere quæsitum imperium; quando in medio Senatûs occupatæ Reipubl: pœnas morte luit: verùm quo effectu? forma Reipub: perditâ ab ipso, jam imposterum nonnisi de Principatu quæsitum; demum transtulit se authoritas populi & Senatûs ad exercitum evulgato arcano posse alibi Principem fieri, quàm Romæ: unde is jam Cæsar erat, quem exercitus Imperatorem salutâsset. Is vi armorum summam rei prætendebat; qui exercitui præerat: & ita pulcherrima illa Respub: ille Princeps Gentium, populus, illa ad invidiam exterorum florentissima libertas per ambitum civilis potentiæ

tentiæ triste concidit; ut quisq; in Romana historia comperiet. Ea omnia idcircò hic insinuavi; quòd illa iterum in Repub: nostra recurrant, & prævideo; nisi maturè sensum malorum habere & occurrere cœperimus, infallibiliter nos idem exitus manet. Quid non videt? ad quē gradum ambitûs & publicæ oppressionis clava Ducalis Litvaniæ per infestas libertati & juribus usurpationes pervenerit. Indies per gradus licentiæ veluti arteriam experiendo, & toties quoties publicam probando patientiam, nullo aut paucis in Litvania adversantibus (nam quamprimū quispiam in Comitiolis non ad gustum liberam vocem deprompserit, ex nunc domi suæ non invitatos hospites, unum aut alterum pro consistentia etiam in bonis hæreditariis vexillum redux invenit: qui verò servitio promptior, hujus non tantùm bona & possessiones à transitu, stativis, & pernoctationibus im̄unes habentur, sed etiam ipse ad respectus & præmia proximus censetur, illi vexilla, illi regimina cum injuria Majestatici juris contra leges sine literis concessivis Regis, de sola Ducis voluntate conferuntur. Nec thesaurus in eadem domo existens difficultatem ullam facit; illi solvit, cui per rationem interesse domûs hujus solvendum esse & expedire judicaverit; & sic alios metus potentiæ, alios respectus & usurpatio Majestatici juris in ea sustentant patientia. Didicimus ex querela ipsorummet Procerum Litvaniæ, quid inibi in certis Comitiolis actum sit; dum Nobilis dissentiendo à quibusdam punctis cum protestatione exivit, & nihilominùs Sapieha Litvaniæ Dapifer 200 Peditib⁹ ad obsequium Reipub. authoratis stipatus, non attentâ protestatione Comitiorum finire voluit; quòd cum aliquibus non videretur, præsertim Suchodolscio: infestissimâ voce Dapifer oppressit virum, hæc formalia illi dicendo: adhuc, Dij te perdant! panis Parentis mei tuis in dentibus hæret; mandabo, ut malleis suis illum satellites excutiant. Supersedere igitur coactus sufficienti documento est, quæ sors fratrum nostrorum in Litvania, quæ libertatis facies sit? eæ sunt incessanter turmatim venientis Nobilitatis coram Rege & nobis querelæ, id plerīq; Nuntiorum, alii publicè, alii privatim metu potentiæ submissiore voce fatentur, hoc magni & primi Proceres Litvaniæ, uti Castellanus Vilnensis Slusżka, Mareschalcus magnus Dolski, Princepsq; Radivilius Cancellarius Litvaniæ asserunt. Hic modus ibi plerumq; Nuntios ad Comitia mittendos eligendi. Conculcato & pessumdato delicatissimo jure vetandi, ipsimet se in Nuntios jure vetante legunt, & sibi obnoxia subjecta adlegunt. In hospitiis ipsi quales volunt sibi articulos formant, uti specialiter in præteritis Comitiis videre erat. Si ad Electionem Mareschalci deventum fuisset, & censum Nuntiorum; ægrè ex tota Litvania sex Nuntios non controversos vidissemus. Hæc & alia in replicatione sua in post Comitiali Senatûs consilio prolixiùs detulit Episcopus Vilnensis, demonstravitq;, quid Nobilitas à fascibus clavæ pateretur, ad quem te remitto, ego nimius com̄emorandis esse nolo. Verùm Palatinus Trocensis Unichowski non postrema historiæ pars, quomodò in supremis Grodnensibus Comitijs, deinde in Senatûs consilio, hic etiam Varsaviæ in aliquot Comitijs fusè quâvis oratione suâ produxerit; non suam duntaxat sed publicam etiam gementium sub potentia oppressionem, sum̄oq; zelò & energiâ illam explicuerit, meminisse te existimo; quomodo Regem his verbis invocaverit: Vindica nos Dne, quomodò totius Senatûs & Reip: opem imploraverit; quomodo clavam & thesaurum Litvaniæ tyrannicū jugum & despoticam Dominationem nominaverit, quâ factum ut per immissa bonis suis vexilla funditùs devastatâ substantiâ vitæ duntaxat suæ

A.C. 1695

A.C. 1695 suæ secretum & tutas latebras quærere coactus fuerit: Quomodo servili probro de aliquando furto sublato argenteo stapede judicio petitus & postulatus graviora se adversarijs probaturum publicè in Comitijs corã Repub: asseruerit; quomodo aliquot milliones interversos à Thesaurario Litvaniæ Reipub: demonstrare voluerit: Nunc verò quibus de causis quovè respectu tam præceps & de repente mutatus est? ut quem ante ad furcam damnabat Litvanum militem, nunc canonizet nihil erubescens publicam memoriam incessanter sibi exprobantem, quòd non pridem quid aliud dixerit; nunc verò eodem zelo & violentiâ in contrarium positâ fronte, cui insidias struxit, ancilletur. Si veritas promenda est; non ita miror hominem egentissimum & pecuniæ indigum ad famam strepitũque lucri vertisse suffragia, & tanquam levissimum transfugam aliud stantem, aliud sedentem de Repub. sentire; verùm illud satis mirari nequeo; quomodo tanti viri & in eo fastigio eminentes, tam fœdâ labe ab ipso publicè in honore aspersi nihilominùs tam arctam cum illo sine publica revocatione contrahere possint consvetudinem, præsertim considerato, quòd facinus, quos inquinat, æquat? quomodo amico se se respicere oculo, siquidem à recentibus fœdisque admodum objectionib⁹ tanquam exprobrans aspicitur? quid enim verò tam subitam mutationem in dicto Palatino causavit? nihil certè aliud, nisi quòd per litigium cum potentiori ad incitas redactus, nec habens media ultra subsistendi valido etiam legum & Reipub. auxilio, quæ vis & ambitus turbavit frustratus, coactus est humiliare sese prædominanti potentiæ. Idem etiamnum cum quovis generosiùs libertati favente agitur, cujus manifestum argumentum est dignumq; compassione exemplum primus in Litvania Senator Episcopus Viln. Non placuit quidpiã in illo Palatino Viln. cùm ex nũc cõtra jura Patriæ & Canones Ecclesiæ, contra antiquas hacten⁹q; inviolatas consvetudines, in bona Episcopalia effunduntur vexilla: cũ ubi unũ duntaxat ante sub ejusdem Palatini gubernio subsistere consveverat vexillum; jam 15 immittuntur: Deinde etiam plura, in quo quanta violentia simul & semel pluribus illata est juribus? nam primò Dux in defensionem ditionum non autem ruinam illarum, nec ad ulciscendas privatas inimicitias milite uti debet; tum constitutio anni 1691 Ecclesiastica bona à consistentiis eximit, mandatq; ut in Regalibus bonis non specificatis Ecclesiasticis stativa exercitui distribuantur. Altera etiam constit: anni 1676 sub tit: *Hiberna* itidem pro Ecclesiasticis militat; ubi sibi cavent Ecclesiastici, quòd quamvis in vim subsidij charitativi summã ex Episcopatibus aliisq; bonis Ecclesiasticis, secundùm tariffam suam ad hiberna conferant; id tamen debeat esse salvis im̃unitatibus & bona Ecclesiæ à statione hiberna libera persistant. Confirmat id const: an: 1662 de hibernis tam in Regno quàm D. Lit. sub tit: *Ordo.* Et quamvis hæ constit: Regni sint: servire nihilominùs ex æquo Ecclesiasticis Litvaniæ & suffragari debent; siquidem 2dùm constit: an. 1678 sub tit: *Constitutio hibernorum* ad Regni Ecclesiasticos regulari etiam Clerum Litvaniæ necesse est; circa quod in eodem sensu diploma adhuc à Ducibus magnis Litvaniæ ante unionem cum fundationibus concessa habent, quæ non tantùm à stativis; sed etiam à quibusvis contributionibus bona Ecclesiastica liberant. His non attentis Dux Litvaniæ exercituũ non leges, sed potentiam suam respiciens, concreditum sibi in exitium hostis armorum imperium, verso stylo in perniciem & oppressionem unius ex civibus, in sublationem & conculcationem tot jurium, in devastationem terræ, quæ illi armis Reipublicæ: vi muneris sui defendenda fuerat, vertit, populatusq; præter vacuas casas nihil reliquit. Persecutioni Diocleti-

cletiani miseram Vilnensis Episcopatûs sortem æquavero; 5000 rustico- *A.C. 1695*
rum à facie furoris Ducalis ex bonis mensæ Episcopalis totaq; Diœcesi diffugerunt, gloria DEi & piæ Antecessorum fundationes cessarunt, Ecclesiæ passim clausæ, quòd Clero deficiat victus; deniq; ad eam indignitatem Religio nostra devenit: ut Sacerdos quidam idq; in bonis Sapiehanis habenti subsistentiam Tartaro pro contributione monstrantiam, ut vocant, oppignorare debuerit, quam deinde ex pietate sua Mareschalcus Curiæ Litvanæ redemit: subditorum verò alij ad incitas redacti diffugerunt, alij quod cuique natura carissimum esse voluit pignoribus, natorumq; prædâ militares cumulant angarias; prorsus nihil ibi auditur præter lacrymas cœlumq; penetrantes ejulatus; funestior quàm victæ & captæ Regionis facies. In tam gravi oppressione, in extrema hac bonorum Ecclesiæ gladio iræ & persecutionis desolatione, quò se tanto prostratus vulnere, penitusq; exhaustus verteret Episcopus aliò? quàm ad arma defensionis, quæ contra invasores, damnificatores bonorum Ecclesiæ in Præsulis manibus Ecclesia DEi reliquit. Quanquam non præcipitanter ad id extremum accessit; omnia primùm tentavit media; quò justam tantis injuriis satisfactionem eliceret. Usus imprimis authoritate Cardinalis, qui Varsaviæ ante illa ob afflictam valetudinem Regis non inchoata Comitia, plurimùm laboravit; sed irrito conatu: quod videns Episcopus Vilnen: invocavit Nuntium Apostolicum; ut suis persvasionibus Ducem ad saniora flecteret: verùm literis ejus nihil efficientibus, cùm insuper ex responso acriùs & minùs civiliter scripto patuisset frustra satisfactionem & militis ex bonis Episcopalibus eductionẽ sperari; processit Episcopus Vilnensis duplici viâ cum Duce: imprimis declaravit ex ambona Ducem ceu invasorem & damnificatorem bonorum Ecclesiasticorum incurrisse Bullam Cœnæ Dñi, id est excoñunicationem Papalem: cujus formam non de conceptu suo, uti ipsi asserunt, sed ex rituali depromptam nullo suo addito verbo publicavit: inde devoluta ea causa Romam, quæ non tantùm non reprehendit Episcopi factum; sed quin eo ipso approbavit; quando excoñunicatum pro ritè & legitimè excoñunicato recognovit, deditq; sublevationem ad præfixum terminum eâ intentione; ut interim injuriatum contentaret: in casu autem negatæ satisfactionis, subesse eum excoñunicationi declaravit impositâ etiam regularibus, qui ex respectu potentiæ Ducalis refragabantur, susceptione & publicatione dictæ excommunicationis, irrogatis insuper pœnis excommunicationis, in quantum quo ad punctum hoc Episcopo parere nollent. Alteram autem arripuit viam ceu Nobilis & Senator par cum pari, congressus est; dato mandato, ad Comitia. Verùm Dux exercitu & armis Reipub: elatus negat sibi jura nata, supra leges se esse existimat, indignam se æqualitatem ratus, æqualem nobis in paritate juris & pœnæ se scribere recusat. Unde præterito anno congregato ad Dubienkam exercitu, id, quod semper in quavis benè ordinata Repub: criminale fuit nec nostra jura cavere id oblita sunt, quæsivit; per ambitionem militum studia tentavit, respectibus officiales, & quocunq; alio modo devinxit. Insonti exercitui qui impertinens ad consilia, coñuniumq; curarum expers esse debet, imponitur juramentum, quo se Duci obligaret vel cum vitæ dispendio illum à milite defendendum. Ibidem in circulo Generali extra ordinem & bonum morem adhuc ante operationẽ belli, indicto, qui nonnisi circa solutionem castrorum practicari solet, electus pro directore vinculi hujus Palatinus Polocensis Slușzka, quem postmodum post absolutam feliciter expeditionem in editis latinè novellis

A. C. 1695 vellis novo & præjudiciosissimo legibus vocabulo supremum M. D. L. Gubernatorem nominatum legimus. Ex eodem circulo expedita Legatio ad Regem cum declaratione, conjuratos Duci suo usq; ad sangvinis profusionem non defuturos; qui procedendi modus nónne primo statim intuitu videtur esse terribilis? uti re ipsâ est profundiùs penetranti: fateri enim quisq; debet eum jam renuntiâsse obedientiam legibus, Ducemq; Regi & Patriæ hostilitatem denuntiâsse: quid aliud est mittere cum tali declaratione ad Regem? nisi coram primo capite statûs nostri strictâ insultare frameâ? declaratio ea, quæ Ducem eximit ex quavis jurisdictione, & sub tuitionem armorum suscipit, non potest dirigi nisi contra Rempub. & leges, vel contra Episcopum; si contra illum: per DEUM! quomodo non obligamur omnes uni & in ipso nobis ipsis assistere, ne nos imposterum tristi exemplo dato singulos cum exercitibus Reipub. Duces invadendo in propriis laribus rapiant captiventq;. Nã si id impune abierit, jam nemo æqualis Duci erit: consequenter non licebit jure de injuria sibi facta cum illo expostulare. Assistet enim illi exercitus, nec judicari permittet, defendet vel cum vitæ dispendio. Si autem declaratio ista contra Rempub. dirigitur & leges: nónne iterum obligamur tam Patriam quàm leges defendere? in quibus hæc Respub. fundata est, quomodo quiescentibus spectare liceat subversionom illarum, nostramque in illis ruinam? præsertim cum nos eadem jura obligârint; ut omnes contra ejusmodi hominem ceu Patriæ hostem consurgamus. Secuta deinde Comitia hic planè quidquid ambitio & ira voluit, impudenter patratum. Incumbebat Duci ratione mandati ab Episcopo dati reddere rationem; displicuit id fastui & arrogantiæ, infraq; honorem censuit respondere & æquari cuivis nostrûm, qui nosmet infra jura non supra ponimus, cuius nec Regem quidem caput Reipub. nostræ pudet, egregiumq; putat legibus submittere Principatum: patitur se circumscribi & vinciri legibus; nec pudori ducit se quoque lege teneri, quæ cuncta coërcet. Quid agit Dux? imprimis per idoneos Ministros in Comitiolis tales procurat articulos; ut mandatum ante omnia nullâ ejus præviâ cognitione cassetur. Quia tamen quamvis in summa oppressione inventi fuêre tales; quos æqualitatis dulcedo & amittendæ libertatis animabat affectus, ut nullatenùs in id consentirent, pleraque in hoc puncto rupta fuêre Comitiola. Sapiehæ nihilominùs non attentis protestationibus elegerunt Nuntios clavæ vel thesauro Litvaniæ obnoxios, homines plerumq; militares, articulisq; pro libitu conscriptis expediverunt eos ad Comitia; unde uti supra dixi ex Ducatu Litvaniæ non fuerunt plures quàm sex Nuntii non controversi. Ante Comitia verò Rex ceu optimus Patriæ Pater & salutaris Princeps prævidendo ac avertendo tempestivè Comitiorum scopulum, laboravit plurimum, ut maturè ante Comita Varsaviam Palatinum Vilnensem adduceret, quò sic conciliatis infensis unito corde & studio cursus consiliorum promoveretur. Scripsit ad Palatinum requirendo, ut adveniret, sed irriti conatùs fuêre Regis: non tantùm non prævenit Comitia Palatinus, sed etiam trium hebdomadarum moras nexuit, Comitiorum sessiones spe adventus sui & complanationis de die in diem limitando. Expectavit illum Respublica, cùm tamen antè priori anno negata fuisset ejusmodi fortuna Regi ipsi; quamvis legitima causa afflictæ valetudinis intervenisset. Inchoatio Comitiorum similis fuit Litvanicis Comitiolis, ex quibus mensuram sumere possumus; quid in Litvania cum fratribus nostris agatur? siquidem in Regia ad latus Principis, in sacrario libertatis,

tatis, in aſſiſtentia duarum Provinciarum, Regni, tanta vis Dominationis licentiam non erubuit, nec ſe exerere metuit; jam credendum eſt quod Litvani paſſim querulantur. Abſoluto igitur ſecundùm morem in Eccleſia Parochiali votivo ſacro convenerunt ad conclave ſuum Nuntii, quò etiam priorum Comitiorum Mareſchalcus Criſpinus Notarius Campeſtris Litvaniæ venit intuitu reddendi ſcipionis uſitato & tradito more ſecundùm jus expreſſum; quo præſcribitur, ut neo-electo priorũ Comitiorum Mareſchalcus inſignia reddat. Et quia dictus Notarius ex Sorore Epiſcopi Neptem habuit pro tori conſorte, adeoq; obnoxius Præſuli credebatur; Sapiehis nullatenùs placere poterat: quare oportuit illos aut diſſimulare aut neſcire leges. Hinc in Comitiolis Samogitiæ inſidiis primum ſtructis in vitam ipſius actum; ubi adductis Equitum tã gregariorum, quàm Nobilium Comilitonum turmis; ijsque ut velut indagine fera caperetur, diſpoſitis, ægrè periculum evaſit, aliquot vicibus trajectus ſclopo & vulneratus: nec ſatis, dum jam in Comitiis comparuiſſet deſideratum ab illo, ut abſq; ulla ulteriore activitate poneret ſcipionem, cùm tamen ſecundùm ultimorum Comitiorũ ſub Dzialynſcio conſtitutionem pertineret ad ipſum, ceremonia reddendi Neo-Electo Mareſchalco directionis virgam. Quod quia à præfato Notario negatũ, vis intentata fuit; violatum ſacrarium, & in teſtimonium violentiæ clavæ pectori Mareſchalci admotæ à Dapifero & excubiarum Litvaniæ Præfecto Sapiehis, quorum impetum niſi eo tempore aſſiſtentes Kieski Pocillator Poſnanienſis & Skrzynki Vexillifer Lencicienſis Nuntii Palatinatuum ſuorum avertiſſent, certè Criſpinus, qui modeſtiſſimè ſe gerens liberum duntaxat pectus inceſſentibus offerebat, victima iræ & ambitûs illorum in templo libertatis concidiſſet. Venerunt autem Sapiehæ pro iſta actione deliberatiſſimo animo cum grandi aſſiſtentia, Equitesq; & domeſticos clientes ſecum adduxerunt; ne jam leges ſed legiones in officina legũ vincerent. Talis fuit primus dies Comitiorum nec alij feliciores futuri; nam in ſum̃o tumultu Comitiorum tempus evaneſcet. Mœrebant plurimi, quibus cura Reipub. erat tam triſte ad poſteros manaturum exemplum: perculit omnes tam feralis ſupraq; memoriam hominum auſus & imprimis delicatiſſimum cor Regis, qui in libertate & prærogativis enutritus novam & tam funeſtam rem amaro animo exhorruit, æquoris inſtar; ac etſi acutiſſimis doloribus calculi aliiſq; paroxiſmis conflictabatur, minùs tamen ſua, quàm publica atrociſſima ſenſit mala. Quærens igitur apud ſe remedia contulit cum Cardinale, convenitq; ut per Provinciales ſeſſiones de ulteriore progreſſu agitaretur,& conſuleretur, quomodo ſecuritas conſiliis ſtabiliri, quæq; ſatisfactio conclavi pro enormi læſione præberi poſſet? habuerunt ſuper hoc duæ Provinciæ Regni ex indulto Regis ſeſſionẽ & conferentiã apud Cardinalẽ Primatẽ; cùm & illuc Litvani privatâ authoritate ad nos venerũt & ſic per incautelam conclave Nuntiorum contra decus & prærogativã illius tranſtulim⁹ ad conclave Primatis;quin quia Senatus totus præſens aderat facies quædã videbatur eſſe convocationis in acephala Rep: ſub interregno, vel colloquij Equeſtris Ordinis cũ Senatu abſentePrincipe.Hic ubi conſedit Princeps Cardinalis auſpicans ſeſſionẽ, quamvis Sapiehanæ parti nequaquã inimicus eſſet, tamen confeſſus eſt ſum̃ũ heſternâ die ſcandalũ & non imitandũ (avertat DEUS) exemplũ accidiſſe: Vocavit diẽ nefaſtũ, dignumq; qui non numeretur in menſibus anni. Cùm verò poſtmodum in controverſiam delapſi eſſemus de priore Mareſchalco, ratione reddendi ſcipionis: Sapiehana pars obnitebatur & refutabat Notarium, contendens

A.C. 1695

Initium comitiorum

A. C. 1695 dens illum hâc Provinciâ defungi non posse, quòd Nuntius esset controversus. Competentes & invincibiles opponebamus rationes accersitis legibus pro argumento, quibus cautum; ut Mareschalcus priorum Comitiorum intuitu reddendi scipionis sit Nuntius, quin allegavimus præjudicata ex persona moderni Mareschalci magni Regni Lubomirscij, qui similiter non existens Nuntius novo Mareschalco reddidit scipionem, & alia plura in hac materia adduximus exempla, ne quicquam; quòd aliter ambitus iam in capite Sapieharum statuisset. Sub hæc conquesti Nuntij complures de convulsione Nuntiorum conclavis & violata publici consilij securitate, exegerunt & rogârunt Litvanos; ut restituerent formam Reipub. quam per intentatam vim sustulissent: Verùm querulari & flere cuivis licebat, satisfactio autem negabatur. Et ita in illa sessione infecto negotio, siquidem Principalis pars Palatinus Vilnensis necdum præsens Varsaviæ aderat, non potuimus ulla media ad concordiam attentare: id saltem pro dispositione rerum ad futuram complanationem constitutum fuit; quòd relictâ controversiâ in suo esse sessiones deinde de die in diem limitavimus, ad adventum usq; Palatini Vilnensis, quem Thesaurarius intra quatriduum compariturum frustra asserebat; nam pro aliquot diebus hebdomadæ aliquot elapsæ sunt ad adventum illius. Ex ea verò sessione id lucri tulimus, quòd nobis patuerit difficultas, advertimus pro obice mandatum esse, quo ut aut cederet Episcopus aut Rex per Senatûs consilium annullaret, Sapiehani postulabant. Quod quia summam novitatem inducebat; quod enim per formam & figuram judicij agendum erat, id ad Senatûs consilium remittebatur, nullatenùs in id consentire potuimus. Tandem post longam expectationem comparens Varsaviæ Palatinus Vilnensis salutato Rege & Reginâ videbatur inclinare ad media pacis. Quare Rex commendavit id Primati; ut adlectis Mediatoribus & amicis utriusq; partis ex quibus utraq; contenta foret, inciperet invocato DEI nomine dictam complanationem in assistentia Nuntij Apostolici tanquam à Pontifice ad idem negotium Deputati Commissarij. Hic primitus emerserat difficultas totíne causæ adesse deberet præsens Nuntius? etiam dum interiora statûs ex occasione mandati ventilarentur? an verò tum duntaxat, dum materia merè tangens immunitatem Ecclesiasticam agitaretur? Composito hoc decretoq;, ut tum tantùm assistat; dum ad Ecclesiæ causam perveniretur, grandior altera subnata difficultas: nam præter designatos illos & susceptos à partibus mediatores, novus se alter obtulit, qui in indice mediatorum non erat, Palatinus Trocensis Unichowski, contra quem excepit Episcopus Vilnensis, non tantùm ideò, quòd primùm ipsius adhærens partibus consilio suo mandatum Palatino Vilnensi dandum ursisset, nunc verò ad contrarias partes transgressus hominem pacis non præferret; qui utpote fluxâ in pace fide, turbatis rebus alacer esset: sed etiam quòd post clementissimam Regis in præteritis Grodnensibus Comitiis absolutionem de furto sibi objecto Nuntius Szolkowski publicè in voce sua falsificationem actorum objecisset, submisissetque se de hoc mandato virum convenire. Quare non expurgatum à tam atroci crimine videri non posse cum intimatis subsellium occupare; quin præterea super omnia aliquot condemnatæ ex personali illi objectæ, quibus obstantibus vetabatur mediatores inter habere locum. Complures dies ea controversia tenuit; deniq; concessum illi ut captâ sede faceret propositionem causæ nomine Palatini Vilnensis; at ubi secedendum tantisper fuit, quo inter se causam arbitrarentur mediatores, unusq; & alter etiam tanquam pars cum illis

separa-

separari deberet initio quidem id susceptum; verùm postmodùm quòd *A. C. 1695*
Comitia Aulæ Cæsareæ non admodũ necessaria & ex rationib⁹ ej⁹ esse viderentur, non quæsito ulteriore ad rumpendũ Comitia prætextu, sati⁹ duxerunt in complanatione·ceu scopulo naufragari, & ita etiam hoc medium rejectum. Quocirca non videns Respub: ullam pro compositione apparentiam; dum insuper Sapiehæ secretiùs pertentati, qualem pro tanta Episcopatûs ruina satisfactionem promitterent, aut Reipub: pro tanta Nuntiorum conclavi injuria irrogata recompensationem facere vellent, illi nullam planè se daturos præseferrent; voluimus iteratò saltem per sessiones de mediis quibusvis salvandi & consulendi nobis inter nos conferre (notandum enim à primo die Comitiorum nihil in Nuntiorũ conclavi actum sed tantùm limitatas indies fuisse sessiones absq; ulla activitate, quòd pleriq; Litvani & vocem & consessum impedirent) rogavimus itaq; Regem, designaret nobis duas Provinciales sessiones, Polonis apud PP. Bernardinos; Litvanis verò in loco consveto apud PP. Societ: JESU. Vix conferre cœperamus, cum Palatinus Vilnen: & Thesaurarius Lit: cum plerisq; ex Senatu & Ordine Equestri venerunt ad nos, totã se gentem nominando, volendoq; de publico totius Litvaniæ consensu universaliq; in sessione apud PP. Soc: JESU concordia transferre suũ consessum ad nos & nobiscũ insimul inire consilia. Nos verò quos non pridem pœnitentia subiêrat; quòd cum Senatu apud Cardinalem tres Provinciæ in ea forma consedissemus; hic verò etiam haberemus cautionem, Sapiehas cum suis non ex publico omnium consensu venisse, sed partem Litvanorum apud PP. Societat: JESU remansisse cum manifestatione, quòd in eam translationem sessionis non consentirent, rogavimus illos; ut ad locum legitimum sibi à Rege assignatum redire vellent, nobisque indulgerent; ut præsentibus difficultatibus quomodocunque prospicere possemus in hoc saltem conclavi, siquidem nobis in publico Nuntiorum libertatem dicendi sustulissent. Dũ ita cum illis controvertimus, advenerunt à reliquis, qui in sessione apud PP. S. J. remanserant Nuntiis & Senatoribus deputati Capitaneus Slonimensis Frąckewicz, & Judex terrestris Witepscensis Lukomski, cum protestatione contra Sapiehanos; quòd non respectando tot residuos Nũtios, spretis contradictionibus, posthabito dissensu tot & tantorũ, Castellani sc: Vilnen. Sluszka & Principis Radivilij Cancellarij Litvaniæ qui huic reclamârunt, huc venissent prætexentes se totam gentem esse, reliquos nec pro Nobilibus nec pro Nuntiis & Senatoribus, quòd illorum partibus non faverent, haberent. Hæ & non aliæ rationes certò certiùs toties quoties Comitia rumpunt; ij autem qui suam operam ejusmodi malis accommodant, nescio an id prævident? hoc nihilominus certum facere id illos necesse esse, quod ipsis ibi imponitur. Nam si quid non ad placitum agerent; velocior ibi foret, quàm apud nos ex delinquentibus executio; adimeretur filio vexillum, ut regimen, cui Respub: milliones impendit: subtraheretur pensio, quorum pretio, quòd illa aula de interesse suo cum Republ: tractare deberet, comperto depravato statu nostro, mavult cum privatis tractare; ut milliones ex decimis Hispanicis provenientes, quos Reipub: restituere obligatur, minore sumptu apud hos Magnates redimat, qui uti insinuavi, per filios suos majore sui parte extra Patriam sunt. Abripuit me tantisper digressio à serie & contextu ulterioris post rupta Comitia transactionis, ad quam jam redeo. Dum igitur tam misero fato & inaudito exemplo tam necessaria nequi-

 dem

A.C. 1695 dem auſpicari licuiſſet Comitia; nemo unus bonorum civium fuit, cui deploranda Patriæ ſors gemitum expreſſiſſet; cor imprimis Paternum Regis graviſſimè illa afflixit, cujus ſolicitudini omnis incubuit labor, quid ulterius in tam atroci bello absq; præſidio agendum foret? quomodo & quo occurrendum hoſti? qui non pridem ſuburbia Leopolienſia flammis & gladio abſumpſerat, eoq; ferocior factus atrociora tentaturus, inſequenti expeditione credebatur. Dato igitur lacrymis & luctui aliquot dierum interſtitio colligere Rex generale Senatûs-conſiliū, aſſumptisq; pro ſolatio negotiis unum tantùm punctum ad reſolvendū proponere. Dedit id occaſionem ſequacibus Epiſcopi defendendi tam magnum & miſerrimæ ſortis virum; ſed nec defuerunt partiſantes & obnoxij Litvani, qui metu vel præmio contra Epiſcopum tenebantur, ſicq; conſilium illud in arenam infeſtam verſum; nam non ſatis quòd Epiſcopus Viln: atrociſſimè contra decus characteris ſui contumelioſis verbis laceſſitus fuerit, contemptiſſimè etiam tractati quotquot pro illo quidpiam dicere auderent velutq; cum debellatis & victis res acta. Singulariter id patuit in perſona Palatini Caliſſienſis non obſcuri nominis, tantiq; Senatoris tot ab annis in Repub: ſago & togâ continuè merentis non pridem legatione magnâ in Hungariam ad tractatum pacis cum Porta Othomanica non ſine laude perfuncti, quem pro libertate cenſentem Sapieha Præfectus ſtabuli Litvaniæ, (de quo ſupra jam dixi, eum ſub Cæſare ſtipendia merere) perſona particularis, ſine legati charactere, exteri duntaxat Colonelli honore inſignis his verbis faſtuoſiſſimè eſt aggreſſus: Dne congrueret mirari, non philoſophari: Nec verborum contentus improperio armorum etiam adjecit minas, in tantum; ut eâ arrogantiâ cōmoti Nuntij, qui ibi tantùm adſtantes erant; ſucclamaverint publico & concordi zelo rogando Mareſchalcum; ut tam levem & irreflexum juvenē præſumptuoſumq; in præſentia Mtis auſum judicio Mareſchalcali & debitâ admonitione perſtringeret, quam quidem in inſtanti Mareſchalcus ſat energicè dedit, & judicaturum ſe cauſam impoſterùm declaravit rigoroſiſſimè: verùm notæ Relationes de arcta conſvetudine cum Theſaurario Litvaniæ, Mareſchalco eum inhibuerunt rigorem. Imprimis de delatore ſubnati ſcrupuli, qui in notorio & publico crimine locum habere non debuiſſent. Dum poſtmodum alter delator inventus eſſet, quòd cum Litvano cauſa ea ageretur, ſuccrevit altera difficultas; cujus Gentis Mareſchalcus, Regni an Litvaniæ eam cauſam arbitrari deberet? poſt advocationem cauſæ ad Mareſchalcum Regni controverſiáſque de foro remiſſa ea eſt ad Mareſchalcum Litvaniæ, ad ſpeciem in fundamento alicujus diplomatis; quod circa controverſias lectum non fuit, tum primùm dum jam partes actionem ingreſſæ eſſent, neſcitur unde prodiit; verùm poſtmodum ex copiis illius prorſus contrarium patuit, & ita cauſa cum derogatione Mareſchalcalis judicij Regni detruſa ex proprio foro contra uſum & praxim & compacta Mareſchalcorum ſub Caſimiro Rege conſtituta legeq; publicâ approbata; poſtmodum ſtatim ante edictū adhuc delatori decretum primo manè Mareſchalcus Curiæ Litvanæ rei Germanus judicio iterato permiſit delatorem ſic circumventum abſolvi in evaſione cauſæ, & impoſitione perpetui ſilentij, acſi id delatoris, non Regis læſæq; ſecuritatis Regiæ & Senatûs negotiū foret; hocq; modo (quamvis necdum finis) illuſum Mti, illuſum Senatui, uti & aliàs toti Reipub: continuè per Sapiehas illuditur. Affulſerat deinde omnibus aliqua ſpes complanationis inter partes offenſas; adhibita ergò opera Cardinalis, habiti conſeſſus ex commiſſo Regis ante conclave marmoreum; verùm & ibi Palatinus Vilnenſis ſolito & incivili ſtylo contumelioſè tra-

Stanislaus Malachowski.

ctatis

ctatis Capitularibus Vilnensibus præclaris & insignibus Prælatis, qui nomine Episcopi Viln: & sui Capituli comparuerant impedivit negotium; & ne quid concluderetur, totus pro obice incubuit. Aderat tum præsens Nuntius Apost: qui auribus suis ferre non valens illatas dictis Prælatis contumelias in altera sessione comparere non sustinuit. Ita omnia per imperium & ambitum non tantùm in Litvania, sed etiam apud nos egére Sapiehæ, exutâ legum reverentiâ, postpositâ quà Mte, quà Repub, tanta sibi dicti Magnates indulserunt. Deniq; eam deprompserunt declarationem; quòd pro omnibus damnis & injuriis ad incitas redacto Episcopatui Viln: biennalem omnium possessionum ab hibernis exemptionem, ex alieno liberalis Palatinus Viln: promitteret; præterea quòd quæcunq; vexilla ibi locata fuissent, si ultra quotam 50. florenorũ in equum accepisse comperirentur, judicio suo imperaturus restitutionẽ exercitui esset: verùm quia Episcopus non conquerebatur contra licentiam militis, sed contra Ducis oppressionem, nam etsi exercitus plura non extorsisset, quàm quæ illi concessa fuêre; 50 sc: floreni in equum: satis tamen fuerat ad devastationem bonorum, etiamsi modestissimos locâsset, tot ibi hiberna assignâsse, quot in tribus partibus Litvaniæ sortiri stationem debuissent. Contentus hac satisfactione esse non potuit, nam etsi patuisset ea vexilla 2dùm ordinationem & mandatum Ducis sui ultra quinquaginta florenos non accepisse in equum; Episcopo tamen nulla inde poterat esse satisfactio, damnumque nihilominus & Episcopatus ad incitas redactus perseverabat: uti revera ingens & notabile detrimentum esse putavero; siquidem ipsimet Capitulares non in personis subditorum vel administratorum, sed ipsi in personis suis declarârunt juramentum se depositures ratione toleratorum damnorum & beneficiorum totius Diœcesis propè funditùs sublatorum per totam Diœcesim; quæ damna duos & medium milliones excedunt. Igitur complanatio nullum negotium fuit, postquam sessionem Palatinus Vilnensis cum suo fido Ephestione, contra quem non pridem in Comitiis Grodnensibus justitiam à Rege his verbis postulaverat: Clementissime Rex Mtas vestra de isto fure mihi administret justitiam vale dicto Regi Varsaviâ discessit. Et hæc est vera Comitiorum nostrorum & transactionis fidaq; relatio, quam tibi sincerè defero. Sed & illius saltem pro coronide insignis facinoris non possum non meminisse. Nota tibi adolescentûm in obsequiis Dominorum suorum existentium in omnibus congressibus publicis præsertim autem durantibus Comitiis consvetudo; ut secum invicem decertent, baculis rem agant; se militiæ assuefaciant, Mareschalcum eligant Polonique cum Litvanis congrediantur, innocuoq; citra sangvinis & vitæ profusionem agone de palma prælientur. Servatus is mos fuit etiam sub tempus præsentium Comitiorum; cùm verò notabiliter prævalerent Poloni, jamq; aliquot vicibus Litvanam pubem feliciter rejecissent, campoque obtento vicissent; indignum rati Magnates Litvani suos semper vinci, nunquam victores esse, acsi ipsi in pueris vincerentur umbratico illi prælio se immiscuerunt, idque sagati & quidem ij quibus satius fuisset decuissetque Colonellos agere militemq; regere quàm pueriles turbare ludos, & fuerunt ij, qui non pridem in Nuntiorum conclavi clavis suis insolentem attentaverant ausum, nunc verò egregium itidem facinus præsumpserunt forsan vindictæ studio; quòd paucos ante dies pueri lacessiti dum turmatim irent, à famulis dictorum Procerum fenestras in illorum diversoriis excussissent. Pro more in condictum locum convenerant Poloni cùm & illi aliquot decadib9 A.C. 1695

A.C.1695 Equitum armatorum stipati tanquam ad prælium egressi incautam pubem Polonam in insidias pertraxerunt, aliosque illorum equis obtriverunt, alios verò manualibus sclopis idque complures quà vulnerârunt, quà peremerunt, & sic velut confecto bello grandiq; partâ victoriâ ex campo cum triumpho recesserunt. Visa mihi ea auctio ad alias Comitiales insignes sanè addenda tibiq; significanda, ex qua luculentum argumentum impotentiæ & violentiarum ac inde insolentis nimiumque audacis in Litvania procedendi modi capere mensuram posses. His genuinè & sincerè prout re ipsâ gesta sunt tibi delatis tuam tanquam sapientis Statistæ appello trutinam; arbitrari velis, in quo gradu servitutis fratres nostri & concives Litvani versentur? in quo item statu calamitatis & præcipitii tota Patria nostra existat? quæ ab intra, quæ ab extra, & vicinis sibi augurari possit? In cervicibus nostris hæret gravis omnique genti longè terribilissima cum Turcis concertatio, tractamus hoc bellum sine exercitu, sine armis, sumus absq; præsidio, absque consilio, absq; Comitiis, interiorem Reipub. formam corrupimus, jam non illa est; quam olim Majores nostri nobis tradiderunt jam in tanta licentia sublatis Comitiis atq; consiliis spes nulla superest, nisi in solo communi motu totius Nobilitatis: hic forsan congregata illa faciliore negotio expediet difficultates, tangetq; secundùm liberæ Reipub. naturam minorum vindicare injurias, & domare elatos, quibus non dominari instar servitutis est: forsan illa ibi Patriæ justo & necessario prospiciet præsidio, & redacto sub disciplinam, quidquid ex orbita excidit, de fatis suis decernet. Longior fortassis fui, oculosq; tuos fusioribus literis fatigavi, utut rem ad compendium redigere volui: non dubito tamen gratè te id suscepturum, quod ex speciali mea in te inclinatione & magna personæ tuæ processit æstimatione: novi enim probè quòd te etiam exerceant publica, nec sis ita intra penates clausus, ut nolis temet communibus curis & negotiis libens impendere. Sub hæc me gratiæ tuæ &c.

DIARIUM COMITIORUM. Anni 1695 cum Præliminaribus & Consequentibus.

REmovit me procul à domesticis laribus in gratiam Majestatum suscepta Legatio: at corporis ea duntaxat non animi distantia fuit. Tot peregrina climata, diversi cœli, exterusq; orbis in memoriæ mentisque sinum egêre nihil. Aberam tot sese interfundentibus provinciis, & aderam tamen, magis ubique complexus animo Poloniam, quæ oculos jam dudum effugerat; quàm quæ oculus insolentia identidem per longos terrarum tractus offerret spectacula. Coram stabat Patria eo vultu & cultu, qualis Trojæ cadentis fuit. Indignabar proinde sorti meæ; quòd calamitosæ non felicis Sarmatiæ nomen Legato per gentes & regna circumferre contigisset. Gratulationes tamen nonnullorum accepi, quæ meæ favebant absentiæ, quòd publicis malis & intereuntis spectaculo non interessem libertatis. Quæ illa rerum facies? quod chaos fuerit? non tam meo calamo, quàm tot præclarorum virorum quorum animi à partium privatique studio procul sese removerant, stylo in imaginem realemque omnium effigiem delineatum tibi dabo. At quo sensu, quo judicio, & affectu posterus monstrum excipiet dies? horrebit avorum insaniam Nepos, Consulesque velut per phrenesim id studiosè egisse, ut perirent, detestabitur. Certè dum Polonia stetit, non usquam aliàs tristius in publicum exemplum, nec forsan (& vetent cœli) unquam imposterum alterum futurum.

A vibrato in supremum Exercituum Ducem Litvaniæ excommunicationis fulmine in diversos per Poloniam & Litvaniam sensus itum est; alii probare factum Episcopi, alii accusare; uni favere Præsuli, alij in Palatinum proni esse: plures potestas Ducis & insolens pro parte illius miles abripiebant, ut si non favere saltem simulare favorem viderentur, aliter procul dubio facturi; nisi Ducale nimium obstaret imperium. Quæsita quidem fuère remedia; sed ea postmodum sacrum etiam in alios telum more fulminis, quod ubi unam incendit domum, in viciniam deinde feralem extendit flam̃am, promoverunt. Miserati plurimi vicem Palatini tam de senatu quàm Equestri Ordine calamo admoverunt manum, datum jus stylo; qui Pastorem pungeret; sed ovis ulceri per eam puncturam non mederetur. Habe literas Castellani Sendomiriensis ad Palatinum itidem Sendomiriensem in hac materia scriptas, quarum hic sensus fuit. *A.C. 1695* *Stephanus Bidzinski* *Joannes Warszycki*

Literæ Castellani Sendomiriensis

Frequentia tua in me benevolentiæ recipio argumenta; quibus præsentes reddo, agendo gratias te non immemorem esse mei servi tui. Reddo vicissim ea, quæ Varsaviâ & à meis amicis habui, tristia mixta lætis. Quippe applausus & solatia Srmæ Regiæ domûs abrupit tristis & ferox Litvana declaratio; quæ mihi admirationi non est: nam juxta proverb: licet anui pulsare campanam, dum Consul vapulat. Quid enim verò id? si se, dum ulnaris sive lectitus Episcopus inconsultis cæteris Pontificibus tanti viri invasit honorem, exercitus Duci suo secundus non opponeret. Reflectat se quisq; & perpendat consequentias malorum, quorsumq; potestas ista & status collimet Cleri? facile quisq; ex Annalibus Anglicis intelliget, ejusmodi fulmina integra Regna à fide Catholica avulsisse, totosq; milliones animarum in infernum præcipitâsse; quod à nobis DEus avertat. Redirent profectò ex his turbis decantata illa fabulis tempora, surgerentq; Gigantes; qui cælo ipsi bella intentare vellent. Qui potest capere capiat; ego tuus permaneo &c.

Successerunt etiam M. D. L. per primum Palatinatum illius Vilnensem ad statum Spiritualem minaces innotescentiæ; quarum tenor talis est.

Admodum Rdi PP. plurimum observandi venerandi.

Supervacaneum foret Paternitatibus Vestris explicare temerarium Illmi Episcopi Vilnen. ausum; siquidem post vibrata magis ex vesano & malitioso rancore, quàm de jure Canonco fulmina excommunicationis ipsimet pro prudentia vestra agnovistis ea esse nullitatis, nec permisistis Ecclesias vestras occludi: quo laudabili procedendi modo exhibuistis fidelem Reipub. observantiam, dum in materiam status ad decisionem Ordinum Regni & M. D. L. in Comitijs congregatorum pertinentem vos intromittere non præsumpsistis; sed potiùs ad sensum primi Cleri Poloni capitis Eminentmi Cardinalis respexisti. Expendit enim consummata magni Primatis prudẽtia eam excommunicationem frivolè editam, non ad alium collimâsse finem: nisi ut efficaciter com̃odo exterarum gentium, nobis & sacro *Innotescentia Palatinatûs Viln.*

A.C. 1695 fœderi obliquarum famularetur; confunderentur Palatinatus & districtus; Comitia ardua redderentur; contributiones pro stipendijs militum suspenderentur; miles in desperationem adduceretur; & per tātam confusionem Respub. destituta præsidio militari omnibusq; nudata medijs contentandi benè meriti exercitûs cogeretur ad sanciendam particularem cum Turcis pacem. Verùm propitium Numen id ex sua operari voluit providentia; ut sumptu & dispendio Supremi Ducis prodiret in arenam exercitus, maledictiones timoris & meræ malignitatis abirent in benedictionem, victoria de Turcis & Tartaris feliciter obtineretur. Nunc, dum jam universi Palatinatus & districtus injuriæ totius Reipub. causam suscepêre, & actionem prædicto Episcopo per instructiones in Comitiolis ante-Comitialibus Nuntijs suis datas intentare voluerunt, dum exercitus Regni & Lit. per omnes Palatinatus manifesto se declarârunt & resolverunt ad vindicandam enormem honoris Palatini Vilnensis læsionem, satisfactionemq; omni meliori modo urgendam: non existimamus, neq; speramus; ut vos ad claudenda templa accessuri sitis, & submissionē toti Nobilitati injuriosam, Episcopo verò incompetentem vigore literarum, quas forsan importunitas litigantis per malam informationem à Rdmis Generalibus obtinuit, exhibituri. Foret enim hoc iniquum approbare processum prænominati Episcopi, adversari voluntati Sumī Pontificis, qui eam causam de toto suspendit, contravenire & quodammodò damnare decretum Metropolitani, quodq; amplius; manifestum contra Rempub. comittere crimen: dum quod ad universos Ordines Regni & M. D. L. in Comitijs decidendum spectat, modò decideritis per occlusionem Ecclesiarum vestrarum, actaq; Episcopi à Sumo Pontifice suspensa quodammodò approbaretis, ac nos insontes Nobiles totamq; Poloniam propter iniquè prætensum alienū delictum occlusione templorum, vestrâq; in his circumstantijs non competenti submissione imeritâ & indebitâ pœnâ aggravaretis. Si exercitus peccavit; nos ab omni delicto & suspicione delicti imunes sumus. Quocirca præmonitos volumus; ut ejusmodi clausurâ templorum nolitis involare in jura Reipub:, quæ infallibiliter exemplo politicarum per Christianitatem gentium sibi ipsa justitiam administrare de Religiosis & posset & nôsset. A clausis templis maneret vos exilium, reciperent ij bona, quorum majores ea fundaverunt: iretis sanè Romam iniquè informatam, ibi audituri, nostrumq; ampliùs panem, quem nunc ingratitudine pensare vultis, non consumeretis. Sicut re ipsâ Nos Senatores, Officiales Terrestres & Castrenses, Nobilitas & Equestris Ordo Palatinatûs Vilnensis unum idemq; sentientes vobis declaramus & intimamus tanquam ijs; ad quos pertinet providere, ne occlusio templorum afferat (quod DEus avertat) inpracticatum hactenus per Poloniam scandalum; ne Ecclesiæ Dni sangvine sæcularium vel Religiosorum inundentur (uno verbo) ne polluantur alta-

altaria & sanctuaria: nam certè populus ob privatum unius Episcopi, bono publico & suæ pietati cum summo discrimine Religionis Catholicæ providere non desinet. Non erunt Rdmi Generales tam inconsiderati; ut à vobis cæcam & non rationabilem exigant obedientiã, modò illos pleniùs informare de rerum statu velitis. A.C 1695

Nec aliter stylus fuit punctorum promovendorum in Comitijs ad instructionem per Comitiola datorum, suntq; hæc, quæ sequuntur.

Tam grandi confusioni & turbæ in hac Repub: nostra per luctam Episcopi Viln: cum Duce exercituum, & in ejus persona cum jure & libertate Nobilitatis, supremum momentum addidit Nuntius Apost: qui uti ipse extraneus & ignarus statûs nostri, pro eo; quòd coërcere debuisset tantum ausum Episcopi Vilnen. ejusdem ampliùs per assentationes adauxit impetum: quocirca in tam gravi casu Nuntijs nostris comendamus; ut re cum statibus Regni & M. D. Litv. collatâ occurrere huic malo velint in hunc modum: Expediatur supplex libellus ad Sedẽ Apost: ut quantocius præsentem de latere Nuntium revocet, & benignè authoritatem Metropolitanã ac prærogativas Legati nati in persona Principis Card. & Primatis nostri approbare dignetur; mittendo Romam sermonem Patris Regis Seren: nunc Regnantis, qui erat talis:

SERMO

JACOBI SOBIESKI, PALATINI RUSSIÆ, HABITUS ab ORdinibus Regni ad Illr. ac Rndmum Marium Filonardi Archiepiscopum Avenionensem, Nuntium Apostolicum, Varsaviæ in Comitijs Generalibus, Anno 1643. 18. Martij coram Collegis ex Senatu, Christophoro Ossolinski Palatino Sandomiriensi Nicolao Szyszka Thesaurario M. D. L. ex Ordine Equestri in præsentia Ostrorog Pocillatoris R. Pol. Christophori Zavisza Notarij M. D. L.

ETSI minimè dubitant Regni Poloniæ & M. D. L. amplissimi Ordines inclytæ hujus Reip. Patriæ nostræ carissimæ statum bene Illmæ & Rndmæ D. V. esse perspectum, quæ in aula Srmi Regis nostri, plusquam per sexennium Apostolici Nuntij munere fungitur; non abs re tamen existimarunt & nunc id Illmæ & Rndmæ D. V. inculcare, quod jam pridem Orbi Terrarum universo etiam ad invidiam innotuit, Majores nempe nostros ita hanc Rempublicam constituisse, ut in ea existant cives & legum, libertatum vigilantissimi custodes, & Regum suorum fidelissimi subditi. Optimè hic in una sede morantur libertas nostra & Regum Mtas, exultat libertas, quod alibi oppressa, à Polonis foveatur & protegatur à Regibus. Gloriosũ sibi ducunt Reges nostri sic liberis dominari populis, ut non Dominos, sed potius patres in suo regimine repræsentent. Verùm enim verò, quod in corpore humano caput cum membris, id in Republica nra Rex est cum Ordinibus, avulso capite fit ex corpore cadaver; segregata (quod nunquã ut eveniat, DEUM T. O. M. supplices veneramur) à Regno regia Dignitate nihil indignius Poloniâ esset. Sacrosanctum hoc & indivisibile vinculum arctissimum hunc nexum reliquit nobis majorum memoria, quem dividere nefas, disrumpere est piaculum; nec quisquam existimet, quamvis in eadem nostra cum priscis Græcis & recentioris sæculi Venetis libertate, aut cum olim Sparthanorum Regibus, aut cum modernis Venetorum Ducibus comparandos Reges nostros; fateor quidem legibus circumscriptam, sed tamen supernam illorum esse potestatem: Eminet hic apud nos hic Regius primus inter reliquos

status

A.C. 1695 *status, sine cujus voluntate & consensu nullæ leges condi & recondi, nullæ antiquari aut abrogari, nihil quidquam quod ad bellum pacémve pertinet, statui posse Reip. nræ norma longo usu firmata & firmissimis legibus stabilita, luculentum præbet testimonium Quod autem in aliis, hoc & in nostris Regibus veneratur Christianitas, regnant ii omnibus regnantibus per omnia pares, imò multis feliciores, quòd illis sæpè sceptra porrigat sola nascendi sors; Poloniæ Regibus, non nisi parta virtutibus gloria, alibi nascuntur succedanei, in Polonia eliguntur optimi & dignissimi Reges. Tali nunc annuente Divina benignitate gaudet & gloriatur Patria nostra Vladislao nimirum IV. cujus in DEUM pietas in Religionem zelus in administrando Regimine clementia, in rebus gerendis summa prudentia id effecerunt, ut hoc Regnum aliàs Christianitatis antemurale nunc meditullium ejus esse videatur. Dum enim variæ circumcirca Poloniæ Provinciæ bellis quassatæ gemunt, Poloni læti vivunt, dum vix non per totum Christianum Orbem armorum personat strepitus, in Polonia viget ac floret alma pax, nosq; dulcis saturat quies. Tam præstantes Divinæq; Regis nostri virtutes incusserunt hostibus terrorem, excitarunt vicinis invidiam, omnibus populis admirationem. pepererunt sempiternam Polono nomini gloriam. Cum itaq; tanti Principis vita vivamus, ejusq; felicitate felices simus, ipsâ æquitate æquius apparet, ejus salute nostram salutem, ejus dignitate nostram dignitatem metiamur, ut bona malaq; illius ad nos quoq; pertinere sentiamus, ut cum sua nostram communem reputemus fortunam, in eo tantùm à nobis separatam, quòd ille regit, nos regimur, ille vigilat, nos securi in utramq; (ut ajunt) aurem dormimus, ille desudat, nos quiescimus. Non latet amplissimos Ordines Mtatis Suæ justus dolor, quem excusserunt ei certæ Illrmæ & Rndmæ D. V. relationes ad eam usq; urbem transmissæ, quam omnium rerum gnaram & nihil reticentē suusmet id est unus ex Romanis asseruit historicis. Illæ verò Illrmæ & Rndmæ D. V. relationes nihil aliud in se continebant, nisi immerito perstringentes aculeo innocuum eumq; Regem, qui pientissimis procreatus Parentibus, in piissima enutritus domo, ipsam quoq; pietatem cum materno imbibit lacte, qui juvenile primum postea virile, tandem diademate insignitum caput suum toties multis bellorum periculis pro Religione contra Schismaticos & Crucis Christi inimicos apposuit, cupiens ex regali etiam sangvine DEO & sacris pium litare sacrificium. Qui Regnum jam adeptus nihil antiquius habuit, quàm bene de Ecclesia bene de ejus summo Præside Christiq; Vicario semper mereri. Iisdem quoq; relationibus suis Illrma & Rdma D. V. involvit & totam gentem Nostram quæ priscæ Religioni simplicem, sincerum tamen exhibet cultum, quæ bellis Catholicos lacessere nescia. arma sua in Persecutores tantùm Ecclesiæ convertit, quæ nunquam summos Pontifices classico terruit, nunquam bellis sæpe supplicibus suis precibus Apostolicam Sedem fatigavit, Quæ primævis illis contra hæreticos Confœderationibus legibus nostris insertis celeberrima, ad hanc usq; diem aboleri illas non permisit, exequi quid intermisit? forsitan eo respectu ne vicinis & recentibus in oculis nostris exemplis, cum zizaniis eradicetur & triticum. His itaq; de causis exacerbata Mtas Sua & optimè sibi conscia nihil sinistrum de se scribi aut dici à quopiam merito posse, per tantum temporis intervallum Illrmam ac Rndmam D V. aditu suo prohibuit & à solita cum Illma ac Rndma D. V. communicatione abstinuit. Insuper Mgfcum D. Jacobum Maximilianū Fredro Succamerarium Præmysliensem minoris Cancellariæ tunc Regentem, virum, genere, moribus, virtutibus, meritis in Regno nobilissimum ad Illrmam ac Rdmam D. V. misit, interrogando, utrum reditus sui licentia jam pervenisset ad Illrmam & Rndmam D. V. ad quam se referebat. Sed is M. D. Fredro inferius M. Regià indignius dignissimi Nuntii Personà ab Illrma ac Rdma D. V. tractatus majori adhuc indignatione cor Regium perturbavit. Quod postquam*

quam M. Sua amplissimis Ordinibus communicasset, transiimus omnes in partes æquissimi sui doloris & capite læso, nos quoq; ut membra lædi judicavimus. Quapropter amplissimi Ordines nos ad Illrmam ac Rdmam D. V. designarunt expostulando hisce de rebus & urgendi causa ut Illma ac Rdma D. V. voluntati Regiæ morem gerat & discedat ex aula Srmi Regis, ad quem à S. Sede Commissionem habet. Absit Illrme Dne, ut nos tædio aut molestia afficiant Nuntij Apost., in quibus ipsam Sacrosanctam veneramur Apost. Sedem. Nuntios volumus, sed aliter Srmo Regi, aliter nobis, quàm hactenus Illrma ac R. D. V. fuit, affectos desideramus. Cæterum omnes Poloni & Lit: Catholici coram DEO & Angelis ejus profitemur quod in debita & constanti, ut Catholicos decet, erga Ssmũ Dnum Nrum Urbanum VIII. obedientia permanemus, quòd idem nobis qui & Majoribus Nostris inest in Relig. zelus, S. Sedem cultus, quòd cum in gremio Sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ Indulgentissimæ Matris nostræ vivere inter primas felicitatis nostræ partes reputemus, pro ea quoq; si fieri posset, mille mortes oppetere cupimus. A.C. 1695

II. Punctum. Quisquis se super tempora JOANNIS CASIMIRI reflectere voluerit, comperiet abinde usq; non aliam causam damnorũ Reipub: nostræ fuisse, nisi factionem Gallicam. Nam quamprimùm stante vitâ Principis machina Electionis Principis Condæi in Patriam nostram irrepsit; extunc etiam omnia ingruerunt adversa: inde bella civilia, inde motus interni, inde impetus ad succutienda jura Cardinalia, inde deniq; avulsio à corpore Reipub: tot lacte & melle manantium Provinciarum, ut extremam planè perniciem Respub: expavesceret. A Comitijs verò Colligationis, in quibus S. fœdus contra inimicum Crucis Generalissimo omnium Ordinum consensu sancitum fuit, habuimus aliquantum respirij: verùm dolendis casibus! ut primum iteratò lues Gallica invalescere cœpit; mox etiam felices in hoc S. fœdere progressus retroagi, & à victoria Viennensi res omnes sursum atq; deorsum verti cœpêre, fides cum Colligatis in cujus virtute universale vertitur bonũ, labefactata; bellum Turcicum ex eodem motivo introductum; Camenecum prædæ relictum; subsidium contra Christianos suppeditatum; status collisioni per varia instrumenta intuitu commodi proprij permissus; studium & conatus dissolvendi S. fœdus; nundinatio frumentorum per Poloniam & confinia Litvaniæ; quæ omnia ut alia ad exitium hujus Reipub: per Gallicam factionem pertinentia medio uberiorum sermonum Nuntiorum nostrorum committimus; insimul ut Regiã Mtem precentur: ut pro Paterna sua providentia modernum Legatum, an Residentem Galliæ à Comitiis removere dignetur, & ut scriptum Incisoris Regni quod dedit ad Archivum tanquam nocens Nobilitati & juribus Cardinalibus annihiletur. *Factio Gallica.*

III. Punctum. Postulabunt ut Legatio Capitanei Chelmensis ad Hanum ante præstitum juramentum in facie Ordinum non acceptetur; similiter, ut etiam ab iis, qui Electricem comitati sunt ubi rediêrint juramentum deponatur, se non tractâsse cum Gallis &c. Adjungo his punctis literas Palatini Vilnensis ad Comitiola ante-Comitialia datas. *Stanislaus Rzewuski.*

Quid gravius esse potest eo, quòd in hac libera Repub., in qua justitiæ & æqualitati primus debetur locus, econtra hæc duo decora ad infima redigantur, & insuper adhuc ab æquali manu sub prætextu illatæ Soli quodammodo per locationem exercitûs in bonis Ecclesiasticis injuriæ innocens anima per imposturas lethali planè affligatur ictu. *Litera Palatini Vilnensis.*

A.C. 1695 ictu. Jam ultra annum est; ex quo quæsito immunitatis Ecclesiasticæ colore in me insontem sibiq; prorsus innoxium, tam sæva exercuit Episcopus Vilnensis, spoliatorem me & raptorem bonorum Ecclesiasticorum esse censuit, alijsq; nomen meum & domum inusitatis dishonoravit titulis: cùm tamen probè nôsset non exiguam sortem substantiæ meæ per manus Antecessorum Parentis & Patrui mei in ornamentum gloriæ DEI cessisse. Strinxit Ecclesiasticum gladium, meum cupidus proscindere nomen, & me ipsum pro honore DEI sacrisq; aris sangvinem & vitam in victimam, in quavis arena generosè & alacriter immolare conatum: verùm imperitè; siquidem appellationem Romanam & Metropolitanam sprevit potestatem; jura omnia Canonica minùs forsan illorum gnarus contemptui habuit, privilegia cum bullis Pontificum, Ordinum Regularium, quorum doctrinâ totus impletur orbis, conculcavit. Pensi habito omni juris remedio, fulmine anathematis me tetigit, susceptâq; in se personâ actoris, instigatoris, & judicis, contra decentiam statûs spiritualis hanc jam in meam personam exercuit licentiam: pluribus è vestigio imperterrito animo hanc, ut privato mihi irrogatam arbitrandam commisi injuriam; quam etsi non sine anxietate animi recipio: plus tamen alteri communi & ministerio meo illatæ tribuo: unde etiā ad vos concives & fratres præviâ veneratione recurro; ut pro consummata prudentia vestra trutinare velitis, quibus cuniculis ad subruenda jura Cardinalia usus fuerit, quibusq; modis jacula sua hic irreflexus Pastor exacuerit; ut jurisdictiones confunderet. Duabus viis meam jurisdictionem petiit, excommunicatione & mandato: seriem jam excommunicationis exposui, nullo prætextu illam in meam personam cadere posse, quia nec ego, ne ullus de tota familia mea vel tantillum damnum, quod asse valeret, bonis Ecclesiasticis intulimus. Nec de locatione exercitûs queri Præsul potest: non ibi ullus excessus fuit; quidquid enim actum est, ex instituto ac dispositione legum actum: & jam ea locatio tot sæculis continuò practicatur; nec tamen hactenus ulla discordia inter majore clavam & Præsulem Vilnensem extitit. Quæ ad mandatū, velut in causa perduellionis & de malo administrato officio attinet; in eo quis dolus? quæ captiones libertati & juribus nostris insidientur facile assequi est. Persona mea & Antecessorum meorum ne minima tanti criminis notæ subjacuit unquā, & tamen subjicitur vexationi: cujus ratio evidens, quòd æqualiter Mtis dignitatem & Reipub: in hoc sacro fœdere tueor, quòd externorum commodis gratificari pro crimine habeam, & quòd pro juribus & libertatibus Nobilitatis mori mihi dulce sit. Solennitates mandatorum in ejusmodi occasionibus in jure descriptæ sunt: at num vel minima illarum servata fuit? num Comitiolis pro requirendo consensu delatum? ubi connotatio? quin ab utraq; Cancellaria Lit. est reclamatum; quòd inscijs custodibꝰ legum hoc instrumentum formatum esset. At hoc studium authoris prænominati est; conquiritur remedium, ut turbentur Comitiola; quemadmodum

modum jam in nuperis Comitiis aut ante illa practicatum; ut ardua reddantur Comitia, obex sacro ponatur fœderi, & demum aperiatur via inconsulta Repub. ad mutationē status. Quod dum non tam commodi mei respectu, quàm potiùs ex plenitudine amoris boni publici & conservationis jurium Patriæ in vestrum depono sinum, submissè peto; ut pro imminentibus Comitiis Nuntiis vestris commendare velitis, quatenùs integritati jurium & libertati Nobilitari, ac in iis indemnitati personæ & officii mei prospiciant. Vilnæ 15 Novemb. 1694. A. C. 1695

Submissæ mihi præterea fuerunt per Cursoriam in Belgium rationes pro non facta Illmo Episcopo à Religiosis Vilnensibus submissione. Earum fuit

1ma. Quia Illmus Dux ante publicatam excomunicationem interposuit appellationem ad Judicem superiorem, scilicet ad Cardinalem Radziejowski Archiepiscopum Metropolitanum, cui subest Episcopus Vilnensis; quam jus comune & omnes ferè Canonistæ approbant, & justam, legitimam, ac validam decernunt, excommunicationem autem Episcopi contra Ducem latam injustam, illegitimam, invalidam ac nullā censent. Nunquid Canonibus & juri comuni contravenire debuimus? ideóne puniri merebamur? quia sententiam probabiliorem, certiorem & tutissimam secuti sumus. *Cur Religiosi Vilnenses non paruerint Episcopo.*

2da. Præceptum de promulganda excomunicatione, & vitando excomunicato, aliæque censuræ & pœnæ ab Episcopo primùm emanârunt; postquam Archiepiscopus dedisset absolutionem ad cautelam, seu (prout apud nos vocatur) sublevationem, eamq; publicari jussisset; pro-ut per affixionem ad valvas Ecclesiarum defacto publicata fuerat, atq; mox tulisset decretum, quo omnia Episcopi in Ducem acta irritavit, cassavit, annullavit tanquam juri contraria & nullius valoris. Paruimus igitur Judici & potestati superiori manus suo Suffraganeo & Judici inferiori liganti: & quomodo unà Judici inferiori contraria imperanti, pœnalq; in obedientes Metropolitano & altiori potestati decernenti contra authoritatem Judicis superioris parere potuimus?

3tia. Notissimum est, neminem obligari ad impossibile (id est) ad hoc, quod facere sine suo extremo, aut gravissimo damno, aut malo non potest. Ideò & Canones expressè permittunt Maritum excomunicatum ab uxore vitari non debere, nec Dñum à famulo, nec Ducem à milite &c. Canones enim sanctissimi & directissimi neminem volunt obligare cum gravissima ejus afflictione, aut gravi periculo. Nobis excomunicationem ab Episc: contra Ducem latam, eundemque vitare non erat possibile. Quia milites præter hanc causam bonis Religiosorum inhiantes, & jam satis injurii ac graves ulturi injuriam & ignominiam per publicationem & vitationem suo Duci illatam à Religiosis, sine dubio devastâssent omnia bona Religiosorum (ac primo nostra) ita ut oporteret dissolvi, ac dissipari collegia, & planè in ventum: & permittere vagari personas Religiosas, nescio per quæ loca, ad emendicandum panem; quē nec mendicatô acquirerent, Nobilitate nobis offensā & mordicùs Ducis partibus affixâ, omnesque ejus adversarios exosos habente, & acriter persequente. Istud argumentum salvavit Religiosos Venetos, cùm interdictum Ssmi Dñi Nri Pauli V contra Venetam Rempub. latum non admisissent, nec Venetiis excedere jussi excessissent. Prætendebant enim se omnibus spoliandos irrevocabiliter, si interdicto parerent, vidensque

Ssmus

A. C. 1695 Ssmus ac prudentissimus unaque indulgentissimus Pater justam illorum prætensionem, omnes ab incursu pœnarum, quas commeriti judicabantur, liberavit, & absolvit.

Rationes pro non facienda Illmo Episcopo à Religiosis submissione.

Prima. Quia submissio si ex mandato Generalium & Eminentissimi Spada Episcopo præstetur; faciet personam Ducis omnium, quæ illi ab Episcopo sunt calumniosè objecta, coram populo ream, actaque ejus omnia, quæ in causa ipsius in defensionem à jure sunt confecta apud eundem populum condemnabit. Accedente enim prædictâ submissione existimabit populus appellationes Ducis fuisse invalidas; cùm tamen omni jure validissimæ sunt sublevationes seu absolutiones ad cautelam Metropolitani cujus noster Episcopus est suffraganeus: decretum quoque ejusdem Metropolitani, quo cassata & annullata sunt Episcopi acta, esse vel fuisse nullum ac vanum. Quod in quantum dedecus & injuriam Ducis ac totius domûs Sapiehanæ de Ecclesia meritissimæ, tot Parochiarum, Ecclesiarum, Monasteriorum, Fundatricis? in quantũ dedec⁹ & injuriam Eminentissimi Cardinalis cedet? quantos contra Religiosos in Nobilitate ac exercitu motus, in adversariis verò insultationem toti domui Sapiehanæ, Cardinali, totiq; M. D. Litvaniæ probrosissimam excitabit? utinam Roma advertat & intimè consideret; Ecclesia verò, ne serò & irreparabiliter doleat!

2da Ista submissio gravissimè infamaret Religiones: præsumerentur peccâsse mortaliter, in peccato mortali per tot menses Sacramenta confecisse, & administrâsse, imprudenter ac stultè egisse omnia, quæcunq; hactenus omni jure subnixæ egerunt, cum magno Nominis & existimationis suæ, tam in vita, quàm in doctrina dispendio. Unde consequeretur gravissima & fortè nunquam reparanda ab earum doctrina aversio, contemptus, fuga, quanto totius Ecclesiæ damno & ruinâ; facilè quivis concludet. Et quis tam gravia viris doctissimis ac Ssmis objicere audeat ac possit?

3tia Cederet hæc submissio in magnum dedecus ac infamiam ipsius Ssmi & Emin: Cardinalium; utpote qui Religiosos innocentes in jure communi fundatos, ac in omnibus ex regulis juris communis & Canonum (uti ex instrumentis Juridicis jam Romam expeditis patet) procedentes, ac pro conservanda S. Sedis Apostolicæ auctoritate & immunitate gravissima ab adversariis sustinentes, non citatos, non judicatos; non auditos ad meram præcisè adversariorum delationem ad tam graves condemnarent pœnas; quod præsumi de Curia Romana nullo modo potest. Non damnetur ante tempus innocens; examinentur rationes Religiosorum, ob quas se non submiserunt Episcopo, pateat, quis verè sit reus? quis verè innocens? tum deinde pœnis nemo contradicet; imò eas prono animo quivis amplectetur.

4ta Quia ista submissio cederet in præjudicium privilegiorum, quibus cavetur; ne loci Ordinarius in personas Societ: fulminet censuras, extra casus in jure expressos.

Hactenus Ante-Comitialia jam ipsa sequuntur Comitia; si comitia dicenda, quæ nulla prorsùs consilia nec consiliis locum reliquerunt.

Pridie inchoationis Comitiorum Cardinalis Primas, Episcopi Cracoviensis, Posnan: Viln; Palatini Sendomiriensis, Calissiensis, Masoviæ, Plocensis, Kijoviensis, Mareschalcus Regni, Princeps Cancellarius & Thesaurarius Litvaniæ (Polocensis autem & Trocensis Palatini, etsi advenerant non tamen salutârunt Mtem) convenerunt ad Regẽ, privatamq; habuêre

habuêre conferentiam de pacificatione duorum inconvenientium; *primi* *A.C 1695*
inter Episc: & Palat: Vilnensem; *2di*: quis auspicari deberet Comitia? ex quo Notarius campi M. D. L. Director præteritorum Comitiorum pro controverso Nuntio habebatur. At nihil in hac materia conclusum; quinimò jam tum turbari cœptum. Nam in anticamera Thesaurarius Litvaniæ sat vocalis erat, perstringensq; Episcopum affirmabat: Litvaniam carere Pastore, qui illam regeret: cui cum reposuisset Episcopus; cognosco oves meas & audiunt vocem meam meæ, sed infectas & scabiosas non agnosco &c: exarserunt animi; donec Palatinus Sendomiriensis se interponeret, & mitigaret obtentâ loci dignitate, conclavisq; Regij honore: interea supervenit etiam Regina, quo factum; ut alij eam deducerent comitarenturq; ad conclave, alij ad sua redirent. In crastino id est 12 Januarij jam se resolverat Rex, decreveratq; interesse votivo sacro; ut ut morbus, ægriq; vetarent pedes; etsi in gestatoria sella in publicum deferri debuisset: verùm precibus Senatorum cedendum fuit verentibus; ne graviori alterationi ea in templum delatione daretur occasio: nam etsi ab ejecto calculo videbatur superâsse morbum, non tamen aliæ cessaverant affectiones, quæ velut juratæ & ex condicto Principem infestabant, uti astma, internæ anxietates, & podagra; quarum ultima ne quidem de suo ad Senatorium conclave progredi indulgebat. Circa 11. sacrum cœpit, processione prævia cum Venerabili, quam Episcopus Livoniæ absolvit; sacrum verò Cancellarius Regni cecinit, concionem autem Episcopus Posnan: habuit more & voce solitis, quam rarus intellexit, adeoq; nemini ad gustum accidit. Interfuêre pauci Senatores & Nuntij ex utraq; gente, non ut aliàs in prioribus Comitijs; comitabatur processionem Regina, Cardinale & Episcopo Vilnensi illam ducente, quæ deinde ante concionem ad conclave suum recessit: sustentavêre umbellam super celebrante Principes Regij; Senatores & Nuntij Litvaniæ ex scamnis suis se movere sunt dedignati. Secundùm divina ad suã *Tumultus ob Krispinum.*
Nuntij concessêre palæstram, in qua primariò Succamerarius Vilnensis stante pede in hæc verba lotutus est: non auspicabitur Comitia Crispinus, quia Nuntius est controversus: cùm interim advenisset Notarius campi Litvaniæ cum scipione Mareschalci & sumptâ voce, ut ad suum quisq; rediret locum mandâsset, invaluit Nuntiorum Litvaniæ clamor: frustra id illum petere, non aut pro Mareschalco aut Nuntio à quopiam ipsum agnosci; cederet omninò aut taceret; sin neutrum vellet, sciret neminem unum illi pariturum, anteq; solvenda Comitia; quàm ipsum pro Mareschalco paterentur. Tenuit ultra duas horas hic inauspicatus tumultus per quem nec auspicari Comitia imò ne mutire quidem licuit Crispino, consedit nemo, sed uti ab adventu ejus, velut per seditionem in unum collecti constiterant, ita ad finem sessionis, perstiterunt, in varia interim scommata soluti, imperando silentium, perstringendo Natales, Gedanum pro consulari regimine remittendo, denique objiciendo, quæ nullo modo probare potuissent. Hæc auspicia fuêre Comitiorum; nec alter deinde progressus, aut finis erit: jactabit ista procella ratem Reipubl, certa ad syrtes allidere, nisi cœlum prohibeat. Soluta in summa confusione sessio, quòd biceps corpus Equestris Ordinis jam esse cœperat, hinc Notario campi Crispino, inde Succamerario Vilnensi terminante præsentem, & pro crastino indicente alteram sessionem. Eò quin Litvaniæ Nuntij progressi fuêre, hortati dictum Succamerarium sunt; ut postero die cum virga directionis sese publicis inferret Comitiis & acsi jam universis omnium suffragiis in Mareschalcũ

Nnnnnn eva-

A.C. 1695 evasisset, Directorem ageret. Nec abnuere visus Dąbrowscius eam contra jura & leges Patriæ provinciam, præsente altero, qui deinceps per tristem luctam tanquam possessor suum & conferentis Reipub. defendet honorem. At jam ante horam circiter ferendis Litvaniæ turbis impares Nuntii Terrestres Regni indictâ pro octava in crastino sessione ex turbido illo secesserant seq; ad Regem contulerant; ut in tres partes quodammodo ille ordo Reip. scissus esse videretur: quarum nulla victura erat, vincendæ omnes; etsi una illarum vicisset: quòd prostrato publico bono privatum pro nullo sit. Litvani verò Nuntii ad Thesaurarium suum pro conferentia diverterunt, capturi consilium de ulteriore hoc in negotio processu. Mox ab ea inter se collatione tam Senatores, quàm iidem Nuntii invisêre Cardinalem ad speciem rogantes, ut Regi denuntiatum vellet, Crispinum nec pro Directore veteris à præteritis Comitiis scipionis, nec pro Nuntio recognoscendum. Nec difficilem se præstitit Cardinalis, præviaq; primùm cùm Regina in palatio conferentiâ Regem adiit, & postulata M. D. L. exposuit. Verùm frustra ea petebantur; certus honorem tueri viri Rex erat: quare à Cardinale petiit, ut in crastino, quàm primùm convenissent Nuntii eos ad se invitatos vellet, unà cum Senatu; sessionemq; cum illis haberet, ac ad meliora, si se finerent, obstinatos animos inflecteret, in cassum id quidem tentatum, in decursu patebit. Adfuêre de Senatu Cracoviensis, Posnaniensis, Premisliensis, & Livoniæ Episcopi, Sendomiriensis, Calissiensis, Russiæ, Trocensis, Polocensis, & Masoviæ Palatini, Castellanus Samogitiæ, Procancellarius Regni, Cancellarius & Thesaurarius Litvaniæ; pauci admodum Nuntiorum Regni; quia nec Cracovienses nec Sendomirienses adfuêre, controversi utpote, majoris Poloniæ & Litvaniæ omnes comparuêre: absentavit se Episcopus Vilnensis ab eo actu, secesserat etiam ad conclave Palatinæ Lenciciensis Notarius campi Crispinus; etsi in medio aliorum ante consessum fuisset, cumq; illo privatim actum esset; indulgeret id bono pacis, cederetq; Mareschalcali scipione, sed persvasum nihil: nimirum ubi ambitus honorisque studium irrepserit; illud unum pro summa ratione & momento est. Consederunt igitur in primo conclavi, Cardinale pro more primum occupante locum, cui à tergo Rñdmus Potworowski adstabat cum Primatialis dignitatis insigni cruce. Mox in hunc sensum suum sermonem exorsus Primas: prodidit imprimis dolorem, super die hesterno, quem tam grande temerâsset nefas; tum singulos petiit, adinvenirent modum conciliandi Crispini; siquidem in antecessum ab antiquo id in praxi viguisset; ut Mareschalci Comitiorum præteritorum usque ad Electionem novi Directoris in imposita sibi persisterent provincia. Excepit verba Cardinalis Succamerarius Vilnensis hesterni erroris culpam à se in Notarium campestrem, ceu authorem derivando; quòd nempe arroganter scipionem sibi vendicâsset; nec enim id moris fuisse olim: ut qui Nuntius non esset, etsi Mareschalcus in antecessum fuisset, virgam directionis prætendere posset. Extitisse quidem duo aut tria exempla Mareschalcorum, quos quidem Comitiola pro Nuntiis non designâssent, direxissent nihilominùs, quousq; novus per universorum suffragia non successisset Mareschalcus Nuntiorum Cameræ: at id aliter factum non stetisse; quàm per preces conciliatis omnium animis & consensu, circaq; id punctum tres dies quandoque controversum, quàm ad scipionẽ admitterentur. Quare agnosceret arrogantiã suã Crispin⁹, culpãq; corã toto Nuntiorũ consessu deprecaretur; nec imposterũ prætenderet mun⁹ id quod sibi tanquã motori huj⁹ mali sciret esse negãdũ.

At

At longè alter sensus fuit Succamerarij Regni; qui Cardinalis sententiã premens, itidem seriò indoluit scenæ hesternæ, graviter contra Nuntios Litvaniæ questus; quòd inauditâ formâ celebrandi Comitia hesternum diem tumultariè, Nuntiis Regni ad subsellia remissis, nec concesso cuiquam loqui in stante pede, pro sessione, inter incõditas voces medio Sacrarii consiliorũ cum scandalo exterarũ Nationũ consũpsissent: Tũ, quantã libertati violationem hic ausus ferret? benè sentientium de Repub. cõmisit considerationi: præsertim, quòd id ex mero privato odio in personã Crispini factum fuisset; qui alio modo à scipione amoveri potuisset, si ad incudem judicii totius Nuntiorum canclavis eum referre placuisset. Refutavit id ex nunc Succamerari⁹ Vilnensis, offensamq; prætulit; quòd Succamerarius Regni violationem libertatis quodammodo à Nuntiis Litvaniæ patratam arbitrandam benè sentientibus commisisset, ulteriusq; per fervorem provectus asseruit; quantumvis à malevolis ceu malè sentientes de Repub: inculparentur; credere se nihilominus si rem penitiùs introspexerint, pro injuria illata Nuntiis Litvaniæ habituros dicta præmemorati Succamerarij: Nôssent verò ob tantam læsionem nullatenùs sive ad Mareschalcale munus, sive ad Nuntiorum nùmerum Crispinum admittendum. Reassumere vocem voluerat Succamerarius Regni Dąbrowscio responsurus; verùm Cardinalis meritò veritus, ne reciprocata convicia in manifestum odium erumperent, negatâ Nuntio voce ipse à Litvanis precatus est; ut re privatim mutuò collatâ realem darent declarationem Senatui; quod illud censerent medium ratione directionis cameræ Nuntiorum quemq; existimarent tantisper Scipioni admovendum: Primas eas turbavit preces Cardinalis Nuntius ex Litvania Wolski; qui extemplò Dąbrowscium obtrusit, sed irrito conatu: nam Nuntius Majoris Poloniæ Kierski non minùs promptè contradixit, probavitq; nemini alteri quàm Crispino competere, qui utporè consentientibus universorum votis eum & recepisset, & super eo secundùm jura jurâsset. Quare iteratò ad preces conversus Primas postulavit; vellent Litvaniæ Nuntii in semotiori parte palatij tantisper secum conferre, & privatim meditari media; quibus concordia optata inter eos sanciri posset. Nec mora: Secessêre ad aliud conclave frustra consulturi; nam ubi satis inter se horæ unius spatio contulerant, reduces in publicum consessum has obtulêre conditiones. *Primam* ut Rex iterata universalia pro Comitiolis Ducatui Samogitiæ indulta dignanter vellet, quæ jam à duabus hebdomadis dictus Ducatus à Mte expetijsset, illuc sanè proficisceretur Crispinus, tentaretq; fortunam, nec dubitaret, se, si in Nuntium electus fuisset in numero Nuntiorum legitimè censendum. *Secundam* cassaret Mtas mandatum calumniose Palatino Vilnensi datum ab Episcopo Vilnensi fabricatum, item alterum à Notario campi Litvaniæ summè læsivum honoris totius domûs Sapiehanæ in charta blanca confectum annullaret. *Tertiam* aliæ differentiæ & offensæ Palatini Vilnensis sub continuatione prioris Mareschalcatûs judicarentur, & pacificarentur; aliàs certi essent: Ducatum Litvaniæ etiam cum discrimine Comitiorum ad nulla publica consilia accessurum; nisi prius dictæ conditiones adimplerentur. His propositionibus factis Nuntius Slizen easdem repetijt, adjecto; ne quis alter Mareschalci suppleret vices; quàm Succamerarius Vilnensis Dąbrowski, eoq; Præside diffidentiæ omnes deciderentur & sopirentur· Verùm contrarium sensêre Nuntij Masoviæ & Lencicienses, ac imprimis Succamerarius Livensis, qui à Senatu postulavit; inveniret medium; ut læsio liberæ vocis, quam Nuntijs Regni intulissent Litvani, debitâ satisfactione resarciretur. Ægris ea

A.C. 1695

Casimirus Bilinski Contradictio Succamerariorũ Regni & M. D. Litv.

Postulata Nuntiorum M. D. L.

A.C. 1695 vox audita auribus stomachum imprimis movit Palatino Polocensi; unde in hæc verba erupit: durus est iste sermo. Inter diversas ergo sententias Palatino Trocensi & Masovitis magis in Litvanos pronis Primas & Senatus consurrexit, privatimq; habito colloquio hoc adinvenit medium; ut Nuntij diem conclusuri rectâ à Cardinale ad suum contenderent conclave illucq; delati unanimis vocibus sessionem solverent; & in crastinum diem alteram condicerent. Nec mora, contulêre se omnes ad conclave Nuntiorum, ibiq; aliquantum morati, determinârunt congressum pro octava hora sequentis diei. Jam soluta ergò erat sessio, & jam quisq; rediturus ad diversorium suum, de gradibus descendebat; cùm Crispinus oblitus quidem sui, sed dignitatis non immemor occurrit, quæsitusq; à Nuntijs quorsùm pergeret? respondit: ad locum officij sui, conclave scilicet, & tanquam Mareschalcum & tanquã Nuntium tendere; fremere inde Nuntij, pergentemq; audaci gradu tumultuariè sequi: stetit nihilominus intra verba furor, soluta tamen sessione ab ipso dum jam à se invicem discederent cautela data: videret sanè; ut si inposterùm scipionem affectaret, securiore loricâ galeâq; tectus veniret, quàm in Comitiolis Samogitiæ comparuisset. Fecit deinde vesperi relationem Regi Cardinalis gestorum, cui successit conferentia cũ præsentibus Senatoribus & Cancellario Regni; verùm nihil sopitum hactenùs. Eadem facies etiam 14 consiliorum fuit; nam horâ 8vâ mox ab adventu suo ad conclave sine scipione stante pede in circulo cum alijs Collegis solvit sessionem, alteramq; in crastinum pro octava Crispinus determinavit. Puncta pro reconciliatione partium necdum formata fuêre; spes tamen facta seqq. diebus formanda; at fallet spes ista optantes. Palatinus Sierad: tuendas suscepit partes Sapiehanas, ejusq; consilijs hæc machina regi credita est, & ipse quoq; uti & Polocensis nec non Trocen: Palatini Regi salutationis necdum habuit honorem. Affulgere in adventu Palatini Vilnen: spes aliqua concordiæ putabatur; verùm is an de industria? an per impossibilitatem, longiorem sive in itinere, sive alibi moram traxit. 14 tamen Jan: ducenti ejus Pedites prodromi comparuêre Varsaviæ, qui fidem facerent, brevi & ipsum Ducem secuturũ, præsertim quòd literis à compluribus datis urgebatur, ut quantocius ad mediationem causæ acceleraret. Verùm nova forsitan offensa Palatinum detinuit: ediderat informationem Episcopus Vilnen: nomine Ecclesiarũ Diœcesis suæ, & in ea circa finem hæc verba inseruerat; *sinite illos, cæci sunt & Duces cæcorum*: adverterunt eæ voces nimiùm quantum Ducis animum, seq; illis suosq; Consiliarios tangi & suggillari credidit. Inter has in publico turbas, nec in privato dissidia defuêre. Castellanus Cracovien: cum tota domo sua ex occasione Palatini Woliniæ iniquior Venatori Regni esse cœperat; hinc pristinæ cum illo necessitudinis immemor solenni illius nuptiarum actui interesse non sustinuit, vindictamq; hanc privatæ passionis suæ toti familiæ suæ communem fecit. Contulit ad hunc præposterum affectum non parùm Capitaneus Zytomirien: ne scilicet flammis deesset oleum. Quo animo Rex publica mala acceperit, scribere supervacaneum est: at hæc duntaxat intia dolorum erant; qui cessante ægritudine corporis tantò deinde acerbiùs animum afficient; solatia tamen & lenimenta malorum ex meis acceperat literis ex Belgio de ratificatione contractûs datis: quibus utcunq; recreatæ Mtes tristium sensum non tam amisêre, quàm sopiverunt, succedentibus novis indies adversis excitandum. Sed nec in prædictis meis literis omnia ad gustum esse poterant; ut quòd Castellana Vilnen: ab Electrice se separâs-

(quam vide fol. 1424)

parâsset Parisiosq; discessisset, datum id vitio prædictæ Dñæ, de me verò quem sensum habuerit, ex Diario expeditionis meæ constat. A.C. 1695

Uno verbo reliquum Comitiorum absolvi posset; sufficeret dixisse: chaos nonnisi & turbidum fuisse, at dandum id posteritati est ut olim quibus fluctibus hoc mare jactatum fuerit ad cautelam nôrit. Notarius campi Litvaniæ prævenire desiderans contrarios sibi Nuntios Litvaniæ, suamque contra verbum datum Cardinali ante sessionem, in qua deinde conclusum fuerat; ut Nuntii congressi passivè de validitate protestationum sabbato contra insolentes Nuntiorum actiones illatarum tractarent, fundare volens activitatem, temerariè processit, stipatusque aliquot ultra decem Nuntiis, quos inter nonnisi duo Litvani erant, ingressus palæstram quæsivit, an consentirent in sessionem auspicandam, Comitiorumq; inchoationem? cùmq; ab omnibus acclamatum fuisset; consentire universos; consedit in loco Directorali, ultraq; quærendo perrexit: quo in fundamento sessio auspicanda foret? responsum à Frackievicio Capitaneo Slonimensi observandum tempus, moxq; ad electionem accedendum novi Mareschalci: contrarium verò censente vexillifero Cracoviensi, qui non optavit ut ad electionem Mareschalci procederetur intuitu paucitatis Nuntiorum, determinata in crastinum sessio consentientibus omnibus, solo Gembulo Nuntio ex Litvania contra protestante. Jam exibat Crispinus cum suis Nuntiis; cum Litvani supervenerunt, admirationeque de actu attoniti contra eandem activitatē protestati, solverunt passivè sessionem, eamque in crastinum pro octava determinârunt, etsi Crispinus activè pro nona sequentis determinâsset.

19 Januarij prævenerunt Litvani Nuntios Regni, adfuerunt deinde etiam Poloniæ Nuntii: verùm Notarius Litvaniæ suum ad congressum adventum ultra 11 distulit, nec ante comparuit; quam Succamerarius Regni à Majestatibus ad Nuntios Ablegatus impetrâsset, ne Crispino accessûs ad Nuntiorum orchestram vetaretur concessum id quidem; verùm sub conditione: ut hesterna ejus activitas pro nulla haberetur, sessioque nonnisi passivè, idque non ex loco, sed stante pede solveretur. Venit ergo in assistentia aliquot ultra decem Nuntiorum Regni Notarius Campestris Litvaniæ, & in medio activè sessionem solvit, Litvaniæ Nuntiis passivè solventibus. Idem etiam 20 Januarii actum, 21 vacavit ob festivitatem S. Agnetis. Rex interim cum suis affectionibus luctabatur, & quà morbo instar febris, citra ardorem tamen; quà dolore laterum & pedum affligebatur, non sine omnium luctu: quòd inter hæc dissidia & turbas salus universorum à salute capitis penderet. Regina imprimis tota se pietati dedit, quatuor indies horas in templo devotioni tribuit, prætereaq; missæ sui Capucini ad aram Transfigurationis Dñi cum summa ædificatione populi interfuit, id unicè à DEO precata; ut Patriæ sibiq; servaret Principem. Hactenus necdum Palatinus Vilnensis ad publicum consilii locum advenerat, & in horas expectabatur: unde Rex auditus queri, feliciorem Palatinum Vilnensem dictitans, quàm se: eum nimirū expectari, sibi autem eam gratiam negatam fuisse; dum superiore anno Comitia reassumere vellet, quamvis legalitas sua meritò id evincere debuisset. Cœlo interim aliquod, quod leniret dolores tam animi, quàm corporis Regii concessum solatium; dum 19 Januarij Principis Jacobi Consors felici partu filiam est enixa; quæ præsentata lætiorem reddidit Mtem, quòd aliquam sui similitudinem in signis (nigris enim oculis maculaq; in fronte notata fuit) deprehendisset. Sed his ad speciem prosperis alia quibus ea obruentur tristia succedent. Quin his ipsis diebus a-

A.C. 1695 libi etiam flumina elevaverunt vocem suam; quorum sonitus ad aures usque in Belgio existentis allapsus est, Venatore Regni in Comitiolis Podoliæ sistente activitatem Vexilliferi itidem Regni per rationem; quòd impossessionatus esset, nec tantùm quidem haberet glebæ, cui pede insistere liceret: alibi Alexandro & Theodoro Potoccijs graviter Castellano Cracoviensi quà calamo quà lingva infestis: in Prussia verò frementibus contra Palatinum Pomeraniæ universis: Varsaviæ demum rebus sursum deorsumque versis, Senatoribus aliis legitimè absentibus, alijs privata præhabentibus publico. In ipso quin Comitio 22 Januarij dissimili quidem primitùs vultu, sed qui mox falleret, spesque præconceptas confunderet. Nam citra tumultum ingressi Nuntii conclave suum, Notarium campi aliquantisper sustinuerunt; tum etiam Cracoviensem Vexilliferum de jure Marescalci differentem patientiâ & modestiâ ultra morem audivêre; adduxit ille pro argumento constitutiones 16 & 78; in quibus cautum, ut priorum Comitiorum Director etiamsi in Nuntium electus non fuisset, præsideret nihilominùs, alteraque auspicaretur Comitia: adjecit deinde præjudicata tam antiquiora, quàm recentiora, uti Dominum Gelgut & Referendarium Regni; præclarè quidem ea dictâ fuêre; nisi Succamerarius Vilnensis turbâsset concentum, qui cum aliquot Nuntiis Litvaniæ orationi intervenerat. Quare verba perdidit dictus Vexillifer; nec quidquam effectum est, præterquam; ut exemplo præcedentium dierum à Polonis ore Notarii Campestris in feriam 2dam sessio determinaretur activè, à Litvanis verò passivè per Succamerarium Vilnensem. Rex interim pro inchoandis judiciis Comitialibus deputavit Grzybowscium Juni-Vladislaviensem, & Towianscium Lenciciensem Castellanos; coram quibus in contumaciam in Senatorio conclavi aliquot causæ datæ fuêre. Tandem hac die expectatus Palatinus Viln: pluribus quà clientibus, quà militibus stipatus advenit, & quia jam vesper erat, visitatione Regis abstinuit: divertit autem ad palatium Thesaurarii Litvaniæ, Thesaurarius verò se ad proximam Episcopo Posnaniensi Lapideam transtulit.

Andreas Zydowski

23 Ob reverentiam diei dominicæ vacavit Nuntiorum conclave, ex voluntate nihilominus Regis gemina à Nuntiis Regni celebrata sessio horis matutinis: una Nuntiorum majoris Poloniæ in palatio Cardinalis; altera min: Poloniæ in aula Cracov. Episcopi: quo comperto diviserunt sese Nuntij Litvaniæ, parsque una uni, altera alteri interfuit. Una duntaxat in utraque sessione agitata materia, scil: quis modus prospiciendi foret securitati Comitiorum? præfractè à Litvanis, paucisque ad id responsum: non alium superesse; nisi resignaret Crispinus scipionem, negotium Episc: & Palatini Vilnensium quantocius componeretur, cassaretur mandatum Palatino datum: Ad quæ utriusque Provinciæ Nuntij reposuêre declarando ad feriam quartam se usque exspectaturos; tum in quantũ mediũ componendi causam desiderari contigisset, ad alia processuros. Hic finis sessionis fuit; sed non diei; qui tristi vesperâ in ipso palatio finem accepit. Hesternâ die mutuò se se offenderant Castellanides Lenciciensis, recenterque admissus ad aulam ex maiore Polonia oriundus Niezuchowski Poninsciorum Consangvineus, Towianscius quidem Niezuchowscium trudendo, Niezuchowscius autem respondendo, dishonorisque signa ostendendo; asinum enim vocaverat sebosumque ostenderat; quo Castellanides exacerbatus impræsentiarum vindictâ quidem abstinuit, sive quòd impar, sive quòd sobrius esset: At sequenti die, ubi mero incaluit, memoria etiam hesterni vulneris recruduit. Quarè assumptis Cardinalis famulis ad concla-

Christophorus Towianski excitat tumultum in conclavi regio

conclave ipsius Reginæ nocturnæ quieti destinatum penetravit, ibiq; ultroneè tam per se, quàm per suos quæsivit ansam, quâ de adversario vindictam expleret. Aderant complures præsentes, qui saniora svaderent: summumq; jus conclavis Regij &Mtem obtenderent: Abstineret tumultidus, ni serâ pœnitentiâ attentatum ausum luere vellet. At frustra verba fuêre: nimirum animo occupato aures etiam vindicta adimit. Evoluta causa ad alterum conclave Reginæ, ubi umbella Mtis insigne violentas manus inhibere potuisset: nisi affectus etiam clausisset oculos. Ibi quoq; mediatorem agere Capitaneus Kopaniecensis amiceq; persvadere, non se permitteret passioni, abstineret tumultu, non magnam gloriã esse sciret; si unus à pluribus vinceretur: si tantus furor esset, non desiderari modos, quibus se vindicare posset, non deesse campum, in quo liceret experimentum sumere, provocaret ad duellum, solusq; cum solo de honore certaret. At in cassum hæc dicta, inæqualem esse adversarium sibi prætendit Tovianscius; quo irritatus Poninscius reposuit, sibi id potius Tovianski diceret, nec alijs inæqualitatem objiceret. Deventum inde à lingva ad manus, alapa primum impacta tum etiam pugnis in eundem sævitum, tres etiam frameas strinxêre, quorum unum Mosowscium Sarnecki fornaci allisit. Audito tumultu tanto in altero conclavi, accursum: domiti mox violatores Mtis, firmatæ custodiæ, nemoq; ex conclavi dimissus; donec quid faciendum cum illis foret? declaratio veniret à Mte: Adfuit etiam in tempore Mareschalcus, maliq; quà authores, quà cooperatores, in custodiam duxit: eadem sors involvisset Castellanidem, nisi Castellanus Parens nomine Cardinalis pro illo fide jussisset. Nec satis inter exeundũ nondum satur insolentiæ Mostowski colaphũ Ianitori impegit, Rex tantâ violentiâ pro merito offensus, non tantum in Castellanidem exarserat; sed etiam in ipsum Castellanum; cui hæc formalia dixit: Non minus ipsum reprehensibilem, pœnâq; dignum, quàm filium: Filiũ quidem ob tantum ausum meruisse pœnas, Parentem verò ob præposteram educationem. Sequenti id est 24 die tacto termino citati aulici Cardinalitij Mareschalcali se se subjecêre judicio; etsi interim Primas ad Regem misisset Castellanum Lanciciensem cum declaratione: à Mareschalco Regni nullo titulo usurpari posse jurisdictionem in Aulcos ipsius, qui si excessissent, cum etiam Primas Regni suum habeat Mareschalcum, ad ejus judicium pertinerent. Ad eam propositionem cum nullus Senatorum aliorum adesset; qui nomine Regis responderet: ipsemet reposuit Mareschalcus, & quasi de industria deduxit, quantus Primati debeatur honor, quanta item observantia Majestatibus, quantoque major & altior præeminentia Regum præ Primate foret luculenter disseruit: ex quo subintulit; quia id in conclavi attentatum fuisset crimen læsæ Mtis comissum esse, consequenter se non passurum; ut quæ jure Mareschalcali judicio subjacerent, à suo foro exciperentur. Hanc declarationẽ accepit Castellanus Lencic: in quem non exilem offensam præferre etiam tum Rex videbatur, quam verbis prodidit: justè illi intentari actionem posse; quòd proles per indignam eo statu educationem in transversum acta esset. Quem ea causa sortita sit exitum deinde dabo. Interim Poninscij non immemores injuriæ colligere vires, spirare vindictam, tentareq; modos; quibus si complanatio non stetisset, talionem refunderent. At in Comitiorum conclavi post longas concertationes præsertim sabbativas, de scipione habitas, cui nullatenus se parituros Litvani declaravêrunt, proculdubiò veriti; nè quid in suum Principalem gravius sub directore Crispini cuderetur; quamprimùm dictus Notarius campi Litvaniæ

A. C. 1695

A. C. 1695 vaniæ in medio comparuit: ex nunc consurrexêre omnes. Quare obrutus vocibus solvere sessionem necesse habuit, protestantibus econtra Subdapifero Regni & Krasnostawscio, in fundamento legis imperantis electionem Mareschalci primo statim die, cumque eo rigore ex conclavi exeuntibus. Nec aliter 25 Jan: factum, quo etiam circa vespertinū crepusculum Palatinus Vilnensis visitaturus Regem arcem cum grandi pompa invectus est. Habuit in assistentia ducentos 50 Pedites Ungarici authoramenti, exotici militis (Semenos vocant) ducentos præter Nuntios & Clientes multumque Equitem. Ingressus arcem obvium in conclavi Principem Regium Jacobum habuit; cum quo ultra quadrantem horæ collocutus, cum eodem Regem adiit tum ad spondam lecti sedentem, animumque lectione Leopoliensis Cursoriæ distrahentem. Assistebant Mti Regina & Cardinalis, alijque Senatores cum Regni Cancellario: veneratus utramque Mtem Palatinus submississimè, & vicissim affabiliter cum aliqua subrisione à Rege acceptus; secuti deinceps Polocensis, Troc: Mscislav: Palatini, Dapifer, & Præfectus vigiliarum Litvaniæ, eundem Principi habuerunt honorem singuli cum summa modestia. A veneratione hac humanissimè quæsivit Princeps de itinere, ejusque ratione; carpentóne an curru venisset? tum Leopoliensia nova lecta dimidiæ circiter horæ spatio, sicque iterùm discessum est, nulla ulteriori conferentia sive cum Rege sive Regina habita, quam nonnisi à longè Palatinus salutavit. Rediit inde ad palatium suum grandiore rhedâ vectus, octo alijs rhedis Senatorum & Nuntiorum præcedentibus, Filijs uti etiam & alijs adequitantibus, stipabant latera exotici satellites Semeni, Hungaricus Peditatus sequebatur.

26 Nuntij singuli suis consedêre locis præstolantes adventum Crispini, qui cum comparuisset; Capitaneo Slonimensi tentare fortunâ placuit, personamque assumere Vatis. Allocutus ille dictum Notarium, hortatusque; suum capesseret locum auspicaretur sessionem, & ad Electionem Mareschalci procederet: verùm invanum benè ominatæ voces abiêrunt: prævaluit pluralitas Litvanorum vetantium scipionis exercitium; promisêre nihilominus crastinum exhibiturum diem omnia, quæ fieri hactenùs debuissent. Verùm, qui post tot elusiones crederet, inventus est nemo: nec aliter res evenit, ubi 27. Januarij illuxit, recoxêre eandem cramben Nuntij: compensata tamen tam pretiosi temporis dispendia existimata sunt reconciliatione factâ Nuntij Apostolici cum Palatino Vilnensi in conclavi Regio, laborantibus quàm impensissimè circa eam Majestatibus ipsis. Invitaverat ad se Cardinalē cum Palatino Vilnensi Regina, adfuit mox Episcopus Posnaniensis cum Nuntio Apostolico, cedente tantisper ad conclave Principis Regii Jacobi Palatino, ne à Nuntio ibidem deprehenderetur, utque absente ipso facilius difficultates quædam & obices reconciliationis removerentur: quæ ubi utcunque interpositione Reginæ expedita fuêre, præsertim ne literas acriore stylo datas Palatinus revocare cogeretur, prodiit Palatinus, adque Monopodium Reginæ stanti pauca locutus à Nuntio de interiore quodammodo conclavi prodeunte expansis brachiis manibus his verbis salutatus est: nostra ira & inimicitia fuit in papyro, in corde autem meo semper est amicitia: pollicitus sub hæc Nuntius sese omnimodè applicaturum ad mediationem inter partes quò etiam causa Palatini transiret in amicitiam: quod utinam factum fuisset, feliciori res terminatæ fuissent eventu & desperata Comitia procul dubiò revixissent. Deputavit proinde Rex ad tractatum apud Cardinalem de complanatione habendum Cracoviensem

Reconciliatio Nuntij Apost. cum Palat. Viln.

ensem & Posnaniensem Episcopos, item Palatinum Sieradiensem. Porrò hic notandum, hesternâ die à Palatino Vilnensi expeditum fuisse, priusquam veneraturus adiret Regem, Dñum Bernic, qui Nuntio Apostolico nomine suo deferret honorem; verùm negata dicto Ablegato audientia, nec nisi per auditorem declaratum à Nuntio Apostolico literis Palatini offenso, quòd nulla hactenùs præcessisset satisfactio, eam non recipi venerationem, nec tantam humilitatem Ecclesiæ filii gratam haberi. Pupugit ea responsio Ducem; nec minùs alios; quibus ea malevolentia obstinati Itali odio erat, utut alij econtra dicta ejusdem probarent. Secuta eam complanationem altera reconciliatio Reginæ, ratione excessûs in conclavi à Castellanide Lencicienfi facti, mitigatus Principis animus à Cardinale, tum etiam ab ipso peccante deprecatio facta, quam tandem his verbis finivit Regina: vestra Eminentia nemini sua protectione favere deberet, qui ejusmodi comittit ausus. Cum Poninsciis deinde, qui necdum iras remiserant, actum; verùm necdum sopitus affectus, quem an tandem deponent, sequentes docebunt dies. A prandiis deputati ad tractatum conciliationis Episcopi & Palatini Vilnensium in sua apud Cardinalem sessione ordinârunt puncta, quibus pristina pax & amicitia inter utramque partem coalesceret, post quam jam vespere Primas cum Regina privatam habuit conferentiam. Hoc die primum valetudinem suam probavit Rex & aliquantum deambulavit pedes, tussis nihilominùs adhuc remansit. Enixa hujus diei nocte masculam prolem in assignata sibi à Regina statione Castellana Calissiensis, cui pro nato filio honorarium baptismale centum millia Cracoviensis Episcopus dedit.

A.C. 1695

Joanna Malachowska

28va Januarij sine linea in Nuntiorum conclavi abiit, nec apud Cardinalem quidquam actum: traslatæ enim sessiones ab illo ad conclave fuêre. Sub hæc de Procancellario Litvaniæ Principe Radivilio rumor invaluit Varsaviæ; acsi Birzam & Dubinkam bona Neoburgicæ in suam vindicâsset potestatem. Item contra eundem Procancellarium litem & actionem declaravit Insulatus Olycensis; propterea quòd Princeps, ut Groskiewic Jurista asseruerat, Præpositurã Olycensẽ Dño Wollowicz declarâsset. Ad id si deventũ fuerit; non aliũ primã causam & motorẽ mali crediderim, nisi Markuszewsciũ per literas suas, quas ad principẽ dedit de infulato. At D. Jabłonski iterũ Judæo Becal infest⁹ esse cœpit, declaravitq; quàprimùm Comitia inchoata forent, exnunc se daturũ mãdata dicto homini ex instinctu quorundam Judæorum, qui juramento confirmare jurati essent Becalum simulare duntaxat animum suscipiendi baptismi, à quo mox prostituto sacro charactere ad Judaismum rediturus esset.

Andreas Zaluski

29 Jan: nihil de complanatione inter Episc: & Palatinum Vilnenses actum: causa remoræ Legatus Galliæ fuit importunitate suâ, qui non rogatus, neq; invitatus, sese in eam mediationem omninò intromittere volebat: verùm irrito conatu, nam à Palatino rejectus cedere debuit, quòd sufficerent indigeni Medici arcanis medendo morbis. In Nuntiorũ verò conclavi eadem facies tenuit, quæ ante; quare à Nuntijs Regni querelæ apud Regẽ depositæ per Dapiferum Wschovens. Lipscium: contra Litvanos; quòd ratione nullâ præhabitâ Nuntiorum sisterent activitatẽ, postulatumq; tam majori, quàm minori Poloniæ Provincialem concederet in crastino ad medelam sui apud PP. Bernardinos habere sessionem: Quæ cum concessa esset, minimè tamen sequenti die absoluta fuit per defectũ, quòd nonnisi unus Senator Polaniecki aliquotq; Nuntii cum Dapifero Wschowensi ad determinatum locum convenissent: Quare dilata in crastinum sessio, deinde in cassum ibit, ut mox innuam. Intereà Legatus Cæsareus

A.C. 1695 fareus 29 circa vesperam cum non parva comparuit assistentia, 30 verò Deputati Senatores ad mediationem itidem ad PP. Minores de observantia concesserant; at quia Cardinalis contra Regis mentem etiam Nuntium ad eam sessionem introduxerat, sepositis propositionibus punctisq; concordiæ infecto negotio reditum est. Suberat solutæ sessionis etiam alia causa; nempe Palatino Trocensi objicienda erat incapacitas honoris, ob objectam à Dno Szolkowski Grodnensi Nuntio falsificationem actorum qua se non purgaverat.

31 Solutâ sessione concesserunt ad PP. Bernardinos Nuntii Poloniæ; verùm & ibi præside Palatino Masoviæ nihil actum, disputatum tantùm de loco, ubi sessio haberi deberet, aliis apud Cardinalem habendam, qui maioris Poloniæ fuêre; contrà Referendario Regni & Vexillifero Cracoviensi in loco privilegiato censentibus, ob maiorem authoritatem: asserebant enim unum ordinem plus valere, quàm unã personã: nullus itẽ effectus sessionis pro mediatione fuit, Nuntio Apostolico & Legato Galliæ potissimum obicem ponentibus.

1ma Febr. more solito controversum altercatumq;, etiam ad manus fere deventum; nam dum auspicari sessionem Mareschalcus vellet, interpellavit illius vocem Succamerarius Vilnensis, silentium ei imperans, prætendensque eum non posse agere, utpote Nuntium controversum; ad quæ cum reposuisset Crispinus, se & Nuntium legitimè electũ esse, tamdiuq; ad se scipionem pertinere, quamdiu illum novo Directori non resignâsset; adjecissetq; hæc formalia: Dñe Succamerarie, non in Litvania hic res agitur, ubi sub armis & metuenda militum custodia celebrare Comitiola cogimur, noveris te ipsum Nuntium esse controversum. Exarsit inde Succamerarius, tum ad convicia reciproca conversi, deniq; etiam in se insurrexerunt; sed interventu aliorum Nuntiorum vis quidem inhibita, at non furor. Furentibus non tam fortunâ, quàm potius disponente DEO furens alter rationisque impos supervenit cum stricto gladio; crediderim ut siquidem se regi non sinerent à legitimo Mareschalco, à furente regerentur, Germanus is fuit, satisque ille suam activitatem probavit; nam ingresso eo conclave Nuntiorum, diremptæ mox lites, stupuêre universi, quisque suum periculum arbitrari, quisque concedere locum, magisque hominem acceptare, quàm Crispinum: cum ille liberâ voce intonuit: se ad duellum Turcicum Imperatorem sibi deposcere & quotquot contra JOANNEM III, quidpiam machinarentur: conticuêre omnes, vox faucibus hæsit. Soluta deinde post altercationem sessio à Crispino, nemine ne Litvano quidem contradicente.

Eventus inopinatus

3tia Ferb. semotis arbitris apud Reformatos à Deputatis ad mediationem Senatoribus Episcopis scilicet Cracoviensi, & Posnaniensi, Calissiensi, Sendomiriensi, Russiæ, Mscislaviensi, & Minscensi Palatinis, ex Equestri verò Ordine Referendario Regni, Vexillifero Cracoviensi, Wollowicio & Dąbrowscio, Præside Cardinale habita sessio: quo comperto Nunti⁹ Apostolicus suorũ unũ ablegavit, qui de nullitate fundatæ jurisdictionis se absente protestaretur, si forsan accessissent ad mediationem supra nominatarum personarum: responsum à Cardinale se necdum fundâsse jurisdictionem, sed tantùm privatim secum conferre. Nihil igitur actum: Non desivit tamen Rex media, quà invenire, quà proponere; per quæ tandem concordia coalesceret, sed frustra: Obstitit potentior pars, varijsq; artibus & prætextibus operam boni Principis elusit. Quippè mandatum in mente erat, timebatur Comitiale judicium,

veta-

vetabat conscientia injuriarum, tanta interim animum occupaverat arrogantia; ut qui injurias dederant, non media agitarent, sed acsi injuriã accepissent, satisfactionem postularent: Nec alia deerant obstacula; Nuntius primùm Apostolicus, sibi comissam à Sede Apostolica potestatem circa mediationem obtendit: Quare nullatenùs Senatores in ea causa progredi posse se neglecto per Secretarium est protestatus. Alterum fuit, quòd nullo modo lecti de Senatu Palatinum Trocensem admittere vellent, quem Sapieha pro suo obtrudebat oratore. Tertium deniquè accessit ab insolentia Dapiferi Litvaniæ, qui, dum more solito pueri Poloni cum Litvanis confligerent, suos Equites immiserat, cædeq; non parvâ grassatus fuerat, novo deinceps irritamento malorum, de quo post pauca dicam. Interim in Nuntiorum consessu tam hoc, quàm alijs seqq. diebus perseverabant tristia, resq; sine rebus tractabantur: necdum etiam in palatio causa Castellanidæ Lencic: sopita erat, Rege necdum hactenùs mitiore, utut partes lædentis Cardinalis suâ authoritate sustentaret; furentibus etiã Poninscijs, qui præterquã quòd protestationẽ intulissent, alio insuper modo, si justitiæ obicem poneret Primas, tantam contumeliam sese ulturos denuntiabant. Misera igitur rerum facies ubique, non resolvere scrupulos suos Litvani, non consilijs locum dare, non cur rerũ ordinem sisterent exponere, stabat sola pro ratione voluntas. Tantis malis mederi pronæ utriusq; Poloniæ Provinciæ, si per Litvanos finerentur, alteram etiam apud Bernardinos sessionem habuêre, sed irrito effectu: quis enim ille sequeretur tot chorum turbantibus? Existimantes enim Litvani manifestum quodpiam à Nuntijs Poloniæ formandum, ipsi quoq; apud Thesaurarium Litvaniæ collecti formârunt puncta, cũ quibus Duce Palatino Vilnensi adiêrunt PP. Bernardinos præsentaturi & opposituri suum manifestum, si Poloni in illo consessu suum præsentâssent. Verùm, cùm contra se nihil agi audissent, suggillari duntaxat Principalem; quòd per illum cursus publici consilij impediretur, ausi non sunt suum exhibere scriptũ, perstitêre solummodo circa actiones Palatini sopiendas. Hinc tumultus, qui mediâ propè horâ duravit, spemq; & effectum abstulit, damnum tamen illatum pauperibus Religiosis, quà eversis quà confractis scamnis habeatur pro effectu. A.C. 1695

Hactenus dicta etsi ex literis sumpta sint fidelissimè omnia connotantis, nec ulteriore probatione egeant; cùm etiã ex publica fama constent, subjungere mihi etiam nihilominus visum est aliorum; non ut majorem fidem faciam: quæ enim illa esse potest? in solis oculis gesta patent omnibus, sed ut scripta mea tantisper interpolem.

Copia Literarum Varsaviâ 21 Januar: datarum.

Necdum cœpêre Comitia; si properaveris, ne prælibata quidem publica consilia compereris; nisi fors interim rumperentur, cujus magna apparentia est: quippè nemo cooperatur, ut tandem vel incboentur. Cardinalis in cujus humeris tota moles recumbit, magis est Cephæ, quàm Pauli. Ministri Regis langvidè agunt: illa verò pars nimiùm contumaciter procedit, & humilitatis specie ingentem ambitum præfert. Libertas utcunq; dissimulet, captiva est, quodq; summum ad calamitatem est, pauci sunt qui servitutis imminentis agnoscunt vestigia: ruimus & nemo cohibet. Mareschalcus Regni diffugit à judicijs, quibus vindicãda securitas violata conclavis Regij erat. Idem agunt cæteri, spectant ut proximus ardet Ucalegon, & medio se tutos pariete putant. Vertant Superi in melius publicam ruinam, quam quisq; prudens prævidet, ex hoc angulo. Ii verò qui in hoc sunt theatro, cæcutiunt, ut ex inclusis intelliges.

Conten-

A.C.1695

Contenta Literarum à Palatino Masoviæ datarum

Hactenus conclave Nuntiorum uti primâ die elingve, tota occupatio Nuntiorum congredi, & digredi, non per consessum, sed stante pede nullo sub Directore dissolutis sensibus agere. Perpendas velim, quantum ad posteritatem scandalum! Equester Ordo, magna Reipub: pars, semperq; pro libertate zelans nunc nec labia aperire potest. Voluimus his vulneribus Reipublicæ mederi, mora sed ea non prodest, imò magis obest: voluimus interpositione magnorum nominum authoritate Principis, & Senatûs sanare hæc inconvenientia; nihil profuit. Vocati in ludibrium magnum & Pontifices; quia semel in rejecto Legato Galliæ; alterâ vice in Nuntio Apost. per rationem. quòd externi ad nostras internas dissensiones non spectarent, dissoluta fuit sessio mediationis. 3tio deniq; ultima conferentia ad personam Palatini Trocensis allisa veluti naufragium passa est, simulq; spes conciliandi Palatinum Vilnensem cum Episcopo disperiit. Nam utrum negotium id imposterùm successurum sit; prorsus ambiguum est: his nolentibus desistere à defensione Trocensis Palatini, aliis contra infamem detestantibus personam, ejusq; consortium vitantibus. Delapsi deinde ad aliud medium sumus, ad sessiones scilicet Provinciales cum consensu Principis; sed nec hoc juvit neq; profuit: nam dum sederemus apud PP. Bernardinos, de mediis ulterioris consilij disputaturi; & quid in tam arduo Reipub. passu agendum foret consulturi, adfuère etiam Nuntij & Senatores Litvani, desiderantes communicationem nobiscum & consensum in consessu. Attoniti fuimus ad tam repentina postulata; moxq; expedivimus rationes nullo modo vivente Principe, hoc colloquium trium Provinciarum absente Majestate licitum esse posse: petijmusq;, ut potiùs more solito ad PP. Societ. JESU convenirent, ibiq; Provincialem sessionem peragerent: renuentibus illis infectis rebus discedendum fuit. Perpende jam quid sperandum? nec in consessu Nuntiorum, nec in sessionibus libera vocis activitas se se exerere potest. Jam nihil restat; nisi digressio & depositio in sinum fraternũ tantorum dolorum: consulant illi imposterùm, vindicentq; libertatẽ in communi. Proh DEum! quòd te præsentem non habeamus; cujus perspecta pro bono Reipub. activitas plurimùm operari posset. Rex, laus DEo, jam valentior & vegetior, Regina itidem, quamvis inter continuas curas & solicitudines: Palatina Calissiensis & Princip. Regij Consors utcunq; etiam convalescunt. Succameraria Regni enixa filium est &c. Notandum remanserant in sessione cum Litvanis apud PP. Societ., Nuntij aliquot Poloni; sed nihil operati ostenderunt paupertatem suam. Princeps Curlandiæ hisce diebus comparuit sed macilentus admodum & æger.

Literæ Suszycki Canonici Crac: Regiorũ Principũ Præceptoris Vars. 4 Feb.

Quantociùs Hymenæi tripudia conclude, & huc advola, ubi prostrata libertas jam jam carmen exequiale canit. Comitia necdum cœpta hactenus, Mareschalcus nullus, Nuntij stupent elingves, Senatus Patresq; mussant, insultant Litvani, nostra spiritualis purpura grande tumet, & in ruinis Patriæ prærogativam quærit, optimus Princeps Rex par invicto animo tantæ tempestati sed multi impediunt, & ij quidem; qui opitulari deberent. Spes nihilominùs in DEO; sortietur finem malum hoc: Princeps autem sua inter arma explicabit, quia nullum violentum diuturnum. In te quoq; (existimo tibi id jam pridem relatum esse) calumnia Litvana cecidit; dum Nuntiis Vilnensibus & aliis in instructionibus commissum; ut urgerent juramentum à te in regressu, quòd sub prætextu deductionis Electricis Bavariæ factiones nonnullas cum Rege Galliæ machinatus sis. Imminet cras decretoria dies; Nuntij enim Regni impetrârunt, ut non exspectato ampliùs, sed soluto conventu deferre possent concivibus, ludibria & indignitatem rerum à Litvanis in publico gestarum, nisi in instanti ad universalem accesserint concordiam. Rex & Regina magnâ voluptate legerunt literas tuas;

tuas; existimo hinc tuis laboribus illos & sumptibus uti mereris & debitum est, gratissimos futuros. Palatina Kijoviensis senior ex morbo decumbit. Referendarij Regni cum Virgine Potocia Connubium, quod sub bacchanalia maturari debuerat, forsan differetur. Regij Principes grates tibi agunt, quòd illorum in tanta distantia non sis oblitus. Ego testis sum & quidem fidelis, quàm vicissim illi vividà te circumferant memoria & ament cordialissimè. Mea sub hæc ad plantas tuas devotissima depono obsequia, & prosperrima queq; redeunti opto. *A. C. 1695* *Stanislaus Szczuka.*

At redeamus ad continuationem Diarij Comitiorum de quorũ ulteriore progressu hæc in Belgio Varsaviâ de data 11mâ Februarij accepi. Comitia necdum in Comitia evaserunt, quia hactenus necdum inchoata: Summus non tam disordo, quàm confusio & diffidentia. Litvani arrogantes, omnipotentes esse volunt; verùm contra omne jus. Ingreditur in compositionem rerum Cardinalis Primas; utinam sufficiet moderandis partibus acerrimè hucusque confligentibus! Funesta his diebus res accidit. Pro more in Comitiis solenni pueri Poloni Litvanis ad Grzybowiam certamen condixêre. Comparuerunt constitutâ horâ Poloni sub signa divisi cum tubis & tympanis æreis; exspectâruntq; in condicto loco Litvanos, quibus eam conditionem posuerant: ne sclopis, ferroq; invicem uterenrur. Quo comperto Dapifer & Præfectus excubiarum Litvaniæ, stipati centum 50 circiter Equitibus, ad locum certaminis sese contulerunt, illucq; delati invaserunt Polonos pueros; ex quibus quatuor sclopo trajecti interiêrunt, plures quà ferro quà ab Equis in conculcatione vulnerati, nequicquam repugnantib⁹ Polonis: quid enim cõtra tantam vim baculis agerent? nec tamen impune tulit etiam Dapifer Litvan., nam perticâ in caput impactâ ægrè casum ex equo sustinuit, pileum tamẽ amisit; qui deinde à Polonis præsentatus in arce multum Litvanos confudit, utut illi inficiarentur veritatem. Plurimùm hanc levitatem simulq; tantam insolentiam Rex miratus est. In crastino id est 9. Feb. præsentata illorum corpora in castro, multa reliquorum puerorũ compassio fuit; qui cum alijs famulis congregati, dum eodem velut de industria venisset Dapifer Litvaniæ, ipsi in porta ei obviàm facti rhedã in partes dissecuerunt, equos resciderunt ab illa, idem facturi Dño; nisi se adveniente custodiâ salvâsset. At elapso Principali sustinendus famulis & comitatui impetus fuit; eos igitur aggressi, cùm impares resistendo invenissent, in ipsam arcem impulerunt imò Nuntiorum conclave: non paucos vulnerârunt, isq; furentium impetus fuit; ut cùm difficilis aditus ad januam victis esset, per fenestras exilire sibiq; consulere debuerint, tum quoq; insultatione aucta calamitas; quæsitum: an non egerent rubro contra luxationem lapide. Nec satis, Nuntij ipsi propemodũ violati; accurrentibus deinde excubiis capti Principales Litvani, Polonis ab ea sorte per vim immunibus, imò in area contestantibus; quòd etsi Rex supplicium pali in illos decreturus esset, non tamen destituros sciret; donec de Dapifero ipso, qui tantam crudelitatem exercuisset, sumpsissent ultionem talionemq; reddidissent. Secuta ex eo tumultu Nuntiorũ Litvaniæ protestatio ratione invasionis & convulsionis conclavis, allegatũq; in loco loci se tutos non esse. At hæc à pueris non audiebantur. A meridie collecti non pauci illorum prosecuti sunt scenam, tragicosq; eventus in obviis ante Bernardinos Maresf: Grod: & Kotov: Nuntijs continuârunt, quos equis detractos laceratis vestibus ludibrioq; habitos tam acceperunt ut ægre equos, deinde ascenderint. Verùm non cessabit adhuc incendiũ: quod etiamsi duntaxat scintilla peperisset, flamas ulteriùs daret furore oleũ ministrante. Mandaverat equidẽ Rex excubitorib⁹, captivarent quot- *Literæ ejusdem* *Certamen Litvanorũ cum pueris*

A. C. 1695 quot obvios haberent baculis armatos, dispositi per plateas Pedites tam Regij, quàm Mareschalcales, qui securitati noctis prospicerent: auditæ enim minæ fuerant, hospitium Dapiferi invasuros: sed exiguus ea omnia obex accensis fuêre animis; præsertim quòd ex altera etiam parte malorũ non deessent irritamenta. 10 enim Feb. captos aliquot Polonos Litvani ad interulã usq; spoliaverant; hinc, ne Dñis quidem inposterũ tutũ iter: incubuêre Poloni violentiæ, famulũ seu Nobilem Equitẽ, cepissent; verberib⁹ mulctare, exuere vestibus, illudere aliis, adeò ut ipsi Palatino Vilnæ se ad arcem conferenti redeundum fuerit: sic quoque ægrè evaserit insolentes pueros; qui insecuti rhedam cum verberibus tractare non possent, contumeliosis verbis pessimè habuêre Ducem, baculis quin etiam & lapidibus assequi conabantur. Gravior sors & conditio Alexandrowicii fuit; quem detractum equo spoliatumq; vestibus, rapto ex equo apparatu, insuper 50 plagis baculis mulctârunt. Quare expostulatum cum Rege est, incusatusq; Princeps Regius Alexander; acsi ex ejus instinctu & subordinatione profusis sexcentis florenis tanti continuarentur tumultus; petitumq; ut seriò malo huic occursum vellet. Id verò mirum accidit videns Litvanorum quispiam suos patriotas tam malè tractari, summo impetu in arcem invectus Eques, elusisq;, quæ paratæ stabant custodiæ, intuitu tumultûs; exoneravit sclopum in Præfectum vilioris satellitij; mox quia fefellisset ictus; utut illum insequerentur, additis equo calcaribus in tutum evasit. Sic certatum à pueris est, non sine funere, acsi præluderent Comitiotum occasui, qui deinde secutus est. 6ta Febr. duobus nimirum diebus ante puerorum cladem in consessu Nuntiorum æquè ac aliàs soluta sessio, itumq; ad PP. Bernardinos pro Provinciali conferentia; sed nec ibi lætior eventus fuit, plena omnia tumultibus, erant. 7tima Capitaneus Wielunensis suâ voce expetiit, ut tandem tot simultatibus & rixis positis conclave Nuntiorum vellet ad seriem rei accedere; quò sic resciretur status & materia controversiæ, quoque cardine dissensiones verterentur? svasit præterea; ut seclusis arbitris, qui suis tumultibus turbaturi crederentur vota, liceret incipere Electionem novi Mareschalci: tum etiam ut per prius pro absente Crispino mitteretur, rescitum: qua de causa non descendisset, sive venisset ad congressum. Interrupit hanc vocem Succamerarius Vilnensis, Crispinum per contemptum & postpositionem id fecisse, satiusq; duxit; ne quis ad illũ mitteretur, agerenturque agenda. Contradictum à Polonis asserentibus, quòd prout cœpissent tueri Crispinum, ita ad supremum eidem usque non defuturos. Comparente sub hæc Crispino, suumq; locum occupare volente, tumultuatum iterum à Litvanis, nec concessum; ut sive activè sive passivè quidquam loqueretur, & ita soluta sessio. Octavâ ejusdem soluta per Crispinum sessione, festinatum ad Cardinalem pro altera sessione complanationis; verùm & ibi nihil conclusum. 9nâ post patratos à Dapifero & excubiarum Præfecto Litvaniæ tumultus & homicidia Nuntii Litvani protestati sunt ratione invasionis Cameræ Nuntiorum, solutaq; sessio passivè per Succamerarium Vilnensem. 10mâ itidem Litvani conquesti sunt, sibi accessum non patere per puerorum Polonorum insolentiam ad publicum consilij locum, itidem protestati sunt se ad nihil accessuros. Veritus etiam Palatinus Vilnensis de profectione cogitavit ob minas puerorum, quas jam antè insinuavi.

Eandem Comitiorum fuisse fortunam, quæ hactenus descripta ex literis de data 16 Feb. in Belgio intellexi in quibus hæc fuere formalia: hebdomada abhinc tempus exspirat Comitiorum, & necdum inceperunt Comi-

Comitia: imò nec quidquam de illis ſperandum. Heri Card. cum Palatino Vilnenſi & Theſaur. Regni pro privato in conclavi Reginæ fuit colloquio, à quo Regem adiit Regina & conferentiæ habitæ relationem fecit, manentibus in anticamera prædictis Magnatibus. Exivit deinde Rex neminemq; ſingulariter, ſed in communi omnes eſt allocutus, rediitq; ad ſuum conclave: Reginam autem ad templum euntem comitati Sapiehæ. Conjectum hinc in ea conferentia nihil ad pacem concluſum fuiſſe. Ejusdem diei veſperâ triſtiſſima nova Leopolien: Curſoria detulit de Tartaris, quorum 60000 conjecturaliter eſſe credita, ex tractibus viisq; quibus iverunt. Pomarzanis incipiendo Złoczoviam & Jericzevium exuſſerunt. Increbuit inſuper fama etiam Kukoſowſcianum palatium in favillam abiiſſe; quod ſi verum eſt, Vatem profectò fuiſſe dixero piè defunctum Sarnowski, qui dum indolerem tam profuſis ſumptibus Regiis, tantiſq; diſpendiis, aſſereremq; ædificium tam nobile intra 30 annos carie conſumendum, reſpondit: Non attinget eam ætatem palatium hoc, intra ſexennium à Tartaris igni dabitur. Falſum utinam fuerit augurium! ſed quidquid de ædificio ſit: illud certum, ingentia damna in hominibus facta, nemine penè reſiſtente. Nam loricatus miles adeſt Comitiis, Litvani omnem propè exercitum ſecum deduxerunt, ut militet ambitui & ſic patria perit: Nos interim in illius funere inſoleſcimus. Rex pro poſſibili laborat, multumq; de Mte remittit; ut ad obſequium legū & Reipubl. amorem contumaces perducat: verùm imperia capientibus nihil medium inter ſumma & præcipitia: Exercitûs noſtri 4000 ſunt ſub directione Theſaurarij Curiæ Regni; ſed ea equis deſtituta, vix quid tentare audebunt. Tartari necdum diviſi ſunt: unde apparet in profunda provinciæ irrupturos. Referendario Regni die Dñico Cardinalis poſt contractum connubialem benedictionem dedit in ſacello, eodem die convivium ſolenne fuit in palatio quondam Kotowſciano, Neonuptam devexit Regina, adfuère etiam Principes Regij. Saltui ſive choreis non indultum ob tempus luctûs. Legatus Valachiæ advenit. *A. C. 1695* *Irruptio Tartarorū*

COPIA LITERARUM STANISLAI MAŁACHOWSKI PALATINI CALISSIENSIS. Varſaviâ 17 Febr.

NON ex negligentia, ſed obſervantia curarum, quibus publicè oneratus es, hactenùs ſuppreſſi literas. Jam Religioſum rumpo ſilentium, quod hucuſq; pro genere venerationis apud me reputavi: prorumpo in verba demiſſi cultûs tui, ſummè gaudens de ea magni nominis tui claritudine, quà primùm Patriam, tum etiam peregrinum orbem cum admiratione & gloria gentis noſtræ per modernam functionem tuam imples, Reddant Dij propitii te nobis columen & delicium noſtrum, valetudine vegetum, ſolatiis vitæ & gloriæ affluentem. Apud nos hic dira & mira præſentia produxerunt Comitia, monſtrum Sphynge majus: ne quidem ſuo vocabulo, utpotè ſine alpha & omega, ſine forma Reipub. vocari poſſunt; ſimulacra rerum pro rebus vidimus, Comitia ſine Comitiis, Rempub. non Rempub. cujus eſſentia & cardo ſublatus ſe in ſe quærit, nec invenit, ſine voce, ſine Mareſchalco, mutum conſilium: ut in juſtitio publico, qualeq; magnæ iræ & magni metûs ſolet eſſe ſilentium. Habemus etiam Leopoli nova de ſexaginta millibus Tartarorum, qui per tractum quo iverunt incendiis graſſando, Leopolim uſque venerunt ibique repertis exercitûs noſtri millibus aliquot cum Caſtellano Cracovienſi & Theſaurario Curiæ Regni pugnā auſi in ſuburbium Cracovienſe compulſi, prope exitio noſtris fuerunt.

A.C.1695 Dux versus portam Cracoviensem se recipere coactus; Thesaurarius Curiæ Regni separatus à corpore ægrè, quà ab iis, qui in fossis erant, protectus, quà etiam propria virtute per aciem Tartarorum ad Castellanum Cracoviensem evasit. Cæsi nostrorum aliquot centeni, in Tartaris longè gravior clades: capta nostrorum duo vexilla, unum Castellani Cracoviensis loricatorum squammeis loricis, alterum Capitanei Winnicensis. Leopoli recesserunt in Pokutiam. Habuerunt intentionem Leopoli excursiones in profunda Poloniæ faciendi; sed quia in ea occasione multi Officiales periêrunt, coacti sunt mutare mentem: redeunt ergo sine præda, non sine metu exercitûs nostri. Incenderunt suburbium Cracoviense, centumque circiter domus in cinerem redegerunt.

Anastasius Męczynski

Tartarorũ incursio

Actionis hujus series ex geminis aliorum literis melius patebit, primarum hic tenor est: Tristia Leopoli accipimus de incursionibus Tartaricis. Feriâ 5tâ circa vesperam sexaginta millia Tartarorum ad Leopolim constiterunt; nostrorum nonnisi tria millia quingenti fuerunt cum Castellano Cracoviensi, & Thesaurario Curiæ Regni. Feria 6tâ manè Zbojowiscis, quos funditùs exusserunt usq; ad patibulum dilatatis copiis Cracoviense suburbium invaserunt. Progressus contra illos Castellanus circa pontem ex muro constructum, Thesaurarius verò versus Zbojowiscos. Invaluêre contra Castellanum Tartari, jamq; illum à Civitate separare inceperant; cùm ille adverso periculo ægre evasit. Cæsus Iastrzębski vexilli loricatorum squammis subcenturio, capta duo vexilla, cæsis illorum vexilliferis; famuli interempti; quibus imperatum fuerat, ut descensione ex equis factâ Pedites manualibus sclopis rem agerent. Invaserunt etiam Thesaurarium, ex cujus divisione Nobilium Equitum quinq;, famulorum quindecim, vulgarium militum 4tuor sustulerunt, & nisi cum Equitibus, qui in fossis erant, tantisper illis pugnandum fuisset, etiam Thesaurariũ Curiæ indubiè clade affecissent. Periêrunt ex vilioribus in fossa 20, recipere se nostri coacti usq; ad Theatinos, Tartaris tam potenter furentibus; ut ex mœnibus Civitatis sclopis peti possent, inaudito prorsus exemplo: nam ne Turcæ quidem Civitati ita olim appropinquaverant. Suburbium Cracoviense exusserunt, sed non totum, remanserũt 200 domus usq; ad Ecclesiam S. Crucis. Venatori Regni trajecta manus, & equus sub ipso interemptus. Succamerarius Wielourski in capite vulnus accepit. Pars infelicitatis tormentis tribuenda; quorum ea, quæ in arce erant, explosa hosti non nocebant, quòd altius situata fuissent: minora verò nostra non attingerent. Periêrunt nihilominus aliquot ultra 10 officiales sive Mursæ, tenuit pugna totum diem, moverunt deinde Stryjum versùs in Pokutiam, excursiones non fecerunt, sed congregatim abierunt.

Secundarum literarum contenta dictam pugnam sic delinearunt. Feriâ 4tâ hoc est 10 Februarij moverunt Tartari ex loco, ubi noctem egerant, & circa tertiam pomeridianam ad Grusos Laszcosq; usq; Melechoviam constiterunt, nullusq; Leopolim impetiit. Ingente fortunâ factũ; quòd Castellanus Cracoviensis prævidens ejusmodi incursiones, Thesaurarium Curiæ Regni huc cum exercitu advocaverat; qui eodem die manè Leopolim venerat. ımâ ejusdem feriâ 6tâ maturè moverunt Tartari Zboiscos, constiteruntq; alij, grandi acie in valle contra viam Zolkuiam ducentem; turba reliqua in monte produxit ordines suos Zboiscis incipiendo usq; Holoscum; Castra verò ex altera parte Zboiscorum substiterunt. Suburbium versus Grzybowicium tuendum comisit divisioni certæ Castellanus Cracoviensis; viam verò ad pontem Thesaurari⁹

cum

cum parte Dni Brzuchowski sibi desumpsit, quem secundare jussus Dnus Zachorowski & Equites, qui in fossis erant; ipsemet Castellanus à ponte & muro exstructo versus Holoskum cum 5. vexillis substitit. Dnus Kalinowski cum vexillis ad Tyram collectis à S. Martino & arce, Dnus verò Przerebski cum divisione militis in Wolhynia lecti à Belzeczyzno, S. Cruce, & S. Maria Magdalena attenderunt tractibus & viis. Inchoârunt Tartari pugnam circa octavam, totumq; impetũ potissimùm verterunt in eos, qui pontem prænominatum tuebantur. Sustinuit illos Castellanus nonnisi 5. vexilla habens usq; ad unam. Aliquot millia fuere; quæ nitebantur eam divisionem frangere, sed aliquoties repressa, tandem tentârunt fluviolum ad pontem, num vado transiri posset? compertoq; facili transitu, magna potentia incubuit Castellano, quam tamen egregiè dextera Bellatoris ad duas horas sustinuit. Demùm dum alij super alios ingruerent, alij superatis sepibus & à dextris & sinistris turmatim tergo imminerent, alij jam quà à Thesaurario, quà civitate Ducem separâssent; arduum videns imposterum Castellanus, undiq; gravem hostem præsertim in tanta paucitate suorum repellere, esse, à virtute consilio capto per infesta agmina versus Theatinos in platea civitati obversa se cum suis recepit. Habentibus jam his securitatem tergi; Tartari qui ad pontem supra tactum à dextris Castellani irruperant in suburbium, opposuerunt se Dno Zachorowski primùm se recipienti: deinde etiam Thesaurario, quem etiam à Castellano separârunt. At Tartari qui ad Zboiskos substiterant viso nostros ubiq; fractos esse, rectà ad pontẽ & viam Zolkiewiensẽ contenderunt, quare undiq; se septum esse ab hoste advertens Thesaurarius, ut manifesto se suosq; subduceret periculo, per sumam generositatem in hostiles invectus acies eas perrupit. Per fortunam Armenorum Cænobium ex adverso Theatinorum apertum erat; illuc proinde delati jam velut securi, descensione ex equis factâ cominus explosione scloporum de summa rei certare cœperunt, utcunq; feliciter: Nam ex arena ea quæ Armenis & Theatinis interjacet hostẽ depulerunt. Vltra centum nostrorum non periêrunt, ijq; potissimum de famulitio: ab hoste gravior accepta clades. Cadaveribus barbarorum instratæ viæ, Murzæ item & alij Officiales complures, uti ex indicibus innotuit perempti. Duravit prælium usq; ad 4tam vespertinam, tum demum accepto gustu audaciæ nostrorum, videntesq; se nihil efficere posse, imò grandi suo detrimento tentâsse aleam, aliquot ultra 10 domibus succensis recesserunt, spatioq; itineris à suburbio confecto quantum bina tormenti exoneratione contingi potest, præter Ecclesiam S. Georgij profecti, ad Sokolnikos pro nocte constiterunt, Sequenti die id est 12 Feb. Tyram versus perrexit hostis, pernoctavitq; Dobrzanis ad Szozyrcum: Dnicâ verò Nadzieczynis & Veroniæ medio circiter milliari à Rozdolo; illinc superato Tyrâ tractum tenuit præter Czernycam versus Zorawnum, quacunq; autem perrexit pagos incineravit. Graviorem hactenus excursionem non fecit; nonnisi medio milliari à corpore exercitus pars aliqua identidem prædas egit. Copias nostras die Dnicâ expedivit Dux ad observandas excursiones hostis, quarum regimen comissum Dno Cinski, quòd Thesaurarius ex vi legationis suæ acceleraret Varsaviam. Hodie jam innotuit ab exploratorio exercitu Tartarum prætervectum Haliciam: sint DEo laudes, quòd tam potentis hostis intenta confuderit. Centum millia fuisse barbarorum ipsimet asseruerunt; prout verò oculis nostris lustravimus comperimus 60000 militis parati ad præliũ, nostrorum verò nonnisi tria millia numerata, & ea famulitio adaucta fuêre.

A.C. 1695

A. C. 1695 In literis 1ma Martij datis hoc additum: Incurſionem tantam Tartaricam ea mente & intentione practicatam, ut Polonia ad privatam ſanciendam pacem adigeretur.

19 Febr. has ad me literas dedit Palatinus Maſoviæ. Mtes utcunq; vegetæ, Rexq; imprimis indies à valetudine alterata robuſtiùs convaleſcit. Id duntaxat infortunio noſtro tribuendum; quòd præſentia conſilia ſummo diſordine continuata hactenus primo monſtroſo exemplo, Principis animum graviter afficiunt & alterant: nam non tantùm ut vidimus, ſine ullo Mareſchalco Comitia, ſed etiã ſine ulla conſeſſûs in conclavi Nuntiorum forma, in ſumma confuſione usq; ad finem exſpirationis activitatis agitantur. Elingves Nuntij: ſeſſionibus nonniſi apud Card. aliquantùm ſolamur agonizantes calamitatem. Arbitrare igitur magno tuo judicio, in quo ſtatu verſemur? dum de toto ſublatus tertius Ordo; quanto in periculo Reſpub. & fortuna privatorum? quando Tartari ſub ipſam usq; Leopolim excurrerunt & ſuburbium Cracovienſe ignibus abſumpſerunt, ægrè ſe ſalvante Duce, Copiæ noſtræ diſperſæ, multi trajecti & cæſi, majorq; indubiè clades accepta fuiſſet, ſi non Equites aliquantum detinuiſſent hoſtẽ. Incinerata Regis bona circa Złoczoviam, & Jericzeviã, quod plurimum Principem affligit: quodq; ampliùs Samboriam deſtinaturi creduntur excurſiones; unde nec Stryjum nec Javorovia immunes metu erunt: DEus avertat! Neſcimus quid ſerus veſper vehet? hic nihilominus Litvani in fratres ſæviunt, & adhuc majora incommoda ac inconvenientia minantur: nam alij equeſtria comitia expetunt, alij civiliora proponunt media, alij cõmunem exoptant motum, quod eſt violentum & extremum. Hoc verò poſt comitiale Senatûs-conſilium, quæ inveniet dabitq; remedia? niſi forſan univerſalia pro comitiolis. Tempus docebit ea. Nos etiam quoad Curialia turbati ſumus morte Palatinæ Kijovien: in cujus locum quæ ſucceſſura ſit nihil deciſum. Palatina Mariæburgenſis ſe excuſat. Palatina Belzen: quantumvis præſens adſit, verùm obſtat immaturior juventa. Quare ignoramus, cui hæc ſparta cedet? Referendaria Regni contenta ſuo, & aliter ſe res domi habet, quàm opinio ferebat, tantoq; ampliùs contenta quòd in vim dotis Capitaneatus Jaſielſcenſis poſt obitum Capitanei Grabowſcenſis ei ceſſerit. Grabowſcenſis autem Capitaneatus nemini adhuc declaratus, quia jurisdictionalis eſt: concurrentes de eo plurimi. Vacantes majores adhuc in deliberatione. Legatus Cæſaris ſatis ſplendidus, tam quoad aſſiſtens famulitiũ quàm rhedas audientiam habuit apud Reginam. Reſpondendum mihi ad ejus orationem latinè fuit ſupplendo vices tuas; quantumvis difficilè & arduum imitari fuerit. Interfuerunt audientiæ complures ſplendidæ Dñæ & Domicellæ mirantibus pompam noſtram Germanis. Ratione tui intereſſe, quod mihi cõmiſiſti explicui & intimavi Principi Regio; ſed adhuc in ſuſpenſo declaratio: video de legata agitur, an ei ceſſura ſit! ex quo Senatrix. Rogo igitur tuã mihi reſolutionem ſignifica. Cum Regina necdum contuli quia volui primum rimari eorum intentionẽ ad quos pertinet. Principes Regij bacchanalia apud Cardinalem finiêrunt.

Anna Potocka.

Adnecto hic Orat: habitam ante terminum exſpirantiũ Comitiorũ.

Oratio nomine totius Generalis Congreſſûs Maſoviæ ad Regem dicta à Godlewſcio Capitaneo Nurenſi.

NEſcio an Nuntij? an, quia necdum in modernis Comitiis dulcedinem libertatis guſtavimus, ſpecioſa duntaxat characteris Nuntiorum ſimulacra coram Mte V. conſiſtimus? Illud certum, quòd non ſeditioſi ex Aventino Quirites, ſed collecti in unum & concordem mani-

manipulum Generalis totius Ducatûs Masoviæ Congressus comparemus Collegæ. Comparemus autem cum ingenito, nunquamq; à seculis temerato in Principes Regesq; nostros candore, simulq; cum homagio debitæ Mti Nræ compassionis; quòd comitia Polonorum sint Martyria Regũ: dũ nullus annus sine Comitiis exspirat, nulla verò comitia sine confusione, velut in rota Ixionis continuò alterant & fatigant caput Serenissimæ Mtis, valetudinemq; nullo satis pretio æstimatam sua vertigine succutiunt. Collegit & inpræsentiarum Mtas Vra Ordines Reipub. non sibi, sed Patriæ; ut quisq; illi consuleret, qui bono ejus fruitur, verùm humana in perniciem suam intenta malitia vetat consilia, funestumque intonat: Ruat hæc inclyta Pelopis domus, ruat vel in me; dummodò in fratrem ruat meum. Verè quadrat Reipub. nostræ illa Philosophi Græci vox, quam plateis Atheniensibus inambulans edidit: ubi sunt Athenæ? ita planè & nos Rempub. in Repub. quærimus, ubi tandem illa remanserit, quóve migraverit? Ubi Priamus & Ilium & ingens gloria Dardanidum? ubi conclave Nuntiorum, & officina legum, suavis cithara vocalis per universum libertatis? jam conticuit illa & silet? Considem⁹ sine Scipione, sine Mareschalco, sine ordine, sine directione, sine voce, mutum & acephalum Reipub. corpus; quodq; majus, sine activa, sine passiva dicendi venia, quamvis loqui, lacrymari, gemere, querique & rogare usitata sint etiam miserrimis solatia. Quid verò amplius indigitem & expostulẽm? ubi Comitiorum mansêre præliminaria? ubi sunt Athenæ? ubi vota Senatorum, senatûsq; consilia? ubi partitio honorum? Judicia? rationes Thesauri? Nullus color imperii, frons nulla Senatûs. At necdum satis: per supremam licentiam cruentatum ipsum libertatis sacrarium, nefandâ cæde Quiritum nostra madent subsellia prorsusq; illud sapientissimi consulis Marci eventum sortitur oraculum: Præ strepitu armorum verba legum non exaudivi. Et quamvis optaveramus practicata de nobis consulendi per sessiones provinciales tentare remedia: verùm & hoc efficacissimum superioribus annis antidotum iniquitate malevolorum inventum abiit: dum non pridem apud PP. Bernardinos sessio motu & obstaculo intervenientium rupta fuit, adeoq; eò deventum: ut complosis manibus spectare cogamur ruentem à culmine Trojam. Videmus & agnoscimus Rex Srm̃e, quòd hæc hectica omni sævior febre maceret, & emaciet incomparabilem Mtis Vræ valetudinem, cui quemadmodum cordicitùs compatimur ita supplicamus; ut ura Mtas cum intermedio Senatu salubre dignetur inire consilium, quo reliquus Comitiorum dies non tam fatalis & criticus nostris evadat rebus, quàm olim Abydeno populo, de quo scriptum: triduum Abydenis ad moriendum datum. Huic proinde consilio Mtis Vræ passiones suas repræsentant terræ Visensis, Łomzensis, Nurensis & Drohicinensis, totusq; Palatinus Masoviæ, quæruntur q; quòd non nobis serimus, non nobis metimus, quidquid enim æstivus labor commeatûs panisq; pauperi & afflicto populo comparat, id totum transitu suo Litvanus autumno & vere absumit miles: quare meritò illâ nobis licet uti querelâ, quâ olim Locrensium Legati in Senatu Romano conquesti sunt: ab hoste Annibale semel utiq; caperemur, à vestro verò amico Exercitu quotidie capimur diripimurq;. Profectò res intoleranda, Rex inclyte, quòd Ordo Equestris tanquam servile Flotarum genus, cogitur Litvanis esse vectigalis, nec ullum contra potentiam hactenus suppetit remedium præter patientiam. Quid enim valent leges? ubi prævalent legiones. Si verò hisce diebus non reperiretur efficax pacificandæ Reipub. medium: manife-

A.C.1695 nifestamus nos coram Mte Vra, nos non cum alia ad fratres nostros redituros informatione, nisi quòd extincta veteri formâ Reipub. nos Nuntii non sufficiamus salvando Statui illius: consulant ipsi & concurrant ad sanandum tantum Apostema, quòd nec fomenta, nec medicam admittit manum. Obligamus nos sub hæc sub fide & honore Equestri, declaramusq; nos staturos circa Mtem & observantiam Jurium & libertatum Nobilitatis optando, ut fideles subditos decet; ut aut nulli tibi supersint inimici, aut qui sunt, fiant amicissimi.

Exspirarunt tandem post multum agonẽ 23 Feb. Comitia de quibus & in decursu Senatûs-consilij plura occurrent, & nunc ex literis hæc habe.

COPIA LITERARUM SUSZYCCIJ Varsaviâ 25. Februarij

Comitia Varsaviensia, res infinita negativè & sine initio & sine fine, disparuerunt in auras, siquidem adveniente termino ascensûs conclavis Nuntiorũ ad Senatum durantibus iisdem Litvanorum contradictionibus mutuò sibi Nuntij valedixerunt, & quasi tacito consensu solverunt molem tanti laboris, non absq; ruina jurium veterisq; libertatis: nam quis, si vellet, semperq; ita ageret, non posset tollere conclave Nuntiorum? dum ita Respub. volendo saluti suæ prospicere, necessariò transferre ad senatus consilium totam cogeretur potestatem, adeòq; in oblivionem darentur Nuntij, prout & modò eò ventum est. Senatûs consilium pro hodierna die indictum, in quo deliberabitur, an literæ restium pro communi motu edendæ sint? an verò per prius universalia pro Comitiolis cum expressione causarum raptorum Comitiorum & requisitione, ut Nobilitas exercitui de stipendiis provideat? Litvani verò qui per præcipitia tendunt, (ut imperia cupientes solent) volunt in hoc Senatûs consilio horrendam inferre novitatem, scilicet, ne ullus Ecclesiasticorum in eo consideat. Dies id hodiernus docebit: num eam assument frontem? Jam videntes quòd erraverint, prostratis legibus & læsâ libertate omnium, excusant se in arcanis consilijs, asseruntq; quidquid fecissent, ad impediendos cogitatus Castellani Cracoviensis fecisse, qui jam per artes occultas sibi ad thronum stravisset iter: verùm si ea eorum fuisset intentio, cur non contra illum & non contra Mtem & Remp. est pugnatum? Castellanus Cracoviensis & si quid tale meditatus est, hiscé diebus vix non expertus est, quàm exiguum inter sceptrum & ligonem discrimen sit? nam dum Tartarorum 60000. sub Leopolim advenissent inordinatissimè disposito exercitu, cujus quatuor & amplius millia habuit, in suburbio Cracoviensi, se, copias, & urbem in extremum periculum conjecit: quia nec tergo consuluit, nec tormentis Pedites addidit, nec ad subitos casus in plateis obices posuit. Primò statim congressu cornu ipsius in fugam versum, insistentibus tergo Tartaris, ipse verò volens evadere ad Thesaurarium in manus hostium vix non incidit, fidelissimi ipsius famuli & Honorarii cesserunt Tartaris, ipsum ægrè salvarunt Leopolienses cives, molliùs hæc ex castris Relatio intimavit; at Leopoli per arcanas literas Varsaviam & Cracoviam veriora referuntur, uti insinuavi. Periêrunt nostrorum 400. reliquumq; ad monasterium ex fuga se salvavit, ibiq; se defendit. Thesaurarius cum suis Tartaricam perrupit aciem, punivitq; hostis audaciam, triplo plures ex illo cæsi, uti captivus, qui ab illis fugit, refert, præsertimq; unus insignior, qui trajectus impatiens viæ, per vulnera etsi in stragulis veheretur, primâ nocte ab ea pugna exspiravit; unde Tartari plurimum consternati, ipseq; Soltanus identidem caput in signum doloris allisit ephippio. Id etiam subjungo in quodam consessu apud Palatinum Vilnensem inter paucos, dum incaluissent mero, Slizen dixit ad Palatinum: Rex noster jam deficit, te eligemus in Regem; subrisit ad hæc veteranus quidam ex Litvania Nobilis, interrogatusq; causam respondit: occurrit meæ memoriæ, quod in Moschovia solet dici, si Salvator in cœlis moreretur, S. Nicolaum in Salvatorem eligeremus. hæc pro solita &c.

Rela-

Relatio Senatus consilij ex datis 28. Febr. & 2dâ Martij. *A.C. 1695*

EXspirante termino Comitiorum postquam post sabbativam sessionem gratias jam egissent Nuntij Crispino pro viriliter sustento martyrio, determinassentq; imposterum non redire: Rex tanquam Pater Patriæ aliquantum deliberavit per tres circiter conferentias, Senatúsne consilium post-Comitiale habendum foret? hoc posito per sumam in conclavi Reginæ quæstionem fundamento: quòd si consilium Senatûs absolveretur, viderentur fuisse Comitia, quia ultima solennitas illorum absolveretur: incidere posset etiam alternata: accessit & hoc, quòd in eo consilio præsentibus partibus adversis magis exacerbationes increscere posse crederentur, quàm modus aliquis auxiliorum nerviq; pro exercitu alijsq; publicis necessitatibus inveniri. Ex his rationibus jam eò res inclinabat; ut consilium bellicum sub adventum Ducum Regni pro unico themate consiliorum acciperet, quis modus prospiciendi Patriæ ratione hostilitatis Tartaricæ esset? Verùm in morbum lapso Castellano Cracoviensi; Palatino verò non promittente se adfuturum, Senatûs-consilium decretum, tractaturum de hoc puncto quod subjungo 25 Febr.

Feria 4ta hodie id est 23 præsentis terminans assignatos dies sex hebdomadarum Comitiorum aperuit viam ad subalternũ cum Senatu-consilium. Quid verò in illo & quo titulo tractandum sit? speciali non caret difficultate; quia nec post-Comitiale consilium dici aut esse potest; non enim Comitia cœperunt aut fuerunt nec bellicum etiam: siquidem Duces Regni desiderantur, & grassans in Patria adhuc hostis in dies novas suppeditare potest ad consulendum occasiones. In tam ancipiti ergò Reip. casu non videt Rex, quid proponere possit sub trutinam consilij? nisi quod in ipsius potestate est, sc: utrum universalia caventia de periculis rerum per modum primarum literarum restium edenda sint? an designanda Comitiola ad informandum de statu præsenti & periculis prægnantibus; ut sibi ipsis consulant Palatinatus & terræ? an deniq; utrumq;. Facta hâc propositione à Cancellario Regni Primas his formalibus suũ incepit votum: resolvitur hodie dolendum silentium non in voces, sed in lacrymas: tum progressus desideravit, ederentur universalia informãtia de interno & externo statu Reip. ut deinde ex Comitiis, si ita videretur, peteretur comunis motus. Episcopus Cracovien: eandem sententiam ferè paucis exposuit. Episcopus Vilnensis in capite dictionis suæ campum sibi excepit respondendi, casu quo quis illum lacesseret, quò ad puncta verò sensit; ut tam pro Comitiolis universalia, quàm pro comuni motu literæ restium ederentur: quatenus & consilium & tutela quantocius obtingere posset Patriæ. Posnaniensis similiter idem optavit. Chelmen: verò rogavit Regẽ inveniret modos pacificationis Patriæ, siquidẽ ipsa sibi consulendo non sufficeret: de universalibus pro Comitiolis & motu comuni mentionem fecit nullam, Comitia tamen postulavit ejusmodi, quæ salutis possent suppeditare remedia, tranquillatis differentijs inter status, quòd nonnisi illis sopitis quidquam boni sperandum foret. Episcopus Livoniæ universalia quantocius expetiit pro Comitiolis, adductis ex antiquis historiis imaginibus, quas Reges victores subjectis olim mittebant adoratione & osculo prosequendas; ita asseruit ea universalia futura vivas imagines valetudinis Regiæ & solicitudinis circa bonum publicum &c. Nihil intentatum reliquit, deniq; presse rogavit; ut Rex authoritate Mtis diffidentes partes componeret, unde & gloria DEo & Patriæ optata tranquillitas resultare posset. Palatinus Viln: exaggeravit in primordijs orationis humillime affectum suum erga Mtes, decla-

Michaël Radzieiowski.

Ioannes Malachowski.

Casim: Brzostowski.

Stanislaus Witwicki.

Stanislaus Swięcicki.

Nicolaus Poplawski.

Casimirus Sapieha.

A. C. 1695 declaravitq; conjunctim cum Castellano Vilnensi pro futura expeditione se copias in campum educturum, questus deinde contra Episcopum Vilnen. quòd tam crudè & crudeliter in nomen, reputationem, honoremq; domûs, animamq; ejus tradendo eam diabolo, eo potissimum tempore, sæviisset; quando benedictione jam in procinctu ad expeditionem bellicam existens, egebat; tum comunem motum expetiit, simulq; rogavit, præcavendo; ne fieret in præjudicium personæ & reputationis ejus, deniq; 2dùm statutū Lit: declaravit cum comuni motu etiā exercitū Litvaniæ conjungendū, ibi Remp. agnituram, cui gratiæ, cui pœnæ deberentur? quæ modò in tenebris essent. Tum se comisit protectioni Regiæ & Reip. tanquam is qui undique peteretur. Solennes item Cardinali gratias habuit pro protectione in causa sua. Castellanus Vilnen: censuit edenda universalia pro comuni motu, deinde indispositionem valetudinis suæ pro administrando ultro Ducali munere exposuit: quòd illum jam deficerent sumptus, pro manutentione exercitûs. Mentionem etiam fecit Generalis artileriæ M. D. L. significans & eum deficere; quòd medium substantiæ suæ impendisset devehendis tormentis in præteritis expeditionibus. Palatinus Calissiensis expressit naturam inchoatorum, progressorum, & finitorum Comitiorum; insinuavit etiam non nisi Equestria Comitia esse posse remedium; ibi deprehensuram Rempub. vulnera sua, ibi intellecturam privata conventicula, conjurationesq; circa liberam Electionem vivente Principe, & alia manifesta Reipub. pericula, quæ indies ex pessimis hominibus crescunt. Adjecit, ut siquidem dixisset Palatinus; ut ex tenebris prodeat, qui hanc Rempub. perdit; petiit ut ex nunc produceretur. Hinc Thesaurarius Litvaniæ producturus dicitur literas Episopi Vilnensis manu ejusdem scriptas, quarum contentum hoc: Aulam Regiam ipsi causam esse, quòd constanter contra Palatinum agat; verùm nescitur, utrum promissis stabit? Palatinus Trocensis attigit voto violatum in Nuntiorum conclavi in persona forsan Crispini. Respexit ad orationem Calissiensis Palatini exaggerantis confusionem conclavis Nuntiorum & ejus authoritatis eversionem. Dextrè deinde injecit, exterorum factionem nocuisse Comitiis, attigit etiam Episcopum Vilnensem & quidquid propriâ voce non expressit, ad protestationem contra illum per Nuntios factam se retulit. Palatinus Sieradiensis universalia de comuni motu promovit, quòd ex illo & terror hosti & remedia consiliorum consecutura essent; suffecturam sibi adhuc Rempublicam asseruit quæ congregata Dña jurium suorum ideò hactenus in hunc labyrinthum incidit, quia in viam privatam exterorum privatorum comodorum deviavit; ivit viâ an ad bellum gerendum an ad pacem generalem? deinde delata est in semitam pacis particularis & incidit in spineam viam combinationis adversitatum. Non desideravit Comitia ordinaria; quòd nulla spes ex illis affectus alicujus ipsi affulgere videretur, hinc maximè; quòd jura ultimorum Comitiorum, altera Comitia imperent habenda sub novo scipione; unde supponendum quòd Nuntii controversi eligent Mareschalcum, à cujus Electione sibi sisti non permittent activitatem. Quæ verò legitimitas sic electi à controversis Mareschalci? tum quantum præjudicatum? quòd etiam controversi elegerint Mareschalcum: nam certissima sequela, quòd alter etiam nonnisi tria suffragia habens in Comitiolis volet eam provinciam manu tenere in eo potissimum fidendo, quis me arguet de peccato? In fine disseruit de compositione Ecclesiasticorum Senatorum juxta constitutionem 1609, quæ compositio illo tempore aliquot annis finem sortita non est: ince-

Josephus Sluszka.

Stanislaus Malachowski.

Unichowski

Joannes Piniązek.

incepit à 1603, & 1605 aliquem effectum accepit. In virtute præmissorũ optavit, ut Palatinatus ex Comitiolis à Rege designatis. Nuntios expedirent circa eam compositionem, utq; Ecclesiastici synodum sibi indicerent propter pacificationem non tantùm prætensionum, quas status sæculares ad illos haberent, uti ratione decimarum &c, sed etiam modernarum differentiarum. Finivit verò omnem spem solicitudinis circa præsentem rerum statum in Rege & Cardinale reponendo. Palatinus Russiæ suasit reditum Reipub. ad ea principia, quibus crevit; ut nempe sub tentorijs consilia agitarentur: quare quantociùs cõmunem motum indici voluit, ibi utique intellecturam defectus consiliorum suaq; mala agnituram Rempub. affirmavit. Rogavit Regem, ut quòd non præstitit, præstet, siquidem haberet in manibus suis, & quod de lege declaravit dignetur exequi. Palatinus Smolenscensis grande arcanum dixit; quia nemo audivit. Palatinus Lublinensis locutus in sensum eorum qui universalia pro Comitiolis & cõmuni motu suaserant: cõmisit nihilominus arbitrio Majorum an non sine hoc fieri aliquid posset? ne forsan aliqua collisio nasceretur. Palatinus Masoviæ paucis se ad aliorum dicta accomodavit; ea omnia optando, sicq; hoc die finita sessio. A.C. 1695 *Tarlo.* *Tarlo.* *Franciscus Wesel.*

Die 26 Palatinus Podlachiæ fausta multa valetudini Regis precat⁹ petiit allatis instantiis Nuntiorum majoris Poloniæ, ut ea aperirentur consilia, quæ sub tecto in tenebris laterent. Dedit huic postulato occasionem Palatinus Vilnensis in hesterna oratione sua. Suasit deinde pro cõmuni motu & Comitiolis edenda universalia. Palatinus Brestensis post apprecationem Regi factam per simplicem orationem dissidiorum seriem in Episcopum Vilnensem devolvit, quòd ausus esset fulminare Ducem optimè de Repub. merentem. Palatinus Culmensis universalia ad Prussiæ Provincias ut ederentur rogavit; deinde à cõmuni excepit motu easdem tanquam in confiniis existentes: exposuit etiam instantias ejusdem, ut scilicet nonnisi indigenis & possessionatis Palatinatus Mariæburgensis cederet. Palatinus Mscislaviensis multa præfatus totam culpam in Episcopum Vilnensem refudit; quòd contra omne fas injuriâ domum bene meritam Sapiehanam affecisset, eaq; excõmunicatione etiam Tribunal offendisset excluso illo ex occlusis templis. Asseruit etiam plurimùm domum eam mandato læsam, quòd in illo hæc puncta essent, Ducem contra Ecclesiã, Regem & Patriam peccâsse; cùm aliud ex re constaret: non in Ecclesiam peccâsse respondit; quòd dom⁹ ejus Ecclesias quotquot essent unionis in alba Russia extruxisset, & præterea templa latini ritûs: nec contra Regem deliquisse; siquidem Leo Sapieha discrepantes inter status regnanti Sigismundo III adhæsit & adstitit: deinde Filius ej⁹ Reginam Ludovicam in Poloniam deduxit, Parens Paulus Sapieha tantùm Casimiro probavit obsequium; ut durantibus bellis aliquot millia suorũ pro tuendo Principe habuerit, deinde rogavit Regem ut sinistras delationes tollere de ea domo ejusq; persona dignaretur, qui utpote cum exteris correspondentias haberet nullas. Probavit etiam antecedenter, Ducem juxta sancitas leges habere potestatem exercitui in bonis Regiis consistentias assignandi, item in Ecclesiasticis. Braclaviensis Palatinus de dissoluta compage Comitiorum præmissis verbis explicationem per instantiam Cancellariorum petiit pridie dictorum à Palatino: universalia pro cõmuni motu & Comitiolis postulavit; Palatinus Minscensis suggillavit Episcopi Viln: in excõmunicando præcipitantiam, illoq; usus est versu: cum feriunt unum, non unum fulmina terrent. Pluribus exaggeravit honorem, animam, & corpus Ducis impetita à Præsule fuisse; cùm tamen nemo in animã jus haberet *Martinus Oborski.* *Dybski.* *Joan: Kos.* *Moszewic.* *Martinus Chomętowski* *Sapieha.*

beret

A. C. 1695 beret præter Deum. Fremitus ortus inde inter Episcopos; specialiter id negavit interlocutione suâ Episcopus Posnaniensis, econtra Thesaurarius Litvaniæ sic ab Episcopo finitam excomunicationem asseruit, diabolo tradidisse animam cum scandalo, quod sibi nemo arrogare posset. Prorsus Palatini Litvaniæ sarcasticè tractârunt Præsulem, purè illum vocando Brzustowscium, cumq; interpellâsset Posnaniensis Episc: non licere sæculari convicia jacere in Episcopum, responsum: nec Episcopo competere animam Ducis diabolo consignare. Inter Palatinos Livoniæ & Czernichoviæ sub hæc lis orta de Primatu voti, sed evicit Livoniæ Palatinus allegatâ pro se constitutione; qui deinde gratias egit Regi pro collata dignitate & resuscitato in domo & persona ejus respectu, qui sub Sigismundo Augusto olim fuerat. Comunem motum & universalia pro Comitiolis suasit. Czernichoviensis Palatinus fractas Comitiorum tabulas dolore prosecutus, petiit revelari super tecta, quæ in tenebris laterent. Itidem comunē motū & universalia pro Comitiolis poposcit. Castellan⁹ Calissiensis panegyri habitâ Regi & domui ejus pro Castellanatu (quia absens erat Palatinus Viln:) rogavit Cancellarios, ut convenirent Palatinum de arcano in tenebris latente. Castellanus Samogitiæ fatuitatis æmula censuit Comitia, quæ utpote initio & fine caruissent, indagavitq; causas mali, quas in eum refudit, qui à medio sæculo se in nostram Remp. imisisset, & sua commoda incrementis dispendiorùm Reipub. fulsisset. Simillima deinde in Episcopum Viln: repetiit, cumq; barbarismum commisisset, dicto compatere debeo, ridentibus aliis ad iterationem ejusdem vocis; dixit: vim patior, citra culpam irrideor; cùm tamen probè latinè eloqui calleam, tres vices dixi, comparerer & sic evasit. Ad punctum Senatus consilii respondit renuendo communem motum ob majorem confusionem secuturam, quàm quæ in Comitiis fuisset. Lenciciensis Castellanus sedato sermone multa de prudenti gubernio Regis asseruit, sessionemque diei finivit, communem motum non optando.

Platen

Felkiersam

Grotbus

Zbewianski

28 Feb: in consessu juravit Krispinus Notarius Campi Litvaniæ super Palatinatu Witebscensi: à juramento detulit illi votum Mareschalcus, sed per modestiam renuit antevertere ordinem aliorū, quos ille tangebat. Satisfactum volenti: Quare Iunivladislaviensis Castellanus vocē accepit, partitim vulnera Reipub enumeravit, eaq; Regis protectioni commisit. Ratione verò propositorum, universalia censuit tam pro Comitiolis, quàm communi motu necessaria quòd utraq; prodesse possent contra internas factiones, quæ ex passione Palatini Vilnen: aliquomodo se prodidissent. Petiit præterea solenniter, ut ea verba in tenebris & super tecta elucidarentur, quod non carerent suspicione. Castellanus Gedanensis ad vota priorum accessit. Castellanus Livoniæ incepit ab acerbitate temporum & malè cogitantium Reipub; tantum quippe ausos per impedita Comitia & discordiam, mensuram inde sumi posse, quid imposterum sperandum foret, ubi diffidentiæ inveterascent. Castellanus Præmecensis indoluit casui moderno Reipub, quod scilicet privatum interesse amori publico prævaluisset. Irrepsit deinde in censuram dictorū Palatini Vilnen, petiitq; elucidari parabolam, pollicitus Regi eam iactantiam eundem finem sortituram, quem sexennij conjurationes habuissent, quando nimirum prope de genibus Mtem Sapiehæ deprecari debuerunt. Ratione comunis motus Equestriū Comitiorum censuit ea nonnisi cum periculo continuationis belli indici posse; nam quisq; ubi cōparuisset in Comitiis, detrectaturus esset deinde contributionibus sese subijcere. Consequenter consuluit felicius consilia ex humano quàm equino

Grybowski

Borowski

Berk

quino capite promi, tutioraq; esse Comitiola, quòd in illis conveniri possit vocale præsidium sine periculo armorum. Item universalia edi voluit ad eum effectum, ne ex fama publica Palatinatus coirent in cassum. Crusvicensis Castellanus Czapshi gratias pro honore collato Regi egit, enumeratisq; ejus gestis illud addidit: Principes boni avaro circumscripti sunt tempore, nunquam satis vivunt. Reassumpsit incursionem Tartaricam comparando illam disgustibus domesticis, imò præponens illam dixit: Ineluctabilius hominum capita dimicant, quàm manus hostiū. Delapsus inde ad compassionem Præsuli Vilnen. quòd aræ ejus à tentoriis eò impotentiorem patiantur oppressionem, quod non ab impari, sed à pari ea inferatur. Quare adiecit ventosam potentiam magis metui, quàm amari. Comitiola deniq; necessaria censuit, non item comunem motum ex ratione, quòd pudori nobis cedere posset, si contra non extrema extremis agere vellemus, cùm ejusmodi inconvenientia mitioribus sopiri valeant. Castellanus Vilnensis, cujus adventus fere de industria expectatus fuit, perspiciliis & chartâ assumptis dixit: Nuperâ die in conclavibus Regiis ædificata fuisse tecta, arcanaq; admixta, quare se ad promendum sensum non accessurum asseruit, nisi prius Procancellarius Regni (Principem enim Procancellarium Litvaniæ præterivit) deputaretur ad Palatinum Vilnensem cum requisitione; ut interpretaretur & proderet latentia in tenebris, ne forsan illa in detrimentum Reipublicæ vergere possent. Hic iverunt Ministri status ad Regem, responderuntq; quòd satisfiet desiderio: nunc verò prosequeretur votum; Censuit ergo necessarias literas restium & universalia pro Comitiolis additâ ratione; infelix arma parat, felix tenet. Conclusit petens honorarium pro Comissione Leopoliensi & Radomiensi, quod ejus postulatum, quia in privato interesse erat, sub censuram cecidit. Castellanus Varsaviensis Oborski Ecclesiasticos purè defendit, innocenterq; opprimi asseveravit. Vocavit Clerum Regale sacerdotium, populum electum, Deosq; terrestres. Ad defensionem igitur censuit necessaria Comitia Equestria & literas restium. Tandem devoluta ad Ministros status vota fuère; verū Mareschalcus Regni Vitebscensem Palatinum admonuit, suum etiam depromeret votum, cùmq; ille respondisset se à Rege impetrâsse, ut ob modestiam postremo post omnes loco diceret, Rexq; ex solio consurrexisset, Procancellarius Regem allocutus est: Si non habuerit votum Palatinus Vitebscensis ante nos, nôrit Mtas, idem cras futurum quod hodie. Ad quæ progressus Rex aliquantum de solio indignabundus reposuit: liberum mihi est, præmittere mihi quem placuerit, sicq; ad crastinum diem rejectum. Deputati deinde à Rege Cancellarius Litvaniæ & Procancellarius Regni ad Palatinum Viln. à prandiis eum convenerunt pro sumenda interpretatione ambiguitatis verborum in voto prolatorum Humaniter Palatinus ablegatos excepit, publicamq; illis audientiam dedit, quamvis privatam tantùm optarent conferentiam; indignum enim visum est ex publico missis, publicè præsertim quòd suspicione res caritura non esset, correspondere. Cònsederunt itaq; Ablegati, proposueruntq; se ex mandato Regis ceu ministros status ex Senatu per Equestrem Ordinem compellato missos; ut arcana verborum suorum, quod modò in tenebris, erit super tecta, interpretaretur; ne Respub: ratione illorum aliquid de Palatino suspicaretur; Respondit Palatinus: mirari se vocem liberam censuræ subjectam, nunquamq; practicatâ methodo interpretationem exigi, quo tamen vacuos curæ remitteret, explicare se, nihil aliud intelligi: nisi causam Episcopi Vilnen: secum. Excepit verba hæc Palatinus Trocensis cum aliis Senatoribus præsens itidem mirando,

A.C. 1695

Drozdowski

Carolus Tatas

A.C. 1695 do, quomodo eâ ablegatione fungi voluerint, quæ ſapit vim liberæ vocis in perſona Senatoris bene juxta juramentum ſuum ſentientis. Aſperè id accepit Procancellarius Regni & de ſubſellio ſuo ſurrexit cum aſſertione ſenſum Palatini ſiniſtrum eſſe ſicq; ſoluta ſeſſio. Senatûs conſilium necdum concluſum. &c.

Conceptus quidam, quia ingenioſus mihi in Belgium delatus, adjiciendus mihi viſus eſt. In primordiis contentionum Epiſcopi Vilnen. ac Palatini promiſerat Regina aram à ſe ædificandam, quare ut promiſſis fidem faceret, erexit illam non tam ſumptu, quàm inventione ſingularem. Locum pro locatione ejus Kriſpinus Notarius campi deſcripſit in campo ita moderando ſpatium; ut ex æquo ab æde concordiæ; & tẽplo felicitatis publicæ ſtaret remota medio milliari Gallico, juxta quam proximè viâ Flaminiâ tendebat, quâ contemptâ à dextris viam vocationis præpoſuit Clerus M. D. L. famam diſcordiæ ad eam aram ferens & extollens. Materia verò altaris ex lapide, qui vocatur lapis offenſionis: In circum autem data maceries pro defenſione exilibus ſcrupis lapillisq; ſine arte compoſitis, quibus virtuoſi ægre pro bonis operibus lapidantur, adiecit ad hæc omnia aliquantum de lapide Szydłowiecenſi Princeps Cancellarius Lithvaniæ, qui quia mollis eſt, à quovis pati poteſt facilem figuram, uti revera in uno latere baſis hujus ſtructuræ imago Regis cujusdam capita pauperum decutientis eminet, in altera verò parte hiſtoria abitûs ex Polonia in Italiam deſerto filio Coronato Reginæ Bonæ ex ſolo appetitu Patrij ſoli, in vertice ſtatuenda fuerat ſtatua Cereris mam̃oſæ cum inſcriptione: Ubera non verbera: verùm quia ea Dea Panis eſt, inſcriptio verò notabat charitatem, conſultum fuit ſubſtituere effigiẽ Semiramidis, quæ audito turbas à Regno ſuo excitatas eſſe incompoſita cæſarie acceleravit ad tumultum ſedandum, majorem curam gerens ſubditorum, quàm capillorum. Verùm nec id reſpondere viſum eſt noſtro tempori, quo contraria aguntur. Stetit tandem ut, etſi ex fabulis ſpecioſa Icon Melcozinæ deſumeretur, cũ inſcriptione: deſinit in angvem, quæ admodùm placuit. Dedicationem altaris peregit frater Sacerdos, aliàs Abbas Legatus Galliæ, præcinendo ingenti voce; ad majorem Regis Galliarũ gloriam; finivitq; deinde S. murmure, ut nemo dicta intelligeret. Succeſſit chorus, in quo cecinêre Deos, crinemq; rotãtes ſangvineũ, cecinerũt triſtia Galli. Clauſit dedicationem pro Altariſta conſtitutus Epp⁹ Viln. ſub tit: *Sacerdos Miles:* Magnæ Deorũ Matris, qui ſc: juxta morẽ eorũ ſacerdotũ devenit in furorẽ, jã Regale tumẽs; & Principe celſior ibat colláq; fœmineo jactabat mollia geſtu. Et quia Cybele in memoriã Atys Amaſij ſui, qui ſibi furẽs vitã abſtulit, vult ſuos ſacerdotes eſſe, neſcio an in id conſentiet nov⁹ Myſta, & an non ideo hæc ſacra execrabitur. Devotio ad iſtã aram fundata ceremonijs & tinnitu qualem antiqui Ethnici ſub tempus Ecclypſis lunæ excitabant, quem nos inducimus in Poloniam, ut quomodocunq; laboranti ſuccurratur lunæ. Adjectæ etiam breves orationes ex Alcorano Turcico extractæ pro diſcordia Principum Chriſtianorum. Reliquiæ in hoc altari ſepultæ ſunt duo dentes Ludovicæ Reginæ, quibus tamdiu Lubomirſciũ mordebat, usq; dum ex Polonia ejiceret. Brachium Callimachi, quo ſcripſit maximas abſoluti Dominij inducendi in Poloniam. Sinciput ex capite Machiaveli, in quo varij ad id ſervientes, conceptus gignebantur. In facie hæc fuit inſcriptio: Altare à muliere extranea ſolitã gentis & ſexûs levitate extructum, ſed nec dotatum, nec proviſum; à quo non indulgentias, ſed excom̃unicationem expectes, cujus pro tuendis Patriæ im̃unitatib⁹ Comes Sapieha Palatinus Viln: exemplũ factus. Cecidiſſet victima, niſi ceciniſ-

cinisset victoriam. Cave tibi ab his sacris Polonia, ne ultrix irrationalium *A. C.* 1695 Gallum in sterquilinio hic exultantem, canem Turcicum prædæ tuæ inhiantem, cæterosq; libertati tuæ insidiantes simul adores lupos. Ex gente libera in superstitiosam Ægyptum, & domum servitutis convertaris.

Missus est mihi etiam Sermo post vota Senatoria habitus, Episcopi Vilnensis, quem adjungo, habitus verò fuit 2. Martij 1695.

Credidi Rex Serenissime, quòd mea tranquilla modestia quam in omni loco, præcipuè verò ante Mtem Vestram soleo semper plùs quàm religiosè observare, debebat in exemplum & imitationem trahi. Sed quando nuper & hodie extra contenta libelli, hoc est ultra propositionem à throno Mtis Vestræ sum lacessitus, ne videar tristi silentio improbè dicta approbare, petitâ humillimè veniâ à Mte Vestra, reddet repressalia provocata patientia breviter & compendiosè simplici veritatis stylo reponens. Et inprimis Rex Serenissime quis mihi daret, ut scribantur sermones mei stylo ferreo ex gravi mœrore super præsentia calamitosa & deploranda tempora, ex sola ambitione unius alteriúsve civis, præcipuè verò D. Sapiehæ Palatini Vilnensis Divini humaniq; juris immemoris, quod non tantum è longinquo dubia pro tempore fieri, omnes audire, sed etiam oculis ipsis Mtis Vestræ & omnium Reipub: statuum debet patere. Cultus Religionis & gloria DEi in M. D. Lit: per abominationem desolationis & crudelis hæreditatis Christi annihilatio, & ex hac causa per occlusa passim sanctuaria cum magno totius orbis scandalo honor quasi diminutus. Inter vestibulum & altare plorant Sacerdotes & Ministri DEi, nam ad extremam devenerunt egestatem. Tot millia Catholicarum animarum in extraneas terras cum infallibili æternæ salutis jactura in magna & vix numerabili frequentia abierunt. Vix non omnia insuper in M. D. L. Tribunalia iustitiæ spiritualis & sæcularis convulsa, & supremum super illa arbitrium sibi arrogatum, jus omne in armis reponendo. Delicata libertas virtute & sangvine Majorum parta in abominabilem reducta servitutem. Cardinalia Jura ex ipsis commota fundamentis, nihil prisci & integri moris reliquit. Magistratus in defensionem Patriæ probè à Majoribus nostris institutus in furorem & perniciem civium conversus. Comitiola quædam sub armis expedita, nonnulla in sangvine nobilium natantia. In libera capita fœdi sicarij instructi, æqualitatis in libera gente nulla ratio habita, ex parte juris sese excludendo sacrum jus Gentium apud ipsosmet Paganos in reverentia habitum, non semel violatum, præcipuè in interceptione literarum, quarum innocens stylus malevolo animo & magis ad invidiam quàm rectæ interpretationi subjectus, quia in nominatis literis meis interesse Regium judicio cujusvis prudentis aliud esse non potest, nisi hoc, uti in rei veritate evidens est, quod circa bonum publicum & utilitatem versatur. Disciplinæ militaris non tantùm relaxata, sed etiam planè approbata conniventia. Jus sceleri datum, & omnia impunè prædan-

A.C.1695 di. Cohortes quædam pro libidine dimissæ, aliæ sine literis Mtis V. præcipuè Desultoriorum contra expressam legem conscriptæ. Exercitus M. D. L. in debito computo & ordine ad operationes belli vix aliquando eductus, & is terribilibus gravaminibus transeundo, obvios quosq; premebat. Stativa, consistentiæ hybernales sine Deputatis à Rep. secundùm legem, juxta beneplacitum exdivisæ, cum duplici à quibusdam pro libertatione, auctione, & cum pingvi à ditioribus redemptione sine ullo inde exercitûs solatio, cum solo privato proprio comodo. In violentas invasiones bonorum nobilitarium & aliorum, & in assistentias ad latus suum miles Reipub. satellitum loco manebat. Milites ad obsequium Mtis V. & Reip: conducti, ad proprium obsequium tracti. Ærarium publicum injustissimis liquidationibus, retentis quietationibus, assignationibus & largitionibus exhaustum. Jus Tribunitiæ potestatis & perpetuæ dictaturæ, quæ quondam ad tempus tantùm sumebatur super liberam gentem, arroganter sibi appropriatum. Propagatores Ecclesiæ DEi & libertatis status nobilitaris alij in vinculis & sub continuis vexationibus, alij sine lare & foco. Libera vox non tantùm in Comitiolis, sed & hic in Comitijs impracticato exemplo miserrimè in faucibus strangulata. Curia libertatis toties infestis tumultuariis armis occupata, publica securitas toties quoties, testatur id ipsum dies hesterna in oculis Mtis Vræ sacrilegè violata. Conclave Nuntiorum sine authoritate, populus absque justitia, leges sine executione, Senatus sine consilio, Mtas Regia absq; debito honore, Mtas Vra sine Jurisdictione, tota Resp. sine præsidio & defensione his præcipuè infelicibus temporibus, dum Annibal ad portas, Jura Mtis Vræ imprudenter & impudenter usurpata in multis dignitatibus sine privilegio Mtis Vræ beneficia nuper & nunc recenter bene meritis collata injustè eripiendo, uti nominatim Palatino præsenti Vitebscensi, Capitaneo Slonimensi, Capitaneatus Zydeycanensis violenter ereptus, quorum restitutio ut authoritate Mtis Vræ fiat, humillimè supplico. Oblivisci non possum sine justo doloris sensu, quia sine amnistia variæ conspirationis, cujus authenticum & authographum documentis manibus propriis eorum subscriptum habeo, & producere paratus sum. Manifestationes, illicita conventicula, legationes ad Mtem Vram extortæ. Protestationes frequentissimè factæ falso nomine M. D. L. assumpto. Insuper audax per temeraria subjecta jactatio de dismembratione M. D. L. ab inclyto Regno, unde hi ipso facto juxta Pacta unionis pro hostibus reputari debent. Quid amplius dicam? summa imis mixta, & divinare securè quisq; potest, quòd juxta sit dies perditionis, & adesse festinent tempora gravissimæ cujusdam & à sæculis inauditæ in Patria nostra revolutionis. Si provida Mtis Vræ cura, quæ nunquam deest, etiam cum dispendio valetudinis Regiæ his malorum initiis non occurrat. Igitur sicut non semel in publicis & privatis enormissimis læsioni-

sionibus citra omnes cum exteris cointelligentias, aut ab illis minimas dependentias, quod mihi aliquoties ab aliquibus hic plus quàm calumniosè relatum fuit, ad unicam Mtem Vram, tanquam ad unici & supremi Domini protectionem recurrebam, ita & nunc cum omnibus his, qui ultimâ adacti oppressionis necessitate in magno numero hic confluxerunt. Penes libertates generoso animo sese opponendo clari stemmatis & non ignota nomina, nec Pragæ & Skaryszeviæ cum protestationibus formatis collecti, sicut hic nuper injuriosè Depontanus asseruit, non intrusi, nec mercede conducti, sicut pleriq; controversi pedibus Mtis Vræ se inclinant, suppliciter cum lachrymis petendo: vindica Domine sangvinem nostrum, & ne des hæreditatem Regni in opprobrium & dominationem. Ne verò insideat menti D. Sapiehæ Palatini Vilnensis aliqua cogitatio circa exportatam in mandato citationem contra abusus sui Ministerij: manifesto me coram Mte Vra & toto Nobilissimo Senatu, quòd in futuris DEO dante Comitiis Varsaviensibus sive in equis absolvendis, prosequar illam, ubi illi liberum erit coram judicio deposito ad æqualitatem fastu, impugnare pro tunc eius invaliditatem tanquam inordinatam citationem ex quovis defectu, si aliquis apparuerit. De processu Juris spiritualis loqui hic supefluum esset, quando per avocationem in pectore & deliberatione summi Pontificis concesso pœnitentiæ spatio hæret. Forma excommunicationis quàndoquidem ab inscijs & imperitis vitiosè taxatur, pro informatione Mtis Vestræ & omnium hic præsentium ex ipso Pontificali producere possum, ubi expresè scriptum est, quod tantum in interitum carnis traditur, ut spiritus salvus fiat, aliter verò credere & interpretari hæreticum & blasphemum est. Defensionem hæreditatis Ecclesiasticæ continuis & Patriis hujus Regni legibus, quas recensere nolo, justam esse impressæ constitutiones, ex quibus informari quivis potest, evincunt. Allegata verò nuper contra illam constitutionem sicuti in volumine legum non est reperibilis, ita pro mentali & chimerica haberi debet. A.C. 1695

Si deveniretur ad communem Nobilitatis motum in M. D. L. in Ordine Equestrium Comitiorum, pro quibus humillimè Mti Vræ supplico, sequor in eo magnum sensum Palatini Siradiensis, ut non gravando populum transeundo complicatis signis, in locum & tempus destinatum sparsim conveniant, submittendo in eo debilem sensum meum censuræ & judicio Mtis Vræ. Diversæ voces, quæ hic conceptis verbis tanquam ex præscripto injuriosè me & calumniosè aggresæ sunt, latrare tantùm & non mordere poterant, & plus sibi, quàm mihi vitæ, scelerisq; puro, nocere possunt. Hic verò, qui non est ipse pleni juris, quia jure victus, malitiosâ canonisatione vitæ meæ inoffenso pede transactæ, aliquam protestationem nominavit nuper, quam authoritate Mtis Vræ & præsentis Senatûs requirendam crederem, ne quid publicè sub velamine nominis mei ibi involvatur. Si im-

A.C. 1695 immemor est & ingratus beneficii Majestatis Vestræ non pridem Grodnæ clementissimè recepti, prius noscat seipsum & in actis Castri Vilkomiriensis ipse semet tanquam in speculo circumspiciat & si adhuc recti sensum habet, illud ipsum, quod in publico consilio Grodnæ coram Mte Vra declaravit, in Comitiis deducat, si non vult ad id ipsum faciendum necessitari.

Ita Serenissime Rex Dne Clementissime, si aliquando, tunc certè nunc manifestè videmus, quòd nulli jactantius fidem suam obligent, quàm qui maximè violant. Tot largissimis gratiis & beneficiis Mtis Vræ incrassati, impingvati & dilatati recalcitrant. Tantis à Mte Vra receptis beneficiis, & Senatoriis occupatis Curulibus ingratitudine compensant, dum Deos alienos, novos, recentesq; citra Mtis Vræ authoritatem colunt & adorant. Propria crimina sua sub parabolis tenebrarum & tectorum in illos rejiciendo, quicunque sub clypeo Regiæ Mtis Vræ integrâ & constanti manent fidelitate.

Ac proinde repetitis vicibus ad pedes Mtis Vræ advolvor, Paternam compassionem & misericordiam invoco: eripe me Domine ab homine malo, sicuti pro hesterna vivæ vocis oraculo declaratione Regiæ gratiæ & constantis protectionis humillimas effusissimo corde gratiarum reddimus actiones. Nobilissimi verò Senatûs & totius Reip. plena charitatis viscera imploro ad compassionem & constans auxiliû, in tam clara & gravi præcipuæ partis M. D. L. pro justitia & libertate simul mecû sub tyrannide oppressionis & servitutis gementis.

PUNCTA PRO CONSERVATIONE JURIUM, IMMUNITAtum, & Prærogativarum Statûs Ecclesiastici ex sensu Illrûm, ac RR. Episcoporum collecta, totiq; eorundem Collegio ad trutinandum, consultandumq; secretè porrecta sub actu Comitiorum Generalium Regni modernorum.

1mo. Primum sub Primatu suo dum Cardinalis Archiepisc. Gnesnen: indicit Episcoporum consessum, facit id pro more veteri & officio suo, ut eo efficacius rebus Ecclesiasticis consulatur, Juraq; Statûs Spiritualis strenuè & unanimiter in publico defendantur, quibus tutiùs provideri non potest, nisi sit unio animorum, altumq; consilij secretum.

2do. Pro Conservatione, aut protectione Immunitatum suarum, si Status Ecclesiasticus ad gratiarum actionem, se cuipiam obstrictum esse judicet, an eandem, & cui præstare expediat?

3tio. Authoritas, stabilitasq; perpetua compositi Judicij in Tribunalibus Regni est Jus Cardinale conservandarum rerum Ecclesiasticarum, contra quod vel maximè Ordo Politicus fremit: Ut autem tam augustû subsellium in suo robore maneat inconcussum, quomodo obviandum?

4to. Cùm autem passim absq; legali causa Deputati ex Capitulis à Tribunali abire, & abesse soleant, indeq; Ordo Equestris, promptam querelarum accipit occasionem, quomodo providendum?

5to Conventus nonnullorum Palatinatuum præcipuè Cracoviensē, præjudiciosum jurisdictioni Ecclesiasticæ articulum, imò impium Nuntiis suis demandavit, in præsentibus Comitiis promovere, ut spiritualia Subsellia non judicent causas Decimarum, & Fundorum juxta Constitutionem Regni, anni 1635, & ubi Contractus super solutione pecuniaria

Deci-

Decimarum intervenerunt ab annis 40, ut perpetuitatem sapiant, quæ omnia si suum deberent sortiri effectum, Jurisdictio Ordinariorum extremè enervaretur, perindeq; desertatio Ecclesiarum causaretur, in hac igitur rerum, & temporum tempestate, serioq; sæcularium contra Spirituales odio, quomodo prospiciendum? *A.C. 1695*

6to. Quoniam verò Sæculares, quorum bona exdecimationi sunt obnoxia, habent mille modos, artesq; inducendi Beneficiatos ad compositiones & Contractus pro Decimis, qui passim irrequisito, imò inscio loci Ordinario privatim conficiuntur, exindeq; Juribus, & reditibus Ecclesiæ laqueum parant, quomodo huic malo occurrendum? potiusq; curandum, ut etiam veteres Contractus solennitatibus destituti, annihilari possint?

7mo. Additamentum ad agrarias ratione Decimarum adeo sæcularibus placet, ut hoc semper Contributionis genus constituant in relevationem subditorum suorum in majorem verò Cleri aggravationem, de quo tamen nulla est expressa Lex Regni, quinimò ipsum judicium Tribunalitium non semel sententiavit, præsertim in controversia inter Incolas Villæ Bechotnica &Parochũ, dum hoc punctũ ratione additamẽti ad agrarias pro decisione ad Comitia Regni remisit, salvo usuDecimarũ

8vo. In reductionem Censuum Ecclesiasticorum ad minorem quotã Comitiola ferè omnia Diœcesis Cracoviensis convenerunt, & intendunt cum præjudicio Fundatorum non tantùm eundem Censum minorẽ ultra septem reducere, verùm & ipsas Originales sumas seu inscriptiones in Bonis Terrestribus ab annis 50 factas extingvere, quomodo occurrendũ?

9no Quibusdam in locis seu potiùs in Diœcesi Vilnensi aliquot centeni mansi sunt avulsi, & inter Tartaros distributi, ex quibus parochi Decimas manipulares, vel pecuniarias percipiebant, nunc infideles cum damno Ecclesiæ, & injuriâ easdem reddere recusant, quæ media arripienda ad easdem vindicandas?

10mo Plurimi ex Parochijs Diœcesis Vilnensis, & ex quibusdam ferè omnes subditi ob sumam aggravationem, & exactiones militares post abjurationem factam, diversimodè sunt elapsi, pro illis tamen Parochi cum sumo damno Bonorum Ecclesiasticorum Contributiones, hybernalem, & capitalem solvere coguntur, ultra quæ ad suppeditandum victũ militibus transeuntibus, & in stativis hærentibus etiam stringuntur. Proinde in eliberationem Bonorum Ecclesiasticorum ab his, & similibus angarizationibus expedit levius medium arripere, ut Diœcesis quælibet proprio sumptu milites pedestres laneales ductâ proportione laneorum pro Repub: provideat, ab omnibus verò Reipub: oneribus quocunq; nomine vocitatis sit libera.

11mo. Regularium audacia, & ambitus ita excrevit præcipuè Ordinis Cisterciensium, ut per calcata jura Constitutionum Provincialium possessionem Abbatiarum adire non erubescant, Deputatos ab Ordinariis ad administrationem post cessum vel decessum vacantium non admittant. Præsidentiũ in electione Abbatũ ijsdem Deputatis Cathedraliũ Ecclesiarũ denegent, Benedictiones Abbatum non â suis locorũ Ordinariis sed à sui Ordinis Comissariis procurẽt, pesiones pro Seminariis ad mente SS. Cõcilij Tridentini extradere detrectent, quinimò sumas ex proventibus Monasteriorũ suorũ pro Deputatis ad judicia Tribunalis Regni solvere recusent, ut patet ex Processu litis Venerabili Capitulo Cracoviensi per D. Abbatem Czyrzycensem instituto in Curia Romana pendente. Tum demùm Abbates ipsi duodecim nobiles sumptu præfato in studijs fovere, quos tenentur, non fovent, quomodo hisce consulendũ.

12mo.

A.C. 1695

12mo. Monachi prædicti Ordinis Cistercienſium Eccleſias occupant Parochiales contra expreſſas Bullas Pontificum, temerariè inſtituentes Abbates pro cura animarum ſuos Religioſos. In jura item Parochialia tam iidem, quàm alij Regulares Sacramenta Parochianis adminiſtrando, eosdémque ab Eccleſiis Parochialibus avocando, ſepulturas irrequiſitis Parochis faciendo involant, huic malo obviari poſſet, ſi jus commune, & Conſtitutiones Provinciales non obſtantibus Regularium privilegijs, & exemptionibus ad malè narrata, & importunas preces obtentis, debitam habeant executionem.

13tio Perſæpè accidit, quòd in privatis oratoriis (ubi aliquando à loci Ordinariis indulgetur facultas celebrandi Miſſam) ſeu Capellis Nobilium venientes Monachi Sacra celebrant, non petitâ licentiâ à loci Ordinariis quibus conſtare debet, an non ſint vagi, & ſuſpenſi, quòd id ipſum frequentiùs contingit, quomodo tot, ac tantis auſibus & abuſibus ſcandaloſis proſpiciendum?

14to Vacat ad præſens Abbatia Landenſis poſt mortem D. Commiſſarij, an expedit igitur, ut Eminentiſſimus Primas Capitularem perſonam nominando pro adminiſtratione manuteneat jus Eccleſiaſticum: Non gravetúrque ſcribere ſuo, & Collegij Epiſcopalis nomine ad Generalem Ordinis Cistercienſium, ut novo Commiſſario injungat, ne ſibi contra Canones arroget, excluſis loci Ordinarijs adminiſtrationem Religioſarũ Abbatiarum. Et quia D. Suffraganeus Poſnanienſis obtinuit Decretum Româ contra Caſſinenſes Monachos in favorem Epiſcoporum; Ita eſſet bonum obtinere ſimile contra Cistercienſes.

15to Clauſuræ Sanctimonialium SS: Canonibus, ſummorum Pontificum ordinationibus, & ſacræ Congregationis declarationibus curæ DD. Epiſcoporum ſub cenſuris ſunt commiſſæ. Cùm verò Moniales non ſint exemptæ à comparitionibus perſonalibus circa acta publica, & judicia; Ideo pro hac libertate multis ſcandalis ſub prætextu diſceſſûs ad Caſtra, judicia Tribunalitia, villas, pagos, & alias proprietates, Civitates, affectatæ valetudinis curandæ, obviandum. Ad renuntiationem verò bonorum, & aliorum actuum extra judicialium in Conſiſtoriis DD. Epiſcoporum faciendorum, ut Notarij Conſiſtoriales ad portam Clauſtri pro excipiendis iiſdem actibus invitentur.

16to Jus Patronatûs plenis buccis detonant ſæculares, illud ignorantes, expedit igitur, ut à S. Collegio Regia Mtas informetur, quòd nimirum pro libera Electione Monachorum, ſunt Regni ſtatuta, & quadrinæ Conſtitutiones, tot Privilegia Sernmorum Regum, atq; Conſtitutiones ſynodales approbatæ. Proinde uniformitas ſentiendi in ſacro Epiſcoporum Collegio requiritur.

17mo. Juſtus oboritur metus ne ſub certo ſpecioſo prætextu faciat impetum ſæcularis poteſtas, pro extraditione argenti Eccleſiaſtici titulo ſubſidij. Cui injuſtæ affectioni validè ut occurrat, obſtetq; ſtatus ſpiritualis, quæ media adhibenda?

18vo. Publicatio Juratorum teſtimoniorum, & communicatio ipſorum colligationibus portibus in foro ſpirituali practicata pernicioſa eſt, & infinita inconvenientia importans, ſiquidem eveniunt notoria perjuria ob metum Dominicæ poteſtatis, odium, & vindicta immortalis, perſecutiones propter juſtitiam, homicidia teſtibus deponentibus paſſim inferuntur. Proindè huic animorum, & corporum periculo modus inquirendus?

19no. Scartabelli, aliàs recenter anterioribus Comitiis ex conſenſu Ordinum admiſſi, ad prærogativam Nobilitatis, nonnulli Hæretici ſub ea conditione, ut abjectâ hæreſi, redeant ad gremium S. Matris Eccleſiæ. Conditioni non ſatisfaciunt, quare ad id adigendi, ac dictâ privandi prærogativâ.

20. De ſtatu Nobilium plurimi Acatholici nova præſumunt in majori Polonia ex articulis tolerantiæ, & juramento Regio, erigere fana, proindè petitur reſolutio, qualiter hoc in puncto ſe gerat D. Epiſ. Poſnan. cum clero ſuo, potiſſimum cùm Tribunalis Regni ſint expreſſa decreta ſuper demolitione fanorum noviter erectorum. Idem pluries faciunt in Lit. Tartari, colonias poſſidentes extruunt fana, licet ipſiſmet Catholicis novam erigere fundationem ſine approbatione, & conſenſu Reip. non ſit licitum vigore Conſtitutionum.

21mo. Utrum dictus D. Epiſcopus Poſnanienſis reparationem fanorum antiquorum ſinere debeat, nullam eo in puncto legem habens contra hæreticos.

22do. Judæi ſynagogas ædificant, & collapſas, ac deſolatas, notabiliter reſtaurant abſq; omni conſenſu. Familiâ item utuntur Chriſtianâ contra leges, unde eam injuriant, & opprobria Chriſtianitati inferũt, atq; obſequio corũ ſe dilatãt, quomodo hi tollendi abuſus?

23tio. Iidẽ Judæi in teloniis contra Regni Cõſtitutiones exiſtẽtes ratione merciũ veritatem indagãdo extracta ſubtꝰ ſcamno Crucifixi imagine Chriſtianos cogũt ad juramẽtũ præſtandum, quid igitur ſentiendum de diverſorijs ſeu domibus hoſpitum, in quibus manentes tranſeunti Chriſtiano ſorditatem conſulto ſubijciunt, quomodo his obſiſtendum?

24to. Conventicula & Comitia ſæpius ſæculares poteſtates cõtra Epiſ. formãt: res verò Eccleſiaſtica ab annis 40 non habuit ſynodos provinciales, cõſtituẽdum itaq; eſt aliquid certi, ſuper habenda Synodo, tanquã unico remedio in Eccleſia DEI, ut ſit terribilis, non autem contemptibilis, ſicut acies Caſtrorum ordinata.

25to Declarationes moderni conſeſſus Epiſcopalis, an ſub ſigillo, & cum ſubſcriptione Eminentiſſimi, extradere (ſi quis deſideraverit) expediat?

INDEX RERUM

QUÆ SECUNDA PARTE TOMI PRIMI CONTINENTUR.

A

B

C

X Car-

D

E

F

Fun-

M

N

O

P

Q

Querela

V

V

Z

MAG 2842

Digitized by Google

Digitized by Google

a pagi 1160 ad 1233 diesa

Digitized by Google